






V
B
J
C
66794

N° 371.

N ~~73.~~ 69




LEGVM
Patriæ et
IVS
REGNI
POLO
NIÆ.
authore
NICOLAO ZALASZOWSKI
V.I.D. ARCHIDIACON
POSNANIENSI
Typis Academ: Posn
ATLAS
HERCVLES
Albert. J. Derpowicz fecit

JVS REGNI POLONIÆ

EX

STATUTIS ET CONSTITUTIONIBUS EIUSDEM REGNI & M. D. L.

COLLECTUM.

ET

Additionibus ex Iure Civili Romano, Canonico, Saxonico:

necnon, ex Constitutionibus Provincialibus Gnesnensibus auctum, historijsque illustratum.

JN QUATUOR LIBROS & DUOS TOMOS DISTINCTUM.

A

NICOLAO ZALASZOWSKI V. I. D.

& quondam in Vniuersitate Cracoviensi Actuali Professore Archidiacono Posnaniensi,

dla Szkoły Klewańskiey

In lucem publicam

EDITUM.

TOMUS PRIMUS

POSNANIÆ, Typis Academicis.



Dedicatio Operis.

SUPREMI LEGISLATORIS,
omnium vivorum & mortuorum JUDICIS,
inter DEUM & hominem MEDIATORIS

MATRI,

extra legem (quia immaculatè) conceptæ,
Perpetuæ VIRGINI,
REGINÆ CÆLI, DOMINÆq; MUNDI,
Speculo Justitiæ,
Sedi Sapientiæ,

SANCTÆ MARIÆ,

Cujus ope & auxilio,
hoc opus conscriptum est,
dat, offert & dedicat
indignum mancipium
EIUSDEM MATRIS
& VIRGINIS,
NICOLAUS ZALASZOWSKI.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CUm Respublica Polona, non tantùm armis decorata, sed etiam legibus suis armata sit, (prout Sapientissimus Rex Poloniæ, CASIMIRUS Anno Domini 1368 teste Przyłuscio folio 150. effatum reliquit) Quarum beneficio, Serenissimi Reges, liberæ Genti, placidè & suaviter imperent: improbi Cives metu pœnarum, in officio, ac debita superioribus reverentiâ contineantur: boni præmijs, ad quævis ardua aggredienda alliciantur, universi aureâ pace fruantur, quantumve Patriæ, quantùm Parentibus, quantùm Concivibus, & vicinis Gentibus, debeatur, optimè sciant, & cognoscant. Non inutile censui, easdem leges sparsas, in unum opus, compendiosâ methodo colligere, ut Lechica Proles, earumdem notitiam & scientiam habere possit. Siquidem à sapientissimis Legislatoribus proditum, & usu communi receptum est: Leges ac consuetudines municipales, Legibus & consuetudinibus universalibus, & alienis præferendas esse. Hinc Quintus Mucius, Servio causam oranti in Lege, Necessarium, §. Servius, ff. de Origine Juris, objecit: Turpe esse, Patritio & Viro nobili, & causas oranti, Jus, in quo versaretur: ignorare. Fateor sapientissimos & doctissimos viros, Inventaria, compendia, promptuaria Statutorum & Constitutionum Regni Nostri, & Magni Ducatûs Lithuaniæ, conscripsisse, & in lucem publicam, Polonico idiomate edidisse. Sed cùm aliæ Gentes & Nationes, Jura sua Nobis

commun icent, operæ pretium esse duxi; (ut & illæ Legũm nostrarum notitiam habeant) latino idiomate eadem conscribere. Non tacui Leges Civiles Romanas & Saxonicas, non quòd me lateat, in Iudicijs Tribunalitijs Castrensibus & Terrestribus, leges exoticas allegare, non esse permissum, sed quòd CASIMIRUS REX Poloniæ ob res præclaras, nomen Magni meritus: alijq; Serenissimi Reges, in condendis Statutis, Leges Civiles Romanas sequi non dedignati sint. teste Lascio fol 7. Et in Iudicijs Assesorialibus post Curiam, tam Leges Civiles Romanæ, quàm & Saxonicæ allegentur, prout quotidiana praxis edocet, idq; Piasecio in Chronica sua folio 536. cum sequen: maximè placeat: ne in defectu Iurium nostrorum ex opinionibus proprijs, quisq; causas agit et, defendat, & tueatur. ut videre licet apud eundem Piasecium loco citato. Interserui & historias, non alio motivo & fine, nisi, ut, quod in Legibus nostris succinctè & breviter & quandoq; obscurè insinuatum est, historiæ clariùs elucident, Lectoremq; informent. Accipe itaq; Lector Benevole hunc laborem meum grato animo, & si quid à me omissum est, supple, & incolumis, felicitatibusq; auctus, quàm diutissimè vive, & hoc labore meo fruere. Datum in Summo Posnaniensi, Die visigemâ Mensis Ianuarij Anno Dñi. 1699

NICOLAUS ZALASZOWSKI
U. J. D. Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis
Archidiaconus.
mpp.

APPROBATIO
Jllustrissimi Loci Ordinarij

JLlustrium Virorum sensu & æstimatione Opus JURIDICO-POLITICVM Perillustris & Reverendissimi Dñi Nicolai Zalaszowski Archidiaconi Posnanien: V. J. Doctoris, in Alma Vniversitate Cracoviensi, non solùm probatum, sed & elogijs donatum, uti publicæ utilitati serviens admittendum, auctoritate protunc Ordinatiâ, & Typo tradendum censeo & permitto. Datum Posnaniæ 11. Julij Anno Domini 1699.

HIERONYMVS WIERZBOWSKI
Episcopus Fessensis Suffraganeus Posnaniensis & Sede Vacante Episcopatûs Administrator Generalis.

(S. L.)

APPROBATIO
Magnifici D. Rectoris Studij Gener: Crac:

OPVS JVRIDICO-POLITICVM Summam Legum Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithuaniæ à Perillustri & Reverendissimo Dño Nicolao Zalaszowski V. J. Doctore, & olim in Alma Vniversitate Studij Generalis Cra: couiensis Actuali *Professore* collectam continens: Iuris *Pon*tificij Civilisq; Romani & Saxonici allegationibus locupletatum, & exornatum apprimè, vidi, legi, atq; *Inclytæ* Facultati Juridicæ ad evolvendum commisi: Jn quo, cùm nihil Orthodoxæ Fidei, bonisq; moribus dissonum; quin potiùs omnia ad publici boni emolumentum insigne acsi refertissimo in gazophylatio recondita observaverim; ideo, vt detersâ typi sepiâ lucem Orbis *Poloni* tanto illustriorem, nomenq; Viri Jureconsultissimi celeberrimum vbiq; Gentium quanto cius provehat, dignum iudicavi. Cracoviæ in Collegio Juridico die 22. Mai Anno Domini M. DC. XC. IX.

M. SEBASTIANVS PISKORSKI V. I. Doct: & Prof: Canonicus Cracovien. Almæ Vniversitatis Studij Generalis Cracov: Procancellarius & RECTOR mpp.

(L. S.)

APPROBATIO

V. J. Doctorum & Professorum in Alma Universitate Cracoviensi.

AUro cedrisq; perennibus notandum est, quod ex Tripode Juris ab erudito animo in usum communem & lucis publicæ faciem prodit. Nullæ quippe magis aureæ, quàm juris & justitiæ fodinæ sunt, ex quibus, quidquid literati laboris calamo eruitur pretiosum, hoc æstimatione omnis sæculi dignum. Meruit hanc plusquam auream æstimationis Dactilothecam, opus insigne JURIS REGNI POLONIÆ, quod non tantùm ex Jure communi, tam Canonico, quàm Civili & Constitutionibus Regni hujus, ac Magni Ducatûs Lithuaniæ, verùm etiam ex Jure speciali variisq; Privilegijs & Historiographis eruditè concinnatum est, à Perillustri & Reverendissimo Domino NICOLAO ZALASZOWSKI J. U. Doctore Ecclesiæ Cathedralis Posnaniensis Archidiacono, cuius amor pro DEO labor & liberalitas pro Ecclesia, sudor pro communi felicitate, zelus pro Juris & Justitiæ vigore, necnon pro immunitatis Ecclesiasticæ & boni Academici Vniversitatis Cracoviensis conservatione, in tot Tribunalibus, Officijs & negotijs publicis fidelissimè impensus, annalibusq; perennitatis inscriptus memoriam & gloriam meretur immortalem; ita vt hoc plusquam Delphicum Iurisprudentiæ monimentum in Professone Juris Utriusq; Collegii Nostri Juridici & Almæ Universitatis Cracoviensis publica, annis compluribus quondam probatum, nunc verò ampliùs auctum, Orbis videat & legat fructuosè, Facultas Nostra Juridica ex speciali Magnifici Perillustris & Reverendissimi Domini RECTORIS Vniversitatis Nostræ Cracoviensis Studii Generalis, authoritate delegatâ, non censuram sed debitum elogii cultum eidem operi apposuit & apponit. Cracoviæ in Collegio Juridico Vniversitatis Cracoviensis Die Vigesimâ Nonâ Mensis Junii Anno Domini 1699.

M. ANDREAS KRUPECKI V. I. Doct. SS. Omnium Collegiatæ Cracovien: Custos. Luboricensis Curatus mpp.

M. ZACHARIAS THESZNAROWICZ I. V. Doct. & Professor Protonotarius Apostolicus. Eccl: S. Nicolai extra muros Cracov: Præpositus mpp.

M. IOANNES EKART I. V. Doctor & Professor Eccl. Collegiatæ SS. Omnium Cracoviensis Primicerius mpp.

M. ADAM STYRKOWSKI I. V: Doct. & Professor. Eccl: Collegiatæ SS. Omnium Cracoviensis Cancellarius mpp.

M. MARTINUS SŁOWIKOWSKI I. V. Doctor & Professor SS. Omnium & S. Michaelis in Arce Cracoviensi Canonicus. Racławiensis Curatus mpp.

(L. S.)

ASTRÆÆ
in terras reduci applausus Apollinis,
MAGNO NOMINI & HONORI,
PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI
D. NICOLAI ZALASZOWSKI
U. J. Doctoris, Ecclesiæ Cathedr: Posn. Archidiaconi
A
Collegio Iuridico Almæ Vniversitatis Cracoviensis.
DEDICATVS.

DEscende cælo Numinis arbitra
Magni, nitentûm gemmaq; siderum
Astræa Mater, in Polonos
Aurea sæcla reduc Penates.
Adsis! sereno prospice lumine
Rerum sub Arcto nunc faciem novam,
Quam nullus hirquis fixit Argus
Hactenus, arva colens Lechorum.
Post tot furentis lustra licentiæ,
Nefasq; longo tempore sæviens,
Parens piaculorum Erynnis
Jam procul e Patria recedit,
Faustusq; Titan sacra volumina
Legum Tuarum, non cerebro Iovis
Excussa cum docta Minerva
Advehit, ast capite erudito
ZALASZOVI: *qui justitiæ sacræ*
Antistes, Orbis Sarmatici decus,
Ecclesiæ splendor perennis,
Arte novâ Tibi pandit arces.
Accurre felix præpete Pegaso,
Opus, quod Orbis fronte stupens colit
Primâ, recenter intuere,
Jusq; decusq; Tuum revolue,
Prehende Regnum sceptraq; Regia
Orbis Poloni, quis furor obvius
Tibi resistet imperanti

Legibus æqua hominum Deûmq;.
Iam jam feroces sopijt impetus
Cunctos malorum Magna ZALASZOVI.
Virtus repulsæ semper expers,
Ægide jura potenter armans.
Hunc cum triumphis, & lituo tubæ
Uehit quadrigis præpetibus volans
Totum per orbem, fama Divis
Assimilans moritura nunquam.
Hic est Virorum, Cùi Jagielonia
Pallas corymbis tempora Delphicis
Præcinxit, ac Lubransciana
Musa Patrem veneratur almum.
O Gemma Cyrrhæ Vir celeberrime!
Clarum Polono sidus in Arctico,
Quæ Te Camæna, quo cothurno
Ritè queant celebrare vates?
Etsi redundet fons Aganippidos,
In dedicandas mille panegyres,
Non sufficit, nam Nomen ipsum
Omne genus tituli antecellit.
Te Posna felix in Cathedra sua,
Nouum Solonem prædicat, & colit,
Consum superno missum Olympo,
Præsuleæq; jubar Tiaræ.
Volumen istud, quod Patriæ sagax
Palpebra volvet, culmen adoreæ
Fastigiatum possidebit,
Grata ferens monumenta legum.
Ibunt per vrbes Regnaq; Lechica,
Regum Penates magnificos petent
Authoris inclyti labores,
Cùi Deus ipse parat coronam.

M: MARTINUS WĘGRZYNOWICZ
I. V. Prof. SS: Omnium Crac: Canonicus,
Collegi Crac: DD. IureConsul. Præpositus.

PALLAS LVBRANSCIA
PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DNO.
NICOLAO ZALASZOWSKI
J. U. Doct: Ecclesiæ Cathedralis Posnan: Archidiacono,
dignissimi Authori operis,
Nomine Lubransciani Collegij Academiæ Posnaniensis
APPLAVDENS.

JMmensi pompam pretij si conscius Orbis
Demere non audet tractis de gurgite vasto
Erydani gemmis, longo quas tempore glaucus
Æquoreis cingebat aquis Neptunus, & altis
Nereidum speciosa cohors servabat in vndis?
Si rutili ramenta Tagi, portentaq; Gangis
Auriferis congesta vadis, aut fulva metalli
Pondera visceribus terræ defossa profundis,
A cunctis, indigna licèt, sumpsere valorem
Eximium; quanto pretij dignabor honore
Excelsas sapientis opes? Themis inclyta dixit:
Quæ non de Stygij tenebroso carcere Ditis
Effodiuntur, aut Thethidos prædivite vena
Ducuntur, verùm cælestis germinis instar
E cerebro docti nascuntur origine clarâ.
His dandum potiore modo pretiumq; decusq;
A quibus omnis honor venit, & reverentia magni
Nominis optato procedit tramite semper.
Hæ ditant homines verè, redduntq; beatos:
His sine Polycrates opulentus, Cræsus & impar
Attalus, occumbunt cæcæ ludibria sortis.
Ergone jam pretij iustum quis deneget usum

Tam

Tam doctis opibus? ratio quas evehit ipsa,
Queîs cedit Fortuna potens meliore valorem
Arbitrio. Totos pretij complexus honores
Hic Iuris Codex, Capitis quem partus eburni
Magne Tui NICOLAE tulit. Minus esse putâsti
Splendores solos generis monstrare perampli,
Nec satis esse Tibi condigna oracula sacro
Fundere de solio; nisi Leges ordine pulchro
Digestas Patriæ revocares. Pignus amoris
Non poteras potius magnis offerre Polonis.
Authorum quando nunc vasta volumina comptè
In libro profers uno: ne fortè Lecheum
Sic Orbem lateat Regalis Muricis amplum
Nomen & illius veneranda potentia cunctis.
Consorum Regni quæ munera, quæ Trabeatis
Incumbant animis curæ, quid prodigiosus
Nobilitatis honos; alienis invida Regnis
Libertas quonam possit se jure tueri,
Quis vigor armorum, quæ præmia Martis Alumnis,
Motio tum belli sapiat quid publica, quove
Instauranda modo, quæ sint tutamina Regno?
Hinc quivis capiet, placidâ qui mente revolvet
Lector opus, dicetq; Tuo monumenta teneri
Cuncta Virûm libro. Quod ubi Lubrana Minerva
Audijt, in tacito concepit pectore votum:
Vivat longævus ZALASOVIUS, augeat Orbem
Dotibus augustis, queîs semper fama perennis
Omnibus in Regnis præcelsos spondet honores.

M. ALBERTUS IOSEPHUS IODŁOWSKI
I. V. Professor SS. Omnium Cracovien: Canonicus,
Colleg: Lubransc: Academiæ Posnanien: Director.



JNDEX

Ti[...]lorum & Paragraphorum

i[...] Primo Libro Tomi primi contentorum.

[L]IBER PRIMUS.

 Titulus





Jn Nomine Domini Noſtri JESU Chriſti Amen

LIBER I.

TITULUS PRIMUS

De Etymologia Iuris

DAturum Juri operam, priùs noſſe oportet, unde Juris nomen deſcendat, *Sapientiſſimus Vlpianus lib: 1. Inſtit: & in L. 1. ff. de Iuſt: & Iure,* effatum reliquit. Jtaq; Ius à juſſu, ſeu jubendo dictum eſt, *juxta Weſſembecium in paratitlis Digeſtorum. ſub tit. de Iuſtit: & Iure N. 14.* vel quòd juſtum ſit, *Can: Ius generale Diſt. 1.* Eſtq; vox generalis plures ſpecies ſub ſe continens. *Sarnicius fol: 48. & in d. Can: Ius generale, & in L. penult: ff. de Iuſtit: & Iure.* vg. Jus Civile Romanum, Ius Canonicum, Ius Polonicum & aliud ſimile. Et quamvis aliquando pro lege accipiatur, ſtrictè tamen loquendo differt ab illa, tanquam genus à ſpecie. Lex quidem propriè accepta, eſt aliqua conſtitutio ab eo, qui jus condendi facultatem habet, lata. Unde Jus pro lege acceptum eſt, quidquid DEUS, Natura, aut gens, vel Civitas jubet. dicta ſic, quòd legitimè liget, *tex: in Can: Lex ibiq; gloſſ: & DD. Diſt: 1.* Vel à legendo, eò quòd unuſquiſq; eas legere, vel ſibi lectas mente tenere debeat. *Zawadzki in præfatione compendij ſui Polonici ad* SIGISMUNDUM III, *eius Nominis Regem Poloniæ.* Vel à delectu: *juxta Przyłuſcium ibidem in præfatione.* Accipitur quoq; Jus metonymicè pro loco Iudicij,

ſumptâ videlicet denominatione ab eo, quod fit in eo. *D. L. penult:* & *L. voluit, de interrogationibus in Iure faciendis. ſic in L.* 1. *ff de confeſſis.* Confeſſio dicitur facta in Iure, id eſt: in judicio. Nonnunquam jus accipitur pro neceſſitudine, veluti dum dicimus, eſt mihi jus cognationis, vel affinitatis. *L. fin: ff. de Iuſtit:* & *Iure.* Item accipitur pro Juriſprudentia, *ut in L.* 1. *ff. de Iuſtit:* & *Iure, ubi dicitur.* Juri daturum operam, *ideſt Iuriſprudentiæ, ut commentantur DD.* Similiter *in illis verbis*: Jus eſt ars æqui & boni, id eſt collectio omnium præceptorum boni & æqui *Weſſemb: ubi ſupra.* Ad hæc ſumitur pro facultate & poteſtate aliquid agendi, faciendi vel obtinendi à lege conceſſa, ſic uſusfructus, hæreditas, ſervitus, donatio, actio, hypotheca, & ſimilia, juris appellatione continentur. *Vigellius in methodo Iuris Civilis parte* 1. *lib:* 1. *cap:* 1. Hinc deſcendunt illi termini, habet jus ad rem, habet jus in re. Jus ad rem dicitur, quod non tribuit actionem in rem, ſed in perſonam, tale jus eſt, quod competit alicui vigore vg. donationis, emptionis, præſentationis, collationis, electionis, poſtulationis, hæreditatis, & ſimilium, non ſubſequutâ adhuc traditione, inſtitutione, poſſeſſione, acceptatione. Jus in re dicitur, quod tribuit actionem realem in rem ipſam. Exemplis declaro. Primum ſit: aliquis emit certum fundum, antequam capiat ejus poſſeſſionem, dicitur habere Jus ad rem, proinde ſi interea temporis fundus ille à venditore alteri vendatur, actualiſq; poſſeſſio ejus tradatur, ille prior emptor non poteſt actionem rei vendicationis inſtituere contra illum ſecundum emptorem & poſſeſſorem præfati fundi, cùm non habeat actionem realem, qualis eſt rei vendicatio, ſed tantùm habet jus ad rem, conſequenter ſolùm poteſt intentare actionem contra venditorem ratione damnorum inde paſſorum & intereſſe, tum ad contractum.

Exemplum ſecundum ſit: Aliquis obtinuit præſentationem à Patrono ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, & antequam fuit inſtitutus, Patronus præſentavit alium, taliterq; ſecundò præſentatus inſtitutus eſt, itaq; ille primò præſentatus, non poteſt agere, ut beneficium ad quod fuit præſentatus, ſibi reſtituatur, vel in illo manuteneatur; nam intuitu dictæ præſentationis ſuæ, jus tantùm ad rem (hoc eſt ad beneficium) acquiſiuit, ſed ſolùm contra patronum, vel contra ſecundò præſentatum, quòd videlicet patronus renuntiaverit variationi, vel cùm ſit Clericus, non potuit variare, conſequenter & Epiſcopum nulliter ad inſtitu-

ſtitu-

stitutionem processisse, ac proinde non obstante dictâ institutione uti nulliter factâ, se institui, in damnis & litis expensis partem adversam condemnari.

Tertium exemplum sit: Rem hypothecatam aut pignus habens, dicitur habere jus in re. nam ad quemcunq; res illa hypothecata, vel in pignus data pervenerit, onere hypothecæ seu pignoris grauata existit; & in solutum censetur data, consequenter à quolibet possessore potest vindicari, præcipue si aliunde non potest fieri solutio. Similiter si aliquis emit vel per alium contractum acquisivit secutâ rei traditione, dicitur habere jus in re: Sic per collationem beneficij secutâ acceptatione, per testamentum vel ab intestato secutâ acceptatione vel aditione.

Advertendum tamen, dari certos casus, in quibus absq; traditione dominium transfertur, consequenter illum postponi, cui posteriùs res tradita fuit, & præferri illum, in quem priùs res alienata est abq; traditione.

Primus casus est; quando aliquid donatur, venditur, aut alio titulo alienatur Ecclesiæ, Monasterio, Civitati, hospitalibus, & alijs locis pijs. *juxta Covarruviam lib. 2. variar: resolut: cap: 19. num: 2. per text: in L. fin: ibiq; glossam verbo in rem C. de SS. Ecclesijs, ubi dicitur, quòd loca pia absq; traditione ex privilegio illis concesso acquirant.* Quo tamen privilegio, Clericus quo ad res sibi tanquam personæ priuatæ venditas vel donatas gaudere non potest, quia dictum privilegium concessum est tantùm locis pijs.

Secundus casus est: quando illa traditio fuit facta dolosè & in fraudem prius jus habentis, de hacq; alienatione is cui res fuit tradita scivit, quia tunc priores creditores possunt illam rem actione in factum revocatoriâ evincere, quæ actio regulariter conceditur ad rescissionem eorum, quæ in fraudem alterius sunt alienata. *Gloss: in L. Quoties, in verbo Iure C. de rei vendicatione, gloss: in cap: si tibi absenti, de præbendis in 6to Covarr: ubi supra num 5to Gomez tomo 2do variar. resolut: cap. 2do, num: 2do. quem vide per. text: in L. 1. & L. sequ. ff de his, quæ in fraudem creditorum.* Dicta tamen procedunt in alienatis titulo oneroso, secus titulo lucrativo: nam si vg, aliquis priùs emat, alter verò titulo donationis acquirat, possessionemq; obtineat, nullâ habitâ notitiâ de priori venditione; tunc ille, qui priùs emit, præfertur, utpote qui titulo oneroso rem acquisivit. *Ita Covarr: & Gomez locis citatis per text: in L. Ignoti. C. de revocandis his, quæ in fraudem creditorum.*

nam hoc casu sufficit fraus in solo alienante, nec requiritur scientia ejus in quem titulo lucrativo alienatum est.

Tertius casus sit, quando priori emptori res fuit vendita, eiq; in securitatem contractûs fuit etiam hypothecata. *Gomez ubi supra limitatione primâ & quartâ per tex: in L. Si creditor § fin. ff. de distractione pignorum. Rationemq; adfert, quia aliás dicta hypothecatio nihil operaretur.* Tum quia solo titulo & conventione, hypothecæ, transfertur jus in re; consequenter dominium absq; ulla traditione, *L. 1. ff de pignoratitia actione.* Idem dicendum est, si prior venditio facta fuerit cum clausula constituti, hoc est, quia vendens constituit se possidere nomine emptoris, quia per illam clausulam constituti, acquiritur dominium absq; alia traditione. *Ita Iason in L. quoties C. de rescindenda venditione.*

Quartus casus sit, si uterq; probet, rem sibi non tantùm fuisse venditam, sed etiam traditam, & non constet de prioritate, vel posterioritate traditionis, nam ille tunc præferendus est, qui docuerit de prioritate emptionis per se factæ. *Ita Gomez ubi supra, limitatione secundâ per tex. & D.D. in cap: Licet, de probationibus: ubi habetur,* quòd in interdicto uti possidetis si utraq; pars æqualem possessionem probet, illa pars debet obtinere & victrix remanere, quæ probaverit titulum suæ possessionis. Quòd si res aliqua duobus vendatur diversis temporibus, ille præferendus est, cui res priùs fuerit tradita, & de ista traditione priori doceat. *L. quoties C. de rei vendicatione.*

TITULUS II.
De divisione Juris.



IUS pro lege acceptum dividitur: In Jus naturale, Divinum, & Humanum. *Sarnicius fol: 48.* Jus naturale generaliter sumptum appellatur, quod ex naturali ratione vel inclinatione, seu instinctu naturali proficiscitur. Eiusq; duæ species assignantur, quod aliud sit primævum sive commune, & aliud secundarium seu rationis. Primævum vocatur ipsamet inclinatio, seu instinctus naturæ ad aliquid agendum, estq; commune omnibus animalibus, tam ratione præditis, (qualis est homo, qui etiam animal dicitur,) quàm animalibus ratione carentibus, qualia sunt bruta animalia. de hocq;

hocq; jure naturali primævo loquitur *Iustinianus Imperator*, *à principio tituli de jure naturali, gentium & Civili lib: 1. Institut:* & Ius Canonicum, *in can: Ius naturale, distin: 1mâ. Przyłuscius in præfatione, definiturq́ ab illis sic.* Est jus quod natura omnia animalia docuit: nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in cælo, quæ in terra,quæ in mari nascuntur. verba genuina sunt Iustiniani loco citato. Et ideo vocatur à DD. Ius naturale commune. Exempla istius Iuris ibidem adfert, maris & fæminæ conjunctionem, quam matrimonium appellamus, liberorum procreationem, & educationem. Addunt DD. quòd ex ista lege naturali descendit obligatio antidotalis, quæ est, ut benefacienti benefaciamus, de qua obligatione loquitur *gloss. in lib. 25. § Consuluit: ff de petitione hæreditatis, & in cap: Cum in officijs. de testamentis.* Et licèt *gloss: ad can: Illud, 8ua. distin: 2da in verbo. Compellator dicat*: humanum est præbere reverentiam illi, à quo quis beneficium accipit, ac per consequens, quòd hæc obligatio antidotalis sit juris humani, & solùm hominibus communis est. *Sed Nicolaus de Neapoli, Iason, allegati à Maranta in speculo aureo part: 3. num: 4to concludunt*, quòd ista obligatio habuit originem ab hoc jure naturali primævo & communi: nam etiam animalia bruta ex quodam naturali instinctu solent diligere benefacientes sibi, & præstare illis servitia, & à periculis defendere. Ad hoc Jus refertur, custodia & defensio vitæ *L. 3. ff de justit: & jure. L. 1. § vim vi, ff. de vi armata, ibiq́ DD.* & plures aliæ inclinationes naturales communes etiam hominibus, quos refert *Mynsigerius ad tit: de jure naturali gentium & civili.* Item defensionem, seu injuriæ propulsionem esse illius naturalis primævi, quia brutis quoq; convenit. *L. 1. § cùm arietes, ff si quadrupes pauperiem fecerit. Oinotomus § Priùs, num: 11. Instit: de jure naturali gentium & civili. Item libertas. § Ius autem gentium institut: de jure naturali gentium & civili. Wessemb: in paratitlis. ff eodem tit: num: 14. Oinotomus § Primus, instit: eodem tit: n. 19.* De jure enim naturali omnes homines liberi nascebantur, *§ sed Ius quidem, instit: tit: de jure naturali, gentium & civili.*

Advertendum tamen quòd hoc jus impropriè & crassè nomen Iuris habet, quia jus proficiscitur ex ratione, bruta autem ratione carent, sed solo instinctu naturali feruntur, consequenter nullum jus habere possunt. unde concludunt *DD. Ius naturale formaliter quoad rationem juris & legis non nisi in hominem cadere, materialiter autem, & quoad opera, quæ tale jus respiciunt, & quoad instinctum naturæ etiam brutis convenire.*

Advertendum ſecundò, non omnia animalia unam eandemq; inclinationem habere, nam grues eligunt ſibi ducem, quem ſequuntur; in extremo agmine per vices qui acclament diſpoſitos habent, & qui gregem voce contineant. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede ſuſtinentes, qui laxatus ſomno & decidens indiligentiam coarguat, cæteræ dormiunt capite ſubter alam condito alternis pedibus inſiſtentes. Dux erecto providet collo & prædicit. *Plinius in hiſt: nat: lib: 10. cap: 23.* Sic apes habent Regem, cui aliæ obediunt, cùm enim procedit, totum examen conglobatur, cingit, protegit, feſſum humeris ſuis ſublevant validiùs fatigatum ex toto portant. Hic Rex procedit foras nonniſi migraturo agmine, eidem Regi ipſæ provident, de quibus fusè *Plin: lib: 11. cap: 17.* apud quem videbis diverſas diverſorum animalium inclinationes naturales, ego redeo ad noſtra. Jus naturale ſecundarium ſeu Rationis dicitur, quòd in naturali ratione fundatur; ſoliſq; hominibus, uti ratione præditis competit. definiturq; ſic: Eſt dictamen ſeu lumen rectæ rationis, quo cognoſcimus, quid faciendum, quid fugiendum ſit, quid deceat, & quid non, & quod non didicimus, aut legimus, ſed ex natura ipſa arripuimus & hauſimus, ad quod non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus & quod nobiſcum natum eſt. *ut Cic: in oratione pro Milone ſcripſit, & habetur in L. 1. & 2. ff de leg:* unde ab alijs definitur ſic: *Eſt notitia, ſeu communes ſententiæ mentibus hominum naturaliter inſitæ, de bonis moribus optimam & abſolutiſſimam vivendi rationem præbentes.* Dicitur autem jus naturale rationis, quia tantùm hominibus eſt commune, & ſic animantibus rationem habentibus & non brutis.

Ex hoc jure deſcendunt, Religio erga DEUM, obedientia Parentibus & patriæ, defenſio injuriæ, & vis vi propulſatio. *Maranta in ſpeculo par: 3. num 5.* & de hoc jure ſeu lege naturali rationis loquitur *tex. in L. 2. & in L. 3. ff de juſtitia & jure. & habetur in diſtin. 5ti Decreti Gratiani à principio.* Quamvis *Oinot: § Primus. inſt: de jure naturali gentium & civili,* Religionem erga DEUM, pietatem erga parentes & patriam, illiſq; obedientiam, eſſe effectus juris gentium ſecundarij ſcripſit, defenſionem ſeu injuriæ propulſationem, eſſe de jure naturali primævo, quia brutis convenit, *quem vide.* Item illud, quod tibi vis fieri, alteri facias, & contrarium, quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. *Maranta part. 3. num 6. de quo habetur in Can: Humanum jus, diſtin: 1. gloſſ: in cap: Firmiter. verbo, ordinatam diſpoſitionem de Summa Trinitate & fide Catholica, ibiq; Abbas.* Item

illud: nemo locupletari debet cum jactura alterius, *L. 14. ff de conditione indebiti*. Item ut delicta impunita non remaneant. *L. 1. in fine, ff de furtis*. Item ut honestè vivamus, neminem lædamus, unicuiq; quod suum reddamus. *L. Instit: § juris ff de justit: & jure*. Et istud jus naturale rationis appellari solet, jus gentium primævum, ut infra dicemus.

Jus Divinum est: quod in lege veteri & Evangelio continetur, authoreq; Deo latum & promulgatum est. Dividitur itaq; quód aliud sit, Jus Divinum vetus, & aliud jus Divinum novum. Jus Divinum vetus appellatur, quod Deus in veteri testamēto per Moysem & Prophetas tradidit, *cap: firmiter, § Hæc sancta, de Summa Trinitate & fide Catholica*. Jus Divinum novum dicitur, quod in novo testamento continetur, & quod vel ipse Christus Dominus vivens in terris proprio ore tradidit, & habetur in omnibus quatuor Euangelijs: Vnde & Lex Evangelica vocatur. *Abbas in d. cap. Firmiter:* vel etiam per Apostolos potestate illis data tulit. *Matt. 16. & 18.* & vocatur Apostolica. Nam cùm vidit Devs malitiam hominum abundare super terram, misit legem, illamq; exprimi fecit in scriptis per Moysem, cui dictam legem dedit in monte Synai, unde appellatur *Lex Mosaica*, quæ consistit in decem præceptis Decalogi, unde etiam appellatur *Lex Decalogi: unde in Can: Moyses distin: 7. dicitur: Moyses gentis Hebrææ primus omnium Divinas leges sacris literis explicavit. Sic & in Can: Libenter, de pœnitentia, distin: 1. habetur: Lex per Moysen data est, addit gloss: tanquam per ministrum.* Præter præcepta Decalogi, fuerunt etiam in lege Mosaica præcepta mystica, id est figurata, quorum aliqua fuerunt Sacramentalia, alia Ceremonialia. *tex. in can: fin: § His itaq; distin: 6tâ. sunt in lege quædam moralia præcepta (hoc est Decalogi) quæ ideo dicta moralia, quia mores bene & beatè vivendi respiciunt. Quædam mystica, utpote sacrificiorum præcepta, ut de agno & alia similia his, quæ ad cultum rite DEO exhibendum pertinebant* Et alia Iudicialia quæ justitiæ administrandæ serviebant, *Sanctus Thomas 1. 2. Q. 101. & 104.* Et hoc tempus vocabatur tempus sub lege: supervenit postea quod appellatum fuit tempus gratiæ, quo tempore Filius voluit incarnari ex sacra Virgine Maria, & sic verus Devs & verus homo fuit: hoc itaq; tempore prodita est Lex Evangelica & Apostolica. Lex Evangelica appellatur, quam ipse Christus Dominus ore proprio tradidit, & habetur in quatuor Evangelijs, ut supra dictum est. Et appellatur lex vitæ, quia concernit animam, & consistit in princi-

pio naturali: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Can: Ius humanum distin: 1. & habetur Matthæi cap. 7mo & Lucæ 6to.* Apostolica autem, quam Christus Dominus reversurus ad Patrem suum, æternam dedit Apostolis potestatem eandem condendi, & primò Sancto Petro uti Principi Apostolorum, *dum dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni cælorum. Et quodcunq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunq; solveris super terram, erit solutum & in cælis, ut Matthæi cap. 16, & in can. In illis. distin: 80.* Item omnibus Apostolis eandem facultatem dedit dicens: *Quæcunq; ligaueritis in terra, erunt ligata & in cælis, Matthæi cap: 18.* Eandem potestatem omnibus Apostolis dedit post Resurrectionem suam dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ioannis cap: 20. & Mathæi cap: ultimo in illis verbis: Et accedens Iesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, docentes eos servare omnia, quæcunq; mandavi vobis* Vnde Apostoli hac potestate à Christo Domino acceptâ præcepta ejusdem ad executionem deducebant, & leges suas ferebant. Et in his legibus Evangelica & Apostolica novum testamentum consistit. Et per adventum Christi præcepta ceremonialia & judicialia apud Christianos cessârunt, sola præcepta moralia remanserunt. *tex: & gloss: in can: fin: § His itaq;. distin. 7. ibiq; Abbas de istis legibus veteris & novi testamenti. vide Azor. instit: moralium lib: 6to à cap: 2. & sequ:*

Jus humanum est, quod authoritate humanâ conditum est, dividitur in Ecclesiasticum & sæculare. Ecclesiasticum est, quod fertur authoritate Ecclesiasticâ: ut est jus Canonicum seu Pontificium, Statuta Conciliorum generalium, inter quæ est postremum Concilium Tridentinum, possunt referri Constitutiones provinciales & Diœcesanæ. Jus Canonicum seu Pontificium vocatur, quod à Summis Pontificibus constitutum vel approbatum est, *cap. Non debet. de consanguin: & affini: ibiq; Abbas.* Dictum Canonicum à Græco verbo Canon, quæ latinè Regula dicitur, *can: 1. & 2. distin: 3tiâ.* de hoc jure Canonico *vide Marant. in speculo aureo par. 3. num. 33. Valensem in proëmio ad decretales § 7mo. & sequentibus.* Ius sæculare est, quod authoritate sæculari vg. ab Imperatore, Rege & alijs potestatem leges condendi habentibus. Subdiuiditurq; in jus gentium, & jus Civile.

Jus gentium vocatur, quod naturalis (id est humanæ naturæ) ratio inter omnes gentes constituit, & apud omnes gentes & populos peræquè custoditur. § *Ius autem gentium, Instit. imperialium de jure naturali gentium & civili, & in L. Omnes ff de justit. & jure*, diciturq; jus gentium, quia solæ gentes, id est soli homines utuntur eodem, *L. 1. in fine ff. de just: & jure & can. jus gentium, distin. 1.* Hoc jus gentium subdividitur, quòd aliud sit Primævum, & aliud secundarium. Jus gentium primævum appellatur, quod in simplici notitia hoc est in naturali justi atq; injusti intelligentia, & immoto honestorum & turpium discrimine consistit. *Wessemb. in paratitlis ff. lib. 1. tit. 1. num. 15. per tex. in L. Omnes ff eodem, tit. de justit: & jure*, unde etiam jus simplex appellatur, & idem est, quod jus naturale secundarium. *Wessemb. ubi supra & Przyluscius.* Et secundum hoc jus vixerunt homines certo tempore, dum adhuc pauci erant, nec malitia, & cupiditas habendi cor ipsorum invaserat. Et tempore istius juris gentium primævi, & juris naturalis secundarij, nullæ erant leges inter homines proditæ & constitutæ, sed ita naturaliter omnes vivebant, omniaq; erant communia, nec erat frigidum illud verbū: *Meum & tuum, ut notatur in d. can. Ius naturale distin. 1. & à principio distin: 7. Maranta in speculo aureo, par: 3. num. 8.* Ius gentium secundarium appellatur, quod non ex sola naturali ratione simpliciq; notitia, sed ex notitia composita nempe ratiocinatione commodorum vitæ defluxit, & ad opportunitates societatis humanæ parandas retinendasq; introductum est. *Wessemb. loco citato.* Seu quod omnes gentes per discursum & ratiocinationem, & ex causa aliqua & comparatione rei ad rem alterius justum esse intellexerũt, communiq; consensu & jussu inter se constituerunt. Postquam enim numerus hominum crescere cæpit, ut in uno loco omnes simul habitare non possent, in diversas regiones sese contulerunt, dominiaq; rerum inter se diviserunt, certasq; leges constituerunt, ne alter alterius possessionem audeat ingredi. Hinc orta sunt bella, captivitates, non quidem ex dispositione juris gentium, sed occasionaliter ob distinctionem dominiorum & defensionem illorum. Item servitutes, fœdera, jus legatorum, jus hospitum, mercatorum, regnorum majestas. Et cùm non omnia ferret tellus, instituta sunt commercia, varijq; contractus constituti (qui à jure civili sunt approbati & servati) ad communicationem rerum conservandamque societatem hominum. Et de hoc jure gentium secundario loquitur. *tex. in L. 4. & 5. ff. de justit. & jure. in can. jus gentium distin: 1.*

& in § Ius gentium instit. civilium de jure naturali, gentium & civili. Przyłuscius noster, ubi supra § Sed quia plerią; fraudibus. Et Maranta d. part. 3. num. 9. Deinde adauctis hominibus, excrevit etiam malitia hominum, adeo; ut solo jure naturali secundario seu primævo gentium vivere non valerent: & sic fecerunt gentes inter se quasdam constitutiones & leges, ut quodcunq; calcaverit pes tuus, tuum sit, & distinxerunt inter se dominia rerum, & sic fuit inuentum meum & tuum. Item fecerunt aliquas constitutiones, ut nemo posset intrare possessionem alterius, & ex hac distinctione, orta bella fuerunt, captivitates & servitutes. Item cæperunt gentes super rebus divisis & distinctis contrahere ad invicem. vide de his *Oinotomum d. § Primus, Instit: de jure naturali, gentium & civili. Tandem subjungit Maranta & cum istis tribus legibus, hoc est naturali communi, Rationis & juris gentium secundario, usq; ad tempus Moysis exclusivum vixerunt gentes à creatione Adæ.*

Jus civile dicitur, quod quisq; populus, aut Civitas sibi constituit. *§ Ius civile instit: tit. de jure naturali gentium & civili. § Ius civile, distin: 1.* Moyses gentis Hebrææ primus omnium divinas leges sacris literis explicavit, *can. Moyses, distin: 7.*

Phoroneus Rex Græciæ, primus leges judiciaq; constituit, *d. can: Moyses.* Vnde denominatus est forus, id est locus judicij. *cap. Forus de verbor. signific.*

Mercurius Trismegistus, qui Ægyptijs præerat, iisdem primus leges & literas tradidit. *d. can. Moyses.* dictus Trismegistus, quòd & Philosophus maximus, & Sacerdos maximus, & deniq; Rex maximus fuerit. Consveverunt enim Ægyptij ex omni Philosophorum numero Sacerdotes, ac rursus ex Sacerdotibus Regem eligere. Hic autem ut Philosophos sapientiâ, ita religione sacerdotes excelluit, ac mox in imperio administrando justitiâ omnes superiores Reges superavit. *Diodorus Siculus.* Quamvis *gloss. ad d. can. Moyses verbo Primus.* Trismegistum fuisse dictum propter tres potentias, scilicet eloquentiam, scientiam, & virtutem, connotavit.

Solon unus ex sapientibus Græciæ Atheniensibus tanto temperamento compositas dedit, ut parem gratiam à Senatu & plebe inierit, qui duo Reipub. ordines, irreconciliabili prope modum odio dissidebant. Et quamvis *tex. in d. can. Moyses,* Solonem primum leges Atheniensibus dedisse dicat, tamen *ex Gellio lib: 12. cap. 18. & lib. 17 cap. 21.* colligitur, quòd Draco antiquissimus Atheniensium legislator fuit: sed quia justo atrociores tulerat, ideo non atra-

mento, sed sanguine scriptæ dicebantur, quare leges Draconis abrogavit, exceptis ijs, quæ in homicidas pœnas statuebant. de istis legibus Draconis & Solonis. *vide Azor lib: 6. instit: moral. cap. 60.*

Lycurgus frater Eunomi Lacedæmoniorum Regis, cui etiam in Regnum successit, ignarus Eunomum, uxorem grauidam reliquisse, quod ubiprimum cognouit, posito Regis nomine Prodici, hoc est tutotis nomen assumpsit, Regiq; adulto (cui nomen erat Charilaus) Regnum fideliter restituit, primus Lacedæmonijs jura & leges condidit. *d. can. Moyses.* quibus conscriptis Delphos se contulit, ut Dei Apollinis Delphici consilium exploraret. Cùmq; Pythia Sacerdos Apollinis eaq; virgo (quæ in machina templi Apollinis Delphici consistens, quasi spiritu sui Dei afflata responsa consulentibus dabat) consilium eius ab Apolline maximè appobari, Deiq; potiùs, quàm hominis inventum esse respondisset, alacrior ad peragendum institutum factus, foro aliquot armatis occupato, leges suas protulit, quibus cùm jam Cives mediocriter assuefactos videret, ut quas tulerat leges, æternas quoq; redderet, hanc rationem commentus est. Simulat arduum adhuc quiddam superesse, quod ad Civitatis salutem pertineret, quod tamen inconsulto Oraculo aggredi non liceret, eaq; de causa se Delphos proficisci velle; interim tamen Reipub: interesse, ut leges quemadmodum latæ erant, ad reditum suum inviolatæ servarentur. Profectus itaq; Delphos, cùm Pythiam respondentem audisset, hisce legibus nihil absolutius esse, felicissimamq; fore Civitatem eam, in qua illæ quàm diutissimè servarentur, constituit sibi ampliùs in patriam non esse redeundum, ne illi aliquando jurejurando soluti, leges suas excuterent. Misso itaq; Spartam oraculo, amicosq; itineris comites amplexus, ijsdem dimissis, Cyrrham concessit, ubi mox suis manibus necem consciviт. *vide latiùs vitam ejus apud Plutarchum.* Hinc *in d. can: Moyses scriptum est. Lycurgus primus Lacedæmonijs jura ex Apollinis auctoritate confinxit.* de istis legibus Lycurgi, quas tulerit, *vide Azor d. lib: 6. cap. 61.*

Romulus primus leges Romanis tulit, sed quia paucas, ideo Numa Pompilius, qui Romulo in regnum successit, primus leges Romanis tradidisse dicitur *d. can: Moyses, ibiq; gloss: verbo Primus.* quibus legibus popul: Rom: usq; ad Tarquinium Regem septimum usus est; sed quia filius ejus Tarquinius dictus, Lucretiam nobilem Romanam filiam Lucretij Triciptini præfecti urbis, uxorem Tarquinij Collatini cùm precibus exorare non posset, vi oppressit,

& adulteravit; iratus populus à marito & cæteris amicis Lucretiæ ad arma concitatus dictum Tarquinium Regem expulit & noluit ulteriùs Regem aliquem creare, imò omnes leges Regias ante factas abolevit, atq; ita per annos viginti incerto magis jure & consuetudine, quàm cum lege vixit. *tex. in L. 2. § Exactis, ff. de origine juris, vide Livium in fine lib. 1. Plutarchum in Romulo, & Azor. lib. 6. Instit: moral: cap: 60. & seq: de varijs variarum Rerumpub: Legislatoribus.* verùm advertens populus, quòd non esset expediens, sine lege vivere, decem viros peritos creavit, eosq; Athenas misit (quorum nomina & cognomina *in can: Fuerunt. distin: 7. descripta sunt*) pro transcribendis Græcorum ex libris Solonis legibus, & in linguam Latinam transferendis. *d. can. Moyses.* Et cùm dicti decem viri accessissent Athenas, Athenienses copiam suarum legū denegârūt, donec explorarēt, an Romani digni & capaces essent suarū legum? Ad quod explorandum, miserunt Romam unum ex sapientibus suis, cui Romani objecerunt stultum quendam Romanum, ut cum illo disputaret, volendo dictum sapientem & Athenienses irridere. Græcus sapiens credens illum objectum sibi esse sapientem, cæpit cum eo disputare nutibus & signis, & elevauit unum digitum, significando per hoc unum esse DEUM, stultus credens, quòd sibi volebat eruere unum oculum, cum illo digito elevavit duos digitos & pollicem, dicens intra se, si tu vis mihi eruere unum oculum, ego tibi eruam duos, quod videns Græcus, quòd ille stultus volebat exprimere SS. Trinitatem, rursus Græcus ostendit stulto manum, volendo per hoc exprimere, DEO omnia esse manifesta, stultus credens, quòd volebat sibi alapam impingere, ostendit Græco manum clausam, significans, quòd si tu Græce vis mihi impingere alapam, ego repercutiam te pugno, Græcus autem credebat, quòd stultus per manum clausam intelligebat, DEUM omnia manu claudere: & sic Græcus credidit Romanos esse sapientes & dignos suarum legum communicatione, reuersusq; Athenas retulit, Romanos dignos esse legibus, atq; sic Athenienses illis decem viris concesserunt describendi leges Solonis, quas descripserunt in decem tabulis eburneis, seu æneis ut aliqui volunt, & Romam attulerunt. *prout hanc historiam gloss. in d. L. 2. in verbo. Constitui, connotavit.* quibus decem viris populus Romanus dedit potestatem, dictas leges interpretandi, vigore cujus potestatis sibi datæ videntes multa deesse in dictis tabulis decem, adjunxerunt duas tabulas, connotatis in illis certis legibus, & sic denominata fuit lex.

it lex duodecem tabularum, *tex. in d: can: Moyses, & in d: L. 2. § Exactis ff. de origine juris;* fuitq; id factum anno 303. & sequente ab Urbe condita, fueruntq; fons omnis publici privatiq; juris scripti. *Livius & Cicero lib: 2. de legibus.* Et quæ fuerint, & quot Romuli leges, tum duodecem tabularum, remitto curiosum lectorem, *ad Azorium, qui lib: 6. Instit: moral: cap: 62. & sequenti eas refert.* Sed quia aliquando emergebat casus, qui ex lege duodecem tabularum non poterat decidi, populus Romanus creavit Officiales, eosq; Consules (quasi consulentes Reipub:) appellavit. Itaq; Consul emergente aliquo casu novo, convocabat universum populum, propositoq; novo illo casu interrogabat populum, qualiter velint illum decidere, & populus prout sibi æquius videbatur illum decidebat, & illa decisio occurrente simili casu pro lege seruabatur. *tex: in § Lex est. Instit: de jure naturali.* Et sub Consulibus vixisse annis 464. *ut refert Azor. d. lib. 6. cap: 56. & in d. L. 2. § Exactis.*

Supervenit tandem anno ab Urbe Romana condita 62. discordidia inter plebem & Patres ex eo, quòd Appius Judex captus amore cujusdam puellæ filiæ Virginij Civis Romani, pronunciavit decreto suo dictam puellam non esse liberam, sed servam. Quod Virginius Pater illius ægrè ferens, filiam suam occidit, ut liberam servaret, incontinentiq; ad socios & amicos suos aufugit, & cùm is in in montem Aventinum Urbis Romanæ secessit, successiuè tota plebs Romana ad eosdem convolavit, & se à Patricijs separavit, creaveruntq; Officialem (quem vocarunt Tribunum plebis,) datâ illi potestate, ut si occurreret aliquis casus non comprehensus in lege duodecem tabularum, congregaret universam plebem ad decidendum illum, quæ decisio per plebem facta, erat lex inter ipsam plebem, appellabaturq; Plebiscitum. *tex: in § Plebiscitum, instit: de jure naturali. & in d. L. 2. §. 8. & §. 24.* Et hac lege plebs usa est per multos annos. Supervenit Hortensius magnâ eloquentiâ præditus, & plebem cum Patricijs & Patribus concordavit, lege latâ (quæ Hortensia à nomine ipsius appellata) ut illa Plebiscita, vim legis generalis haberent, & illa Plebiscita, redacta sunt in compendium juris civilis, *tex: in §. Plebiscitum, instit: de jure naturali &c: & in d. L. 2. §. 8.* Et inter alias Falcidius Tribunus plebis legem tulit, ne quis plus extraneis legaret in testamento, quàm ut quarta pars superesset hæredibus, *Can: Quædam etiam leges. distin:* 2.

Nota hæc nomina, Plebs & populus differre inter se tanquam speciem à genere. Appellatione enim Populi, universi cives con-

numeratis etiam Patritijs & Senatoribus. Plebis autem appellatione, Patritij cum Senatoribus non continebantur. *§ Lex est. instit: de jure naturali.*

Deinde cùm populus auctus erat in tantum, ut non posset convocari ad decidendum aliquem casum noviter emergentem, constituti sunt à populo Centum-Viri appellati, dataq; illis potestas, ut emergente aliquo novo casu, absq; populo deciderent illum soli, quæ decisio illorum appellata est Lex universalis, & uno verbo Senatus-Consultum, & in compendium juris civilis Romani redacta: de qua lege loquitur *tex: in § Senatus-consultum, instit: de jure naturali, & d. L. 2. § 9. & in can: Senatus-consultum est. distin: 2.*

Fuit etiam jus Prætorium introductum, ne in discessu Consulum ab Urbe ad aliquod bellum peragendum, Urbs careret rectore in administranda justitia.

Creavit populus duos Prætores, quorum unus appellabatur Prætor vrbanus, alter Prætor peregrinus: ille audiebat causas civium Romanorum, alter peregrinorum seu exterorum. *tex in d. L. 2. §. 26.* qui Prætores proponebant edicta certa in albo, seu in eorum palatio super justitia conservanda vg. pacta servabo. vel quod metûs causâ factum est, ratum non habebo, & similia edicta. Et appellatum est jus Prætorium, & tanquam lex generalis hoc jus Prætorium in corpus juris civilis introductum est. de quo jure loquitur. *tex in §. Prætorum quoq; edicta. instit: de jure naturali. & in d. L. 2. § 10.* Proponebant & Ædiles Curules edicta de quibusdam causis, quod jus, portio juris Honorarij (quale jus Prætorium vocabatur) appellabatur, *tex: in d. §. Prætorum quoq; edicta.* Ad extremum cùm ex divina permissione omne imperium, jurisdictio & potestas totius mūdi erat tunc in populo Romano, qui suâ potentiâ armorum, totum Orbem subjugavit, populus Romanus constituit sibi unum Regem seu Imperatorem Romanorum, in illumq; transtulit (*seu ut gloss: ad can: Lex est. distin: 2. eidem concessit*) constitutâ priùs quâdam lege Regiâ tempore Augusti, ut opinatur *Wessemb: loco citando* potestatem, quam habuit populus condendi leges, ut quod constituisset, esset ratum. *tex. in d. L. 2. §. 11. & in L. 1. ff. de constit: principum.* Et tales leges vocantur in jure constitutiones Principū. Ratioq; istius translationis adfertur; quia ex quo dictus Rex, seu Imperator Romanus, habebat omne jus imperandi ipsi populo Romano & subditis, congruum fuit, ut etiam ab eo procederet potestas legis condendæ, quæ est origo justitiæ, & ab uno & eodem fonte pro-

te procedit origo justitiæ, à quo procedit protectio subditorum. *vide plura in Maran: d. part: 3. à num: 25 & apud Wessemb: in paratitlis ff. lib: 1. de constitutionibus Principum.*

Creato itaq; Rege seu Imperatore Romanorum, & translatâ in illum facultate condendi leges, Princeps ille elegit sibi quosdam Iuris-consultos sapientissimos in Urbe Romana, datâ illis potestate interpretandi jura, & respondendi in casibus dubijs, de quibus consultabatur, & illa responsa & interpretationes erant tanti valoris & auctoritatis, ut pro legibus servarentur: & appellata sunt responsa Prudentum. *ut est tex: in §. Responsa prudentum. instit: de jure naturali. & in can: Responsa, distin: 2. & L. 2. § fin:* Et istæ sunt leges Digestorum, quæ fuerant condita ab ipsis Iure-consultis auctoritate tamen Principis, & sic de jure civili, & cum legibus civilibus vixerunt gentes ante adventum Christi per trecentos annos, quo tempore erant etiam leges Mosaica & Prophetica, & etiam post adventum Christi. *Maranta ubi supra num: 27. & sequen:* Et jus civile inventum est; quia cùm homines in orbe valde crevissent, & malitia similiter cum ijs aucta esset, consideraverunt solâ lege Mosaicâ & Propheticâ non posse vivere: unde in eodem tempore jus civile supervenit, quod habuit originem à Regibus, ut ex supra scriptis patet, & *scripsit Maranta ubi supra num: 14. ubi num: 15. subiungit,* quòd Reges fuerunt introducti jure gentium, & primi Domini, qui fuerunt in mundo, Imperatores autem inventos esse ab ætate Christi Domini: primusq; Imperator in mundo fuit Octavius Augustus juxta nonnullos, sed alij Julium Cæsarem primum Imperatorem in mundo fuisse, & Octavium Augustum secundum Imperatorem dicunt, *ut refert Eutropius lib: 6. cap: 2. vide & Marantam ubi supra num: 15.* Constantinus autem fuit primus Imperator Christianus.

Nota, quòd quoties non additur nomen cujus civitatis *sit* Jus civile, sed simpliciter dicatur, vg. Ita de jure civili: significatur antonomasticè jus Civile Romanum. *tex: in § sed jus quidem civile. Instit: de jure naturali &c.* de legibus Romanis à diversis Magistratibus latis, utpote de lege Sulpitia, Sempronia, Papyria, Hortensia, Cornelia, Roscia, Manlia, Clodia, & alijs, quas refert *Azor: instit: moral: lib: 6. cap: 64. vide eundem eodem libro in cap: 56. fol: 403.* qui fuerunt Reges Romani, à Romulo incipiendo, & quot annis quisq; illorum regnavit, ubi concludit, Urbem Romanam sub Regibus fuisse ducentis viginti quatuor annis. *vide plura apud eundem Azor: d. cap: 56.*

Jus civile subdividitur in jus ſcriptum, quod redactum eſt in ſcripturam, & non ſcriptum, quod diuturnis utentium moribus eſt introductum, ſeu quod tacito populi conſenſu & uſu introductum & approbatum eſt, alio nomine vocatur Conſuetudo. *§ Conſtat autem & § ſine ſcripto. Inſtit: de jure naturali &c. can: Conſuetudo. diſtin, 1. Przyłuſcius ubi ſupra.*

Rurſus Jus ſcriptum dividitur, in jus Publicum, & Privatum. Publicum vocatur, quod principaliter ad publicam utilitatem & ad ſtatum Reipub: ſpectat, ſeu in quo agitur de ſumma Regni, de Religione, de Majeſtate Regia, de Magiſtratibus, eorumq; dignitate, de jure belli, de fœderibus, de fiſco, moneta, judiciorum ſecuritate, & ſimilibus. Privatum dicitur, quod principaliter privatarum perſonarum commodum & utilitatem concernit, id eſt, quod agit de ſucceſſionibus, contractibus & ſimilibus. *§ fin: Inſtit: de juſtit. & jure, ibiq; gloſſ. & DD. & can: Ius publicum. diſtin: 1.*

Jus ſcriptum ſubdividitur, in Jus commune univerſale, quod etiam jus poſitivum appellatur, & in Jus particulare perſonale, & municipale. Ius commune eſt, quod eâ intentione eſt latum, ut omnes liget, *§ Sed & quod. inſtit: de jure naturali &c. & L. 1. ff de conſtitutionibus Principum.* Et ſic Statuta & Conſtitutiones Regni noſtri poſſunt appellari jus commune reſpectu gentis noſtræ. Jus particulare ſeu municipale eſt, quod extendit ſe tantùm ad incolas alicuius loci, vg. Statutum Lithuanicum ſub SIGISMUNDO Primo conſcriptum, deinde ſub SIGISMUNDO Tertio, Anno Domini 1588, correctum & confirmatum, ut in eodem Statuto, *cap: 4. art. 1. & cap. 7. art. 13.* mentio fit. Item Jus Pruthenicum. *Przyłuſcius ubi ſupra § Hoc ergo jus civile.* Perſonale jus dicitur, quod in favorem alicuius perſonæ latum eſt, alio nomine appellatur privilegium, aut reſcriptum in favorem alicujus datum, & hoc jus non poteſt extendi ad perſonas alias in privilegio non ſpecificatas & expreſſas, & tale jus poſſunt dici literæ moratoriæ alicui mercatori ære alieno conceſſæ. de hoc jure *loquitur. tex: in § ſed & quod inſtit: de jure naturali, ibiq; DD. & in cap. Privilegium perſonale de Regulis juris in 6to. ubi dicitur, Privilegium perſonale perſonam ſequitur, & extinguitur cum ea.*

Advertendum tamen primò. Quòd Statuta & Conſtitutiones Regni noſtri, reſpectu juris ciuilis Romani, quod in corpore juris continetur, poſſunt dici jus particulare. Similiter conſtitutiones noſtræ provinciales reſpectu juris Canonici.

Adver-

Advertendum ſecundò. Jn allegationibus & deciſionibus cauſarum priùs recurrendum eſt ad jus particulare ſcriptum, vel ad præjudicatum in cauſa ſimili, poſtea ad conſuetudinem particularem (cùm conſuetudo deficiente lege ſcriptâ vim legis obtineat. *can: Conſuetudo, diſtin: 1. Przyłuſcius in dicto §. Ius non ſcriptum)* tandem ad jus commune Regni, hoc eſt Statuta & Conſtitutiones vel conſuetudinem generalem; his deficientibus ad jus commune Romanum, ut habetur in Statuto Lithuanico *cap: 4. art: 54. ad finem.* Si autem ſit cauſa alicuius civitatis, tunc ad plebiſcitum ejus vel privilegium recurrendum, vel conſuetudo illius attendenda. His deficientibus ad jus Saxonicum, cùm hoc jus ſit civitatum noſtrarum commune. *ut Cromer: lib: 24. folio apud me 539. ſcripſit, & quotidie obſervatur.*

Nec obſtat diſpoſitio STEPHANI Regis noſtri *in conſtit: Anni 1576. fol: 160. in antiquis. in novis fol: 277.* allegationes juris externi non admittens; nam hoc ſolùm in unico caſu, videlicet in probando donationes antiquas hæreditarias eſſe feudum. *ut tex: expreſsè ibidem loquitur.*

Advertendum tertiò, ſi lex Civilis cum Canonica non concordet, legem Canonicam eſſe ſervandam, ſi verſetur circa materiam Eccleſiaſticam. *Ita Abbas Panormitanus, in can: Canonum Statutis 14. quæſt: 4. & in cap: Clerici de judicijs. Layman lib: 1. tractatu 4. cap: 8. num: 8. Bonacina tomo 2. in tractatu de legibus. diſput: 1. quæſt: 1. puncto 3. num: 17.* vg. Lex civilis permittit præſcriptionem cum mala fide, Lex canonica vetat: *in cap. fin: de præſcription: & in can: malæ fidei poſſeſſor, de reg: jur: in 6to.* Similiter Lex civilis ſtatuit, ne mulier intra annũ viduitatis nubat, Lex canonica id non prohibet. & ſic de ſimilibus. Si autem non verſantur circa materiam Eccleſiaſticam, utraq; ſervari debet in proprio foro. Similiter ſi jure Canonico nihil diverſum à lege civili ſtatutum reperitur, tunc ea in utroq; foro tam Eccleſiaſtico, quàm civili ſervari debet, *juxta cap: de novi operis denuntiatione.*

Dubitabis. An jus naturale & divinum abſolutè & ſimpliciter ſit immutabile? Ratio dubitandi, *quia in § penultim: inſtit: de jure naturali gentium & civili, & in can. Hæc quæ, diſtin: 5. & in cap: ſuper eo de uſuris* expreſsè dicitur immutabile. Ratioq; redditur *in L. penultima de juſtit:* quòd ſit bonum & æquum, appellaturq; divinæ illius & immutabilis juſtitiæ ſimulacrum, imago, luxq; divina in animis hominum ad diſcernenda ab honeſtis turpia, tuendamq; in conſociatione vitæ civilis diſciplinam. De jure quoq; divino lo-

quitur, *tex: in can: fin: § His itaq; distin: 6. & in can: jus humanum ibiq; gloss: distin: 1.* Per jus autem Divinum intelligitur lex Mosaica quoad præcepta moralia seu Decalogi, quæ fundantur in lege naturali, tum lex Evangelica, nam lex Mosaica, quoad præcepta ceremonialia & judicialia cessavit, ut supra diximus.

Respond: Jus naturale & divinum ex genere & natura sua esse immutabilia manentibus ijsdem circumstantijs, quodsi aliqua circumstantia in lege naturali aliqua & rationabili causa fundata interveniat, posse per accidens mutari, limitando vel modificando, non autem totaliter illa tollendo. *ita gloss. & DD. in L. fin: C. Si contra jus. Abbas in cap: fin: de consuet: Felinus in cap: Quæ Ecclesiarum de constit: Maranta ubi supra num: 72. Azor: lib: 6. instit: moral: cap: 1. quæsito 5. & sequen: & communiter Canonistæ & Theologi. inter quos vide S. Thomam 1. 2dæ, quæst: 9. art: 5. ad 3tium, & 2. 2dæ. q. 66. art: 2do ad 1mum.*

Exemplis declaratur. Exemplum primum, Lex naturalis & divina dicit: Non occides, altera lex naturalis dicit: Defende tuam, tuorumq; vitam, Si itaq; circumstantia intervenit defensionis, illa lex naturalis prior, cedere debet posteriori, uti magis universali, & majoris momenti, tuetur enim totam societatem, atq; illa lex. Non occidas, accipienda est in hoc sensu, non occidas, (hoc est) insontem aut immerentem, neq; privatâ vindictæ cupiditate, sed ad defensionem. Lex enim privato gladium tradit, in casu defensionis vitæ, & cùm auxilium Magistratûs in promptu haberi non potest. *L. 1. C. quãdo lis vel vind: & L. 5. C. de jure Fisci ibiq; DD.* Et lex naturalis & Diuina semper intendit sontes destrui, insontes conseruari.

Exemplum secundum. Lex Divina dicit: Non furtum facies, Lex autem positiva humana permittit in extrema necessitate famis furtum committere, ad conservationem vitæ suæ. *cap: Si quis propter necessitatem, de furtis ibiq; gloss: & DD.* Fundaturq; hæc permissio, quia lex naturalis ab initio communionem omnium rerum, & usum quibus quis indigebat, concesserat. *Alia exempla videantur apud Doctores.*

Advertendũ tamen, quòd summus Pontifex justa de causa in aliquibus, quæ sunt de jure naturali vel Divina, dispensare potest, utpote in ijs, quibus admiscetur aliquid obligationis humanæ: in ijs autem quæ spectant ad substantiam Sacramentorum in dogmatibus fidei, in primo præcepto Decalogi, sacrificio, & in alijs similibus, quæ sunt instituta à Deo. *vide Azor: ubi supra cap: 2. & alios Doctores.*

TITV-

TITULUS TERTIUS

De Origine Juris Poloni.

INitio gentis nostræ populus sine lege scripta vixit, omniaq; nutu & arbitrio Principum & Regum (quorum potestas à BOLESLAO cognomento Chrobri Rege principium sumpsit, *juxta Cromerum lib: 3. fol: apud me 51.*) regebantur *Cromerus lib: 2. fol: apud me 27. cuius verba sunt:* Et rectè quidem illi initio eq; Repub initum Magistratum gessêre, legesq; paucissimas & simplicissimas ut rude illud ferebat sæculum, non in libris, neq; in tabulis, sed in animis hominum, atq; in usu, perinde atq; Lycurgus apud Lacedæmonios quondam incidere: quæ instituta veriùs quàm leges dixerimus. Primus CASIMIRUS Magnus ejus nominis Rex Secundus (non aliter ut apud Athenienses Solon, apud Romanos Romulus, & post eum Numa Pompilius & alij Legislatores, ut in præcedenti titulo adnotavimus) Rempub: legibus auxit, (nam sub BOLESLAO PVDICO certæ leges erant factæ. *teste Cromero lib: 8. fol: apud me 201.*) judicia correxit, Magistratus constituit, eorumq; potestatem certis limitibus circumscripsit; neve ex moribus, aut è libidine sua, sed ex scripto jure judicarent, deinceps sub pæna indignationis suæ regiæ mandavit. *Lascius fol: 8. Sczerbicius cap: 4. partis primæ promptuarij. Cromerus lib: 12. fol: apud me 300. in illis verbis:* quid interim CASIMIRVS Rex egerit non constat: credibile tamen est, eum studia pacis ad quæ factus erat, coluisse, arces, & oppida munivisse, leges partim novas condidisse, partim veteres emendasse, judiciorum rationem correxisse. Ejus exemplo excitati, ALEXANDER, SIGISMUNDUS AUGUSTUS, alijq; subsequentes Reges, non tantùm regnum sibi concessum armis dilatare, ab hostium incursionibus defendere, sed etiam novis legibus stabilire & conservare, operam dederunt. *Lascius fol: 6. Przyluscius fol: 39.* compertum habentes, arma sine legibus vix aliquid præclarum posse; imò pestem & perniciem potiùs, quàm salutem & tranquillitatem Rebuspub: adferre: ut jure merito Regna & imperia legib9 destituta, mera latrocinia, corpus sine anima, mundus sine sole, debeant appellari. *Herburtus sub verbo Lex: ubi dicit.* Rempub: sine legibus esse veluti corpus sine anima.

TITULUS QVARTUS
De Jure scripto Polonorum.



Vs Polonum scriptum constat ex Statutis & Constitutionibus. *Sarnic: fol: 48.* Statutum propriè dicitur congeries legum ab ipsis Regibus latarum. *Sarnicius ubi supra.* Hæc Statuta idiomate Latino scribebantur, quorum primus compilator fuit, Joannes Lascius Cancellarius Regni, postea Archiepiscopus Gnesnensis jussu ALEXANDRI Regis. *prout in præfatione operis, & in oratione in Comitijs generalibus, Anno Domini 1506 Cracoviæ celebratis ad Regem & Senatum habita, ipsemet fatetur.* Lascium imitati sunt, Iacobus Przyłuscius, item Ioannes Herburtus, Stanislaus Sarnicius, Ioannes Ianusovius, Sczerbicius, & non ita pridem Augustinus Kołudzki Iudex Terrestris Iunivladislaviensis Promptuarium legum & Constitutionum Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ edidit. Et cùm visum fuit maiorem utilitatem adferre posse, si Statuta ex idiomate Latino in Polonicum transferantur. SIGISMUNDUS AUGUSTUS, *Petricoviæ Anno Domini 1562 in Constit: fol: 27. Anno sequenti 1563. in consiit: fol. 41.* idem SIGISMUNDUS Rex ad negotium hoc peragendum, tum ad correcturam Statutorum, Castellanum Lublinensem, Perill: Dominum Kijowski Canonic: Cracov: & Joannem Herburtum Succamerarium Præmysliensem deputavit. Et cùm ad effectum hoc non fuisset deductum, idem SIGISMUNDUS AUGUSTUS in Comitijs A. Domini 1565. Petricoviæ celebratis, soli dicto Domino Ioanni Herburto, id faciendum commisit. *ut in constit: fol: 91. anni ejusdem habetur,* quod summa cum gloria nominis sui perfecit, & ejusmodi Statuto Polonicè conscripto ad præsens utimur.

Cùm autem leges & Statuta Regum diversa & sibi contraria essent, nec mirum, nam pro ratione temporum & hominum ea immutari necesse sit, ut *inquit SIGISMVNDVS, Cracoviæ 1507. his verbis:* sed nec omnis lex omnibus una & commoda esse potest, quin necesse sit alias alijs statui, eaq; pro ratione temporum & hominū plerūq; mutari & variari. Et CASIMIRVS Magnus Visliciæ 1368. apud Herburtum sub verbo Lex, ad corrigenda & conciliandà ejusmodi Statuta post multas instantias Nunciorū Terrestrium SIGISMUN-

DUS

DUS Cracoviæ 1532. (*ut refert Herburtus sub verbo Statuta fol: apud me 472.*) deputaverat ex majori Polonia Nicolaum Niemoiewski Iudicem Iunivladislaviensem, Matthiam Krzyżanowski Subiudicem Posnaniensem. Ex minori verò Polonia Ioannem Pieniazek Iudicem Cracoviensem, Bernardum Maćieiowski Iudicem Sandomiriensem Referendarios Regni, adiunctis duobus Spiritualibus Iurisperitis, videlicet Venerabili Nicolao Zamoszczki Scholastico Lanciciensi, & Georgio Myszkowski Canonico Cracoviensi Secretarijs, postea in Confœderatione generali Varsaviensi *Anno Domini 1587. fol. 410. 426, 436, & 438.* ad correcturam Iurium & Tribunalis deputati erant tam ex Statu Spirituali, quàm Sæculari. Tandem *Anno Domini 1589. f. 516. sub titulo* **Korrektura Praw** deputati sunt ad correcturam Juris Terrestr: & ad conscribendũ sufficienter Statutũ idiomate Polonico, & ad abbreviationem processûs ad inscriptiones. *Idem in constit: Anno 1601. fol: 734. Item in constit: 1607. fol: 834. sub titulo Compositio. Iẽ 1609. f. 901. sub titulo* **Reásſumpcya Konſtytucyey**: *vide & constit: anni 1611. fol: 2. sub titulo* **Skrocenie postępku práwnego.** Sed iste processus Polonicè à Joanne Swoszowski, Succamerario Leopoliensi conscriptus in Comitijs *Anni 1613. fol: 34.* non placuit. Et cũ hæc correctura Statutorũ ad effectũ non fuisset deducta, SIGISMUNDUS Cracoviæ *Anno Domini 1543.* statuit, *ut refert Herburtus sub verbo Statuta fol: apud me 473.* ut Statuta posteriora in omnibus forensibus causis, usq; ad ulteriorem decisionem teneantur, & omnes causæ Terrestres, Castrenses, & Commissoriales judicentur. Quod idem SIGISMUNDUS AUGUSTUS Petricoviæ *Anno 1505.* reassumpsit, *ut refert Ianusovius fol: apud me 144.* de correctura Iurium Regni facienda, *vide constit: 1641. fol: 9.*

Habet quoq; Ducatus Lithvaniæ Statutum suum sub SIGISMUNDO Primo, idiomate Polonico conscriptum, *ut in cap: 4. art: 1. & cap: 7, art: 13. eiusdem Statuti.* & sub SIGISMUNDO III. correctum, & ab eodem Rege approbatum per privilegium ad id specialiter *Anno Domini 1588. die 28. Mensis Ianuarij datum*, quod appositum est in principio ejusdem Statuti. de quo Statuto, ejusq; correctione facienda, *vide constit: 1569. fol: 175. & fol. 194. Item constit: 1578. fol: 332.* ubi erant articuli correcti & approbati, *videatur & constit: 1609. fol: 911. fol: 40.* deputantur ad perficiendam correcturam, quæ correctura in Comitijs *Anni 1613. fol: 47. per Andream Piekarski Nuntium Palatinatûs Brestensis* præsentata, sed ob multitudinem negotiorum revisio ejus non poterat expediri, remis-

ſa eſt hæc reviſio ad Comitiola proxima. Sed nec ibi finis. rurſus in Comitijs *Anni 1633. fol: 27.* ſtatutum eſt, ut in Comitiolis Relationum proximis ex quolibet Palatinatu & Diſtrictu unus eligatur, & ſalarium conſtituatur, qui cum Senatoribus ad id deputatis, hoc eſt Epiſcopo Vilnenſi, Palatino Mſcisłavienſi, Palatino Parnavienſi Referendario & Notario Vilnam congregati prævio juramento conformi Tribunalis, reviſionem faciant, corrigant & ex pluralitate ſuffragiorum concludant. Sed cùm effectum hæc correctura non habuerit, *Anno Domini 1635. fol: 30*, in Comitijs generalibus hæc correctura dilata eſt ad felicem adventum Vilnam ipſiuſmet Sereniſſimi Regis. *vide conſtit: 1589. fol: 526. & Conſtit: Anni 1590. fol: 583.* ubi eſt declaratio Articuli 67. cap. 4. Palatinatûs Kijovienſis, Wołynenſis, & Braclavienſis, reſpectu proceſsûs & executionis rerum adjudicatarum.

Quantum ad Ius Pruthenicum. CASIMIRUS Rex Incolis Pruſſiæ, dum excuſſo jugo Cruciferorum in ſuam poteſtatem ſe dediſſent, conceſſerat per privilegium, *Anno Domini 1454. feriâ quartâ Cinerum Cracoviæ* datum, ut legibus, ſeu Juribus Magdeburgenſi & Culmenſi Polonicali hæreditario & Pruthenico in decidendis quibuſvis cauſis & adminiſtranda juſtitia uti poſſint, hoc tamen adiecto; ut liceret cuiq; de jure uno ad aliud (ſine tamen aliorum præjudicio) quo voluerint tranſmigrare. ſed poſtea *Anno 1473.* per privilegium aliud, *feriâ ſextâ proximâ poſt feſtum S. Iacobi in Caſtro Marieburgenſi* datum, omnia jura per Terras Pruſſiæ abrogavit, & unum Jus Culmenſe ſuffecit, ſtatuitq; ut juxta tenorem eius omnes cauſæ & controverſiæ deciderentur & terminarentur, *ut videre eſt in Iuribus municipalibus Terrarum Pruſſiæ. In conſtit: Anni 1578. fol: 332.* Palatinatus Pruſſiæ conſervantur penes jura ſua, & quòd non Tribunal, ſed ipſe Rex cauſas eorum judicabit. *In conſtit: Anni 1589, fol: 515.* Conceditur Terris Pruſſiæ facultas corrigendi jura ſua ſpectantia ad judicia, ibidemq; ad correcturam iſtorum jurium aſſignatus locus Graudenti, duabus ſeptimanis poſt feſtum SSmæ Trinitatis. *ibidemq; fol: 514.* Palatinatus Pruſſiæ ſponte & benevolè ad Tribunal Regni acceſſerunt, & hunc acceſſum omnes Status Regni admiſerunt, ſalvo regreſſu illis reſervato (in quantum Tribunal Regni non placeret,) ad jura ſua & appellationes poſt Curiam: ita tamen; ut in proximis Comitijs generalibus declarent, an penes Tribunal Regni velint remanere, vel ad judicia ſua redire, *idem & in conſtit: Anni 1590. fol: 579.* agitatum eſt, & de correctura jurium,

ſed

ſed cùm certas ob cauſas id non fecerint, ad futura Comitia generalia tempus prorogatur, locus autem pro communi conferentia Marieburgi feriâ ſecundâ proximâ poſt feſtum S. Joannis ejuſdem anni aſſignatus eſt. Tandem in Comitijs generalibus, *Anno Domini 1598. fol: 701*, correctio hæc jurium approbata eſt, ſalvâ facultate eiſdem relictâ eadem corrigendi, augendi, & confirmationem correctorum & auctorum in Comitijs generalibus obtinendi. *Anno D. 1616. fol. 16.* ad inſtantiam Nuntiorum Terreſtrium Terrarum Pruſſiæ pro corrigendis juribus locus Torunij dies S. Michaëlis in eodem anno aſſignatus, utq; in Comitiolis eligendorum Deputatorū, ad Tribunal, ad correcturam ejuſmodi de medio Deputatos eligant, & electi cum Conſiliarijs Statibus Pruſſiæ congregati, quod vitium fuerit corrigant, & in Comitijs generalibus Regni proximis præſentent, & confirmationem obtineant. attamen ut Palatini quilibet in ſuo Palatinatu, duabus ſeptimanis ante electionem Deputatorū de hac correctura facienda, tam Statum Nobilem, quàm & alios Status aviſent. *vide plura in d. conſtit: Anni 1589. fol. 514. de modo judicandi cauſas in Tribunali Terrarum Pruſſiæ, & eligendi Deputatos ad idem Tribunal juramentoq; illorum.*

De Statuto Torunenſi placuit hîc connotare, cùm frequens ſit uſus iſtius Statuti. Hoc Statutum SIGISMUNDUS I. *Torunij A. Domini 1520. tulit tenoris ſequentis, ut refert Herburt: ſub verbo violentia. fol: 518.. Ianuſovius lib: 5, par: 7. fol. 594.* Quia Nobilium & Civitatum Regni noſtri damnoſa fuit exorta differentia ſuper his Nobilibus, qui in recenti crimine pro violentia in Civitatibus & Oppidis capiebantur: proinde nos tam gravi negotio ad præſens propter Pruſſiæ bellicam occupationem, pro perpetua ordinatione intendere non valentes; nihilominus providentes tranquillitati ſubditorum noſtrorum, de unanimi conſilio Conſiliariorum noſtrorum omnium, & Nuntiorum Terreſtrium Regni, ſtatuimus & ordinamus. Quòd dum aliquis Nobilis in Civitate noſtra vel Oppido noſtro, aut aliquorum Spiritualium & ſæcularium, ſubditorum Regni noſtri, pro crimine violentiæ per Officium Civile captus fuerit, extunc talis Nobilis pro violentia captus detineri debet in prætorio Civitatis vel Oppidi, ubi capietur, quo facto Officium Civitatis vel Oppidi illius, ubi talis violator captus fuerit, nullum penitus judicium faciet, neque aliquam pœnam exiget de eodem Nobili, niſi prius ad eorum requiſitionem Capitaneus vel Vice-capitaneus Caſtrenſis illius juriſdictionis noſtræ Regalis, ſub quo Civitas talis vel Oppidum ſitum fue-

rit, præſens interfuerit eidem civili judicio, quod miniſtrari & fieri debet pro violentia contra dictum Nobilem. Et ubi Capitaneus vel Vice-capitaneus noſter ad unam ſententiam cum Officio illius civitatis vel Oppidi, ubi talis Nobilis detentus fuerit, concordati fuerint, extunc præfatus Nobilis juxta huiuſmodi ſententiam Capitanei noſtri, vel Vicecapitanei & Officij Civilis condemnari & puniri debet, Si verò talis Capitaneus noſter, vel eius Vice-capitaneus non poterit ſe concordare ſuper ſententiam cum Officio Civili, contra talem Nobilem, extunc ipſe captivus, interea temporis, in decenti captivitate civili detineri debet tam diu, donec à Majeſtate Noſtra Regia informationem Capitaneus noſter, & illa civitas vel oppidum habuerit; quomodo talis Nobilis captivus ſententiari & puniri deberet, præſcriptione tantâ temporis non obſtante, quâ ſe prædictus captivus tueri non valebit. Si verò in aliqua civitate vel oppido Officium Civile contra præmiſſa aliquid attentaverit: extunc per Capitaneum noſtrum Caſtrenſem, ſub cuius juriſdictione & Diſtrictu talis civitas vel oppidum conſiſtit, Proconſul pro tempore exiſtens, cũ uno Conſule capi & decollari, & capite privari debent.

Idem SIGISMUNDUS de Nobili in Civitate ob aliquam violentiam capto, ſtatuit *Cracoviæ Anno Domini 1527 ſic.* Quod ad violentias, quæ in civitatibus & oppidis Regni noſtri committuntur, attinet: ſi quiſpiam Nobilis violentiam ipſam perpetraverit, & in Civitate ſeu Oppido civem vel hominem aliquem verberaverit, aut injuriam aliquam per violentiam cuipiam intulerit, detineri quidem ſeu comprehendi ab Officio Civitatis poterit, ſed judicari, & ad pænam condemnari, nonniſi ſub præſentia Officij Caſtrenſis debebit, idq; ſub pæna ſexaginta marcarum, à civibus injuſtè capto perſolvendarum. Herbur: & Ianuſov: ubi ſupra. Deinde idem Rex Petricoviæ *Anno Domini 1538.* ſtatuit ſic: ſtatuimus, ut Nobiles ſecundũ Statutum Torunij editum pro admiſſis criminibus in Civitatibus & oppidis captiventur, & qui Officio Capitaneali digni pœnâ videbuntur, in civium poteſtate relinquantur. Qui verò judicabuntur ab Officio Capitaneali, utcunq; civibus diſſentientibus, pœnam non promeruiſſe, in cuſtodiam Officij Caſtrenſis tradi debent uſq; ad cognitionem noſtram, ſuper ejuſmodi detentorum exceſſibus faciendam. Quodſi nos decreverimus aliquem injuſtè detentum eſſe, eumq; per ſententiam noſtram liberum fecerimus: cives pro hujuſmodi injuſta detentione pœnam detento ſexaginta marcarum pecuniæ ſolvere tenebuntur ſintq; adſtricti. *Herburt: ubi ſupra fol: 518. Ianuſovius fol: 595.*

Tandem

Tandem SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex *Anno Domini 1550. Petricoviæ dictum Statutum Anno Domini 1538. conditum approbavit his verbis.* In Statuto Torunensi Anno Domini 1538. condito, est sufficienter descriptum, quomodo se conservare debent cives, circa captiuationem Nobilium, quod in omnibus teneri debet. *Herbur: loco citato fol. 519. Ianusovius fol: 596. STEPHANVS Rex in Constit: Regni Varsaviæ Anno Domini 1581, fol: in antiquis 214. in novis fol. 374.* Statuit pro Civitate Cracoviensi & Posnaniensi, quòd si juxta Statutum Torunense in aliqua violentia violator capi non possit, injuriato Civi in Magistratu Civili, vel supremo Iure Scabinali & inferiori existenti, facultas contra violatores talis competere debet, qualis Nobili ex juris qualitate. Quam constitutionem Civitati Cracoviensi & Posnaniensi concessam, extendit SIGISMUNDUS III. *in Comitijs generalibus Varsaviæ Anno Domini 1588. in constit: &c. antiquis fol: 69. in novis fol: 488* ad Consules & Scabinos Civitatis Leopoliensis & Varsaviensis. In qua constitutione *1588. fol: 488.* Statuto Torunensi subiacere eos declaravit, qui portas Civitatis effringunt, excindunt, seras resecant, pulvere fulmineo impletas dirumpunt. Similiter & Civitati Præmisliensi *in Constit: 1589. fol, 534. in novis sub titulo* **Przemyśl od powod** Item Civitati Crosnensi. *ibidem sub tit* **Inkorporacya Woytostwa w Krośnie** Item Lanciciensi *1609: fol: 904. in novis sub titulo* **Warunek Miástu Łęczyckiemu.** Item Lublinensi, Calissiensi, Petricoviensi & Prasnicensi, *In constit: 1611. fol: 10. in novis sub titulo:* **Bespieczeństwo sadow Mieyskich** *ut in fol: sequen:* Idem SIGISMUNDUS Rex *in Constit: Anni 1593. in antiquis fol 7. in novis fol: 638. sub verbo.* **O tumulciech** discedens in Sueciam Statutum Torunense extendit ad omnes tumultus ex quacunq; causa in Civitatibus factos, sed hoc solùm ad reditum suum ex Suecia, sed postea *Anno 1596. in constit: antiqu: fol. 12. in novis fol: 689. sub verbo* **o Tumulciech.** dictam constit: 1593. reassumpsit, salvâ appellatione ad Regem in Comitijs, sed tantùm valiturâ ad Comitia proxima declaravit. Ad extremum idem Rex in Comitijs Varsaviæ celebratis *Anno 1598 fol: 4. in antiquis: in novis fol: 687. sub tit:* **Reásśumpcya y deklarácya niektorych Konstytucyi przeszłych.** *in illis verbis: Similiter constitutionem 1593.* **o tumulciech** *in toto prout est in seipsa resuscitamus, cum ista tamen declaratione, quòd pro tumultu id habendum erit, si aliquis violenter invadat, occidat, aut vulneret, aut mulieri vim inferat; Constitutionem tamen Magni Ducatûs Lithuaniæ de tumultibus, totali-*

ter absq; ulla illius declaratione in toto prout lata fuit conseruando. A. Domini 1601. fol. 746. pro Civitate Leopoliensi & Vilnensi Statutū Torunense extenditur, quòd si aliquis in ipsa Civitate vel in suburbio occidat, vulneret, mulieri vim inferat, portam vel porticellam effringat, Statuto Torunensi judicetur. de securitate Civitatis Cracoviensis. *vide constit: Anni 1616. fol: 17.* quòd si Officium Castrense non possit faciliter haberi, possunt Magistratus Civiles, homines plebeiæ conditionis tumultus facientes capere, & etiam impedientes captivationem, captivare, si sint plebeiæ conditionis, salvis immunitatibus Nobilitatis. Tandem *Anno 1633. fol: 25. sub tit:* **O sądách.** Statutum Torunense reassumitur, & ut judicium hoc formetur non cum Notario Castrensi, sed cum Capitaneo vel Vice-capitaneo sub pœna capitis. Capitaneus autem vel ejus Vice-capitaneus requisiti ad judicium non venientes, pœnam centum marcarum solvant, pro qua pœna solvenda Tribunal Regni assignatum est. Tandem *1635. fol: 21. Constit: Anni 1593. & 1598. & anni 1611. reassumuntur* **O tumultách.** De Iuribus autem & Constitutionibus Civitatum Prussiæ utpote Elbingensis, Gedanensis, & Torunensis *vide Ianusovium lib: 7. par. 3. tit: 5. 6. & 7.* Russia uno jure cum Regno Poloniæ gaudet, & utitur, *Herburt: sub verbo Russia.*

Constitutiones Regni vocantur, quæ à tribus Ordinibus Regni (hoc est Regio, penes quem est dignitas, Senatorio, penes quem est authoritas, & Equestri Ordine, penes quem est libertas) in Comitijs generalibus communi consensu & nemine contradicente statuuntur. *Sarnicius fol: 40. & 50.* Cùm enim communem populum afficiant, ab omnibus approbari debet. *ALEXANDER in Conventu Radomensi Anno 1505. Lascius fol: 115. Herburt: sub verbo Constitutio.* Et est trita juris Canonici regula: Quod ad omnes spectat, ab omnibus approbari debet. *Cap: quod omnes. de reg: jur: in sexto.* Neque priùs vim habent: quàm fuerint publicatæ & receptæ. *ALEXANDER ubi supra,* alias vanæ sunt, nec observari possunt, nisi innotescant. *SIGISMVNDVS Cracoviæ Anno 1507. Herburt: sub d. verbo Constitutio. Sarnicius fol: 50.* nec alibi fieri possunt, nisi in Conventu communi. *CASIMIRVS III. in Conventu Niesovien: Anno 1454.* nec solius Regis auctoritate, *SIGISMVNDVS Petricoviæ Anno 1538. Herburt: ubi supra:* Antequam autem publicentur, deputantur ex Senatoribus duo, ex Nuntijs Terrestribus sex, duo ex maiori Polonia, duo ex minori, duo ex Magno Ducatu Lithuaniæ: *Constit 1673. fol: 112.* ad revisionem earundem, quibus revisis,

& ma-

& manibus suis subscriptis ad Cancellariam porrigebantur, & in præsentia illorum coram Rege legebantur, cum interrogatione per aliquem Dominum Cancellarium, an accedat consensus Sacræ Regiæ Majestatis, Senatorum & Nuntiorum Terrestrium illas sigillandi? *in Constit: Anni 1588. sub tit.* **O Konstytucyách Seymowych** Tandem *in constit: Anni 1613. sub tit:* **o Konstytucyách;** statutum est, ut Constitutiones non tantùm à Deputatis, sed etiam à Mareschalco Nuntiorum Terrestrium subscribantur, & in crastino post finita Comitia ad Acta Castrensia Varsaviensia ad acticandum porrigantur.

Subsecuta est, postea *Constit: in Anno 1661. sub: tit:* **o podawaniu Konstytucyey do druku.** in qua reassumptis antiquis constitutionibus, & præsertim *Anni 1613.* statutum est, ut Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium Constitutiones communi consensu latas in mundum transcribi jubeat, & subscriptas à Deputatis ex Senatu & ex Equestri Ordine duobus, post conclusionem Comitiorum & valedictionem cum gratiarum actione Serenissimo Regi, in crastino ad Acta Castrensia Varsavien: in defectu autem Actorum Castrensium Varsavien: ad Metricam Regni ad acticandum porrigant, & sumptu thesauri Domini Cancellarij ad maximum tertiâ die ad prælum tradant, & impressas cum appositione sigilli tempestivè ad Comitia relationum, tum ad Officia Castrensia Palatinatuum & Terrarum more solito transmittant. Tandem *in Constit: Anni 1690. sub tit:* **o dawaniu Konstytucyey do druku** statutum est, ut soli Mareschalci manu suâ subscriptas constitutiones ad prælum dent. Sic demum publicatæ omnes Regni incolas ligant, ad executionem deduci debent, Iudicesq; juxta illas Constitutiones & Statuta, & consuetudines Regni definire sub nullitate actûs debent. *VLADISLAVS IAGELLO inConventu Czerninen: Anno 1422, Zawadzki in compendio suo fol: 5. Statutum Lithvanicum cap: 4. artic: 54.* Frustra enim leges conduntur, nisi ad executionem deducantur. *SIGISMVNDVS III. in constit: 1613. fol: 25. sub tit:* **Ordynácya** *rerum vendibilium. Przyłuscius fol: 45. Zawadzki ubi supra fol: 2.*

Constitutiones Regni idiomate Polonico *ab Anno Domini 1550.* sub *SIGISMVNDO AVGVSTO* scribuntur. Earum inventarium, *primus Albertus Madalinski per ordinem alphabeti ad Annum 1632. scripsit, Ioannes autem Dzięgielewski ad annum Domini 1643. continuavit.* Tandem *Matthias Marcianus Ladowski, Metrices Regni Præfectus, usq; ad Annum 1683.* Supervenit tandem cum suo Promptua-

rio *Augustinus Kołudzki, Iudex Terrestris Iuniuladislaviensis, & ad Annum 1695 continuavit.*

Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium & Deputati ad Constitutiones jurare tenentur, juxta rotam in constitutione *Anni Domini 1678. fol, 1, sub tit:* **Jurament** *præscriptam.* Et quidem Mareschalcus. *Ego N. juro DEO Omnipotenti in Trinitate uno, quod nullam constitutionem contra quam contradictio facta erit, de qua contradictione tribus vicibus interrogare tenebor, in volumen legum tradam, aut inscribam, nec dependebo ab alio, nisi à tota Repub: constitutiones ex unanimi consensu factas tam Senatûs quàm Nuntiorum, ad requisitionē transcribere non denegabo, & cum subscriptione mea extradam, quas ad maximum quartâ die post valedictionem Serenissimo Regi factā, ad Acta Castren: porrigam. Sic me DEVS adiuvet &c.* Deputati autem. *Ego N. juro DEO omnipotenti &c. quòd diligentiam omnem adhibebo, ne aliqua Constitutio in volumen legum inscribatur, nec illam subscribam, quæ accedente omnium Ordinum consensu non erit admissa. sic me DEVS adiuvet &c.* Constitutiones Comitiales nec per Senatus-consulta, nec per mandata immutari aut augeri possunt, sub pœna nullitatis. *In constit: 1661. tit, de reddenda ratione.*

Omnes verò Constitutiones & Statuta eo fine conduntur; ut humana audacia coërceatur, & inter improbos, innocentes cives securitate lætentur, utq; singuli honestè vivant, alter alterum non lædat, jus unicuiq; suum tribuatur. *CASIMIRVS Cracoviæ. 1369. felix,* diuturnumq; Regni imperiū in laudem Dei Omnipotentis reddatur. *ALEXANDER in Conventu Radomen: Anno 1505. CASIMIRVS III. in Conventu Niesovien: Anno 1454. apud Herburt: sub litera Lex, & Przyłuscium fol: 2, & fol: 32. cum sequentibus.* Nec debent Constitutiones & Statuta ferri, quæ honestatem publicam lædant. Cùm verò ob diversitatem casuum emergentium singuli Statutis & Constitutionibus nequeant comprehendi. *SIGISMVNDVS Cracoviæ 1507,* nam ij tantùm definiuntur, qui frequenter, & non qui rarò accidunt. *CASIMIRVS in Conventu Vislicensi 1368. apud Herburt: sub verbo Lex, apud Przyłuscium fol: 37.* ad similes casus extendi per Judices possunt. *Przyłuscius in præfatione,* ejusmodiq; decreta in libris Actorum connotentur, ut in similibus vel ijsdem causis sententiæ proferantur. *CASIMIRVS III. in Conventu Niesovien: Anno 1454. Lascius fol: 93.* Quodsi aliquæ fuerint latæ, eæ observentur. *SIGISMVNDVS Cracoviæ Anno 1543. Sczerbicz par: 1. cap. 4.* Siquidem leges posteriores prioribus regulariter derogant.

L. fin:

L. fin: ff de conſtit: Principum, & in cap. 1. de conſtit: in ſexto: ubi dicitur; Quòd nova Conſtitutio tollit primam contrariam, quamvis id non exprimat.

Omnes autem Conſtitutiones & Statuta non ad præterita trahuntur, ſed futuris negotijs normam præſcribunt, *L. 3. C. de Legibus, cap: fin: de Conſtit: ibiq; gloſſ: in verbo Futura. CASIMIRVS 1368. apud Herburt: ſub verbo Conſtitutio. dum inquit: omnes noſtræ conſtitutiones non reſpiciant præterita, ſed tantummodo præſentia & futura.*

TITULUS QUINTUS

De Jure Polono non ſcripto, ſeu conſuetudine.

PRæter jus ſcriptum, utuntur noſtri etiam jure non ſcripto ſeu conſuetudine, quæ vim legis habet. *ALEXANDER in Conventu Radomenſi Anno Domini 1505.* Quia omnes conſuetudines Terrarum Regni & præcipuè Terræ Cracovienſis, corpori juris adſcripſit & approbavit. *Laſcius fol: 120. Herburt: ſub verbo Conſuetudo. Zawadzki fol: 4. & ſequ.*

Non aliter, ac CAROLUS VII. Galliarum Rex, omnium provinciarum ſui Regni conſuetudines conſcribi & ad Senatum referri, ſuâ authoritate primus curavit. *teſte Treutl: volum: 1. diſput: 1. theſi 9. literâ C.* Nam & ipſæ leges nulla ex alia cauſa ligant, quàm quòd judicio populi receptæ ſunt. *Przyłuſcius in præfatione.* Unde idem operari debet tacitus conſenſus populi, quod & expreſſus. *L. de quibus, ff de legibus, & can. Conſuetudo, diſtin: 1. ibiq; DD.*

Conſuetudines Podlachiæ SIGISMUNDUS AUGUSTUS in Comitijs Lublini Anno 1569. Conſuetudines autem Maſoviæ STEPHANUS Rex ſub tempus coronationis ſuæ Anno 1576. approbaverunt, *ut in conſtitutionibus videre eſt, & apud Ianuſovium de juribus Maſoviæ lib: 7. parte 4.* Definitur autem conſuetudo ſic: eſt uſus rationabilis competenti tempore præſcriptus vel firmatus, nullo contrario actu interruptus, binario actu ſeu contradictorio judicio, vel quòd non extet memoria inductus, uſuq; communi utentium approbatus. *Przyłuſcius ex Hoſtienſi, ubi ſupra. Vel breviùs;* Eſt jus non ſcriptum, moribus & uſu totius, aut majoris partis populi

puli, initiatum, introductum & continuatum. *Borcholten: & Oinotomus* ≀ *sine scripto instit: civilium, tit: de jure naturali gentium & civili.* Dividitur autem in consuetudinem generalem, & specialem seu localem, illa est instar legis, hæc quæ vim habet statuti sive legis municipalis. *Wessemb: loco citando num: 9.*

Ad legitimè introducendam consuetudinem multa requiruntur. Primum, tacitus consensus populi, vel majoris partis, animo introducendi consuetudinem, non autem aliquo casu, vel per errorem sit introducta, *gloss: ad cap: fin: in verbo Legitimè, de consuetudine, Przyłuscius.* Et per hoc differt consuetudo à lege scripta; quia lex scripta expresso consensu & approbatione, aut suffragijs, aut certè ex Principis authoritate, uno tempore & fertur & valet. Consuetudo verò tacito tantùm populi consensu, nec uno temporis puncto, sed temporis progressu vim acquirit. *Wessemb: Gail: lib: 2. observ: 31. à num: 10. in paratitlis ff libro 1: tit. 3. num: 5.* An autem consuetudo in scripturam redacta (ut apud nos consuetudines Masoviæ & similes) desinat esse consuetudo, & pro lege scripta habenda? non conveniunt DD. *ut videre est apud Treutler: ubi supra. Lit: C. & Wessemb: loco citato. num: 9. ubi concludit naturam eius per scripturam non immutari.* Similiter dissensio inter DD. est; an ad validitatem consuetudinis requiritur scientia vel patientia Principis? Aliqui tenent requiri probabilem scientiam & patientiam superioris in consuetudine generali introducenda. *Ita Treutl: ubi supra allegando pro hac opinione Gail: lib: 2. obser: 31. num. 4. & attestando, hodie in Vrbe Romana nullam valere consuetudinem, nisi consensu Papæ confirmatam, quod idem asserit Farinaceus par: 1. tit: 5. de indicijs & torturis Qu: 45. num: 27.* Alij contrarium sentiunt, sufficere, si Princeps superior non contradicat. *Wessemb. ubi supra num: 9. DDq́; ab eo allegati, & hanc sententiam Wessemb: dicit esse usu receptiorem, vide & Oinotomum in instit: lib: 1. tit: de jure natur: gentium & civili* ≀ *Ex non scripto.*

Secundum requisitum est Rationabilitas, hoc est, ut consuetudo sit rationabilis. *Przyłuscius ubi supra:* alias corruptela diceretur, *tex: in d. cap: fin: de consuetudine & in L. Quod non ratione ff de legibus.* Et neq; ex longo tempore, neq; ex longa consuetudine confirmari potest. *Gail: lib: 2. obser: 31.* Ratioq; redditur, quia sicut lex, ita & consuetudo (quæ vim legis obtinet) debet esse sancta, honesta, possibilis, & Reipub: utilis. *Can: Consuetudo, distin: 1. & can: Erit. distin: 4.* Jlla verò consuetudo dicitur esse irrationabilis, quæ

est

eſt contra bonos mores, aut præbet occaſionem delinquendi, repugnatq; religioni, libertati Eccleſiaſticæ, ut vg. Conſuetudo mutuandi ſub uſuris; cùm hæ jure Divino & Canonico ſint prohibitæ, *vt in cauſa 14. quæſt: 4. per totum habetur. vide & cap: Quia in omnibus, de uſuris.* ubi uſurarijs denegatur ſepultura Chriſtiana, nec teſtamentum uſurarij de jure Canonico valet. *Cap: Quantum. in fin: de uſuris in 6to.* Vel ſi eſſet conſuetudo in aliqua provincia, ut liber ſit Nobilis à pœna, ſi aliquem occidat, projectis pauculis nummis in cadaver occiſi, cùm ſit potiùs vetus error, & belluina ferocitas. *ut inquit Przyłuſcius,* & fuiſſe antiquitus in noſtra Polonia ejuſmodi conſuetudinem, *refert etiam Treutl: ubi ſupra Literâ B. vide alia exempla in cap. cùm in tua, de conſuet: in ſexto & in cap: Cùm dilectus. extra, de conſuetudine. vide & apud Treutlerium loco citato.* Quæ autem ſit rationabilis vel irrationabilis conſuetudo, judicio prudentis judicis relinquitur, ut ipſe inſpectâ malitiâ vel bonitate finis ob quam introducta diceretur, rationabilitatem vel irrationabilitatē ejus decidat & definiat. *juxta gloſſ: in cap: 1. in verbo Rationabilia. de conſtit: in ſexto. latè Menochius de arbitrarijs Iudicum Centuriâ 1. caſu 82.* Et ſufficit, quòd juſta & rationabilis ſit in pluribus, licèt deficiat in aliquibus, *ut notant. DD.*

Tertium requiſitum eſt; ut competenti tempore præſcripta, & nullo contrario actu (cùm debeant eſſe uniformes) interrupta ſit. *cap: fin: ibiq; gloſſ: in verbo Legitimè. de conſuet:* Leges enim longū tempus requirunt ad inducendam conſuetudinem. *L. 1. ff de aqua, pluvia arcen: ibiq; DD.* Longum autem tempus dicitur in jure civili decennium. *L. ſi cum fide commiſſa. ff. Qui & à quibus.* Vnde & in conſuetudine inducenda ſufficere ejuſmodi tempus de jure civili. *Przyłuſcius ubi ſupra & de communi opinione Doctorum teſtatur Oinot: ubi ſupra, ubi id ampliat, ſive cōſuetudo inducatur præter Ius civile, in caſibus à jure civili non deciſis, ſive contra jus civile, allegatq; gloſſam in L. diuturna, ff. de legibus.* Et incipere debet hoc decennium à primo die actûs, qui præter vel contra diſpoſitionem juris fit, & obſervatur. De jure autem Canonico ad inducendam conſuetudinem præter Ius Canonicum ſufficit quoq; decennium.

Si autem contra jus Canonicum, vel Eccleſias privatas, requiruntur quadraginta anni lapſi. *gloſſ: in d. cap: fin: de conſuet: in verbo Legitimè, & ibidem Abb: gloſſ: in cap: fin: de conſuet: in ſexto verbo Conſuetudo:* Prædicta tamen limitantur in Regalibus, ſeu reſervatis Principi, in ſignum ſpecialis præeminentiæ & prærogativæ; ut in

 legiti-

legitimatione spuriorum, in impositione vectigalium, & non solutione eorum, & similium. Nam tam ex dispositione juris civilis, quā Canonici, requiritur tempus, cujus initij memoria non extat, cùm tale tempus habeat vim privilegij. *Gail: lib: 2. obser. 31. num. 4. Oinot. ubi supra, & communiter Canonistæ & Legistæ per tex. in cap: Super quibusdam de verbor: significatione, ibiq; gloss: in verbo. Non extat memoria, & L. 1. & per totum titulum. C.* Vectigalia nova instituisse non posse. *Gail: ubi supra, videatur & Menochius, de arbitrarijs judicum lib: 2. Centur: 1. casu 83.*

Quod idem sentire videtur *Przyłuscius loco citato*; decennium aut tempus memoriam hominum excedens. Sic etiam ad probandum consuetudinem contra jura Ecclesiæ Romanæ, requiritur tempus centum annorum, *ut annotavit Seuminovius lib: 1. instit: tit: 2. num: 81.*

De Jure Saxonico (quo utuntur Civitatenses nostri) sive præter, sive contra jus inducatur consuetudo, requiruntur triginta & unus annus, cum sex septimanis & tribus diebus. *Oinot: ubi supra per tex: lib: 1. art: 26.*

Quartum requisitum est frequentia Actuum. Communis est Doctorum sententia & doctrina. *per L. 1. C. Quid sit longa consuetudo, & L. 3. C. de ædificijs privatis.* Quot autem actus necessarij sint, distingunt DD. inter actus judiciales, & actus extrajudiciales, & communiter concludunt, duos actus judiciales (hoc est in judicio contradictorio, vel in comitijs comprobatos) cum lapsu decennij sufficere, *gloss: in L. de quibus, ff de legibus, in verbo Inveterata communiter à Doctoribus approbata. Przyłuscius ubi supra Gail: d. obser: 31. num: 7.* cum hoc tamen moderamine, ut procedat, quando bini illi actus ita sunt notorij, ut verisimiliter in populi notitiam veniant: alias duo actus non sufficerent, sed tot requiri, ut ex ijs tacitus consensus populi colligi possit. *ita ille. videatur & Menoch. de arbitr: judicum ubi supra, casu 81.* sed nonnulli sunt, qui hoc moderamen reijciunt.

Si autem loquamur de actibus extrajudicialibus, & hos duos sufficere ad validitatem consuetudinis. *Ita Gail: ubi supra num: 8.* ubi de communi, & quòd ita in Camera Imperiali servetur, testatur, dummodo illi duo actus ita sint notorij, ut ex ijs de tacito populi consensu constare possit. Unicus autem quamvis notorius ad inducendam consuetudinem non sufficit. *Menoch: ubi supra casu 81. Abbas in cap: fin: num:* 17. *de consuet:* Ratio prima redditur, quia id ipsa etymologia vocis designat. Consuetudo enim est quasi communis assue-

aſſuetudo. *Can: Conſuetudo, diſtin:* 1. Ratio ſecunda, quia ex unico actu non bene colligitur conſenſus populi, quæ eſt cauſa proxima efficiens conſuetudinis, poteſt enim eſſe, quòd vel per errorem, vel propter ſcandalum non eſt contradictum. Conſuetudo autem per errorem introducta nullius momenti eſt: cùm error conſenſum excludat, *gloſſ: & Abb: in d. cap: fin:* Hinc per errorem dati repetitio eſt. *L. Cujus per errorem, ff de regulis juris.* Unde nec duo actus ſufficerent, ſi non eſſent notorij, ut veriſimiliter in notitiam populi ad cauſandum conſenſum populi. *juxta Gail: ubi ſupra num:* 7. *& refert Menoch: d. caſu* 81. *ubi ſubjungit num:* 4. *id relinquendum eſſe judicis arbitrio, ut ipſe prudenter conſideret, quot actus neceſſarij ſint, ut conſuetudo confirmata dici poſſit.* Nam & unicum actum, ſucceſſivum effectum habentem admittunt Doctores. Exemplificant, ſi vg. beneficium ſæculare conferatur regulari, & poſſideatur ab ipſo per tempus ad inducendam conſuetudinem ſufficiens, tunc illud beneficium efficeretur regulare, quia licèt unus actus ſit ratione rei geſtæ ſeu collationis, virtualiter tamen eſt multiplex: cùm per illud tempus lapſum, potuiſſet multoties conferri, *ad d. cap: fin:* quod tamen ab alijs non faciliter admittitur. Id certum eſt, quòd iſti actus requiſiti ad inducendam conſuetudinem debent eſſe uniformes, nam ex actibus difformibus reſultaret dubietas, quid populus ſervare voluerit. Conſuetudo itaq; legitimè introducta & continuata tollit & abrogat legem ſcriptam priùs ſancitam: niſi obſtet aliqua lex derogatoria, ſeu prohibens talem conſuetudinem induci. *Przyluſcius ubi ſupra facit tex: & gloſſ: in L. Item ff. Quod cuiuſq; univerſitati.* Quod tamen ſublimitant DD. ſi nova cauſa ſuperveniret, quæ tempore prohibitionis non erat. *Ita Covar: lib:* 2. *variarum reſolut: cap:* 13. *num;* 4. *Abbas & alij ab eo citati,* contra aliquos. Ratio redditur; quia per illam novam cauſam videtur ceſſare prohibitio. Similiter, ſi lex ſcripta eſſet univerſalis, conſuetudo autem particularis alicuius certi loci, tunc ſolùm in illo loco conſuetudo prævaleret. *cap.* 1. *de conſtit: in* 6. *Treutl. dictâ theſi* 9. *videatur & Vigellius in methodo Iuris Pontificij lib:* 1. *cap.* 3. *videatur & Maſcardus volum:* 1. *concluſ.* 423. *ubi dicit, quòd conſuetudo unius civitatis non poteſt extendi ad alium locum, bene ad loca convicina.* Generaliter autem non valet conſuetudo contra jus Divinum vel naturale, quod eleganter explicat & declarat *Abb: Panormitanus in d. cap: fin: de conſuet. quem vide.*

Quodſi conſuetudo inducta ſit juxta legem, tunc confirmat il-

lam & interpretatur: atq; in tali casu consuetudo appellatur optima legum interpres. *Przyłuscius ibidem, facit tex: in cap: Cùm dilectus, de consuet: & in L. Minimè. §. Si interpretatione ff. de legibus.*

Consuetudo legitimè præscripta, aliâ consuetudine contrariâ legitimè quoq; præscriptâ tollitur. *gloss. Singularis. in L. Nemo §Temporalis, verbo Temporalis, ff de regulis Iuris. Panorm. in d. cap: fin: plenè Felinus in cap: Cùm accessissent, num 30. de constit:*

Id quoq; certum est, quòd Imperator & Rex aut alius Princeps supremus, potest pragmaticâ sanctione consuetudines quandoq; cassare, *tex: in Authentica, omnes peregrini. C. communia, de successionibus. & in Authen. Naviga C. de furtis, ibiq; Baldus, & alij DD.*

Notandum tamen imò, quòd licèt consuetudo legitimè completa tollatur per non usum tanti temporis, quantum ad introductionem & constitutionem ipsius, necessarium est, per vulgatam regulam juris: nihil tam naturale est, quàm ut eodem modo aliquid dissolvatur, quo colligatum est. *ff. de regulis juris.* Tamen si, fuerit incæpta & non completa, unico actu contrario rumpitur, de novoq; inchoanda est. *Przyłuscius ubi supra, Abb. in d. cap. fin.*

Notandùm secundò, quòd cùm consuetudo facti sit. *cap: 1. de constit. in 6.* Facta autem non præsumuntur, nisi probentur. *L. In bello § Factæ, ff de capt: & postliminio reversis. Et in L. 1. C. de probationibus.* Vnde fundans intentionem suam in consuetudine, debet illam non solùm allegare, sed etiam plenè probare cum suis requisitis, de quibus supra egimus. Proinde si illam probare velit per testes, non sufficit regulariter unus, sed ad minimum duo, qui de huiusmodi requisitis cum ratione scientiæ deponant. Non enim sufficit deponere talem esse consuetudinem, sed debent reddere rationem scientiæ, utpote, quia viderunt ita observari, in talibus casibus & actibus, idq; frequenter, & longo tempore, publicè, præsentibus & scientibus multis personis, adeò; vt inde appareat Judici intercessisse tacitum populi consensum, aut saltem majoris partis. Prætereà testes in tempore & actuum identitate convenire debent, alias si de diversis & non uniformibus actibus deponerent, tanquam singulares fidem non facerent. *Ita Gail: d. obser: 31. num: 15. latè Mascardus de probationibus volum: 1. conclus: 424. ubi & conclus: 423. n: 5. dicit: Quòd in probanda consuetudine non debeat iuramentum suppletorium deferri, ubi tamen num: 24. & sequ: limitat id, quem vide, & Wessemb: ubi supra.*

Limitantur dicta. In consuetudine notoria, quæ non habet opus

pus probatione, attamen licèt notorietas illa relevet ab onere probandi, non tamen ab onere allegandi; *juxta Gail: ubi supra num: 17. DDq; ab illo allegatos. Mascard: d. conclus: 429. num. 27. cum sequ.*

Adverte tamen, quòd consuetudo tunc plenè probanda est, quando principaliter de ea in iudicio agitur; secus si secundariò & incidenter, quia tunc sufficere semiplenam probationem, *scripsit Mascard: d. conclus: 423. num: 6.*

Quid si consuetudo probetur per inspectionem plurium instrumentorum & documentorum publicorum? (cùm & hoc modo probari possit consuetudo, *ut docet Mascard: ibidem conclus: 425. DDq; ab eo allegati*) quid considerandum? *Mascard: ibidem num: 3.* tunc per inspectionem instrumentorum consuetudinem probari, si ejusmodi instrumentis fides adhibita fuerit in judicio vel extra, & venerit in notitiam majoris partis Notariorum, & populi. quem in occurentia vide per plures conclusiones hanc materiam consuetudinis tractantem. *vide & Wessemb: ubi supra.*

Pro coronide istius tituli notandum est: consuetudinem, stylum, & observantiam inter se differre. Consuetudo enim proprjè pertinet ad negotia definienda. Stylus verò præscribit formam & modum procedendi in judicijs ac formandi Acta. *Treutler: d. thesi 9. Lit: & Ridolphinus in praxi judiciaria par: 1. cap: 2. num: 88.* Quamvis impropriè respicias quoq; decisoria causæ. *Menoch: de præsumptionibus lib: 2, præsumptione 8.* Uterq; cùm sit facti probari debet. Et quidem ordinatorius judicij, probari potest per attestationes extrajudiciales Notariorum vel aliorum Curialistarum, aut per famam publicam; imò etiam parte absente potest judex informationem super eo accipere. *Ridolphinus in praxi judiciar: par. 1. cap: 2. num: 85.* Decisorius autem stylus concludenter & formiter probandus. *Ridolph: ubi supra num: 87.* Et constito de eo pro lege habendus. *Menoch: ubi supra, Gail. lib: 1. observ: 65. ad finem per tex: in cap: Ex literis de constit: & cap. 2. de præbendis in 6. & per tex. in L. 2. C. quemadmodum testamenta aperiantur.* Si tamen stylus sit contra jus, non debet servari pro lege, nisi decennio esset præscriptus. *Gratianus decisione 237. num. 25.* vel à populo approbatus. *Ridolph. d. cap. 2. num. 91.* quia haberet vim consuetudinis & legis. *Ridolph. ibidem num. 90.* quod tamen id verum esse; si stylus fuit semper firmus & certus, non autem si fuit modò albus, modo niger. Quamvis de jure Canonico si stylus contra jus sit circa temporalia

poralia requiruntur quadraginta anni. *juxta Mariscotum lib. 2. variarum resolut: cap:* 100. *Ridolph. d. cap. 2. num. 80. cum sequ.*

Similiter stylus contra jus non est servandus, nisi fuerit inductus à Principe, aut Judice habente facultatē legis condendæ. *Ridolph: ibidem.* vel nisi respiceret solum ordinem & processum causarum, quasi tunc agatur de modico præjudicio: *Gratianus d. decisione 237. num. 27, Ridolph. d. num. 91. apud quem vide, plura.*

Observantia autem differt à consuetudine, quia in illa nec præscriptio temporis, nec alia requisita necessaria ad probandam consuetudinem requiruntur: & inducitur etiam uno actu & sententiâ. *juxta Treutler: ubi supra, thesi 5. Lit. B. & thesi 9. Lit. A* qui pro cautela Advocatis causarum dat, ut in dubio potiùs de observantia, quàm de consuetudine, libellum forment. Cùm observantia sit frequens usus, ex quo tandem consuetudo oritur, facitq; inter partes jus, inter reliquos non item, donec ex pluribus ejusmodi factis jus illud exsurgat, quod consuetudinem appellamus. *Ita ille. vide & Menoch: consilio. 49. & cons. 670.*

Ex observantia cognoscitur privilegium seu concessio, sitne realis vel personalis. *Menoch: de præsumptionibus lib: 3. præsumpt: 103. num: 36. & seq. ubi dicit,* concessionem ducendi aquam præsumi realem seu fundo annexam, non personalem, ob id, quòd multos annos continuata sit in hæredes ejus, cui facta fuerit concessio. Hanc tamen conjecturam dicit procedere in eo qui sciens est facti, ut in persona privata, secus in universitate, quæ quotannis solet mutari, & propterea in ea præsumitur ignorantia, & consequēter observantia nihil operatur; & accedit, quòd possessio, vel quasi possessio arguit concessionem realem esse, allegatq; *gloss: in cap: Venissent. in verbo Inchoata, de instit:* Observantia dat robur scripturæ etiam informi. *Ridolph: in praxi par: 1. cap: 12. num: 201. per tex: in L. 1. & 2. & in L. Si veritas C. de fidei com.*

Observantia plurimùm confert ad validandum actum, vg. ex solutionibus longo tempore continuatis, census præsumitur impositus. *juxta formam Bullæ PII V. Ridolph: in praxi par: 3. cap: 5. n. 354.*



TITU-

TITULUS SEXTUS
De Religione.



Vm supra, omne jus in publicum & privatum divisimus, de publico uti digniore, magisq; universali priùs nobis tractandum est. *argum. tex: in L. 1. ff de rei vendicat: & in L. 1. & 2. ff de statu hominum.* Ad quod jus, cùm sacra quoq; referantur; inter hæc verò fides, Religioq; primum locum obtineat (summa siquidem ratio est, quæ pro Religione certat & facit, *L. Et si quis, ff de Religione.* omnisq; sapientia hominis in hoc uno consistit, ut DEVM cognoscat & colat. *Lactantius lib: 3. divin: instit: cap: 29.*) jure merito ab ea exordium juris publici capiemus.

A principio gentis nostræ fuerunt Dij Polonis, *Iupiter, Mars, Pluto, Ceres, Venus, Diana,* quos Iessam, Ladum sive Ladonem, Niam, Marzanam, Ziziliam, Zievanam, sive Zievoniam vocabant: his delubra, lucosq; dedicabant, his simulacra & Sacerdotes consecrabant, his litabant, his immolabant, his festos dies epulis, choreis, plausibus, cantibus, lusibusq; varijs indulgentes, agebant: quem ritum festorum dierum *Dlugossus* usq; ad suam tempestatem, aliquot post susceptam Religionem Christianam sæculis perdurasse memorat. Solitos enim viros & mulieres, senes & juvenes ad lusus & choreas pariter convenire ijs diebus, quos nos Pentecosten vocamus: eumq; cætum, **Stádo/** quasi gregem, vel armentum esse.

Nec scio, an hoc sit, quòd Russi & Lithuani præsertim in pagis, adhuc retinent, dum Ladonem choreas ducentes, & manibus complodentes, ingeminant. Fuisse verò Gnesnæ sanctissimum Niæ sive Plutonis templum. Adhæc autem Ziuie, quasi tu dicas Vitalis (aura nimirum:) **Pogoda/** hoc est serenum, sive temperies, Pochuist, quam Miechoviensis, auram, nos intemperiem interpretamur (indeq; Pochuiscel à Masovijs adhuc cæli intemperies dicitur) Polonis Dij fuêre. Sunt qui his addunt Lelum & Polelum, quos in convivijs & compotationibus appellari adhuc audimus, eosq; Castorem & Pollucem esse autumant. Piorunum autem (hoc est fulmen) & Stribum & Chorsum, & Mocoslum Russi peculiariter coluêre, ut proditum est eorum annalibus. *Ita Cromerus à prin-*

cipio libri tertij scripsit de verbo ad verbum, ut nos posuimus.

Tandem gens nostra, Miezislao primo Principe Abnepote Piasti præeunte, Dombroviâ verò eius uxore Boleslai primi Boëmorum Ducis filiâ adjuvante, Christianam fidem, anno Incarnati Verbi 965, professa est. *Cromerus lib: 3. sub tit: MIEZISLAVS, fol: apud me 46. cum seq.*

§ PRIMUS
De Dissidentibus.

FIde Christianâ illuminati omnes pestiferos hæresium errores plusquam Vatiniano odio prosecuti sunt. sub hocq; Principe *MIEZISLAO* (qui Posnaniæ honorificè sepultus est, eo anno, qui fuit à Christo nato 999.) Poloni Equestris ordinis, in Templis, dum Sacerdos apud altare pronuntiabat, unde recitaturus esset Evangelium, gladios mediotenus stringebant, quasi profitentes Evangelij & Religionis defensionem: Choro autem respondente: Gloria tibi Domine. rursus recondebant, diuq; hic mos mansit in Polonia. *Cromerus ubi supra ad finem gestorum MIEZISLAI.* Subsequenter legibus severè cautum fuit, etiam cum periculo & interitu Reipub: hæreses orthodoxæ fidei contrarias extirpandas, earum fautores pœnis criminis læsæ Majestatis puniendos. *Ita VLADISLAVS IAGELLO, in Conventu Vielunensi Anno Domini 1424. statuit tenore sequenti:* VLADISLAVS Dei gratiâ Rex Poloniæ, necnon Terrarum Cracoviæ &c. Princeps Supremus Lithvaniæ, Pomeraniæ, Russiæq; Dominus & hæres. Significamus tenore præsentium, quibus expedit universis, præsentibus & futuris harum notitiam habituris. Quòd cùm sub dissimulatione præterire non debemus, imò, arcemur divinæ legis perpetuis institutis, pestiferos hæreticorum errores (quos in Dei contemptum, & in Christianæ Religionis detrimentum & enervationem, politiæq; jacturam, iniqua perversorum corda conflaverunt) etiam quæcunq; oporteret nos subire pericula à finibus nostris propulsare, & in gladio deijcere, ut qui censurâ Ecclesiæ non terrentur, humanâ severitate multentur, maturo consilio Prælatorum, Principum & Baronum nostrorum habito, & consensu, & etiam de certa ipsorum & nostra scientia præsentibus decernimus, & pro firmo, constan-

ti, &

ti, & pro irrefragabili edicto teneri præcipimus: ut quicunq; in Regno Poloniæ nostro, & Terris Nobis subjectis, hæreticus, aut hæresi infectus, vel suspectus de eadem, fautor eorum, vel director repertus fuerit, per Nostros Capitaneos, Consules Civitatum, & alios Officiales, & quoslibet subditos nostros, sive in Officijs, sive extra viventes, velut Regiæ Maiestatis offensor capiatur, & juxta exigentiam excessûs sui puniatur. Et quicunq; venerint de Bohemia, & intrant Regnum nostrum, Ordinariorum suorum examini, aut Magistrorum hæreticæ pravitatis, ad hoc à Sede Apostolica deputatorum, vel deputandorum, subdentur comprehensi. Si quis autem Jncolarum Regni nostri, cuiuscunq; statûs, dignitatis, gradûs, aut conditionis fuerit, tunc ad Festum Ascensionis Domini proximum, redire de Bohemia neglexerit, voluerit, vel contempserit: pro convicto hæretico censeatur, & pœnis subjaceat, quæ hæreticis infligi consueverunt: nec ampliùs ad Regnum nostrum revertatur, moraturus. Et nihilominus omnia bona ipsorum mobilia & immobilia, in quibuscunq; rebus consistentia publicentur, thesauro nostro confiscanda: prolesq; eorum tam masculina, quàm fæminina, omni careat successione perpetuò, & honore, nec unquam ad aliquas assumatur dignitates, vel honores: sed cum Patribus & Progenitoribus suis semper maneant infames: nec de cætero gaudeat aliquo privilegio Nobilitatis vel decore. Inhibemus etiam, sub eisdem pœnis, omnibus mercatoribus, & alijs hominibus, cujuscunq; conditionis fuerint, ut amodo, & in posterum, nullas res venales, præsertim plumbum, arma, esculenta & poculenta, ad Bohemiam ducere præsumant, vel portare. Quocirca vobis omnibus, & singulis, Capitaneis, Burgrabijs, Procuratoribus, Magistris Civium, Consulibus, & alijs Regni Nostri Officialibus & subditis quibuslibet, ad quos præsentes pervenerint, mandamus: quatenus præsens edictum nostrum custodire, fideliter, & firmiter debeatis: ut ubilibet in Civitatibus, villis, & alijs quibuslibet locis publicis & privatis, & specialiter vbi tractabuntur judicia, & ubicunq; contigerit aliquam multitudinem hominum confluere, palàm vocibus Præconum faciatis proclamare: vt nullus valeat prætendere ignorantiam præmissorum: Harum quibus Sigillum Nostrum appensum est testimonio literarum. *Datum in Wieluń, die Dominicâ Iudica me DEVS. Anno Domini 1424.*

Tandem Confœderatio Principum tam Spiritualium, quàm Sæcularium contra hæreticos, eorumq; fautores successit. *Anno Do-*

mini 1438. in Nova Civitate Korczyn, feriâ sextâ, ipso die S. Marci Apostoli & Evangelistæ, generali tunc Parlamento celebrato successit tenoris sequentis: Nos Principes Spirituales & Sæculares, Barones, & Comites, Proceres, Milites, Nobiles, Civitates, totaq; communitas Regni Poloniæ, singulariter singuli & universaliter vniversi, eodem animo, eâdem voluntate, scientiâ, assensu, & ratihabitione, omnes vnanimiter, significamus tenore præsentium, quibus expedit vniversis, præsentibus & futuris notitiam præsentium habituris. Quomodo consideratis nonnullis disordinationibus, quæ in ipso Regno suboriri inceperant, visis literis Prædecessorum Nostrorum, Posnaniæ, Petricoviæ, & in Iedlna factis, circa easdem literas, & earum articulos (sub quacunq; forma verborum extant confecti) remanere volumus usquequaquè, & spondemus: & præcipuè circa hunc articulum. Quòd quicunq; existens indigena Regni Poloniæ, habens in ipso Regno Poloniæ bona, vellet aliquas obedientias contra jus Terrestre commune, aut etiam Guerras, nobis & eidem Regno Poloniæ damnosas, alicui movere: sine licentia Domini nostri Regis gratiosissimi, & Consilij sui, & in jure Terrestri communi nollet contentari, aut etiam hæreticales errores facere, vel promovere vellet: contra talem sive tales, cujuscunq; status, gradûs, conditionis, & præeminentiæ fuerint, sive Spirituales, siue Sæculares, & in eorum destructionem consurgere volumus & promittimus, sub fide & honore nostris; absq; dolo & fraude, nec ipsis auxilio, consilio, vel favore patrocinari volumus, sub fide & honore nostris: etiamsi sanguine, affinitate & quâcunq; propinquitate forent nobis, aut alicui nostrûm conjuncti, nec pro eis loqui volumus aliquod verbum, sed eos, & eorum quemlibet talem punire volumus & promittimus. Jura tamen nostra Ducalia & Terrestria, in nullo per hoc violando, nec ab eisdem recedendo: Harum quibus sigilla nostra, cum subscriptione nominatim nominum nostrorum in pendulis sigillorum sunt appensa, testimonio literarum. Scriptum & Datum in nova Civitate Korczyn, &c. *vide Lascium fol: 75. Sarnicium fol: 218. Herburtum sub verbo Hæreticus. Ianusovium par: 6. tit: 4. fol: apud me 260. cum seq: Sczerbicium in Promptuario par: 4. cap. 15. Zawadzium in suo compendio cap: 2. tit: 4. ad finem.*

Placuit hîc de fide & religione Lithvanorum annectere: *Cromerus lib: 5. de rebus Polonorum, sub tit: VLADISLAVS IAGELLO Rex sic scripsit.* Gens Lithvanica priscæ multorum Deorum seu ve-

riùs Dæmonum superstitioni dedita fuit. Quin & ignem pro Deo colebat, & eum in celebrioribus locis atq; Oppidis perpetuum asservabat. Fulmini quoq; quod Percunum vocabat, divinum honorem tribuebat, lucos & eximias quasdam arbores in sylvis sacrosanctas habebat, ita; ut violare eas ferro nefas esset, nec impune erat tale quidquam ausis: nam violentiâ Dæmonum vel interibant subitò, vel membro aliquo capiebantur. viperas item atq; serpentes divinitatis non exortes esse credebat,& alebantur ij quasi Lares quidam familiares in singulis domibus atq; familijs, & lac ijs libabant, & galli gallinacei immolabantur. Eratq; inauspicatum & exitiabile toti familiæ, quenquam ex his occidisse aut violasse. Erat autem apud eos quotannis solenne sacrificium sub initium mensis Octobris, post collectas fruges, ad quod frequentes, cum vxoribus & liberis, & servitijs conveniebant, ac toto triduo epulabantur de his, quæ Dijs mactârant & obtulerant. E bellis etiam revertentes manubias,& unum aliquem de captivis eximium, victimæ loco, igni cremabant. Corpora mortuorum cum pretiosissima supellectili, quâ vivi maximè vsi erant, & cum equis & armis cremabant, & ad busta propinquorum lacte, melle, & mulso parentabant. Hos igitur errores, cæterasq; omnes superstitiones IAGELLO, priusquam cum HEDVIGI matrimonium iniret, vnà cum Fratribus & Proceribus, atq; universo comitatu suo,(exceptis ijs, qui jam apud Russos initiati erant,) abdicare jussus, quartâ decimâ mensis Februarij à Bozenta Archiepiscopo & Ioanne Episcopo Cracoviensi sacro fonte ablutus, & Christianâ religione initiatus, VLADISLAI nomē accepit, & mox matrimonium cum Regina solenni ritu contraxit, Lithvaniamq; omnem cum Samogitia, & ea parte Russiæ, quæ in ditione ejus erat, Poloniæ jure sempiterno adjunxit, & in unum corpus redegit, jureiurando interposito. Ad hæc, Vitoudus cum Michaële Duce Zaslaviensi, & Lubarto, pro ipso, his ipsis de rebus, Reginæ & Proceribus Polonis fidem suam obstrinxêre, & obsidum loco fuêre. Quarto autem die post unctus ab Archiepiscopo, diadema Regium novum suscepit: nam vetus in Ungariam à LVDOVICO ausportatum, nondum ad eam diem reportatum erat. Sequenti die in Urbem solenni pompâ deductus, & in foro posito solio collocatus, jusjurandum à Cracoviensibus, & alijs Oppidanis de more accepit. Lithvani quoq; & Russi Duces atq; Proceres, qui tunc aderant, in verba Regis & Reginæ jurârunt: consignatisq; diplomatibus in fide & clientela ipsorum & Regni Polonici, se cum

ditionibus suis deinceps semper fore promiserunt. Idem postea cæteri fecerunt. Tandem compositis rebus in majori Polonia (ex ea occasione ortis, quòd cùm VLADISLAUS JAGELLO Gnesnā veniens, commeatum seu stationem (ut vocant vulgò) à Collegio ejus Basilicæ petiisset, nec impetrasset, more barbarico pignoravit facultates adscriptiorum Ecclesiæ: ob id, Sacris Civitati interdictum erat à Nicolao Strosbergo Præposito & Vicario Archiepiscopi Posnaniâ orto. Itaq; ab HEDVIGI Regina Vxore sua pijssima reprehensus, pignora capta reddi jussit, Reginâ suspirante: pignora quidem reddemus agrestibus, cæterùm lachrymas eis quis reddet?) in Lithvaniam se cum Regina contulit, Archiepiscopum Gnesnensem & multos Sacerdotes, ac pios homines secum duxit. Conventu Vilnæ indicto, ad initium Quadragenarij jejunij, de religione Christiana populariter suscipiendâ, ac de exterminando cultu falsorum Deorum, & omni superstitione, diligenter actum est, ipso Rege, maximam ei rei navante operam, non solùm hortando & orando, & præmijs invitando, sed etiam docendo, cùm nostri Sacerdotes lingvæ imperiti essent, ipse autem Russicam callens, Polonos loquentes intelligeret. Ægrè gens barbara majorum suorum religiones relinquebat; sed cùm jussu Regis sacer ignis extinctus, templum, araq; ejus diruta, & adytum unde oracula à Sacerdote edebantur eversum Vilnæ esset, necatiq; serpentes, & succisi luci, nullâ cujusquam læsione, quod præter opinionem barbarorum acciderat. tum verò barbari vanitate suâ agnitâ, alacriores, ad Principum suorum religionem facti, & aliquot diebus capita Religionis, quod symbolum vocatur, & orationem Dominicam, pro Rege nullum laborem superfugiente, edocti, Christianis mysterijs de more initiati sunt. sed cùm immensi laboris esset, singulos sacro fonte tingere, nobilioribus tantùm hic honos habitus; reliquum verò vulgus turmatim distributum, aquâ lustrali sive sacrâ à Sacerdotibus conspersum est; vnumq; nomen cuiq; turmæ tam virorum, quàm mulierum inditum. Plurimam ex his multitudinem Rex advectis è Polonia pannis laneis, & calceis vestivit, cùm ad eum diem gens illa conficiendarum earum rerum ignara esset, sed advectitijs tantùm nobiliores uterentur, nam vulgus agreste, peronibus magna ex parte etiam nunc utitur, & lineis vestibus, pelliceisq; tunc utebantur. Basilica deinde Vilnæ condita, & reditibus amplis, atq; Sacerdotijs locupletata, ac Divi STANISLAI memoriæ, à Bozenta Archiepiscopo consecrata est, institutusq; in ea Episcopus ANDREAS VASSILO

SILO Polonus, gente Iastrembicius de Franciscanorum sodalitate, qui ELIZABETHÆ Reginæ à confessionibus fuerat, septem præterea Parochiæ à Rege constitutæ dotatæq; Volcomiriensis, Missogolensis, Nemencinensis, Mednicensis, Crevensis, Obolcensis, & Hainensis. His omnibus Templis Regina plurimam supellectilem ad cultum divinum accomodam largita est. Remissâ deinde Reginâ in Poloniam, VLADISLAUS Rex totum annum propagandæ in Lithvania religioni Christianæ vacavit, plurimaq; loca per se ipse obivit. *Hæc Cromerus loco citato.* Ex quo patet, quòd Reges ex aliena religione assumpti ad Regnum, majori zelo anhelant in propaganda Religione Christiana, quàm si Christianus assumeretur.

Duximus hic inseri Decretum Ducale Masoviæ, contra hæreticos latum, tenoris sequentis.

Actum Varsaviæ feriâ quintâ ante Dominicam Oculi, Conventionem continuando proximâ, Anno Domini millesimo, quingentesimo vigesimo quinto. Jn præsentia Jllustrissimi Domini D. JANUSSII, Dei gratiâ Ducis Mazoviæ, Russiæ &c. necnon Magnificorum, Venerabilium, & Generosorum FELICIS BRZESKI Palatini Mazoviæ, Capitanei Ciechanoviensis, LAVRENTIJ de Praznowo Ciernensis, JOANNIS LOSKI de Wola Chynowska, Visnensis, PETRI KOPYTHOWSKI Varsaviensis, ALEXII de Lubki Wyssogrodiensis, JOANNIS de Krisko Zakroczimensis, JOANNIS de Obory Ciechanoviensis, MICHAELIS de Zaliwie Livensis, Castellanorum, NICOLAI ZVKOWSKI Præpositi Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis, & Ducatûs Mazoviæ Camerarij, ALBERTI de Popielzino Canonici Varsaviensis, & Ducatûs Mazoviæ Succamerarij, PAVLI de Trabki Archidiaconi ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis, THOMÆ SOKOŁOWSKI Decretorum Doctoris & Custodis, STANISLAI de Strzelce, Scholastici, PAVLI de Popielzino Canonicorum ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis, BARTHOLOMÆI RADZIMINSKI de Miastkowo Czernensis, Budek de Naquasino Wyssogrodiensis, ERASMI de Kobelniki Ciechanoviensis, JOANNIS de Orzanowo Livensis, Pincernarum, SERAPHINI de Obory de Zalesie Czernensis, NICOLAI Wierzbięta Varsaviensis, PETRI de Kuchary Wyssogrodiensis, Varsaviensis, STANISLAI de Woystawice Livensis, JACOBI de Ielenia Nurensis, ANDREÆ KIEŚIELNICKI de Boguśice Lomzensis, Iudicum, NICOLAI OBORSKI de Lećiesſczyce Czernensis, STEPHANI de Wodynie Varsaviensis, ADRIANI de Golymino Wyssogrodiensis, JOANNIS Cisskowski Zakrocymensis, JOANNIS WILICKI, Ciechanoviensis, CRISTINI de Cubra Visnensis, Vexilliferorum; JACOBI GLOSKOWSKI

Czernensis, Stanislai Kownacki Visnensis, Petri Targoma Zakrocymensis, Pavli Brzeski Ciechanoviensis Succamerariorum. Nicolai de Runowo Czernensis, Jacobi de Kozniewo Wyssogrodiensis, Martini de Czernidła Zakrocymensis, Dapiferorum. Joannis de Niwiska Czernensis, Pavli Pniewski Zakrocymensis Thesaurariorum; Gregorii Vliniecki Czernensis Pincernæ, Stiborij de Mlacz Czernensis, Matthiæ Swiderski Visnensis, Matthiæ de Swięcice Varsavień: Alexii Cybvlski Wyssogrodień: Michaelis de Czernice Ciechanovień: Stiborij de Michałowo Nurensis Subjudicum, & aliorum fide dignorum. Jllustrissimus Dominus Princeps, cum toto consilio suo, volens sectam Lutheranorum, & ejus falsum dogma in Ducatu suo, ab omnibus subditis suis penitus eradicari, & ne hoc falso errore & dogmate, subditi sui à fide orthodoxa & sancto ritu Romanæ Ecclesiæ seducantur, ex officio suo, & auctoritate Ducali, ut verus Christianæ Religionis, & fidei Princeps, providere tempestivè cupiens, ita decrevit, constituit & conclusit. Ut nullus in toto Ducatu Mazoviæ, tam in Civitatibus, Oppidis, quàm eorum in villis, cujuscunq; conditionis & statûs existat, præsertim in Civitate Varsau: libros & falsam doctrinā Lutheri in quocunq; sermone, sive Latino, sive Almanico, aut quovis alio, tenere apud se, & in domibus suis habere, legere, ac ipsum falsum dogma Lutheranorum profiteri, sectam portare, tueri, & alijs eandem persuadere præsumat. Ita tamen, ut quicunq; de hac secta legitimè convictus & probatus fuerit, talis vitâ privari debeat, & bona ejus omnia quæcunq; habet, mobilia & immobilia confiscari & ad thesaurum Ducalem recipi debeant. Quod decretum Dominus Dux mandavit, in omnibus Districtibus & Capitaneatibus publicari, & diligenter per omnes Officiales exequi. *Locus Sigilli. Ex metrica Ducali sub sigillo Terrestri Varsaviensi rescriptum. Stanislaus Smiecinski Terrestris Varsaviensis Notarius.*

Quod tale Decretum Ducale, Jllustrissimus Raphael Leszczynski, primò Præmyśliensis, deinde Płocensis Episcopus, suo consilio, & auctoritate à Duce Mazoviæ in Comitijs Varsaviensibus, universis Ducatûs Mazoviæ Proceribus libenter consentientibus, ac se posteritatemq; suam, concordi voto & voluntate obstringentibus obtinuit. *Vt refert Stanislaus Lubienski Episcopus Płocensis, in Vitis Episcoporum Płocensium, quadragesimo quinto in numero, subiunxitq;* Quod quidem decretum universa ita amplexa est Mazovia, ut ad hæc usq; tempora exosam habeat omnem hæresim, & sola inter tot Regni Provinci-

vincias, susceptam semel Catholicam pietatem, vel vitæ etiam ipsius periculo tueatur, & in publicis Regni Conventibus impijs hæreticorum ausibus constanter repugnet. *Hucusq; Lubienius fol: 371.* Verùm tam ardens propagandæ Religionis Christianæ zelus languescere cæpit, crescente hæreticorum potentiâ & multitudine. Nam lues hæretica ita invaluerat, ut Senatûs quidem major pars ex hæreticis constaret: ijdem inter Equestrem ordinem, non quidem numero, sed ad quasvis functiones obeundas, dexteritate eminerent, primasq; & in privatis & in publicis consilijs ac Conventibus sibi partes vendicarent, *ut refert Lubienski in monitis de gerendo Episcopatu fol: apud me 253: vide & Piasecium in Chronica fol: 65. cum seq:* ubi pulchrè describit, qualiter religionum contrariarum Catholicæ libertas sub Interregnis stabilita est.

Inserendum hic censui memorabilem cædem Scholarium Cracoviensium, quæ sub SIGISMUNDO AUGUSTO Rege Poloniæ accidit. Nam ex hac cæde Lutheranorum dogmatum semina, per Poloniam publicârunt, *vt Orichovius in annalibus suis pulchrè descripsit his genuinis verbis fol: apud me 42. cum sequ.*

Cùm vesperi, casu duceretur scortum nonnemini, à Iuliana lena non ignobili, præter eam ædem, quæ Cracoviæ Omnium Sanctorum est, scholastici ephebi, ex ejus ædis schola, qui mendicato victum quæritant, cæperunt ad id illudere, & lenam lacessere. Lena probris ac contumelijs commota, quòd aliàs crebrò idem illi à scholasticis illis usu evenerat, questa esse dicitur familiaribus Andreæ Czarnkowski, qui quòd Præpositus ædis erat, domum juxta ædem habebat. Hujus famuli, lenæ querelis permoti arma capiunt, ac inermes scholasticos intro scholam refugientes persecuti, alios interficiunt, alios verò vulneribus exanimatos relinquunt. Postridie manè re divulgatâ, fit concursus ad ædem, adsunt è scholis, atq; ex Gymnasio omnes scholastici, facinus indignum conclamant, ac cuncti Regem in arce petunt: nec jam familiam, sed ipsum Czarnkovium cædis reum faciunt. Exoritur in arce clamor, ut in turba, & loco, & Rege indignus, cùm sibi quisq; dux viæ, & author sermonis esset. Quorum clamore exciti Nicolaus Grabia Vice-cancellarius, & Stanislaus Maciejovius Samuelis frater, ex atrio prodeunt, tumultuantes scholasticos supprimunt, ac illos objurgant, officijq; admonent, vellent meminisse intus Regem esse, à quo si quid vellent, reverentiâ adhibitâ peterent per silentium. Scholastici repulsi ad cæsos revertuntur, sublatos in humeros tollunt, ac in forum profe-

runt, testificantur cædem, ac per Præconem de more conclamant, authorem cædis ipsummet Andream Czarnkovium. Pleno foro res agebatur miserabili cum ejulatu. Postremò ad vesperam interfectos sepeliunt, moxq; à funere ad domum Nicolai Szatkovij Gymnasiarchæ contendunt, instant precibus atq; minis, vellet cum Collegis causam illam suscipere, nèq; tam crudelem cædem pateretur abire inultam: adesse vindicem Regem scelerum. Samuelem etiam Episcopum, scholæ Patronum præstò adesse, agerent modò liberè, DEUM ipsum huic cædi non defuturum; quodsi cunctentur, aut gratiam Czarnkovij sequantur, se consilium capturos, ac Cracoviâ discessuros, Gymnasio ac scholis relictis. Gymnasiarcha rem ad Collegas defert, ab illis consilium petit, quid fieri vellent, sed dum illi cunctantur, Rex publicâ vociferatione scholasticos in arcem vocat, ac illis potestatem dicendi apud se facit. Queruntur per unum universi, quàm indignis modis pridie rejecti fuissent, nec ad Regem admissi. Deniq; orant & obsecrant, ne REX pro sua justitia jus libertatis scholasticæ immunitatis pateretur abire inultum. Aderat Czarnkovius, qui vehementer se purgabat Regi, testesq; in rem dabat, se domo abfuisse, dum cædes fieret, cænasse foris apud Sacerdotem certum, nihil actum esse suo scitu neq; jussu. Erat hic Czarnkovius honesto loco natus, & magnæ cognationis, comis item atq; doctus, ac magnâ cum Samuele Episcopo familiaritate conjunctus; tum anno quinto post, Posnaniensis Episcopus. Hic ergo cùm premeretur suspicionibus, ac invidiâ communi Sacerdotum arderet, petijt à Rege, ut Rex Inquisitores in eam rem daret, causamq; dilatione certâ cognosceret. Rex scholasticis respondit, sibi illorum factum displicuisse, quòd obliti officij se illo clamore petijssent, apud quem faciles essent infimis etiam hominibus aditus. Quo esset factum, cur exclusi, & non admissi fuissent, nunc se scire ac rem cognoscere, & ne impunita esset, magnopere providere: sed quoniam Andreas Czarnkowski in Collegio Sacerdotum esset, judicio illum Regio non teneri, idcirco ejus facti quæstionem integram se permittere in præsentia Samueli Episcopo, cujus iurisdictionis Andreas Czarnkovius esset. Recipit cognitionem causæ Samuel, Gymnasium accersit, ac ut scholastici adsint edicit. Adsunt cum Gymnasiarcha Collegæ, è Scholasticis verò nemo, qui per literas cur non adessent causas perscribunt: sed tamen eò non venisse dicebantur, quòd familiaris reo Judex illis non placeret. Samuel ut erat homo firmus & patiens, condonare se adolescentiæ impe-

imperitæ dixit, quòd ad edictum non venerint. Interea autem Inquisitores in Andream Czarnkovium dat, ac pro ratione juris, omnia administrat. Fit inquisitio, omnibus rebus acerrimè inquiritur, testes ac judices dantur, tum locus atq; tempus cum conjecturis conferuntur. Consul etiam cum Senatu Urbano cædis authorem quærit, juramentoq; testes adigit, ad summum nihil quod ad inquisitionem acerrimam attinet, prætermittitur. Quæ delata ad Samuelem, fidem illi fecerunt, Andream Czarnkovium extra noxam videri: porro familia illius eâdem illâ inquisitione, cædis rea deprehenditur. Quâ delatione authores fuerant à Rege comprehensi, ac in custodiam dati, ut certo accusatori pœnas cædis darent. Cæterùm scholastici, quoniā semel reum cædis Czarnkovium conclamârant, in falsa inquisitione perseverantes, vinctos à Rege arguere nolebant; & quoniam illis non satisfiebat, ad deserendam urbem, gymnasia; atq; scholas, ad unum omnes conspirant. Fuit hic ingens motus, nec æqua Andreæ Czarnkovio, homini copioso, cum illa mendicitate contentio; quantò enim ille magis præstabat nobilitate, opibus, gratiâ; tantò majore vulgò premebatur invidiâ: scholasticis verò illa misericordiam conciliârat miseria. Cùm ergo in summa invidia esset, non solùm Andreas Czarnkovius, sed etiam Samuel Episcopus, & cùm scholastici Urbem jam desererent, Joannes Tarnovius Cracovien: Castellanus, qui casu tum aberat ruri proximo, dat illi Rex negotium motus componere, ac scholasticos retinere, qui jam ab urbe maturabant proficisci. Scholastici convocantur edicto in Æde Sancti Francisci, adsunt cum Gymnasiarcha atq; Collegis vniversis; Episcopus etiam ipse cum Sacerdotibus venit, habetur à Joanne Tarnovio concio gravis, quâ illis suadebat, ut à pertinacia desisterent, simulq; illos est cohortatus, nè huiusmodi consilia inirent, quibus Majestas Regia lædi posset, non fore impunitam cædem, teneri cædis authores, lege modò agerent & quiescerent, idq; curarent, cuius causâ à parentibus Cracoviam missi essent. Inflectere Tarnovius juvenum sensus videbatur, quòd illis cohortandis laudem reprehensioni prudenter admiscuerat. Sed cùm Samuel orationem Tarnovij subsecutus cædem elevaret dicendo, auxit illorum dolorem, ut commotis similes sese ex Æde proriperent, ac domum scholastico more conclamantes profectionem in crastinum confirmarent. Bene igitur manè cum prima luce adsunt, unà universi colloquuntur, profectionem parant, Cives etiam ut quisq; notos ac familiares habebat, adeunt flentes, salutant, ac valere jubet.

Postremò magno comitatu egrediuntur ex Urbe illud carmen solenne concinentes: Jte in Orbem vniversum. Plena erat Urbs lamentatione atq; fletu, honesti etiam cives, matronæq; atq; homines ingenui pro familiaritate ac hospitio viaticum offerebant tenuioribus, quos cum capsis, manticis, ac ollis illis, quibus victum quæritabant plenissimis vijs vidisses abeuntes. Majores natu negant miserabilius quidquam hominum memoria in Polonia accidisse: Conticuerant enim Gymnasia, squallebant Collegia, obmutuerant Templa, ac omnes Urbis partes afflictabantur illorum discessu, neq; enim ex illa omni frequentia manserat fortè quisq; qui vel in templo Presbytero, vel in gymnasio, scholave Magistro operam daret. Igitur Cracoviâ egressi in S. Floriani venerunt Ædem, cuius Templum in Clepariano est; hic sacrificatum magno contentu, ac illud sacrum ab illis decantatum est: Spiritus Domini replevit Orbem terrarum, inde digressi, inter initia viæ, humi strati, unanimes cecinerunt illud quoq;. *Contere Domine fortitudinem Ecclesiæ tuæ inimicorum.* Post flentes è complexu divisi, initâ viâ, patriam suam quisq; repetijt, ac patrios revisit lares, pars etiam in Germaniam, pars in Prussiam profecti, partes Lutheri auxerunt, sectamq; illius quoq; reversi in Polonia confirmârunt: erant enim pleriq; illorum liberaliter instituti, ac doctrinis exculti. Turpe & acerbum hoc spectaculum fuerat Regi, quem fortuna spectatorem fecerat tantæ calamitatis, tantæq; turpitudinis: quare proficiscentes jam ex itinere mandato nonnullos illorum revocabat: verùm paucis ad diem reversis, reliqui omnes magno animo cæptum sequebantur iter, causam illius sanguinis innoxij, vindici permittentes DEO, certi, vindictam illam cædi nunquam in Polonia defuturam. Atq; dici memini, nullam rem ab hac cæde in Polonia bene adhuc & feliciter nobis evenire, daturamq; huius cædis pœnam Poloniam viri sapientes augurantur, quorum divinationem quàm assidua mala, quæ patimur, probent, ordo rerum docebit. Sed cùm scholastici abirent, & illi qui citati comparuerant, absoluti ad socios redirent, captos quoq; ob cædem Rex dimisit, ac liberos abjre jussit. Sed hoc loco prætereundum non est, quomodo intra finem alterius anni vertentis apparuerit ira, Numenq; Divinum. Regina enim Strelimussæ filia (nam scorto illi cuius causâ cædes fuit facta, id erat nomen) matrem lenæ suasu interfecit, quòd illam mater scortari vetaret. Itaq; damnata parricidij, ac insuta in cute pro parricidarũ more præcipitata est in Jstulam. Lena etiam forcipibus laniata, in idem

flumen

flumen est abjecta. Jta DEUS à facinorosis tantò crudeliores pœnas exigit, quantò illis parcunt magis homines. Atq; hic fructus legendis historijs est vel amplissimus, ut vicissitudine temporum, ac varietate malorum, & mutatione rerum, agnoscamus iram vindicis Dei, & moniti cavere, & admissa deplorare peccata sciamus, quoniam DEUS judex est, *Psalm: teste* Hanc cædem incendium arcis mox consequitur, cujus dimidiata pars, meridiem versus arsit, quo sanè incendio periclitabatur Arx tota cum æde S. Stanislai albo tecta plumbo, inspectante Rege, ac nimiùm cum Barbara uxore intus trepidante; sed atriensium concursu, ac Regis præsentiâ, quæ urgebat enixiùs opem ferre, sedata flamma & arx defensa fuit. *Hucusq; Orichovius, ubi plura mala ex hac cæde Scholarium Cracoviensium adfert.*

Et prima fuit Confœderatio generalis post mortem SIGISMVNDI AUGUSTI Regis, Varsaviæ, Anno D. 1573. In qua in favorem dissidentium articulus stetit, *his verbis, ut sequitur:* Spondemus omnes pro Nobis & Successoribus nostris in perpetuū sub vinculo juramenti, fide, honore, & conscientijs nostris, ut qui sumus dissidentes de Religione, pacem inter nos conservare, & propter diversam fidem, & ritum in Ecclesijs, sanguinem non effundere, neq; pœnas imponere, confiscationis bonorum, infamiæ, carceris, exilij; & alicui Superioritati & Officio, ad ejusmodi processum nullo modo auxilium dare: quinimo si aliquis illum effundere voluerit, ex ista causa, opponere se omnes tenebimur: quamvis etiam sub prætextu decreti, vel processûs judiciarij, aliquis hoc voluerit facere. Nihilominus per istam confœderationem nostram, ulli Superioritati, super subditos suos, tam Dominorum Spiritualium, quàm Sæcularium non derogamus, nec obedientiam Dominis suis destruimus, quinimo si ejusmodi licentia alicubi fuerit sub prætextu Religionis, tunc prout antea licitum erat, ita & nunc subditum suum inobedientem, tam in Spiritualibus, quám Sæcularibus juxta arbitrium suum punire. Et ut Rex futurus ejusmodi articulum nostrum de pace inter dissidentes in Religione servanda juramento confirmet. *Ita in volumine constitutionum ejusdem anni fol: 120. in antiquis, & fol: 209. in noviter impressis.*

Jtaq; Henricus Valesius Gallus, Rex Poloniæ A. D. 1573. eundem articulū juramento confirmavit, hisce formalibus verbis: Pacem & tranquillitatē inter dissidentes de Religione tuebor, & manutenebo: nec ullo modo, vel jurisdictione nostrâ, vel Officiorum nostrorum quorum-

vis authoritate, quempiam affici, opprimi, causâ Religionis permittam, nec ipse afficiam, nec opprimam, *prout videre est in volumine constit: in forma juramenti ejusdem Regis fol. 227. in novis.*

Respectu huius juramenti à HENRICO VALESIO præstiti, quid Stanislaus Hosius Cardinalis & Episcopus Varmiensis scripserit, *epistola ejus apud me f.197. recenset, cuius est tenor talis.* Quid scribam, aut quomodo? nescio, sed nec loqui scio; quod factum est, probare non possum. Itaq; cùm ipse neq; scribere jam, neq; loqui sciam, eius, qui per excellentiam quandam à Græcis Theologus dictus est, epistolam viri & doctissimi & sanctissimi Majestati Vestræ mitto, quam ut legi sibi jubeat, supplex oro, nam quod ego, si præsens adessem, dicturus fuissem, dicet hoc Vir ille sanctissimus atq; doctissimus. Ego nihil aliud habeo, quod dicam, quàm peccatum esse graviter. Hoc me consolatur, quòd non Herodem Regem habemus, qui quod impiè promisit, majore cum scelere adimplevit: sed eum, quem ad Regem David accessurum, quàm proximè speramus. Juravit & ille se Nabal occisurum cum quadam execratione, sed cum magna laude sua, quod incautè juravit, non præstitit. Hîc non unus Nabal occidendus promittitur, sed multa millia animarum in Diaboli potestatem trahenda. Supplex Majestatem Vestram peto, sicut Petrum peccando est secuta, sic & pro peccato suo satisfaciendo, Petrum imitetur, errorem suum corrigat, & sciat, quòd juramentum non est vinculum iniquitatis, nec ullius absolutionis indigere se ab hoc juramento, sibi certò persuasum habeat. quandoquidem cassa & irrita sunt omnia omni jure, quæ per Majestatem Tuam parum consideratè facta sunt. Hæc ego cum magno animi mei dolore scribo, tanquam Cardinalis & Episcopus, cui nil salute animæ sui Regis & Domini prius esse debet & antiquius. Quæso, ut in eam, in quam scribuntur, partem accipiat, quod eam tanto libentiùs facturam mihi persuadeo, quòd extortum hoc ab illa juramentum esse, non impetratum esse scio. Quo majorem in Domino spem & fiduciam habeo collocatam: quòd hanc meam admonitiunculam ex summo meo studio & observantia erga Majestatem Vestram profectam boni sit consultura, & quam omnes Christiani, Catholici de illius in fide orthodoxa tuenda, conservanda, & propaganda, omniq; perfidiarum genere procul ex Regno suo propulsando, spem & expectationem conceperunt, eam non fallet unquam, sed magis in dies atq; magis confirmabit. *Datum 19. Octobris Anno 1573.*

Hinc Strada de bello Belgico, par. 1. fol. 55. hæc verba scripsit: *ubi agitur de Fide ac Religione privilegiata, cessant etiam jurata.* Et

Et trita est juris Canonici regula. *Iuramentum quod est contra bonos, non est obligatorium.*

Quid etiam circa istum articulũ de pace inter dissidẽtes in dictaConfœderatione fuerit factum, & quid HENRICVS VALESIVS, dum legati ad eum missi cum pactis conventis juramento confirmandis, inter se discordes essent, responderit, *refert Andreas Maximilianus Fredro in libro gestorum populi Poloni sub eodem* HENRICO VALESIO *fol: apud me 92. cum sequ: his verbis genuinis.* Cùm in comitijs convocationis confœderatio, seu pax dissidentium in religione, antiquis legibus nusquam habita, gliscente hæreticorum potentiâ, stabiliretur, assurrexêre plurimi Episcoporum, certam (vt vocant) protestationem interponentes, ullas confœderationes se velle noscitare, sufficere sibi leges antiquas, neq; ejus loci & temporis esse, novas condere, præsertim, cùm Interregni tempore nullum negotium agi oporteret, præterquam electionis; ad tempus rem differri oportere, quoad novus Rex eligeretur: si enim quolibet Interregno, pro arbitrio & licentia populi (nequaquam tuente Regum Majestate) conderentur leges, brevi nullus Rex habendus foret. Sed cùm multitudo dissidentium obstreperet, imò Catholicorum nonnulli rem ad dissidium inclinari viderent, magisq; audaciam accendi, dum in tanta dissidentium multitudine, parva legum appareret contra gladium authoritas, persuasêre potiùs Infulatis, quatenus supersederent, meliora desuper speraturi. Nonnunquam prudenti conniventiâ, ubi prohiberi scelus non posset, citiùs voluntatem peccandi hebetari; aut dum satietas vitiosæ licentiæ peccantes caperet, aut tandem placeret virtus. In rem ac rationem esse Belgarum tumultus, quos aut importunus, aut saltem ex eo, quia ferus inquirentium excivit rigor, cùm prævalidæ hæreticorum numerarentur manus, quos satiùs foret, per legum conniventiam subditos habere, quàm prohibitis petendo (quæ servari per fiduciam avitæ potentiæ non poterant) contumax insinuare non obsequium. Motus tandem ijs rationibus conticuit Clerus, tamen non ut probare, sed dissimulasse videretur. Neq; parvos modesti consilij fructus carpimus, sine impulsu & armis, spontaneo se restituentibus singulis veræ Matri Ecclesiæ, qui per peregrina fidei dogmata ablati erant in diversa; vt verum sit, ductu non impulsu flecti, non frangi hominum animos. Cùm ergo ab eo fonte Parisijs pacis (dissidentium in religione) fieret mentio, tres Oratorum, videlicet Konarscius Episcopus Posnaniensis, Palatinus Siradiensis, Albertus de Lasko, & Marescalcus Lithvaniæ protesta-

tum esse contra, dixêre, nec posse inter Pacta Conventa acceptari: Ad ea respondit Rex: se nihil in illo statuere posse, in quo Legati non convenirent. Tum Joannes Zborowscius unus ex Legatis, isq; diversæ Religionis homo, obversus ad Molvecium (qui nomine HENRICI Legatum in Polonia egerat) utiq; (inquit) Ni vos Legati nomine Principum hanc conditionem acceptassetis, hicce Princeps, nobis contradicentibus, in Regem non poterat eligi. Notavit HENRICVS Molvecium cum Zborowscio acerbiùs colloqui, sed cùm verba sermocinantiva in parte audire non posset; quid tecum loquitur (ad Molvecium conversus loquitur) hic Polonus Orator? Tum Zborowscius præoccupās responsum Molvecij, nec quidquam cunctatus: Aio (inquit) Rex Serenissime: Nisi Oratores Tui hanc conditionem dissidentium de Religione (uti cætera omnia) nomine Tuo acceptassent, nobis contradicentibus, Rex eligi non potuisses; imò ni jam approbaveris, Rex Poloniæ non eris.

Pupugit adstantium Gallorum aures vox, eoq; magis, quia sub Dominis nati liberam vocem, periculo offensæ in præsentia minimè audiri sperabant: credebant ideo Regem electum Zborowscij responso offensum. Verùm Princeps, qui sciebat se liberum populum sub imperium acceptare, dictum eâ modestiâ tulit, ut placuisse videretur, addito ad prudentiam responso: Oratorum potiùs in eo causam, quidquid mutuo consensu apportaretur, non improbaturum se, inirent potiùs consilium, posteriori die concordes accederent. Tandem condescendêre Oratores cum cautela, ne in præjudicium Catholicæ Romanæ Fidei, ea lex extendi posset. *Hucusq; Fredro.*

Post discessum HENRICI VALESII in Galliã & susceptionem Regni Galliarum ab eo, STEPHANUS BATHORI, natione Ungarus, electus est in Regem, articulumq; hunc, de pace inter dissidentes servanda sibi oblatum, juramento confirmavit, *prout videre est in volumine Constit: Regni Anni Domini 1576. sub tit: Literæ, de præstito juramento, fol: 250. in novis: in illis verbis.* Pacemq; & tranquillitatem inter dissidentes de Religione tuebor, manutenebo, nec ullo modo vel jurisdictione nostrâ, vel Officiorum nostrorum & Statuum quorumvis authoritate quempiam affici, opprimiq; causâ Religionis permittam, nec ipse afficiam, nec opprimam. *vide ibidem sub tit: Literæ confirmationis articulorum* HENRICO *Regi ante oblatorum fol: 253, 257. & fol: 258. in novis.*

Mortuo STEPHANO Rege, Palatinatus Cracoviensis, Sandomiriensis, & Lublinensis, confœderationem inierunt, & hunc articu-

lum

lum. De pace inter dissidentes de Religione servanda, reassumpserunt. *Anno Domini 1587. fol: 399. in novis.* & *fol:* 404. & *in confœderatione generali Varsaviæ, eodem anno celebrata, in constit: fol: 409. in novis, vide & fol: 423.* & *425. in constitutione Palatinatûs Sandomiriensis sub Pokrzywnice Anno 1587. die 8. Maij facta. vide & in Recessu Varsaviensi circa electionem, in constit: fol: 436. vide & in Conventu Visliciæ: quem vocarunt* **Popárcie wolney Elekcyey.** *in constit: fol: 438. in novis.*

Tandem SIGISMUNDUS III. Successor STEPHANI Rex Poloniæ juramento *Anno 1587. confirmavit, prout in Literis juramenti ab eo præstiti in constit: 446.* & *in confirmatione generali jurium fol: 449. in novis, in illis verbis.* quòd verò supra hisce literis, privilegia, libertates Ecclesiasticas, cum cæteris confirmavimus, id nihil articulo huic, juramento derogare volumus; quòd videlicet pacem & tranquillitatem inter dissidentes de Religione tuebimur, & manutenebimus &c: quam inconcussè, firmiter, & inviolabiliter, ac cum effectu nos observaturos promittimus ac spondemus.

Post mortem SIGISMUNDI Tertij, Palatinatus Cracoviensis in Confœderatione sua particulari, dicta **Káptur** *Anno Dñi 1632. die 15. Mensis Iulij celebrata,* hunc articulum de pace & tranquillitate inter dissidentes reassumpsit *his verbis:* vinculum quod inter nos de dissidentibus in Religione fecimus, inviolabiliter, in omnibus articulis, punctis, & clausulis, juxta antiqua jura conservaturos nos obligamus. Quodsi quis aliquid ad disrumpendum hocce vinculum facere voluerit, contra eum, juxta obligationes supra nominatas, procedere debebimus.

Jn Confœderatione verò generali omnium Ordinum Reipub: *eodem anno, die verò 16. Iulij Varsaviæ celebrata fol: 2. in consut: de hoc articulo scriptum est.* Præterea ut pax communis ex nulla occasione turbetur, cavemus dissidentibus in Religione Christiana; quod omnem pacem inter se Nos & posteri nostri sub fide, honore & conscientijs nostris conservabimus. Propterq; ejusmodi diversitatem in fide sanguinem non effundendo, nec se ad aliqua judicia respectu talis diversitatis trahendo, neq; se pœnis confiscationis bonorum, infamiæ, carceris, aut alijs pœnis puniendo: nec alicui Superioritati, aut Magistratui ad ejusmodi progressum auxilium præbendo: imò si aliquis ex causa huiusmodi sanguinem effundere, vel prænominatas cautiones violenter rumpere, aut supranominatas pœnas extendere voluerit, opponere se tenebimur, etiamsi sub prætextu

decreti, aut processûs judiciarij, aliquis hoc facere præsumpserit. Adhæc cavemus, ne decreta Tribunalitia Regni, & Magni Ducatûs Lithvaniæ (quæ vim legis sapiunt) contra securitatem & pacem dissidentium lata in quovis judicio ad executionem deducantur; prout hoc in Constit: 1627 cautum est. Et si contra constitutionem hanc aliqua decreta, aut protestationes intercesserunt, in quovis judicio nullius valoris sint. Similiter mandata omnia pacem inter dissidentes moventia, ex Cancellaria tempore Serenissimi Regis piæ memoriæ extradita, nullius valoris sint, & in posterum non extradantur. Ibidem adjunctum est, in civitatibus Regalibus, ubi ad præsens in delubris à se ad eum finem extructis publicum exercitium religionis dissidentes in Religione habent, & in futurum habeant. Ubi autem ad præsens ejusmodi delubra sua non habent, ibi ad evitandos tumultus non poterunt ædificare. Nihilominus, in privatis domibus, privatâ devotione Sectæ suæ homines transeuntes uti poterunt. Hanc dispositionem, Nobiles sæculares, non posse extendi ad bona su[illegible] hæreditaria solent opponere maximè in judicijs Spiritualibus. ex quo loquitur de civitatibus Regalibus, sed Tribunalia Regni hanc exceptionem illorum non attendunt.

Tandem post hanc Confœderationem generalem Varsaviensem in Pactis Conventis VLADISLAO IV. & hic articulus de pace & tranquillitate inter dissidentes servanda appositus est, *his verbis*: Et quoniam in hac præclara Corona Gentis Polonæ, Lithvanicæ, Russicæ & dominiorum ad illam spectantium, multi sunt dissidentes in Religione Christiana, præcavendo exemplo Antecessorum nostrorũ, ne in posterum aliquæ seditiones & tumultus ex hac causa scissuræ vel discordiæ in Religione fiant, cautum est in Confœderatione generali Varsaviensi proximè præterita, quòd interveniente ejusmodi casu in causa Religionis Christianæ, debet esse pax inter dissidentes de Religione servata, quam nos pollicemur servaturos temporibus perpetuis, non obstantibus quibuscunq; protestationibus contra hanc confœderationem factis, salvis juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, integrâ tamen in toto dissidentium de Religione Christiana, pace & securitate taliter, qualiter in Convocatione proximè præterita Varsauiensi, in Confœderatione generali descriptum & cautum. *In constit: sub tit:* **Porządek Elekcyey Wárßáwskiey.** ꝫ Articuli Pactorum Conventorum, *Anno Domini* 1632. *fol:* 11.

VLADISLAUS itaq; IV. in Regem Poloniæ electus, juramento suo confirmavit generaliter omnia Pacta Conventa per Oratores

suos

suos cum amplissimis Poloniæ & Magni D. Lithvaniæ Ordinibus, & in Electione sua transacta, & eorundem Oratorum juramento confirmata in omnibus eorum articulis, punctis, clausulis, conditionibus, ita; ut nec specialitas generalitati, nec generalitas specialitati deroget, servaturum, manutenturum, atq; adimpleturũ. Atq; ea omnia iterato in solenni etiam Coronatione juramento confirmaturũ adstrinxit se: *ut in forma juramenti ejus f.20. & seq: sub tit. præfato habetur, quod his verbis expressis confirmavit:* Pacem quoq; & tranquillitatem inter dissidentes de Religione Christiana tuebor, manutenebo, nec ullo modo, vel jurisdictione nostrâ, vel Officiorum nostrorum & Statuum quorumvis authoritate, quemquam affici, opprimiq; causâ Religionis permittam, nec ipse afficiam, nec opprimam: Ac ea quæ in Electione nostra Varsaviæ constituta sunt, & quæ in conventione Coronationis nostræ constituentur, manutenebo, ijsq; satisfaciam. *Ita sub titulo: illo* **Porzadek**. *fol: 24.*

Hic idem articulus, post mortem VLADISLAI IV. in Confœderatione generali Varsaviensi, *Anno Domini 1648 celebrata*, ijsdem ferme verbis, prout in confœderatione generali Varsaviensi, *Anno Domini 1632.* celebrata reassumptus est. hoc solùm addito, quod contraveniens dictæ constitutioni *Anni Domini 1627.* In Comitijs generalibus conveniatur de exercitio quoq; dissidentium in Civitatibus Regalibus, & de mandatis ex Cancellaria Regis ijsdem verbis ut in d. Confœderatione *Anni Domini 1632*, Item in dicta Confœderatione *Anni 1648. additum est fol: 3.* quamvis constitutione *Anni 1631.* satis contra violatotes securitatis publicæ, severè cautum est, nihilominus declaramus, quòd in posterum ejusmodi causæ, violatæ securitatis dissidentium à quacunq; persona, cuiusvis conditionis, non inter causas recentium criminum judicabuntur, præterquam si persona merè spiritualis in crimine deprehensa fuerit, nam tunc debet tradi Officio Spirituali, & ibi prævia inquisitione judicari. Ministri quoq; Religionis dissidentium, si ab aliquo ex quacunq; occasione citati fuerint, tunc in tali casu forum habebunt solùm in Officio sæculari competenti, ratione quarumcunq; rerum & injuriarum, in magno autem Ducatu Lithvaniæ in magna Rota. Jn caussis autem ex ipsorum actoratu, forum citati competens sequi debent, & ibidem injurias sibi illatas vindicare. *vide & fol: 15. in eadem Confœderatione Anni 1648. sub eodem tit:* **Porzadek Elekcyey.**

Vacante throno Regio post insolitam abdicationem Regni à JOANNE CASIMIRO IV. is idem articulus de pace & tranquilli-

tate inter diſſidentes ſervanda reaſſumptus eſt, in confœderatione generali omnium Ordinum Regni. *Anno Domini 1668. ut infra ſub titulo de Interregno*, quem articulum MICHAEL Rex Succeſſor IOANNIS CASIMIRI in Regno *Anno Domini 1670.* juramento confirmavit.

Mortuo MICHAELE Rege non diu regnante, hic idem articulus in confœderatione generali reaſſumptus eſt, & à Sereniſſimo Rege JOANNE III. *Anno Domini 1676. juramento confirmatus eſt*, prout habetur in literis juramenti utriuſq; Regis, & in confirmatione generali jurium, & videre licet infra, ſub titulo de *Interregno*.

Et quia in dictis confœderationibus appoſita eſt clauſula circa hunc articulum, de pace & tranquillitate inter diſſidentes in fide Chriſtiana, non obſtantibus proteſtationibus contra eundem articulum factis, dubium oritur, an per hanc clauſulam non ſit violatum jus Cardinale liberæ vocis? ſi violatum eſt, ergo & alij actus, non obſtantibus proteſtationibus aliquorum, vel unius, poſſunt ſubſiſtere, & vim ac robur ſuum habere: quod alijs conſiderandum ſubmitto.

Placet hic adferre, quod Petrus Mieſzkovius Canonicus Poſnanienſis in ſuo libello intitulato *Polonus jure politus à folio 255. ſcribit in hæc verba*: Nec confœderatio hæc vim habere poteſt legis. Jllud enim vim legis ſapit (noſtro jure) quod communis omnium Ordinum conſenſus approbat. Nec clauſula illa vim habere legis poteſt: juramento novo Regi annexa; Pacem publicam inter diſſidentes de Religione tuebor. Et maximè, cùm non ſolùm Archiepiſcopus & alij Epiſcopi, ſed & Senatores, & Officiales Regni, Nobilitas innumerabilis, contra hoc proteſtati ſunt. Utpote cùm hoc juramentum ſit contra DEUM, contra libertates, & jura Regis, contra juramentum antiquum Regium, Statutis Regni, & libris Pontificalium deſcriptum, cautum, & firmatum.

Deinde, quod hæc à Regibus noſtris jurari non poteſt. Quia dicta clauſula in Comitijs (ubi hæc confœderatio tranſacta eſt) quæ ad ſolam Electionẽ, & non ad ſtatuendas leges Regni, acta ſunt. Quidquid igitur ſtatutum eſt, quoniam non in ſuo loco, neq; ſuo tempore, neq; à perſonis ad id poteſtatem habentibus, id nullius momenti eſſe debet.

Ad hæc, leges condi nequeunt, niſi omnium Ordinum conſenſu, hoc eſt Regis, Senatorum & Nuntiorum Terreſtrium. Mortuo autem Rege, cui dubium eſſe poteſt penes reliquos duos ſtatus le-

gum

gum condendarum potestatem mansisse. Item articuli hi jam post electionem Regis conscripti sunt. Igitur tanto magis non valent, quia illo absente conscripti sunt.

Præterea si Sacra Regia Majestas, cùm aliquid necessarium esse judicat, Conventibus particularibus per suos Nuntios id proponit, vt postea de eadem re in Comitijs generalibus tractetur, & quid retinendum, quidve reijciendum sit, à Nobilitate inquiratur, & cum limitata seu absoluta potestate ad id data Nuntijs Terrestribus eosdē ad Comitia generalia dimittat: quare meritò hanc Confœderationem arguunt tot protestationes factæ, quibus manentibus,hæc Confœderatio nullo modo subsistere potest, aliàs vacillaret libera vox, quæ si in alijs negotijs Reipub: multum valoris habet, tantò magis in causa Fidei.

Neq; quidquam facit illa alia clausula. Neq; propter diversitatem Religionis nos ipsos mulctare confiscatione Bonorum, infamiâ, carceribus, exilio; neq; ulli Magistratuum, aut Officialium ad ejusmodi progressum operam ferre, quin potiùs si quis ex ea causa, etiamsi prætextu alicuius decreti, aut aliquo judiciario processu id facere velit, omnes obsistere debebimus. Hoc quid aliud est, nisi sanctissimas leges tot Principum Decretis confirmatas tollere, imò etiam ipsa subsellia subvertere, non modò leges Regni executioni demandare capitale sit, sed & in ipsos judices, Legum custodes ac vindices desævire sanctissimum habeatur.

Prima huius Articuli pars si consideretur [ob diversitatem Religionis nos ipsos non mulctabimus] apertè video id eam concludere, ne unius corporis pars sana & integra aliam compartem juvet ac procuret, sed ut potiùs totum corpus intereat ac succumbat.

Secunda pars ejusdem articuli dum dicit: [se nulli Magistratui in executione legum opitulari vellē] quid aliud petit, nisi vt omnes Magistratus perjuros faciat. Juramentum autem tale est Senatorum Regni: *Iuro, quia Serenissimo Regi Poloniæ fidelis ero: quidquid verò scivero, intellexero Sacræ Majestati Regiæ, Regno & Reipub: nocibile & damnosum, præcustodiam, & ne fiat me opponam, & illud avertam.* Et quis quæso huic juramento respondebit? si Sacra Regia Majestas succurrere non poterit, hâc Confœderatione ligata in ijs rebus, quæ ipsi S. R. M. Regno, ac Reipub: nociva viderit.

Tertia demum pars ejusdem articuli: [si quis nos punire voluerit, contra talem omnes insurgemus] Similes sunt isti confœdera-

ti phrænetico, qui medicum non modo non admittit, ſed etiam occidere parat: attamen medicus ipſum curare non deſinit. O rem intolerabilem abſurditate ſuâ! Poloni permittunt ſe judicari ac puniri à Sacra Regia Majeſtate, ob leves injurias, ob raptum gallinarũ, anſerum, canum, ſuum, arborum, piſcium, ſepium etiam fractionem: at de perjurio, de blaſphemia in DEVM, de crimine læſæ Majeſtatis, de gravi damno Reipub: non modò judicium non ſubterfugiunt & pœnam, verùm etiam juramento ſe obſtringunt contra talem, qui eos judicare ac punire vellet, inſurrecturos, & arma ſumpturos. Certè nemo hinc aliud quidpiam inferret, niſi Poloniæ Regno nullum aliud ſub ſole ſceleratius reperiri. Quod omen DEUS avertat, judicate jam qui legitis ex ungue leonem, & ex unico articulo totam Confœderationem cognoſcetis. Revocate in mentem quod Matthæi dictum eſt. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt: qui autem negabit me, negabo & ego eum.

Non poſſum tamen obliviſci illud, quod in Scriptura ſacra legitur: ſinite creſcere uſq; ad meſſem. Libertati vim oppoſitam eſſe ſcio, adeò, ut hâc poſitâ, illa ſuccumbat neceſſe eſt. Quare liber ego in hac libera Repub: natus, eam Tyrannide vexari, ut non exopto, ſic nec ſvadere volo. Iuribus noſtris pareamus, ſumma pax eſt, vbi ad regulam juris vivitur: Leges enim unicuiq; quod ſuum eſt, tribuere conſveverunt.

Ideo pacem inter diſſidentes tuebor, id eſt: ſecundùm jura ac leges patrias procedam, extra quas diſcordiæ, non pax, diſſeminarentur. Non igitur gladij, non arma vibrentur, ſufficiet leges in effectum deduci.

Prohibent illæ hæreticis dignitates dari & filijs ipſorum, ut in Privilegio incorporationis M. D. L. Regno Poloniæ JAGELLO ſcripſit: Dignitarij non eligantur, niſi ſint Fidei Catholicæ cultores, & ſubjecti Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & infra, officia perpetua, ut ſunt dignitates, Caſtellanatus &c. niſi Chriſtianæ fidei cultoribus conferantur, & ad conſilia noſtra admittantur, & eis interſint, dum pro bono publico tractatus celebrantur, quia diſparitas cultûs diverſitatem inducit. Et poſtea: prædictis libertatibus, & privilegijs & gratijs, tantummodo illi Barones & Nobiles Terræ Lithvaniæ uti debent, quibus arma Nobilium Regni Poloniæ ſunt conceſſa, & cultores Chriſtianæ Religionis, Romanæ Eccleſiæ ſubjecti, & non Schiſmatici & infideles. Vivant igitur extorres honoris, dignitatis, vt JAGELLO

cavit,

cavit. Non in Senatu Regibus assideant, non in consilijs adsint, non inter Capitaneos patriam defendant, non Iudicum subsellia occupent, non Legationibus fungantur, contenti vivant suo exercitio religionis, quod sibi (ut falsò arrogant) leges permittunt. Non in civitatibus Consules, non Tribuni, non Ædiles, non Advocati, non Scabini sint, nisi ij, quorum corda luce veritatis Christianæ juxta Sanctæ Ecclesiæ Romanæ ritum præfulgent.

§. SECUNDUS
De Arianis.

REfloruit tandem sub JOANNE CASIMIRO IV. Rege avitus in DEUM, eiusq; veram fidem zelus, dum execranda Arianorum secta, ex Regno, & Provincijs ad illud spectantibus, illo zelante proscripta est, ob quem zelum pientissimus Rex ab ALEXANDRO VII. Papa titulum Orthodoxi Regis promeruit, de qua secta quid Statutum fuerit, ex fonte ipso, nempe ex Constitutionibus Regni, & imprimis *Anni 1658. fol: 1. refero.*

Quamvis semper jus commune non permittebat, ut secta Ariana, seu ut alij vocant Anabaptistarum in Dominijs nostris radices ageret, quia tamen fatali quodam Reipub: casu prænominata Secta non ita pridem in dominijs nostris, tam Poloniæ, quàm M. D. Lithvaniæ magis ac magis dilatatur, & serpere incipit, quæ Filio Dei Patris æternitatem subtrahit, reassumendo, & in suo robore conservando contra illos Statutum VLADISLAI JAGELLONIS Antecessoris Nostri de hæreticis, ex consensu omnium Ordinum statuimus: quòd si aliquis inveniatur talis, qui sectam hanc Ariani in Dominijs nostris, tam Regni, quàm M. D. Lithvaniæ, & in Provincijs ijsdem annexis audeat & præsumat profiteri, disseminare, aut prædicare, vel illam, & assertores ejusdem protegere & fovere, & super hoc sit convictus, talis quilibet præfato Statuto subiaceat, & absq; ulla mora per Capitaneos nostros, & Officia illorum, pœnâ colli puniatur, sub privatione Capitaneatûs. Fautoribus autem illorum, tanquam pro pœna perduellionis, forum in Tribunali, inter causas conservatas mixti fori assignamus, ad instantiam cuiuscunq;, prout Capitaneis & Officijs illorum. In Magno autem Ducatu Lithvaniæ in Tribu-

nali ejusdem Ducatûs, ex quovis Regestro. Volendo tamen clementiam nostram demonstrare, si aliquis reperiatur ejusmodi, qui hanc sectam nolit abjurare, tali ad divendenda bona sua, triennium concedimus, salvâ bonorum & personarum securitate, atq; debitorum repetitione, quo tempore nihilominus nulla exercitia sectæ suæ superiùs memoratæ celebrare debebit, & ad nulla munia publica immiscere se poterit. *sub pœnis superiùs expressis.*

Tandem per constitutionem *Anni 1659. fol: 1.* dictum tempus trium annorum ad divendenda bona illis concessum, ad duos annos restrictum est, sub rigore prioris constitutionis, hoc adjecto, quòd personis ad fidem Catholicam Romanam se convertentibus, nocere non debeat: salvis quoq; per omnia juribus Ecclesiæ Romanæ, & decretis Ducatûs Masoviæ.

Subsequenter successit *Constitutio Anni 1661. fol: 1.* per quam prædictæ constitutiones reassumptæ sunt, & ut ad executionem per Magistratus & Iudicia deducantur injunctum est. In magno autem Ducatu Lithvaniæ forum in Tribunali illius Ducatûs inter causas compositi judicij assignatum est.

Successit & alia *Anno Domini 1662. fol: 2.* in qua, constitutio *Anni 1658.* declarata est, quòd videlicet rigori illius, etiam fæminæ, vxores maritorum debeant subiacere. Nam licèt mariti fidem Catholicam amplexi sunt, uxores tamen in eiusmodi errore permanentes penes se fovent, cum ministris ejusdem sectæ conferentias habent, prolem in tali blasphemia instrui permittunt, & similes abusus contrarios juri non prohibent, ideo contra tales maritos dicta Constitutio *1658. de Fautoribus Arianorũ* extendi debet. Bona autẽ fæminarũ mobilia & immobilia, summæq; sive inscriptæ per modũ simplicis debiti, sive modo reformatorio illis servientes confiscentur, quorum medietas fisco, altera medietas delatori cedat; & cõtra tales fæminas, Capitanei & Magistratus, seu Officia executionem faciant. Et quoniam personæ virilis sexûs multæ in Dominijs nostris reperiuntur minimè curantes rigorem constitutionum præfatarum, de talibus Capitanei inquisitionem diligentem faciant, & habitâ super hoc notitiâ etiam sine delatore tales captivari faciant, & pœnâ colli, præviâ inquisitione puniant. Quodsi Capitaneus remissus sit in executione contra aliquam personam, tunc etiam cuivis privato talem blasphemum capere, & ad Officium Castrense quodlibet, vel ad Tribunal tradere, liberum erit. Ex quo executio debet fieri à Capitaneis sub pœna privationis Capitaneatûs inter causas mixti fo-

ri in Tribunali Regni ex speciali Regestro vindicanda. Et si aliquis summis pecuniarijs intra vel extra Regnum aliquem Arianum juvet, aut bona aliqua in concredito teneat, aut illum sub specie Arendæ in bonis suis, sive alio modo conservet, contra talem sive sit Spiritualis sive Sæcularis inter causas mixti fori ex speciali Regestro pro pœnis contra Fautores sancitis procedere liberum erit, quam constitutionem & M. D. Lithvaniæ acceptavit, cum præfixione fori in Tribunali suo inter causas compositi judicij, quæ constitutio 1662, de Arianis & Fautoribus eorum, reassumpta est, *Anno* 1670. *fol:* 20. In quibus constitutionibus *Anni 1661. & 1662.* Serenissimus is idem Rex palam fatetur & agnoscit, quòd hunc eius zelum, Supremus omnium Regnorum Rector, felicissimis successibus, contra Moschos, aliosq; potentissimos hostes benedixit.

Ideo enim (ut inquit Lactantius lib: 5. instit: cap: 8.) mala omnia rebus humanis quotidie ingravescunt, quia DEUS huius mundi effector & gubernator derelictus est, quia susceptæ sunt, contra, quàm fas est, impiæ religiones.

Hinc & Isocrates ad Nicoclem Regem scribens, eiq; de Regno conservando præcepta tradens, eiusmodi monitum transmisit: Religionem, quam à majoribus accepisti conserva, solenneq; & pulcherrimum, sacrificium cultumq; maximum existima, si ipse sis optimus & justissimus. Major spes est eiusmodi boni aliquid à Dijs impetraturos, quàm qui aras, delubraq; ædificant.

In constit: *Anni 1638. fol.* 44. de Religione Catholica Romana, in civitatibus Prussiæ cautum est *his verbis:* Expositum est coram Nobis, quòd in nonnullis civitatibus & oppidis Prussiæ, multa impedimenta fiunt in exercitio Religionis Catholicæ Romanæ; ideo cavemus consensu omnium Ordinum, ne in posterum, aliquis sive ex Magistratu, sive ex privatis præpediat homines antiquæ Religionis Catholicæ, in ceremonijs & devotione sua, in emptione lapidearum, domorum, receptione ad contubernia, sub pœna quingentorum aureorum: respectu cuius pœnæ, forum post Curiam assignatur, salvis juribus & privilegijs Civitatum legitimè obtentis. In pactis quoq; Olivensibus *Anno Domini 1661. fol: 43. art: 2. §. 3.* id cautum, ut in civitatibus Regalis Prussiæ, quæ in possessione suæ Regiæ Majestatis, Regniq; Sueciæ hoc bello fuerunt, manebunt itidem omnia jura, libertates, privilegia, quibus sive in Ecclesiasticis sive in profanis potitæ sunt ante hoc bellum (salvo libero, uti ante bellum hoc viguit, in prædictis Civitatibus Catholicæ &

Evangelicæ religionis exercitio) earumq; Territoria, Magiſtratus, communitates, cives, incolas, & ſubditos S.R. M. Poloniæ, eâdem, quâ olim clemẽtiâ, & gratiâ Regiâ in poſterum proſequetur, fovebit, & tuebitur. Folio autẽ 45. ibidem cautum eſt, quoad Religionem Catholicam eiuſq; exercitium in Livonia Sueciæ poſſeſſionis, omnes incolæ Livoniæ, ſubditiq; illi Religioni addicti, omni ſecuritate gaudeant, ac conſcientiâ liberâ, Religione, devotioneq; ſuâ, domi ſine inquiſitione vel animadverſione, privatim utantur. *In Confæderatione generali Varſav: Anno 1696. die 29. Auguſti* §. **O zachowaniu/** *inter diſſidentes ſic ſtatutum eſt.* de conſervatione inter diſſidentes firmæ pacis, antiqua jura & Confœderationes, præcipuè Confœderationem Varſav: Anni 1674. in toto reaſſumimus, & memoratos diſſidentes inviolabiliter conſervabimus. Salvo jure & exceptis Ducatûs Maſoviæ, Religionis Græcæ tam unitorum, quàm diſunitorum in Regno & M. D, L. exiſtentium hominibus, omnes antecedentium Interregnorum Confœderationes reaſſumendo, ſpondemus, quòd illos circa jura & privilegia tuebimur, & conſervabimus. Ariani autem & Apoſtatæ, necnon Menoniſtæ, ab hac Confœderatione excluduntur. Hæc de Iure Regni.

De jure autem Regni Spirituali, id in Conſtitutionibus Provincialibus connotatum eſt. Et in primis *lib:1 f:7. ſub tit: de fidei unitate tenenda, in Synodo Petricovienſi Anno Domini 1578.* Quia profeſſioni fidei nihil magis adverſatur, quàm fœdus illud tempore Interregni, ante electionem Sereniſſimi Regis HENRICI, in Convocatione Varſavien: conceptum; propterea ad exonerandas conſcientias, & puritatem fidei Chriſtianæ conſervandam, apertè Sacra Synodus profitetur, fœdus illud reclamantibus ordine Eccleſiaſtico, & Catholicis, & contra piam ipſius Regis voluntatem, ut poſtea publicè & privatim declaravit, factum (quo permiſſa fuit in hoc Regno licentia credendi quid quiſq; velit, ſine ulla cuiuſq; Officij coërcione) eſſe illicitum: cum morte & inferno, (ut dicit Iſaias) percuſſum, contra divinas leges, contra Canones ſacros, contra communes leges ſanctiſſimè inſtitutas, contra anterius totius Regni fœdus, & Regni Regumq; Poloniæ ſanctiſſimas & pijſſimas conſtitutiones (quæ dum obſervatæ fuerunt, fides ſincera & inviolata permanſit, ac earum obſervantia remiſſa, Hæreſes pullularunt) contra rationem ipſius juramenti, & in confuſionem Eccleſiæ Chriſtianæ, in peſſimum & perniciosum exemplum, in perniciem Eccleſiæ & fidelium, in finem fovendorum atq; agendorum diſſidiorum, blaſphemiarumq;

& ad

& ad scindendam pacem, & unitatem veræ fidei Catholicæ, & inconsutilis tunicæ, hoc est Ecclesiæ JESU Christi, quæ una sola est, quam nisi quis inviolabiliter servaverit, salvus esse non poterit; contra ipsam postremò rationem, cùm nec ipsa rerum natura ferat duas de eadem re contrarias doctrinas veras esse. Ne tali permissione juratâ & usurpatione, veritas fidei Catholicæ, quoquomodo in dubium vocari videatur, & eorum doctrinæ inter se alioquin pugnantes, quàm nostra sibi perpetuò constans, veriores existimentur. His & alijs causis, uti antea nunquam ordo Ecclesiasticus & Catholici consenserunt, quinimo omni loco, & tempore, tam in Gallia, quàm postea in Coronatione Regis HENRICI; itemq; post Serenissimi Regis STEPHANI laudatæ memoriæ electionem, & in Andreoviensi Conventu, & in Coronatione repetendo & commemorando, contradicebant, & sollenniter protestabantur: ita & nunc eadem sancta Synodus, approbando omnes ejusmodi superiores protestationes, declarat huiusmodi fœdus & pactum esse contra DEUM, paciq; & unitati Fidei Christianæ contrarium & perniciosum: de quo coram DEO & Angelis ejus solenniter protestatur, contradicit, illudq; anathematizat. Si quis autem cuiuscunq; tandem statûs aut conditionis, prædictum fœdus approbare, tueri, defendere, aut illi consentire velit, hic, authoritate huius sanctæ Synodi, Spiritualis quidem, anathema declaratur, ac ab Officio suspensus, beneficio quoq; privatus esse decernitur. Secularis verò, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat.

Jdem in Constitutione Provinciali Gembiciana *fol: 3, sub tit: de professione fidei Anno Domini 1621. Petricoviæ celebrata, in illis verbis:* Atq; inhærendo Decreto Synodi Provincialis Anno 1577. de unitate fidei tenenda promulgato, impiam & execrabilem per Interregna Ecclesiastico Ordine universo, & non exigua parte sæcularis protestante, invectam libertatem credendo, quod quisq; velit detestati & execrati sunt.

Jn Constitutione Provinciali Węzykowiana prima *Petricoviæ Anno Domini 1628. celebrata, fol: 93. sub tit, de ministris hæreticorum habetur.* Quia relatum est Synodo præsenti ex vicinis provincijs multos hæreticorum ministros, homines vagos & extraneos in Regnum hoc confluere, ideo præsens Synodus pro officij sui debito fidei Catholicæ integritati consulendo, monet DD. ordinarios, ut unusquisq; in sua Diœcesi provideat & occurrat, ne hæreses latiùs serpant, & oves sibi commissæ hâc labe inficiantur. Et insuper per

suos Nuntios supplicabit Synodus suæ Majestati in proximis Comitijs, ut pro sua pietate provideat, ne blasphemijs & impietate hæresum ira Dei magis in Patriam nostram provocetur.

Ad hæc, *lib: 4. Constitutionum Provincialium fol: 262. habetur.* Ne hæretici scholas erigant, in illis verbis. Quod autem ad scholas alias particulares attinet, injungit sacra Synodus Dominis locorum Ordinarijs, vt Statuta provincialia vetera & nova, quæ de illis clarè disponunt, diligenter exequantur, atq; illis juxta eadem Statuta provideant, & scholas Kozminensem, Seceminensem, Pinczoviensem, aliasq; illis similes, per novatores hæresum recens erectas, cum earum pedagogis, & Pseudomagistris juventutem corrumpentibus, explodi, & proscribi authoritate Regiâ procurent.

Jn Synodo verò prædicta Macieioviana, *fol: 6. sub titulo, de libertatibus & Iuribus Ecclesiæ tuendis, Illustrissimis Loci-ordinarijs modus agendi præscribitur.* Animadvertens sancta Synodus, in proximè præteritis Comitijs Regni, contra jura antiqua, & libertates Ecclesiasticas, constitutiones aliquas conditas & evulgatas esse: hortata est Reverendissimos Dominos Archiepiscopos, & Episcopos, ut quemadmodum multi ex sæcularibus quærunt modos, quibus certas constitutiones in ijsdem Comitijs sancitas corrigere, vel in totum abrogare in futuris comitijs possint, ita & ipsi sedulam adhibeant curam, & diligentiã, tum apud Sacram Majestatem Regiã, tum apud Ordines Regni, ut constitutiones huiusmodi, contra Ecclesiæ jura & privilegia latæ, in proximè futuris Comitijs abrogentur, præsertim cùm Reverendissimi Domini Archiepiscopi & Episcopi in ejusmodi leges novas consentire non potuerint, nec se consensisse affirment, & publicè protestentur.

Jdem in dicta Constitutione Gembiciana *fol: 14. statuitur, dum inquit.* Cùm Ecclesiastica ad ministros Ecclesiæ, & immunitas ad bonorum possesionem fructusq; pertinens, Dei ordinatione, summorum Pontificum Decretis, & sanctorum Conciliorum authoritate stabilita, atq; in hoc Regno debitè observata, nullâ ratione violari à quoquam debeat: Proinde, quòd de summa impietate & justitia Sacræ Regiæ Majestatis Synodus maximè confidit, dubitare non possumus, quin reliqui Magistratus Provinciæ, exemplo pientissimi Regis, quem DEVS sanctæ fidei, Ecclesiæq; suæ, in hoc amplissimo Regno Defensorem & Protectorem, singulari providentiâ constituit, libertatem & immunitatem Ecclesiasticam conservare integram studeant, & quæ Ecclesiastici juris sunt, ea tanquam Dei ipsius

ptius munita præsidio sanctè tueantur. Quod ut ita fiat, Episcopi præcipua pars Senatûs Regni, cujus Princeps est Archiepiscopus Gnesnensis, pro officij sui munere obligantur in conscientia, providere, ne quid contra libertates, jura, immunitates, & privilegia Ecclesiastica, in Comitijs Regni statuatur. Et cùm non deceat Ecclesiasticos in hoc superiori à sœcularibus, qui asq; ullo respectu metuvè invidiæ aut cuiusvis potentiæ tam anxiè, sollicitè, & efficaciter jura sua, & libertates tuentur; multò magis convenit Episcopis Christum apertè confiteri, & strenuè causam Dei agere; ideoq; si quid ordine Ecclesiastico invito pro lege habendum à sæcularibus decernatur, conjunctim operam Metropolitano suo & Primati ad tuenda jura Ecclesiæ præstent, & non modò circa conclusionem Comitiorum protestentur se eâ lege, quæ non de publico omnium consensu ferretur, non teneri, verùm etiam ad Acta Regni publica relatam protestatione singuli in Diœcesibus per Decanatus Rurales Clero suo intiment & publicari mandent, per processum; non tamen ex ambona: ad eum effectum, ut Clerus præmoneatur se ad ejusmodi præjudicialium legum observantiam non obligari, & Confessarij præsertim nonnulli Regulares, qui per indulgentiam nimiam aut alia de causa, Nobiles à quibusvis criminibus absolvunt, nôrint probè examinare conscientias illorum, qui constitutiones libertati Ecclesiasticæ contrarias, in Comitijs promovent, & Clerum, inauditâ causâ, per injuriam, aut invidiam oppugnant. Quamobrē præsentis Synodi auctoritate, omnes sacros Canones, & Apostolicas sanctiones, in favorem Ecclesiasticarum personarum, libertatis Ecclesiasticæ & contra eius violatores edictas: omnia item superiorum temporum Provincialia statuta in hac materia de immunitate Ecclesiarum sancita, ab omnibus exactè servari præcipimus. *Hucusq; verba Constitutionis Synodalis.*

Jn Constitutione Provinciali Lubiniana *fol: 10. de ministris hæreticorum ad Ecclesiam & fidem Catholicam Romanam conversorum hoc habetur.* Non minor, quàm captivorum habenda est cura ministrorum hæresim ejurantium, ut rerum ad usum necessariarum sufficientia & conversis omnem pœnitentiæ vel saltim tentationis occasionem subtrahat, & ad conversionem proclives ad Matris Ecclesiæ gremium alliciat & impellat, maximè cùm multi non contumacia voluntatis, sed famis, & inopiæ metu in errore dicantur persistere, putenturq; non difficile hæresim detestaturi, si suis vitæ & victûs rationibus ab Ecclesia prospectum esse videant. Proinde

Jllustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi & Episcopi Catholicæ Religionis & perditarum animarum, charitatisq; proximi ardore, promiserunt se, in sua quemq; Diœcesi de congrua & convenienti reconciliatorum Ecclesiæ Romanæ ministrorum sustentatione, pro statu & conditione cujusq;, provisuros. Ac inprimis ex residuo relictæ hæreditatis Jllustrissimi & Reverendissimi Domini Jacobi Zadzik Episcopi Cracoviensis, quam ille Vir propagandi honoris Divini studiosissimus, & æternâ memoriâ dignus, in pios usus & pauperum subsidium effundi voluit, Jllustrissimus & Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Gnesnensis, uti primarius ejus testamenti Executor, accedente aliorum Executorum consensu, suasu multorum Jllustrium Virorum centum millia florenorum, ad sustentationem redeuntium ad Ecclesiam Catholicam ministrorum assignavit, nimirum: ut præfatis centum millibus florenorum, in bonis Terrestribus ex censu reemptionali collatorum, census ab eis proveniens, primò & præcipuè inter ministros hæresim ejurantes, tum etiam inter alios, qui relicto errore, ad Ecclesiam Catholicam redibunt, quotannis distribuatur. Cujus quidem rei cura, Venerabili Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis commissa & demandata est.

§. TERTIUS
De Religione Græca.


On minus negotium Religio Græca (quàm Rusi circa annum 980. susceperunt. *teste Cromero lib: 3. folio apud me 45.*) Reipub: nostræ, ob continuas inter Schismaticos & Unitos rixas & altercationes fecit. Et ut Lubienscius in monitis de gerendo Episcopatu *fol: 253. testatur,* dissidentibus subsidium maximum præbuerunt, adeo; ut absq; Ruthenis Græco Schismati addictis, vix in publico comparere auderent; de his itaq; quid constitutum sit, per series annorum referam.

Et inprimis in Confœderatione generali Varsavien: *Anno Domini 1573. fol: 209.* §. **Wszakże** *cautum est*, ut beneficia Ecclesiarum Græcarum ejusdem religionis hominibus conferantur.

Jn constitutione *Anni 1576. fol: 294.* § **O tosz**. Quòd dignitates græcæ Religionis nobilibus illarum terrarum conferentur, æternis temporibus obtinuerunt.

Jn

Jn constitutione *Anni 1588. fol: 469. sub tit:* **O dobrách Kościelnych** data est illis facultas, bona **Władyctw** & **Monastérow** injustè alienata in judicio Terrestri vindicandi.

Jn Constitutione *Anni 1607. fol: 840.* promissum est illis, quòd dignitates Religionis Græcæ nonnisi Nobilibus gentis Ruthenæ & merè Religionis Græcæ conferentur, & liberum exercitium suæ Religionis habebunt. Duo tamen beneficia uni non conferentur, sed Metropoliticum Metropolitæ, **Władyctwá Władykom/ Archimádryctwá Archimedrytom/** & sic subsequenter, tenens autem protunc beneficia duo, unum ex illis intra spatium unius anni resignabit sub pœna mille marcarũ delatori solvenda, pro qua Forum assignatum est in Comitijs ad instantiam Nuntiorum Terrestrium. Processus omnes, bannitiones contra personas spirituales in quocunq; judicio Regni, vel M. D. Lithvaniæ cassatæ. Confraternitates **Czerkiewne** Religionis Græcæ penes jura & Privilegia sua conservatæ sunt: Et de alienatione bonorum **Czerkiewnych od Czerkiew** constitutio *Anni 1588.* reassumpta est.

Sed mox ad solitas controversias deventum est, quarum cognitio & compositio, cùm ob multitudinem negotiorum in constitutione *Anni 1609. fol: 893.* non posset fieri, ad Comitia proxima rejecta est. Et ut interea mutua pax, tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithuaniæ conservetur, pœna decem millium florenorum statuta est, Forum in Tribunali; quodsi una pars, alteri parti à Comitijs præteritis violenter, aut aliquo alio modo aliquid ademit, in Tribunali, in judicio compositi Iudicij conveniatur.

Jn constitutione *Anno Domini 1618. fol: 5.* hæc eadem compositio ad futura Comitia rejecta est. Et ut intra hoc tempus mutua pax inter Spirituales & Sæculares conservetur, nec in devotionibus solitis ritûs sui impediantur, vel ad eam facto vel jure cogantur, cautum est.

Jn Constitutione *Anni 1620. fol. 20.* constitutio prædicta *Anni 1607.* reassumpta est.

Jn constitutione *Anni 1623. fol: 6.* Pacificatio hæc ad futura Comitia suspensa est. Et intra hoc tempus pax abutrinq; tam Spiritualibus, quàm sæcularibus, cuiuscunq; statûs & conditionis conservabitur.

Processus tamen omnes, tam post Curiam, quàm Commissoriales, Decreta, bannitiones, sequestra, suspensiones, ratione diversitatis in Religione, si abutrinq; intercesserint, cassantur.

In constitutione *Anni Domini 1627. fol: 9.* eadem dilatio facta est. Similiter & in constitutione *Anni 1631. fol: 5.* Hoc adiecto sequenti titulo ibidem, quòd bona Ecclesiarum aut **Władykow/ Cerkwi Greckich** post mortem illorum invadentes & diripientes contra tales uti violatores & invasores ut Capitula, Episcopi vel Administratores post expeditum prævia citatione scrutinium in proximis judicijs Terrestribus vel Castrensibus ejusdem Districtûs, ubi crimen factum est, in Tribunali inter causas feriæ sextæ, in judicio Compositi Iudicij, idq; in quocunq; Palatinatu & Districtu, vel conservatus, in duabus ex remissione illius judicij, in quo scrutinium peractum est, agant. Et constito de crimine, inculpatus, sive scrutinium suum expediverit, sive non, inprimis pœnâ trium millium marcarum, per medium parti, & judicio puniatur. Deinde taxam in citatione expressam reponat, & damna omnia in instanti sub pœna infamiæ refundat, & in bonis omnibus Rei ex nunc exequatur. Quæ pœna & forum extensum est contra illos, qui auderent de facto bona Ecclesiastica tenere, inequitare, aut apud sacram Regiam Maiestatem ad malè narrata impetrare. Causæ tamen Granicierum & simplicis iniuriæ, à rigore istius constitutionis, exemptæ sunt.

In Confœderatione generali Varsavien: omnium Ordinum *Anno Domini 1632. non procul à fine §* **w Religiey Greckiey/** certum inter se scriptum, mediante Serenissimo Rege Sueciæ, & Deputatis ex Senatu, & Equestri Ordine confectum & à Serenissimo Rege Sueciæ subscriptum, & sigillo eiusdem munitum fecerunt, & ad se utraq; pars recepit, ad effectum conferendi cum Fratribus.

Subsequenter in Comitijs Coronationis VLADISLAI IV. *Anno Domini 1633. fol: 15.* idem Serenissimus Rex diploma certum Incolis Regni, & M. D. Lithvaniæ Religionis Græcæ non existentibus, in unione cum subscriptione sua, & Deputatorum tam ex Senatu, quàm Equestri Ordine, cum appositione sigillorum Regni, & M. D. Lithvaniæ dedit ad firmam in futuris Comitijs sex septimanarum pacificationem.

In eadem constitutione *fol: 23.* declaratio constitutionis *Anni 1631.* declarata est, quòd solùm debeat extendi ad bona **Władykow Czerkiew**.

Prædicta itaq; concordia inter vnitos, & non unitos inita, per constitutionem, *Anni 1635. fol: 11.* in perpetuum approbata est. Processus omnes & litispendentiæ occasione ejusdem Religionis Græcæ abo-

cæ abolitæ, & vadium in casu contraventionis, in constitutione *Anni Domini 1609.* (hoc est decem millium florenorum) reassumptum est.

Jn constitutione *Anni Domini 1638. fol: 12.* Constit: dicta *Anni 1635.* reassumpta, & ne in posterum decreta tam Tribunalis Regni, quàm Ducatûs Lithvaniœ, quæ vim legis sapiunt non ferantur, reassumendo *constit: Anni 1627.* Sed post breve tempus, antiquum odium recruduit, monasteria & bona ad illa spectantia occupata, plurimæ aliæ injuriæ illatæ, & processus judiciales occasione præmissorum formati; liberum exercitium non unitis prohibitum; ideò Constitutione *Anni 1641. fol: 6.* omnes processus occasione religionis, (non autem violentiarum, & quæ vim legis sapiunt) inter Spirituales & Sœculares cujuscunq; conditionis tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithvaniæ abutrinq; decreta, bannitiones, sequestra, suspensiones, ad futura Comitia sex septimanarum suspensa sunt, in quibus Comitijs, prævia adcitatione, cognitio facienda promissa est. Et ne eiusmodi causæ amplius Rempub: turbent, in omnibus causis criminalibus, Sæcularibus & Spiritualibus, in Comitijs Regni ex Regestro speciali causarum criminalium; in Magno autẽ Ducatu Lithvaniæ in Tribunali illorum, seu Rota magna forum citatis non unitis, unitis autem citatis, ita, sicut & in Comitijs Regni assignatum est. Jn causis autem **Czerkiew/** respectu occupationis **Czerkiew/** & bonorum illorum, forum Iudicium Relationum, prævia inquisitione in proprio Iudicio Castrensi, vel Terrestri. Quâ peractâ inquisitione, judicium illud, non descendendo in cognitionem causæ, & prolationem decreti, causam cum toto suo effectu ad Iudicium Regium Relationum, termino præfixo in sex septimanis remittat, pro cognitione & decisione, quâ factâ absq; mora juxta constitutionem 1635, pro finali executione ad judicium Castrense competens remittetur.

Jn eadem constitutione *Anni 1641. fol: 7.* Sylvester Hulewicz Vladica Præmisliensis & complices, sublato decreto pœnæ infamiæ contra illos lato, ad pristinum honoris statum restituti sunt, cum ista tamen conditione, ut **Władyctwo** Præmisliense cum Monasterio S. Spasa cum omnibus bonis ad illud pertinentibus perpetuis temporibus penes unitos remaneat. Monasterium autem S. Honofri cum villa **Nagutká/** Monasterium Laura, cum Villa **Láwrowa.** Similiter Monasterium **Smolnicá** perpetuis temporibus remaneant penes disunitos, & post mortem moderni Vladicæ Vniti, Villa

Sehymnie adjungatur, non derogando in reliquis punctis, in felici electione Regia factis & conscriptis. Post mortem autem moderni Hulewicz Vladicæ non uniti, in prædictis Monasterijs, Archimandrita constituatur, & Vladica vnitus sit.

In constitutione *Anni Domini 1647. fol: 3.* omnia jura genti Russicæ Religionis Græcæ servientia, ad executionem sine mora, juxta puncta in felici electione Serenissimi Regis conscripta, ut deducantur, Cōmissarij authoritate Comitiali assignati, tam ex Regno, quàm ex Ducatu Lithvaniæ salvâ constitutione *Anni 1641.* respectu Vladicæ Præmisliensis.

Jn eadem constitutione *fol: 19. sub tit:* **O Duchownych**, cautum est, vt in posterum hæredes bonorum, jus collationis & præsentationis **Swieszczennikow do Czerkiew** in suis bonis habeāt. In bonis autem Regalibus Tenutarij eorundem bonorū eosdem præsentent, salvis majoribus beneficijs, ad quæ jus nominandi S. R. Majestati conservatum. Item cautum est, ne Vladicæ **Szwieszczennikow** ad labores & vecturas adigant, nec ab illis contributiones aliquas exigant.

Jn constitutione *Anni 1653. fol: 26.* Respectu **Władyctwa Przemyskiego** promissa est pacificatio, in exortis differentijs, & prætensionibus.

Jn constitutione *Anni Domini 1654. fol: 16.* Dictæ controversiæ respectu **Władyctwa Przemyskiego** ad futura comitia sex septimanarum suspensæ sunt.

Jn constitutione *Anni Domini 1658.* respectu eiusdem Præmisliensis **Władyctwá** negotium ad futura Comitia dilatum est, & ut uterq; Vladica pro eodem tempore cum suis documentis compareant, sub pœna amissionis causæ. Interea temporis omnes processus ratione bonorum inter partes intercedentes, condemnationes, bannitiones, infamiæ, sive directè, sive ex obiectionibus obtentæ suspensæ sunt, & locus standi in quolibet foro abutrinq; concessus est; & ut nullus eorum ad obedientiam præstandam cogat.

Jn constitutione *Anni Domini 1659. fol: 41.* statutum est, quoniam in Comitijs præsentibus negotium **Władyctwá Przemyskiego** non potest pacificari, post eadem comitia unius septimanæ eiusmodi pacificatio promissa. Processus, condemnationes omnes ex occasione ejusmodi Vladicatûs, super aliqua persona cuiuscunq; statûs & conditionis, in quocunq; officio & judicio Regni obtentæ, cassatæ; Ratione autem violentiarum & prætensionum juxta Constitutionem *Anni 1641.* forum in Comitijs assignatum est. *Idem fol:*

54

54. Commiſſio reſpectu bonorum **Czerkiew/ Monáſterow/** tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithvaniæ exiſtentium decernitur, & pœna contra refractarios violationis Pactorum ſtatuta. *Idem fol: 55.* Spirituales Religionis Græcæ, tam in bonis Regalibus, Spiritualibus, & Nobilium in Regno & Magno Ducatu Lithvaniæ & Ruſſia ab omni ſubjectione, contributionibus liberantur, & ut ſub Iuriſdictione Paſtorum ſuorum remaneant, ſtatutum eſt.

Jn conſtitutione *Anni 1667. fol: 17.* **Czerkwie** tam Vnitorum, quàm non Vnitorum, tam in Regno, quàm Magno Ducatu Lithvaniæ, ab omnibus contributionibus tam præteritis, quàm futuris liberantur. condemnationes omnes contra exactores in quocunq; ſubſellio obtentæ caſſantur.

Jn conſtitutione *Anni 1676. fol.* 28. quoniam **Czerkwie** Ritûs Græci Vnitorum in Terra Drohicenſi, per calamitatem temporum, in ſchiſma ſunt converſæ, cum præjudicio Religionis unitò Græcæ & collatorum, ad diſquirendum hocce negotium commiſſio deſtinata eſt, ut non obſtante nonnullorum Commiſſariorum abſentiâ, præmiſſis tamen literis innoteſcentialibus ad requiſitionem cujuſvis collatoris, cum præfixione termini partibus jura & privilegia revideant, & inquiſitionem ejuſmodi ad futura Comitia remittant, pro finali deciſione ad inſtantiam Nuntiorum eiuſdem Terræ facienda.

Jn eadem conſtitutione *fol: 28.* cautum eſt, quoniam homines ſub prætextu Religionis Græco-*Ruthenæ* & appellationum, ad Patriarcham Conſtantinopolitanum ſolent diſcedere, ut informent de ſtatu rerum in Regno, ut nemo tam Sæcularium, quàm Spiritualium diſcedere, vel mittere, aut ex illis partibus ad Regnum venire audeat, ſine expreſſo conſenſu Regio & literis paſsûs, ſub pœna colli, & confiſcationis bonorum prohibitum eſt, & Capitaneis limitaneis, Præfectiſq; *Regijs* cura hujus damandata eſt. Confraternitates, ut juriſdictionem Vladicarum ſuorum agnoſcant, nec ad Patriarcham Conſtantinopolitanum recurrant, ſub pœnis ſupraſcriptis cautum eſt. ſalvâ appellatione gravatis ab judicio Vladicarum ad Iudicia Regia Relationum. Jn conſtit: *Anni 1677. fol:* 10. pacificatio Religionis Græcæ ad futura Comitia dilata.

Jn conſtitutione *Anni 1678. fol: 24.* Cauſa reſpectu **Czerkiew** diſunitorum Terræ Drohycenſis & Bielſcenſis incœpta, ad futura Comitia rejecta, *vide ibidem fol: 41.* ubi negotium Religionis Græcæ ad

futura Comitia dilatum, & interea in causis forum in judicijs Regijs Relationum destinatum.

In constitutione *Anni 1680. fol: 18.* Restitutio bonorum **Pe-rechyskie do Cзerkwie** Cathedralis Haliciensis, Kryroviensi cum immunitatibus facta.

In commissione Hadiacensi *Anno Domini 1658.* per Commissarios à Repub: deputatos facta, prout jam videre licet in constitutione *Anni 1659. fol: 49.* & per constitutionem *Anni 1659. fol: 54.* in omnibus paragraphis, declarationibus; prout in se sonat approbata & pro lege perpetua sancita, salvis pactis cum Principe Brandeburgico, id firmatum erat, ut non uniti liberum exercitium Religionis suæ & ceremoniarum, sepulturæ, habeant, sitq; illis liberũ erigere nova Monasteria, restaurare antiqua, omniaq; bona ad Monasteria ipsorum antiquitus spectantia restituantur. Neve Domini hæreditarij, vel bonorum Regalium Tenutarij fidei Romanæ, aliquã jurisdictionem in eorum Religiosos exerceant. Metropolitano Kijoviensi, cum Vladicis, Luceoriensi, Præmisliensi, Mscislaviensi, Chełmensi locus in Senatu,cum prærogativis & usu liberæ vocis sicut Episcopis ritûs Romani concessus. Et quidem Metropolitano Kijoviensi post Archiepiscopum Leopoliensem, Vladicis autem post Episcopos ritûs Romani suorum Palatinatuum assignatus est. In civitatibus tam Regni, quàm Magni Ducatûs Lithvaniæ, cives ritûs *Græci* ad Magistratus admittantur, *æ*qualibusq; libertatibus & prærogativis prout Catholici gaudeant. In Palatinatu Kijoviensi dignitates Senatoriæ tantùm Nobilibus ritûs *Græci*, capacibus ejusmodi dignitatum, conferantur.In Palatinatibus autem Bracłaviensi & Czerniechoviensi ejusmodi *præ*eminentiæ Senatoriæ alternatim conferantur, hoc est: post decessum Senatoris *Græci*, succedat ritûs Romani, &sic alternatim, in omnibus tamẽ prædictis tribus Palatinatibus natis ibidẽ & possessionatis bene. In Civitate Kijoviensi Academiã erigẽdi data facultas, vtq; gaudeat ijsdẽ prærogativis & libertatib⁹, prout Academia Cracoviensis. Similiter & alterã, ubi locus commod⁹ videbitur, cum ista tamen conditione, ut in his Academijs *Magistri* & Professores non sint sectæ Arianæ, Calvinianæ, Lutheranæ,neq; studiosi. Typographiæ similiter concessæ,ne quid tamẽ in illis imprimatur contra S. *R.* Majestatem. Exercitium *Romanæ* fidei concessum est liberum in Palatinatu Kijoviensi, Bracławiensi & Czerniechoviensi. vide plura in eadem commissione, primò ne Schismatici publica gerant officia, secundò, quòd *Rutheni* ad fidem *Romanæ* Ecclesiæ

con-

converſi ad ritum ſuum veterem impunè redeunt, & rebaptizantur, matrimonia cum Orthodoxis contrahunt, & cum illis cohabitant, dum interdictum Eccleſiaſticum ab illis, uti meritò debet, ſervatur, illi campanas pulſant, proceſſiones ſuas, & ceremonias publicè exercent: Vladicatus Leopolienſis, qui antea non erat, de novo eſt inſtitutus, ideo reſpectu horum agendum eſſe cum S. *R.* Majeſtate cenſuit.

De unione Ruthenorum ritûs Græci cum Eccleſia Romana promovenda, hæc in Conſtitutionibus noſtris Provincialibus habentur.

ET inprimis, in Macieioviana *fol: 14. Anno Domini 1607.* Cùm DEUS ſit pacis & non diviſionis auctor, Filiuſq; Dei in hoc venerit in mundum, ut utraq; faceret vnum; docet ſancta Synodus inveniri aliquos, qui vnionem *R*uthenorum ritûs Græci, cum Sancta *R*omana Eccleſia, à majoribus ſuis diu expetitam, & antiquis privilegijs firmatam, noſtriſq; demum temporibus quaſi poſtliminio reverſam, oppugnare, ac quantum in illis eſt, impedire conantur: Monendos proinde eſſe omnes Catholicos cenſuit, monetq; ac in remiſſionem peccatorum eiſdem iniungit, ut hoc negotium ſanctæ Unionis omni favore proſequantur, promoveant, tueantur. Statuitq; præterea, ut Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, auctoritatē ſuam apud Regiam Majeſtatem, atq; univerſos Ordines Regni interponant, & ſedulò curent, ut conſtitutio in generalibus Comitijs nuper celebratis, contra jura antiqua & immunitates eorundem Ruthenorum, in unione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ exiſtentium, ſancita, inq; magnum præjudicium Reverendiſſimi Domini Hiparij Pociey Metropolitæ Kijovienſis, cuius indefeſſum ſtudium in promovenda ſancta vnione, atq; egregia in Eccleſiam Dei merita proſpectiſſima ſunt omnibus, lata abrogetur.

Deinde *Anno Domini 1643.* in Conſtitutione Provinciali Lubiniana, dicta conſtitutio Maciejoviana reaſſumpta eſt, *fol: 26. his verbis:* Conſtitutionem Maciejovianam, quæ ſchiſmate Græco diviſam Chriſti Eccleſiam unire cupit & ſatagit, & ad Paſtoris Paſtorum votum & gloriam, Ruthenorum Eccleſiæ cum Romana unionem promovendam omniq; favore proſequendam, cenſuit præſens Concilium renovare, & ritûs Græci Sacerdotum & Clericorum percuſ-

ſores *in Can: Si quis &c.* incidere, nec à Confeſſarijs Latini ritûs ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ authoritate & licentia abſolvi poſſe declarat, juxta tamen juris communis diſpoſitionem; ac ſuæ Sanctitati ſupplicat, ut quod jam olim Romana deſideravit Eccleſia, magnoq; ad vnionem adiumento fore putatur, Calendario Gregoriano Ruthenis uti liceat.

Porro, ut quâ charitate Clerus Romanus Ruthenos unitos complectitur, eandem ipſi Clero Romano exhibeât, monitos eſſe vult, monetq; ſacra Synodus, ne prærogativas & jura Epiſcoporum Cleriq; Romani ſibi uſurpent, aut impediant, utq; ab Jlluſtriſſimorū titulis abſtineant, torquibus aureis nonniſi ad Miſſam utantur, Monaſticum habitum S. Baſilij deferant, decimas Latino Clero nefas eſſe ſolvi aut reddi, non doceant, neq; à ſuis Popis doceri permittant; nec quidquam quod juribus Latinorum Sacerdotum præjudicet committant. Quodſi in aliquo præmiſſorum vel ſimilium deliquerint, coram Jlluſtriſſimo Domino Commiſſario à Sede Apoſtolica deputando, conventi reſpondere, judicatumq; pati tenebuntur.

§ QUARTUS
De Judæis.



Ulta Privilegia libertatis & juris, hæc gens infidelis à Ducibus & Regibus Poloniæ obtinuerat, quæ Laſcius, Herburtus, & Ianuſovius in Statutis ſuis connotaverant. Et imprimis Boleslaus Dux Majoris Poloniæ, Proavus CASIMIRI Regis, *Caliſſij in craſtino Aſſumptionis B. M. V. Anno Domini 1264.* privilegium edidit, quod, prænominatus CASIMIRUS Magnus Rex, Pronepos dicti Boleslai Ducis. *Anno Domini 1343. die Beatorum Dyoniſij & Sociorum,* poſtea confirmavit. Tandem ALEXANDER Rex Poloniæ non illud quidem confirmavit confirmatione ſpeciali, ſed ſolùm ad cautelam defenſionis contra Iudæos, privilegijs Regni in codicem privilegiorum & ſtatutorum congeſtis, adſcribi mandavit, *ut Herbur: ſub verbo Iudæi, fol: 233. Ianuſovius in Statuto ſuo lib: 10. tit: de Iudæis fol: 1115.*

1. Et primum quidem ſtatuit, ut pro pecunia, aut pro quacunq; re mobili, vel immobili, aut in cauſa criminali, quæ tangit perſo-

nam,

nam, aut res Iudæi, nullus Christianus contra Iudæum, nisi cum Christiano & Iudæo in testimonium admittatur. *Herbur: fol: 234. Ianusovius fol: 1116.*

2. Item, si Christianus Iudæum impetit, asserens, quòd ei pignora sua obligaverit & Iudæus diffitetur, & Christianus simplicibus Iudæi verbis fidem noluerit adhibere: Iudæus jurando super æquivalente sibi oblato, suam intentionem probabit, & trãseat absolutus. *Herburtus & Ianusovius ubi supra.*

3. Si obligaverit Christianus Iudæo pignus, asserens, quòd Iudæo pro minori pecunia obligaverit, quàm Iudæus confiteatur: jurabit Iudæus super pignore sibi oblato, & quòd juramento probaverit, Christianus ei solvere non recuset *Herburt: d. fol: 234. Ianusovius fol: 1117.*

4. Item si Iudæus Christiano testibus non assumptis dicat, se pignus mutuasse, & ille negaverit: super hoc Christianus, solius sui juramento se expurget. *Herburt: fol: 235. & Ianusovius ubi supra.*

5. Iudæus recipere poterit nomine pignorum, omnia quæ sibi fuerint obligata, quocunq; nomine vocentur, nullâ de his requisitione factâ, exceptis vestibus sanguinolentis & madefactis, & sacris vestibus, quas nullatenus acceptabit. *Herburt: & Ianusovius vbi supra.*

6. Si Christianus impediret Iudæum: quia pignus, quod Iudæus habet, ei furtim, vel per violentiam sit ablatum. Iudævs juret super illo pignore, quod, cùm recepit, furtim ablatum vel raptim ignoraverit: hoc in suo juramento implicito, quanto sit pignus hujusmodi obligatum probabit; & sic expurgatione factâ, Christianus sortem & usuram ei persolvet, quæ medio tempore accreverunt: *Herbur: & Ianusovius ubi supra.*

7. Si autem Iudæus per casum incendij, aut per furtum, aut per vim res suas, cum ablatis sibi pignoribus amiserit: & hoc constiterit: & Christianus qui hoc obligaverit, nihilominus eum impedit, Iudæus juramento se proprio absolvet. *Herburt: fol: 235. Ianusovius fol: 1117.*

8. Si Judæi inter se de facto discordiam moverint, aut guerram; Iudex civitatis nostræ nullam jurisdictionem sibi vendicet in eosdẽ, sed Nos tantummodo, aut noster Palatinus, vel ejus Iudex judicium exercebit. Si autem reatus vergit in personam; nobis tantummodo hic casus reservabitur judicandus. *Herbur: ubi supra, Ianusovius fol: 1118.*

9. Item si Christianus Iudæo vulnus qualitercunq; inflixerit; reus, Nobis & nostro Palatino pœnam solvat (secundùm quod nostram poterit invenire gratiam) nostræ Cameræ deferendam; ut vulnerato satisfaciat pro curatione vulnerum, & expensis. ut jura Terræ nostræ requirunt, & exigunt. *Herbur: & Ianusovius ubi supra.*

10. Item si Christianus Iudæum occiderit, digno judicio puniatur, & omnia Rei mobilia & immobilia, in nostram transeant potestatem. *Herbur: fol: 236. Ianusovius d. fol: 1118.*

11. Item si Christianus Iudæum cæciderit, ita tamen; ut sanguinem non effundat, per Palatinum requiretur, secundùm Terræ nostræ consuetudinem ab eodem: & percusso seu læso satisfaciat, quemadmodum in Terra nostra est consuetum. Si verò pecuniam habere non poterit; idem pro commisso, sicut justum fuerit, punietur. *Herbur: & Ianusovius ubi supra.*

12. Ubicunq; Iudæus dominium nostrum transierit, nullus ei aliquod impedimentum præstabit; nec molestiam inferat aut gravamen; sed si aliquas merces, aliquas res duxerit, muta debeat ex eis provenire, per omnia mutarum loca. Ipse quoq; Iudæus nonnisi debitam solvat mutam, quam solveret unus civium civitatis illius, in qua Iudæus eo tempore commoratur. *Herbur: d. fol. 236. Ianusovius fol. 1119.*

13. Si Iudæi juxta suam consuetudinem, aliquem ex mortuis suis, aut de civitate in civitatem, aut de provincia in Provinciam, aut de vna terra in aliam duxerint, nihil ab eis per Notarios nostros volumus extorqueri. Si autem Notarius aliquid extorserit; ut prædo, volumus puniatur. *Herburt: & Ianusovius ubi supra.*

14. Item, si Christianus cemiterium eorum quocunq; modo dissipaverit, aut invaserit. Volumus, ut secundùm Terræ nostræ consuetudinem & jura, graviter puniatur, & omnia sua Cameræ nostræ proveniant, quocunq; nomine nuncupentur. *Herburt: & Ianusovius ibidem.*

15. Si aliquis temerariè jactaverit super scholas Iudæorum, nostro Palatino duo talenta piperis, volumus ut solvat. *Herburt: & Ianusovius ibidem.*

16. Item, si Iudæus Iudici suo in pœna pecuniaria, quæ *Wándel* dicitur, reus inventus fuerit: pœnam talenti piperis, quæ ab antiquo est imposita, solvat eidem. *Herburt: fol: 237. Ianusovius ubi supra.*

17. Si Iudæus per edictum sui Iudicis, vocatur ad Iudicium, & primò & se-

& secundò non venerit; pro utraq; vice pœnam, quæ consueta est ab antiquo persolvat. Si ad tertium edictum non venerit; pœnam quæ sequitur solvat Iudici memorato, *Herburt: d. fol. 237. Ianusovius fol: 1119.*

18. Item, si Iudæus Iudæum vulneraverit, pœnam judici suo, secundùm Terræ nostræ consuetudinem, solvere non recuset. *Herburt: ubi supra. Ianusovius fol: 1120.*

19. Statuimus, quòd nullus Iudæus juret super Rodale ipsorum, nisi sit pro magnis causis, quæ se extendunt usq; ad quinquaginta marcas argenti, vel sit ad nostram præsentiam evocatus, pro minoribus verò causis jurare debet ante scholas, ad ostium dictæ scholæ. *Herbur: fol: 243. Ianusovius fol: 1120.*

20. Si Iudæus clam interfectus fuerit, ut per testimonium contestari non possit, is, qui eum interemit: si post inquisitionem, susceptum habere cœperint Iudæi: Nos Iudæis contra suspectum Iudæi occisorem, patrocinium justitiæ adhibemus, jure mediante Rei. *Herbur; fol: 237. & Ianusovius fol: 1120.*

21. Item, si Christiani alicui Judæo manus injecerint violentas, secundùm quod jus Terræ nostræ exegerit, punientur. *Herburt: fol: 237. & Ianusovius fol: 1120.*

22. Item Iudex Iudæorum, nullam causam ortam inter Iudæos, in judicium deducat, nisi fuerit per querimoniam invitatus. Item Iudæi circa scholas suas, vel ubi elegerint, debent judicari. *Herburt: & Ianusovius ubi supra, vide infra num: 30.*

23. Item, si Iudæo Christianus pignus suum absolverit, vsurasq; non persolverit easdem, si infra mensem non dederit, illis usuris accrescant vsuræ. *Herburt: & Ianusovius ibidem.*

24. Item, nullum volumus in domo Iudæi hospitari. *Herburt: ubi supra, Ianusovius fol: 1121.*

25. Si Iudæus, super possessiones, aut literas bonorum immobilium, pecuniam mutuaverit, id quoq; ille, cuius res est, probaverit: Nos Iudæo & pecunias, & literarum pignus adjudicari statuimus. *Herburt: fol: 237. Ianusov: fol: 1121.*

26. Item, si aliquis, vel aliqua, puerum Iudæis abduxerit, volumus, condemnetur ut fur. *Herb: f. 238: Ianus: ubi supra.*

27. Item, si Iudæus receperit à Christiano pignus, & per spatium anni tenuerit; si pignoris valor mutuatam pecuniam non excesserit, Judæus Iudici suo pignus demonstrabit: si verò pignus bonum non fuerit, Palatino nostro, vel suo Iudici ostendet, vel po-

ſtea vendendi poteſtatem habebit, ſed idem pignus, antequam annus tranſierit ſuo judici demonſtrabit; ſi quidem pignus apud Judæum, diem & annum remanſerit; nulli ſuper hoc poſtea reſpondebit. *Herburt: d. fol: 238. Ianuſovius fol: 1121.*

28. Volumus: vt nullus Judæum ſuper ſolutione pignorum, in ſuo feriato die, audeat coarctare. *Herb: & Ian: ubi ſupra.*

29. Jtem, quicunq; Chriſtianus, per vim abſtulerit pignus ſuum à Judæo, aut violentiam in domo ſua exercuerit, ut diſſipator Cameræ noſtræ graviter puniatur. *Herburt: & Ianuſouius ibidem.*

30. Jtem, contra Iudæum, nonniſi in ſcholis, vel vbi judicantur omnes Judæi, in judicio procedatur: exceptis Nobis & noſtro Palatino, qui eos ad noſtram præſentiam poſſumus evocare. *Herb: & Ianuſov: ibidem.*

31. Juxta conſtitutionem Papæ, in nomine noſtri Patris Sancti diſtrictiùs prohibemus: ne de cætero Judæi ſinguli, in noſtro dominio conſtituti, debeant culpari, quod humano utantur ſanguine: cùm juxta præceptum legis, ab omni prorſus ſanguine ſe Judæi contineant vniverſi, ſed ſi aliquis Judæus, de occiſione alicuius pueri Chriſtiani, per Chriſtianum fuiſſet inculpatus, tribus Chriſtianis, & totidem Judæis convinci debet, & poſtquam convictus fuerit, tunc ipſe Judæus, tantummodò pœnâ quæ ſequitur, puniatur, crimine pro commiſſo. Si verò ipſum teſtes ſupradicti, & ſua innocentia expurgabit, pœnam Chriſtianus, quam Judæus pati debuerat, non immerito ſuſtinebit. *Herburt: fol: 238. Ianuſovius fol: 1122.* Qui in regeſtro Statuti ſui *fol: 1364.* refert ſuper hoc illis conceſſam Bullam à PAVLO III. Papa, de data Romæ die 12. Maij Anno 1540. in qua datur teſtimonium, quia Judæi non vtuntur ſangvine Chriſtiano. Similiter & privilegium SIGISMVNDI AVGVSTI, quòd nec ſanguine Chriſtiano, nec Sacramentis Eccleſiæ ad aliquam rem vtantur.

32. Jtem ſtatuimus, ut quidquid Judæus mutuauit, ſive aurum fuerit, ſive denarij, ſive argentum, idem ſibi ſolvi, vel reddi debet, cum uſura debita, quæ accrevit. *Herburt: f. 239. Ianuſou: ubi ſupra.*

33. Volumus ut Iudæi equos qualeſcunq; generaliter omnes manifeſtè atq; in luce diuturna pro pignore recipiant. Si autem aliquis equus apud Judæum furatus per Chriſtianum aliquem inveniretur, Judæus ſe juramento proprio expurgabit dicens: quia eundem equum manifeſtè & in die, pro tanta, quantam dedit pecuniam, impignoratum habuit, & credebat non furatum. *Herburt: & Ianuſov: ubi ſupra.*

34. Jtem inhibemus, vt monetarij in noſtro Regno conſtituti Judæos, cum falſis denarijs, vel rebus alijs ſoli abſq; noſtro Nuntio, vel noſtri Palatini, ſeu abſq; civibus honeſtis quomodo detinere, vel capere non præſumant. *Herburt: & Ianuſovius ubi ſupra.*

35. Statuimus; quodſi Iudæus aliquis compulſus nimiâ neceſſitate, noctis tempore clamaverit, & ſi vicini Chriſtiani præſtare non curaverint auxilium opportunum; nec venerint ad clamorem, quilibet vicinus Chriſtianus triginta ſolidos teneatur. *Herburt: & Ianuſovius ibidem.*

36. Statuimus etiam; ut Iudæi, vendant omnia liberè & emant: panem tangant ſimiliter ut Chriſtiani, prohibentes verò, pœnam noſtro Palatino, pro eo ſolvere tenebuntur. Hucuſq; privilegium Boleslai Ducis Majoris Poloniæ Judæis conceſſum, & à CASIMIRO Magno confirmatum.

Sequuntur nonnulla addita ab eodem CASIMIRO Magno. Anno Domini 1368:

1. CUm in uſurarum voragine, ſit inſatiabilis appetitus, extorſioniq; pecuniarum quidam terminum non imponunt. Proinde ſtatuit noſtrorum Baronum, & Nobilium authoritas, quòd Iudæi fidei noſtræ Chriſtianæ veri inimici, Chriſtianis pecuniam ipſorum mutuantes, non plus de vſura, qualibet ſeptimanâ exigere debent; niſi tantùm vnam quartam, alias unum groſſum à marca, debent & tenebuntur cum gratiarum actione recipere. Et ſi aliqui Iudæi per novas deceptiones, ad literas obligatorias pecunias eorum mutuarent; & per duos annos ſuum debitorem ſuſtinerent: pro vſura accreſcente, & pro ſumma principali, debitorem ad Iudicium non provocantes: extunc ipſo facto uſuram, vltra duos annos accreſcentem, amittere debent, in ſorteq; principali, & ſumma capitali ſolâ, & abſq; vllis vſuris, debent eſſe contenti, neq; per eandem literam obligationis obligantem, poterint ad majorem ſummam compellere: neq; obligatus tenetur ſtare, vel obſervare ipſis ſuam obligationem, vel promiſſum, vltra hoc ſe extendens. *Herburt: fol: 240. Ianuſovius fol: 1124.*

2. Porro cùm Iudaicæ pravitatis intentio ſuper hoc verſetur; vt Chriſtianorum bona & divitias ſemper deprimant, & evellant: convenit igitur non immerito ſtatuere, vt nullus Iudæus ampli-

ùs, alicui Christiano in Regno nostro à modò constituto, suas pecunias, super literas obligationis præstet, aut mutuet, sed tantùm ad pignus sufficiens præstare valebit, secundùm consuetudinem antiquitus reservatam. *Herbur: fol: 241. Ianusovius fol: 1124.*

Post CASIMIRUM Magnum VLADISLAUS JAGELLO Cracoviæ & in Warta *Anno Domini 1420.* statuit similiter de mutatione pecuniæ, sic: Perversa Iudaica perfidia, cùm semper sit & est Christianis contraria & inimica; & non solùm in fide, nec in corpore verùm etiam in direptione bonorum, & facultatum attractione, quàm studiosissimè intendit: quamvis in constitutione ejusdem Capituli, quod incipit: Porro &c. sit eis prohibitum, quòd dare non debent hominibus, cujuscunq; statûs aut conditionis existant, pecunias super literas & inscriptiones, sed tantùm super vadia & pignora: tamen hoc ipsi minimè advertentes, pecunias super literas & inscriptiones dare non cessant: etiam contra Iura & Canonica & Civilia, quæ arctissimè prohibent: Ideo volentes nostris subditis Terrarum nostrarum subvenire gratiosè (prout ex Religione nostra tenemur & debemus.) de cætero prohibemus: Nè Iudæi super literas & inscriptiones pecunias mutuent, sed solùm super pignora, vt superiùs in eodem capitulo est expressum. Si quis igitur Iudæorum tales literas de cætero, aut inscriptiones exhibuerit, aut super easdem pecunias dederit: extunc tales literæ, aut inscriptiones debent esse nullius valoris, vel roboris: nec recipiens pecunias huiusmodi tenebitur procedere ad earundem solutionem. *Herburt: fol: 241. Ianusovius fol: 1124.*

Post VLADISLAUM JAGELLONEM, CASIMIRUS III. *Anno 1454.* in **Nieszowá** statuit sic: Item cùm infideles non debeant ampliori prærogativâ gaudere, quàm Christi Dei cultores, nec servi debent esse melioris conditionis, quàm filij, statuimus: quòd Iudæi potiantur juribus, juxta Constitutiones Wartenses, prout alij Nobiles Terrarum nostrarum, quantùm ad præscriptionem, vt videlicet vtantur præscriptione trium annorum in obligationibus & inscriptionibus ipsorum. Non poterunt dare aliquam summam pecuniæ super obligationem aliquorum bonorum, aut super literas inscriptionum; quodsi dederint contra prohibitionem ejusmodi statuti, eo ipso, pecuniam perdant; obligatioq; & inscriptio huiusmodi eo ipso sint nullæ. Literas etiam quascunq; super libertates ipsis Iudæis, in Regno nostro degentibus, per Nos post diem Coronationis nostræ concessas, & juri Divino, ac Constitutionibus Terrestribus,

ſtribus contrarias, penitus revocamus, abolemus, eaſq; nolumus alicuius roboris vel momenti fieri. Quam revocationem & obligationem eorum, in Regno noſtro, per proclamationem publicam omnibus innoteſcere faciemus; hæc omnia rata, grataq; habere promittimus: & inviolabiliter obſervare, & ab alijs obſervari faciemus. *Herbur: fol: 241. Ianuſovius fol: 1125.*

Poſt CASIMIRUM III. SIGISMUNDUS I. hæc ſtatuit Cracoviæ & Petricoviæ.

1. Judæi ſolvent literas, juxta arbitrium & voluntatem Cancellariæ Noſtræ. *Herburtus fol: 242. Ianuſovius fol: 1126.*
2. De conſpiciendis per ſeniorem Judæorum pignoribus, ad Judæos illatis, non videtur nobis factum conveniens: cùm ſinguli pignorantes, id maximè vitare & cavere ſoleant: ne in egeſtate, & indigentia ſua, cuipiam detegantur. Sed mandabimus, vt res oppignoratæ, & dies earum oppignorationis ſecundùm veterem conſuetudinē, in libros Judæorum inſcribantur. *Herbur: & Ianuſovius ubi ſupra.* Et tandem idem reaſſumpſit Petricoviæ *his verbis:* Cæterùm pignora debebunt inſcribere in libros ſecundùm ſtatutum noſtrum Cracoviæ in Conventu Regni generali *Anno Domini 1532.* editum. *Herburt: ubi ſupra. Ianuſovius fol: 1127.*
3. Quoniam verò nimia furum licentia & pluralitas eò maximè creviſſe videtur, quòd fures ipſi habeant rerum furto ablatarum, apud Iudæos tutam venditionem: cui malo ut obviari poſſit, ex conſilio Senatorum Regni noſtri, & poſtulantibus Nuntijs Terrarum noſtrarum, decrevimus, decernimuſq;, ut ſi Iudæi, pro re furtiva ad ſe delata, evictorem ſtatuere non poſſent, aut nollent, in judicio ad hoc citati, pœnâ furcæ ipſi, ut culpæ participes & conſcij, puniri debent. *Herburt: dicto f. 242. Ianuſovius f. 1127.*
4. Statuimus inviolabiliter obſervandum, Iudæos telonijs quibuſcunq; præfici non debere, neq; poſſe: indignum & juri Divino contrarium cenſentes, ejus generis homines, aliquibus honoribus & Officijs, inter Chriſtianos fungi debere. *Herburt: & Ianuſovius ubi ſupra.*
5. Et quoniam Iudæi, relicto veteri inſtituto, projectis ſignis, per quæ à Chriſtianis dignoſcebantur, veſtitum Chriſtianis per omnia ſimilem ſumpſerunt, ut inter Chriſtianos dignoſci non poſſint. Statuimus perpetuò obſervandum: vt omnes & ſinguli, ubiq; in Regno noſtro Iudæi ſigna, hoc eſt, bireta, aut capellos,

ſeu aliud capitis tegumentum coloris, alias *Zolte*, vbilibet locorum deferant, viatoribus exceptis, per viam enim & itinera, licebit eis ſigna ejuſmodi deponere, aut occultare. Quodſi quiſpiam ex Iudæis, vti tranſgreſſor hujus legis, non deferens capitis tegmentum glauci coloris, Palatino loci, aut ejus Vice-Palatino ſeu Iudici, ſecundùm morem Terræ cuiuslibet, delatus & ibi convictus fuerit; ſolvere tenetur toties, quoties conſtitutioni contravenerit præſenti, vnius floreni pœnam, cujus medietas Palatino, ſeu Vice-Palatino, ſive Iudici, & alia medietas Inſtigatori cedere debet. *Herbur: fol. 243. Ianuſovius fol. 1127.* Sed hæc Conſtitutio caſſata eſt per Privilegium ſpeciale ſub ſigillo Camerali à SIGISMUNDO Rege, Vilnæ Anno Domini 1534. *ut refert ibidem Ianuſovius in regeſtro Statuti ſui, ſub tit:* **Zydowie** *fol: 1365.*

6. Volumus præterea, ut Judæi non habeant liberam mercandi, in omnibus rebus facultatem; ſed modum per Nos ſtatuendum, in mercimonijs ad victum quærendum, vbiq; in Regno noſtro teneant, & diligenter obſervent, atq; etiam pacta, & conventiones, quas in nonnullis civitatibus majoribus Regni noſtri habent, in toto teneant. *Herbur: fol: 233. Ianuſovius 1127.*

7. Quod etiam ad providendum ſecuritati eorundem Judæorum, & ad compeſcendam licentioſorum audaciam, eiſdem Judæis, in aliquibus locis contulimus vadia, ad magnas ſummas ſe extendentia: quæ quidem non ad ſingulares, & privatas perſonas, ſed duntaxat ad communitatem, aut aliam multitudinem civilem per conſpirationem, tumultum, & ſeditionem, ad perniciem & interitum Judæorum excitatam, extendi debere volumus & declaramus. *Herbur: fol: 233. Ianuſovius fol: 1128.*

8. Jtem, cum Chriſtianis jura Regni, mercaturas, & fora in villis facere prohibeant, multò minùs hoc Judæis licere cenſemus: imò ſub graviſſimis pœnis ne talia audeant, interdicimus eis, & prohibemus ſub amiſſione omnium rerũ, juxta ſtatutum antiquum, confiſcandarum. *Herbur: & Ianuſovius, ubi ſupra.*

9. Qui Nobiles in Oppidis, aut villis ſuis Iudæos habent; per Nos licet, ut ſoli ex eis fructus omnes & emolumenta percipiant, juſq; illis arbitratu ſuo dicant: verùm ex quibus Judæis, nullum ad Nos commodum pervenit, eos vti Judæorum jure non permittimus, per Nos & Anteceſſores Noſtros conceſſo: neq; de injurijs eorum deferri ad Nos volumus: vt ex quibus nullum commodũ ſenti-

ſentimus, hi etiam nullum in nobis præſidium habeant collocatum. *Herburt: fol: 243. Ianuſovius fol: 1129.*

Forma juramenti Iudaici, contra Chriſtianos ab ALEXANDRO Rege Statuta.

QVòd Judæus debet converti contra ſolem ſeorſum, & ſtare nudipes ſuper unam ſedem, indutus pallio, aut chlamide: & pileum Judaicum debet in capite habere: & ſi lapſus fuerit ter, totidem amittit Fertones, ſi quartò, manet reus in cauſa. Tunc dicat is, qui ſibi juramentum narrare debet, ſeu prædicere: Helia Judæe, ego te moneo per has tres literas, & per hanc legem, quam Dominus dedit Moyſi, in tabula lapidea, in monte Sinai: quod liber iſte, aut Rodale hoc, verum & juſtum ſit, ſuper quod tu Judæe jurare debes: huic verò Chriſtiano, pro tali culpa, ſive cauſa, pro qua duxit te in Iudicium.

Et prædicetur ei juramentum ſic.

QVòd tu in hac cauſa non es reus, pro qua hic Chriſtianus te culpat. Ita te DEVS adjuvet ille & idem, qui cælum & terram fecit, àërem & rorem, montes cum vallibus, flores & gramina. Et ſi reus ſis: quòd te lepra & venenum invadat, quæ precibus Eliſæi, Naaman Syrum dimiſit, & Giezi invaſit. Et ſi tu reus ſis; quòd te ignis cæleſtis comburat, & morbus invadat caducus, & fluxus ſangvinis. Et ſi tu reus fueris: quòd tu pereas in anima tua, & in tuo corpore, & in tuis rebus: & ut tibi accidat, ſicut Vxori Loth accidit, quæ mutata fuit in ſtatuam ſalis, quando Gomorrha & Sodoma periјt, fiat & tibi. Et ſi tu reus es; vt nunquam ad ſinum Abrahæ venires; vbi Chriſtiani, Iudæi, & gentiles, ante Creatorem omnium rerum reſurgent. Et ſi tu reus es, quòd te lex Moyſi deleat in monte Sinai, quam Dominus dedit Moyſi: quam ſolus DEUS digito ſuo ſcripſit in tabula lapidea. Et ſi tu reus es: quòd te confundat omnis ſcriptura, quæ ſcripta eſt, in quinq; libris Moyſi. Et ſi tuum juramentum non eſt iuſtum, nec mundum, atq; verum: quòd te Adonaij deleat ſuæ Divinitatis potentiâ, & te ſuſcipiant diaboli, & deducant te in æternam damnationem, in ſæcula ſæculorum, Amen.
Ita refert Herburt: fol: 243. & Ianuſovius fol: 1129.

1. Jn conſtitutione *Anni 1557. fol: 10,* Prohibitum eſt Judæis, ne equos vendant, contra facientes à Capitaneo captiventur & equorum confiſcatio fiat, ipſe autem Judæus ſuſpendatur.

 2. Jn

2. Jn conſtitutione *Anni 1562. fol: 28.* cautum eſt; ne Judæi mercaturas, contra pacta cum Civitatibus inita exerceant, juxta ſtatutum *Anni 1538.* Nec ſaliſfonidas vel alias, Telonea, & alias Tenutas per Arendam teneant. *vide infra num: 5.*
3. Jn conſtitutione *Anni 1565. fol: 98.* Pacta circa mercimonia & victualia cum Civitatibus inita, cùm in Comitijs iſtis non poterant ab vtrinq; præſentari, ad futura Comitia generalia hocce nogotium remiſſum eſt. Interea non derogando quidquam pactis Civitatum; imò ea in ſuo robore conſervando.
4. Jn eadem Conſtitutione, *ſub folio eodem*, cautum eſt, ne Chriſtiani utrivſq; ſexûs Judæis in domibus eorundē, tam in Civitatibus & Oppidis Regalibus, quàm etiam Spiritualium & Sæcularium inſerviant. Pœna ſtatuta eſt, contra Judæum, centum marcarum, contra Chriſtianum inſervientem, pœna carceris: & vt Capitanei & Magiſtratus ſuper hoc attendant.
5. Ibidem cautum eſt. Ne Iudæi ſaliſfodinas & alias ſimiles, Telonea, & alias tenutas per arendam teneant, ſub pœna centum marcarum, toties, quoties ad inſtantiam Inſtigatoris, vel Nuntiorum Terreſtrium denuntiationem.
6. Jn conſtitutione *Anni 1567. fol: 131.* cautum eſt. Ne Iudæi, contra pacta cum Civitatib⁹ inita, audeant mercaturas exercere: Telonia, ſaliſfodinas, cauponas, & alia bona, in Regno, neq; nomine ſuo, neq; alterius teneant, ſub pœna in Statuto SIGISMUNDI eiuſdem Anni 1538. expreſſa. *quæ omnia refert etiam Ianuſovius in ſtatuto ſuo fol: 1130.*

Poſt mortem SIGISMUNDI AUGUSTI, in Confœderatione Cracoviæ *Anno Domini 1586.* celebrata (prout videre eſt in conſtitutionibus *fol:* 404. § **A iž tež**) Judæi prout & alij omnes ſub ſecuritatem ejuſdem Confœderationis ſeu *Kaptur*, durante Interregno, recepti ſunt. STEPHANUS Rex multa privilegia ijſdem dedit, *quæ refert Ianuſouius in ſtatuto ſuo fol: 1131.* Sed quia hæc privilegia nullâ conſtitutione ſunt firmata, in ſtatutum ſuum non induxit, ad quem curioſum lectorem remitto.

Sub SIGISMVNDO III. id de ijſdem conſtitutum eſt.

1. Et inprimis *Anno Domini 1588. fol: 490.* Ne Iudæi, Chriſtianos in emendis mercibus & victualibus præveniant, idq; ſub amiſſione emptorum, poſtquam fuerint convicti. Exceptis nundinis capitalibus.

2. Item

2. Item in constitutione *Anni 1616. fol: 21. sub tit: indemnitas* circumscriptum est; ne aliquis in Palatinatu Sandomiriensi Nobilis, aut Civis, audeat se inscribere, pro debito ex regestro Iudaico per minorennem, seu nondum annos legitimæ ætatis habentem contracto, idq; sub nullitate inscriptionis. Forum in duabus in quocunq; Tribunali Regni, inter causas officij constitutum est.

3. Jn constitutione *eiusdem Anni 1616. fol. 38. sub tit: Libertas commerciorum*, hoc habetur: quòd omnes Ordines M. D. Lithvaniæ instaniiam fecerunt, ut Judæi, præsertim Vilnæ, possint omnes merces ad vendendum exponere. Sed Serenissimus Rex promisit se, hoc negotium primo adventu suo Vilnam, per decretum suum pacificaturum.

4. Jn constitutione *Anni 1633. fol: 37. sub tit:* **O Podwoiewodzych & A przytym wáruiemy**, statutum est. vt soli Vice-Palatini, minores causas civiles Judæorum judicent & definiant, remotâ appellatione. In majoribus autem appellationem ad Palatinum suum admittant. A Palatinis autem, post Curiam Regiam non concedatur appellatio, nisi in causis centum florenos excedentibus, sub nullitate processûs totius, & pœna centum marcarum, in eodem judicio, per contravenientem reponenda. Si tamen Judæus per aliquem contractum, vel scripturam renuntiavit proprio foro, potest in alio conveniri. Insuper Palatini penes suam jurisdictionem in causis criminalibus contra Iudæos, juxta jura antiqua conservantur; & ne Civitates in talibus causis, audeant Judæos judicare.

Jn constitutione *Anni 1641. fol: 14: sub tit:* **O Trybunale** *respectu Iudæorum M. D. Lithvaniæ* cautum est; vt in omnibus causis, non alibi nisi in schola sua jurent.

Jn constitutione *Anni 1647. à principio sub tit:* **Ordinárytne prowentá** prohibetur, ne Iudæi proventus ordinarios Reipub: teneant, sub confiscatione bonorum, respectu cuius forum in Tribunali inter causas fisci, ad instantiam cujusvis.

Jn constitutione *Anni 1661. fol: 32. sub tit:* **Kośćioły Gnieźnienskie** habetur. Quod licèt permissum erat illis Synagogam suam per milites transeuntes dirutam, restaurare; quia tamen clamores in illa Iudæorum, impediebant devotionem in Ecclesijs nostris, alium locum designandum per Commissarios ad id Deputatos, statutum est.

Jn constitutione *Anni 1670. fol: 38. tit:* **Poskromienie swywoli/**

ſtatutum eſt, ut Iudæi à centum florenis mutuatis, nonniſi florenos viginti, accipiant. Ubi etiam additum eſt. Ne famulos Chriſtianos foveant. Item ſuſpectas res, & has, quas jus prohibet illis emere, ne emant nec in pignus accipiant, ſub amiſſione datæ ſummæ. Item ut ſub tempus proceſſionis publicæ, in domibus ſuis ſe contineant, nec per plateas diſcurrant, & cùm Sacerdos SS. Sacramentum defert[**będą powinni precz na ſtronę odſtepowáć**]omnino ad partes longiùs recedant, alias per Magiſtratus puniantur, ſalvâ Iuriſdictione Palatinali & poſtcuriali.

De ſecuritate Iudæorum Cracovienſium, vide conſtitutionem *Anni 1676. fol: 48.* vbi datur facultas judicio Caſtrenſi, in præſentia autem Sereniſſimi Regis Mareſchalco Regni, tumultus exercentes, captivandi, & judicandi, & præviâ inquiſitione, ſine appellatione puniendi. Et reſpectu horum tumultuum, Lauda Proſovienſia *Anni 1672. die 26. Menſis Aprilis & Anni 1676.* approbata ſunt.

Jn conſtitutione *Anni 1678. fol: 19.* Iudæi Caliſſienſes & Lublinenſes æquiparantur Iudæis Poſnanienſibus in ſolvenda contributione hyemali & in alijs Iuribus.

Jn conſtitutione *Anni 1641. fol: 14.* ſtatutum, vt Iudæi M. D. L. in omnibus cauſis non alibi, quàm in Synagogis ſuis jurent.

Ex Statuto Magni Ducatûs Lithvaniæ,

1. Judæi vtriuſq; ſexûs ad fidem Chriſtianam converſi, libertatibus & prærogativis Nobilium gaudent, & proles illorum. cap: 12. art: 7. ad finem.
2. Jbidem, Iudæus Iudæum quocunq; modo occidens, judicetur juxta privilegia eorum.
3. Jbidem, ſi Nobilis occidat, vel prædetur Iudæum, in flagranti crimine captus pœnâ colli puniatur, & omnia damna exinde paſſa ſolvat. Nobilis autem impoſſeſſionatus, qui nemini inſervit, ſed aleæ & ebrietatibus indulget, pœnâ acſi in recenti crimine captus puniatur. Quodſi Nobilis non voluntariè ſed caſualiter Iudæum occidat, & aufugiat, tunc citatus ad judicium competens poſſeſſionis ſuæ, præſtito juramento, quòd non voluntariè ſed caſualiter, occidit, tantùm taxam capitis & vulnerum, prout Nobili, ſolvat. Plebeia perſona occidens Iudæum etiamſi in flagranti crimine non ſit captus, ſed ad judicium ſuum citatus, ibiq; legitimè de crimine convictus, pœnâ colli puniatur. Si autem tantùm

vulne-

vulneraverit, tunc taxam vulnerum sanguinolentorum vel lividorum, acsi Nobili solvat. Quodsi ære careat, pœnam carceris & chirurgo pro curatione solvat. Pro minore autem vulnere aut percussione, juxta arbitrium Iudicis carcerem subeat. Mutilans; pœnam juxta statutum pro membro mutilato solvat.

4. Jn alijs causis Iudæi juxta privilegia sua judicentur. Etsi ab aliquo fuerint inculpati, Palatini, Capitanei, aut Tenutarij bonorum Regalium, vel Domini proprij, absq; citatione, prout alij subditi libertatibus Nobilium non gaudentes judicentur & condemnentur. Ibidem.

In capite eodem, articulo nono disponitur:

1. Ne Iudæi ad Magistratus, & Officia assumantur.
2. Christianos in servitute non habeant; quodsi aliquem Christianum in servitutem perpetuam emerit, talis pecuniam amittat, & Christianus libertate gaudeat. Quodsi rusticum vel fæminam emet, tenetur ad judicium venire, & in acta inducere pecuniam pro illis datam, & si notabilem summam dederit, empti per septennium inserviant; si autem non notabilem, tunc ex ista pecunia quolibet anno, rustico **Rubl groszy**; fœminæ autem sexagena respectu laboris detrahatur, præter victum & amictum, quæ emens tenetur illis dare. quod extenditur & ad captos Christianos: vel ejusmodi servos aut captos in bonis suis collocare, & illis **páśnia** dare poterunt. Prolem tamen illorum ad sectam suam non inducant, nec circumcidãt, idq; sub pœna combustionis.
3. Nutrices Christianas, ad lactandos pueros suos non conducant aut inducant, sub pœnâ viginti sexagenarum citanti & convincenti solvenda. In constitutione Anni 1690. lege perpetuâ cautum est, ne Iudæi M. D. L. famulos & ancillas fidei Christianæ teneant sub pœna centum marcarum.
4. Si bona illis dentur cum subditis, illos insolitis laboribus, & contributionibus ne aggravent. Hæc omnia, & Tartaris prohibentur, ut infra.

Jn Capite eodem, articulo octavo, statuitur: Ne Iudæi utriusq; sexûs vtantur in vestitu suo, & armis, auro vel argento, præter annulum vnum deferendum in digito.

Jn cap: 4. articulo 76. Iudæi arcentur à testimonio ferendo in omni causa, Idem & in cap: 9. articulo 14.

Jn constitutione *Anni 1633. fol: 38. sub tit:* Libertas commertio-

rum M.D. L: Nuntij terrestres istius Ducatûs instantiam pro Iudæis fecerunt, vt in institis & domibus exponant merces. Sed Serenissimus Rex ad primum adventum suum Vilnam id distulit, vide conconstitutionem *Anni 1670. fol: 68.* vbi omnia statuta & constitutiones respectu securitatis datæ reassumptæ. vide & constit: *Anni 1678. fol: 23.* ubi Statuta omnia & constitutiones assumptæ, cum declaratione, quòd nonnisi à Palatinis vel Capitaneis judicentur salvâ appellatione post Curiam.

Jn constit: *Anni 1690. fol: 12.* Ne Christiani illis inserviant; ne el...ea teneant, forum coram Palatino vel Capitaneo.

Ex Constitutionibus Nostris Provincialibus Gnesnensibus.

1. Jnprimis *lib: 4. fol: 264. sub tit. de Iudæis*, prohibetur sub pœna excommunicationis, ne Christiani Iudæos vtriusq; sexûs ad convivia sua invitent, vel cùm eis manducent, vel bibant, aut in nuptijs suis vel neomenijs, saltare, vel tripudiare præsumant.
2. Item, Ne Christiani carnes venales, seu alia cibaria ab ijs emant, ne fortè per hoc Iudæi Christianos, quos hostes suos reputant, fraudulentâ machinatione venenent.
3. Item, si de cætero, quocunq; prætextu, Iudæi à Christianis graves, seu non moderatas vsuras extorserint, Christianorum commercium eis subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter: vnde Christiani, si opus fuerit, per censuram Ecclesiasticam compellantur ab eorum commercijs, abstinere. Principibus autem injungitur, ut propter hoc Christianis non sint infensi, sed potiùs à tanto gravamine, Iudæos studeant prohibere.
4. Item ibidem *fol: 265.* vt Iudæi à Christianis valeant evidentèr discerni, statuitur, & inviolabilitèr observari præcipitur, vt omnes & singuli Iudæi utriusq; sexûs, portent unum circulum de panno rubeo, pro signo assutum, sive consutum ante pectus, à parte sinistra, in veste superiori, quam communitèr & regularitèr portent desuper vestes suas, aliàs cùm extra domos habitationis suæ exeunt, & incedunt, vel in publico, quocunq; modo apparent, aut sese exhibent, vel ostendunt, huiusmodi signum infra mensem assumere teneantur, à die publicationis constitutionis præsentis, idq; sub pœna, ne Christiani omne emptionis

& ven-

& venditionis commercium, & quamcunq; aliam communionem cum illis habeant. *vide & fol: 268. in ijsdem Constitutionibus Provincialibus.*

5. Item fol: eodem & sequenti statutum est; Ne Iudæi inter Christianos permixti habitent, sed in aliquo sequestrato loco Civitatis, vel villæ, domos sibi contiguas sive conjunctas habeant, ita ut à communi habitatione Christianorum, septo, muro, vel fossato, Iudæorum habitatio separetur. Aliàs injunctum erat Episcopis Diœcesanis, & Dominis temporalibus, vt tam Christianos quàm Iudæos quorum domus intermixtæ erant, ad venditionem, seu permutationē earundem, juxta arbitrium boni viri, censurâ & pœnâ convenienti compellant. Hinc cùm Cracoviæ inter Christianos mixti habitaverint, in locum separatum secesserunt, prout & nunc habitant, quod in alijs Civitatibus non videmus servari.

6. Jtem ibidem fol: 266. statuitur. Si Sacramentum altaris (hoc est Sanctissimum Sacramentum) ante domos Iudæorum deferri contingat, ipsi Iudæi, audito sonitu companulæ, quàmprimùm, intra domos suas se recipiant, & fenestras, ac ostia sua claudant.

7. Ibidem statuitur: vt post dictam separationem domorum, Iudæi in vna Civitate vel villa, vnicam tantùm Synagogam habeant. De jure autem Canonico in cap: 3. de Iudæis & Sarracenis, de Synagogis Iudæorum sic habetur: Iudæi antiquas Synagogas erigere possunt, novas autem nequaquam, in cap: autem 7. eodem tit: sic habetur: Iudæi veteres Synagogas, in priorem statum reformare possunt, novas autem erigere nequeunt. Quæ duo capitula juris Canonici, Fermosinus in tractatu secundo criminalium, ad titulum hunc, sic intelligenda esse dicit: Quòd Iudæi licèt permittantur Synagogas collapsas & ruinam minantes, restaurare, non tamen ampliores & pretiosiores facere, & exaltare: nec antiquas funditus dirutas in locis, vbi antiquæ fuerunt, ædificare. Quia res semel destructa si reficiatur, non dicitur eadem, sed nova & diversa. Idem dicit Barbosa in Commentarijs ad dicta capitula. Atq; illud verbum, reædificare, accipiunt pro restaurare, quos vide, & præcipuè Fermosinum.

8. Ut Iudæi Parocho, intra cuius Parochiæ terminos manserint, pro eo, quòd loca in quibus Christiani habitare deberent, occupent; juxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium Diœcesani loci, omnes proventus refundere compellantur. *Ibidem fol: 266.*

9. Item prohibetur, ne ſtubas & balnea Chriſtianorum frequentent. *Ibidem.*

10. Ne ſervos, nec ancillas, aut nutrices, ſeu quæcunq; mancipia die noctuq; in ſuis domibus retinere præſumant. *Ibidem fol: 266. & folio 268.* Quod & jure Canonico in cap: 1. de Iudæis ſtatuitur, vt nullum Chriſtianum mancipium Iudæo ſerviat, ſed datis duodecem ſolidis pro quolibet bono mancipio, ipſum quicunq; Chriſtianorum, ſeu ad ingenuitatem, ſeu ad ſervitium, licentiam habeat redimendi. Et ſi Chriſtianus fieri deſiderat, & non permittitur, idem fiat, quia nefas eſt, quem Chriſtus redemit, blaſphemum Chriſti in ſervitutis vinculis detineri. Et in cap: 2. eodem tit: diſponitur. Nulli Iudæo liceat Chriſtianum mancipium in ſuo dominio retinere, ſed ſi qui apud eos inveniuntur, libertas eis ſervetur. Hi verò in poſſeſſione eorum ſunt, licèt, legum diſtrictione liberi ſint, tamen quia colendis eorum diutiùs adhæſerunt, utpote conditione loci debentes, ad colenda rura remaneant, conſuetas penſiones prædictis viris præbentes. Cuncta etiam, quæ de colonis vel originarijs, jura præcipiunt, peragant, & nihil eis extra hoc oneris indicatur. Quodſi quiſpiam Iudæorum, aliquem de his, vel ad alium transferre locum, vel aliud obſequium retinere voluerit, ipſi ſibi imputet, qui jus coloniarum, & jus dominij, ſibi juris ſeveritate damnavit. In capitulo autem Ad hæc. eodem titulo de Iudæis diſponit: Ne familiari ſervitio Iudæorum Chriſtiani ſint: *verba capituli eiuſdem*: Ad hæc omnibus Chriſtianis, qui ſunt in juriſdictione veſtra penitus interdicatis, & ſi neceſſe fuerit, diſtrictione Eccleſiaſticâ compellatis eoſdem, ne Iudæorum ſervitio ſe aſſiduè, pro aliqua mercede exponant, quòd & obſtetricibus & nutricibus eorum prohibere curetis, ne infantes Iudæorum, in eorundem domibus nutrire præſumant. Quoniam Iudæorum mores, & noſtri in nullo concordant, & ipſi de facilè, ob continuam converſationem, & aſſiduam familiaritatem, ad ſuam ſuperſtitionem, & perfidiam ſimplicium animos inclinarent. Idem habetur in eodem jure Canonico, & eodem tit: de Iudæis cap; 13. de nutricibus, *tenoris ſequentis*: Et ſi Iudæos, quos propria culpa ſubmiſit perpetuæ ſervituti, pietas Chriſtiana receptet & ſuſtineat cohabitationem illorum: ingrati tamen nobis eſſe non debent, vt reddant Chriſtianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum, qui tanquam miſericorditer in noſtram familiaritatem admiſſi, nobis illam retributionem impen-

dunt,

dunt, quam (juxta vulgare illud proverbium,) mus in pera, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu ſuis conſueverunt hoſpitibus exhibere. Accepimus autem, quòd Iudæi faciunt Chriſtianas filiorum ſuorum nutrices, & (quod non tantùm dicere, ſed etiam nefandum eſt cogitare) cùm in die Reſurrectionis Dominicæ illis recipere Corpus & Sanguinem JESU Chriſti contingit, per triduum antequam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam. Alia inſuper contra fidem Catholicam deteſtabilia, & inaudita committunt, propter quæ fidelibus eſt verendum, ne Divinam indignationem incurrant; cùm eos perpetrare patiuntur indignè, quæ fidei noſtræ confuſionem inducunt. Inhibemus ergo diſtrictè, ne de cætero nutrices, vel ſervientes habeant Chriſtianos, ne filij liberæ, filijs famulentur ancillæ, ſed tanquam ſervi à Domino reprobati, in cujus mortem nequiter coniurârunt, ſe ſaltem per effectum operis recognoſcant ſervos illorum, quos Chriſti mors liberos, & illos ſervos effecit. Si verò nutrices & ſervientes non dimiſerint Chriſtianos, ſub excommunicationis pœna inhibeatis diſtrictè omnibus Chriſtianis, ne cum eis commercium aliquod audeant exercere. *hucuſq; textus juris Canonici.*

11. Ad recipiendum teloneum, ſeu aliud publicum aliquatenus non aſſumantur. *Ibidem fol: 266.*

12. Si quis Iudæus cum aliqua Chriſtiana fornicationis vitium deprehenſus fuerit commiſiſſe; quoaduſq; decem marcas ad minus pro emenda ſolverit, diſtricto carceri mancipetur; & mulier Chriſtiana, quæ tantum ſcelus commiſit, per civitatem fuſtigata, de ipſa civitate, ſine ſpe redeundi penitus expellatur. *fol: 267.*

13. Supplicandum Synodus cenſuit Sacræ Regiæ Majeſtati; vt numerum & multitudinem Iudæorum in Provincia Gneſnenſi & præſertim in civitate Cracovienſi, ad numerum certũ, quem locus illis deſignatꝰ capiet, dignetur redigere. In alijs quoq; locis ubi priùs non fuerunt illis incolatum prohibere, efficereq;, ut domos à Chriſtianis non emant, & quas emerunt, rurſus revendant Chriſtianis intra certum tempus per Majeſtatem Regiam præfixum, illis ſint privati. *fol: 267.*

14. Synagogas novas ubiq; etiam Cracoviæ muro extructas, deſtrui facere mandent. Licèt enim ex pietate Chriſtiana Iudæi ab Eccleſia tolerentur, tamen eorum numerus augeri debet minimè, qui juxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem veteres Synagogas reformare, novas autem præſertim ex muro minimè conſtruere poſſunt.

15. Jn civitate Cracoviensi præter sex testudines pro rebus eorum conservandis deinceps apud Christianos non habeant, juxta compactata inter Reverendissimum in Christo Patrem (qui tunc erat Gamratus Episcopus Cracoviensis) & Magnificum Dominos Episcopum & Palatinum Cracoviensem desuper facta, & per Sacram Regiam Majestatem confirmata.

16. Cùm Iudæi diebus sacris labores suos publicè exerceāt,& negotientur contra sacrorum Canonum & juris publici sanctiones, in scandalum multorum atq; oppressionem, & contemptum Christianæ libertatis, ideo agendum esse censuit sacra Synodus apud Sacram Regiam Majestatem vt id prohibeat, atq; huic malo edicto suo Regio caveat. *Ibidem fol. 269.*

17. Ex dispositione quoque Iuris Canonici *cap: 4. tit: de Iudæis* statutum est, vt Iudæi ostia vel fenestras in die Parasceves aperta non habeant, sed clausa teneant totâ die. Idem in cap: 15. eodem titulo statuitur: In diebus tamen lamentationis, & Dominicæ Passionis in publicum minimè prodeant, eò, quòd nonnulli ex ipsis talibus diebus (sicut accepimus,)& ornatiùs non erubescunt incedere, ac Christianis, qui Sacratissimæ Passionis memoriam exhibentes, lamentationis signa prætendunt, illudere non formidant. Ideo districtissimè præcipimus,ne in contumeliam Creatoris, prosilire præsumant. Et quoniam illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra delevit. Præcipimus, præsumptores huiusmodi per Principes sæculares condignæ animadversionis adjectione compesci, ne Crucifixum pro nobis aliquatenus blasphemare præsumant. Hæc itaq; de jure Regni Nostri, tum ex jure Canonico, tum ex Constitutionibus nostris Provincialibus Collegimus. Sed dolendum est, quòd multa in vsu & viridi observantia non sunt, & Iudæi majori libertate quandoq;, quàm Christiani gaudeant, & faciliorem aditum habeant.



QVIN-



§. QVINTUS
De Paganis.

PLacuit hic adijcere, quòd Regi Poloniæ pareant quoq; gentes Machometicæ seu gentili labe infectæ, ut in Lithvania sunt Tartari **Lipkowie** dicti, & in oris Russiæ Ceremissi, de illis aliquid scribendum esse censui. Et quidem *in Stat: Lithvanico cap: 12. art: 9. statuitur.* ne Tartari aut alij Machometicæ sectæ homines ad Magistratum assumantur, ne mancipia Christiana habeant, ne nutricibus, ancillis, & famulis Christianis vtantur, non aliter ac de Iudæis supra dictum est. *Idem & in constit: Anni 1616. fol: 45. cautum est. In cap: eodem, art: 10.* pœna pro homicidio Tartari descripta est. *In cap: 11. art: 33.* definitus est processus contra Tartarum prædonem. *In cap: 9. art: 14.* qui Tartari & quando ad testimonium admittendi sunt.

Jn constitutione *Anni 1616. fol: 45.* prohibetur, ne Tartari cum mulieribus Christianis matrimonia contrahant, sub pœna colli per vtrumq; subeunda. Forum in Iudicio Castrensi, ad instantiam cujusq;.

Jn constitutione *Anni 1616. fol: 45. sub tit:* **O Tátárách W. X. Litewskiego** cavetur. Ne Tartari M. Ducatûs Lithvaniæ, bona hæreditaria à Nobilibus emant, empta vt in spatio duorum annorum divendant, sub pœna medietatis taxæ in statuto descriptæ, successores hæredum dictorum bonorum, redimendo eadem bona, detrahendæ, Forum Tribunal.

Jtem ibidem, statutum est, vt Nobiles, bona, Reipub: à Tartaris absq; consensu Regio ementes, omnia onera etiam expeditionis bellicæ subeant, sub privatione bonorum. Forum in Tribunali, ad instantiam cuiusq; terminus peremptorius.

De servitio Tartarorum Magni Ducatûs Lithvaniæ, & quòd pecuniâ ad militandum non possunt conduci, sub pœnis tam contra conducentes, quàm contra ipsos Tartaros; necnon de pœnis respectu violentiarum, rapinarum, & aliorum excessuum per illos in expeditione bellica commissorum, & perpetratorum, sequentes constitutiones latæ sunt.

Jnprimis videatur constitutio *Anni Domini 1608. fol: 864.* Item con-

constitutio *Anni* 1611. *fol:* 47. Item constitutio *Anni* 1613. *fol:* 11. Item constitutio *Anni* 1616. *fol:* 45. Item constitutio *Anni* 1620. *fol:* 16. Item constit: *Anni* 1628. *fol:* 2. *sub tit:* **O żołnierzu z Woiewodztw.** & *fol:* 43. Item constitutio *Anni* 1662. *fol:* 22.

In constitutione *Anni* 1677. bona Terrestria Tartarorum M. Ducatûs Lithvaniæ, ab omnibus oneribus & transitibus liberantur.

De confirmatione jurium, consvetudinum, & privilegiorum Tartarorum M. D. Lithvaniæ, videantur constitutiones. Inprimis constitutio *Anni* 1607. *ubi supra.* Item constitutio *Anni* 1629. *fol:* 16. Item const: 1670. *fol:* 48. Item constitutio *Anni* 1673. *fol:* 20. Item constit: *Anni* 1674. *fol.* 35. Item constitutio *Anni* 1677. *fol:* 16. Item constitutio *Anni* 1678. *fol:* 23. In qua constitutione *Anni* 1678. id adjunctum est, quòd Tartari M. D. Lithvaniæ non obstante quòd in exercitu R. & M. D. L. inserviant, ad commotionem generalem cum Nobilitate tenentur juxta Statutum Lithvaniæ. In constitutione autem *Anni* 1659. *fol:* 16. *sub tit:* Confirmatio **Przywileiow W. L. X.** Privilegia Tartarorum M. D. Lithvaniæ & Volinensium à Serenissimis Regibus data, confirmantur. Inter paganos numerantur etiam Cingari, de quibus statutum est; ne tolerentur in Regno, sed expellantur, & si quis illos foveret, puniatur tanquam complex banniti, forum judicium Castrense, sed in Palatinatu Podlachiæ hæc complicitas cessat, & vt Capitanei teneantur illos expellere, *vide constit:* 1557 & 58. In constitutione quoq; *Anni Domini* 1624. *fol:* 10. statutum est, ne aliquis audeat Valachos & Serbos impossessionatos penes se fovere, sub pœna de Cingaris.

§. FINALIS
De Contributione capitali Judæorum & Tartarorum.


HÆ contributiones solent in Comitijs generalibus statui & qualiter statuantur subjungendum censui.

Quantum itaq; ad contributionem Iudæorum. STEPHANUS Rex *Anno Domini* 1577. statuit, vt Iudæi in civitatibus & Oppidis tam Regalibus, quàm Spiritualium, & Sæcularium Nobilium, à quolibet capite (habito tamen respectu miserabilium) solverent. *Anno*

Anno Domini 1578. idem statuit.

Anno autem 1580. vt Iudæi tam Regni quàm Magni Ducatûs Lithvaniæ per florenum vnum & medium. Tandem *Anno 1581.* vt summam triginta millium solverent.

Sub SIGISMUNDO III. *Anno Domini 1588.* vt per vnum florenum (nemine excepto) tam Iudæi Regni, quàm Ducatûs Lithvaniæ solverent.

Anno Domini 1589. vt Iudæi in Regno summam viginti millium, Magni autem Ducatûs Lithvaniæ sex millia florenorum, idq; sub pœna confiscationis bonorum. *Idem & Anno Domini 1590.*

Jn *Anno Domini 1591.* ut Iudæi tam Regni, quàm M. D. Lithvaniæ in civitatibus, oppidis, & in villis, tam Regalibus, quàm Spiritualium & Sæcularium (habito respectu miserabilium) per vnū florenum solverent. Idem & *Anno Domini 1593.* Idem & *Anno Domini 1595.* Idem & *Anno Domini 1596. vt refert Ianusovius in Statuto suo à fol: 1131.* & videre licet in vniversalibus literis contributionum cuiusq; anni supra allegati.

Jn *Anno 1598.* per florenum, vt in vniversalibus literis contributionum ejusdem Anni. Idem & *Anno 1601.* Idem & *Anno 1602.* Idem & *Anno 1603.* Idem *Anno 1607. Anno 1609. & 1611.* in Regno per quadraginta grossos. Lithvanici per unum florenum.

Anno 1613. in Regno summa septuaginta millium florenorum, in Lithvania trium millium florenorum. In *Anno 1616.* in Regno per florenum unum, in Lithvania juxta antiquam taxam. *Anno Domini 1618.* in Regno per unum florenum. Idem & *1619. Anno 1620.* in Regno summam florenorum septuaginta millium, in Lithvania trium millium. *Anno 1621.* in Regno viginti duo millia florenorum. In Lithvania trium millium. *Anno 1624.* in Regno per vnum florenū. in Lithvania, trium millium summam. *Anno 1626.* in Regno summam sexaginta duorum millium florenorum. In Lithvania summam trium millium pro vnica contributione, quæ fuit triplex. Et rursus in eodem anno quadruplex contributio imposita est, pro qualibet, summa pro vnica contributione trium millium florenorum. *Anno 1627.* Regnicolis, quinquaginta duorum millium florenorum. Lithvanicis pro duplici contributione capitali, sex millia. *Anno 1628.* Regnicolis summa sexaginta millium flor: Lithvanicis, viginti millia flor: *Anno 1629.* Regnicolis summa flor: septuaginta millium, Lithvanicis octo millium. Item eodem anno, Regnicolis octuaginta millium, Lithvanicis, pro quadruplici, duodecim millia florenor:

Anno 1631. Regnicolis, quadraginta quinq; millium. Lithvanicis pro triplici contributione, pro duobus annis, pro quolibet anno novem millium.

Anno 1633. Regnicolis, octuaginta millia flor. Lithvanicis prout in anno 1631.

Anno 1634. Regnicolis, ſumma octuaginta millium, Lithvanicis decem millium.

Anno. 1635. Regnicolis ſexaginta millium florenorum Lithvanicis, quindecim millium.

Anno 1637. Regnicolis, ſexaginta millium flor:

Anno 1638. Regnicolis ſexaginta millium florenorum.

Anno 1642. Regnicolis, ſumma ſexaginta millium flor:

Anno 1643. Regnicolis ſeptuaginta millium. Lithvanicis tria millia.

Anno 1647. Lithvanicis duodecem millia. Idem & *Anno* 1644.

Anno 1650. Regnicolis ſeptuaginta millium. Itidem 1652, 1653, & 1654.

Anno 1655. Regnicolis ſeptuaginta millium flor: reſpectu contributionis capitalis, reſpectu commotionis generalis viginti millium florenorum. Idem & Anno 1658.

Anno 1659. centum millia florenorum.

Ab *anno 1661* vſq; ad *annũ 1690.* per centum quinq; millia flor: excepto *anno 1685.* ducenta millia florenorum, computando retẽta antiqua Iudæi autem Lithvanici, *Anno 1650,* viginti quatuor millia flor.

Anno 1652. Triginta millium flor:

Anno 1653. reſpectu contributionis capitalis ſex millia florenorum, & reſpectu fumalium, quatuor millia.

Anno 1654. Quadraginta millia florenorum.

Anno 1655. Triginta millia florenorum, & præterea communem contributionem capitalem, hoc eſt tria millia.

Anno 1658. Decem millia, reſpectu fumalium quindecim millia flor.

Anno 1659. Tam reſpectu contributionis capitalis, quàm reſpectu fumalium, tantùm decem millia flor:

Anno 1661. Reſpectu vtriuſq; contributionis tantùm duodecim millia florenorum.

Anno Domini 1662. Per florenos duos à capite ſingulorum.

Anno Domini 1667. Reſpectu contributionis capitalis decem millia florenorum.

Anno Domini 1670. Quindecim millia.

Anno Domini 1673. Reſpectu contributionis capitalis, viginti millia florenorum.

Anno Domini 1676. Decem millia contributionis capitalis.
Anno Domini 1677. & 1678. viginti millia.

Hoc tamen notandum, quòd Iudæi Regni & M. D. Lithvaniæ solutâ contributione capitali, ab alijs contributionibus regulariter liberi remanent, non item Christiani, cùm tamen Iudæi Christianis præripiunt omnia mercimonia.

Tartari M. D. Lithvaniæ non servientes in bello, solent etiam contributionem capitalem persolvere. Et aliquando imposita est illis, à singulis capitibus, aliquando per vnum florenum, aliquando per duos florenos, aliquando per tres, alquando certa summa imponitur illis, aliquando duorum millium, aliquando sex millium, vt videre est in volumine constitutionum.

TITULUS SEPTIMUS
De Jnterregno.

INterregnum multis modis accidere solet. *Primò* morte naturali Regis. *Secundò* per coactam depositionem aut expulsionem. Exemplum apud nos fuit de VLADISLAO Loctico Rege (sic dicto, quasi vnius cubiti staturam ferens, *teste Cromero in vita eius fol: apud me 236.*) qui post Silesianam expeditionem in Majorem Poloniam cum copijs profectus, quieti, otio, & voluptatibus se dedit, quæ res ei perniciosa fuit. Etenim milites in bellis rapto vivere assueti, nec in pace quidem, ab injurijs, & vexationibus tenuiorum, & Ecclesiasticorum bonorum direptionibus, ingenuarumq; matronarum & virginum stupris sibi temperabant. Eam licentiam ille non modo non coërcebat, sed indulgentiâ magis alebat, cætera quoq; boni & vigilantis Principis munera negligentiùs obibat. muliercularum amoribus irretitus, ita; vt externi quoq; & finitimi Saxones, plerasq; Poloniæ & Pomeraniæ oras impunè latrocinijs infestarent. Quibus de rebus cùm frustra admonitus & reprehensus esset aliquoties ab Andrea Episcopo Posnaniensi, cùmq; nihilominus Ecclesiastica bona vexarentur, Episcopus toti Diœcesi suæ sacris interdixit. Et quamvis satisfecerit Episcopo VLADISLAVS, tamen odium ejus ita altè radices egit in animis hominum, vt conventu apud Posnaniam ha-

bito, regnum ipsi absenti tunc fortè, & in majorem Poloniam profecto, post tertium annum abrogarent; Henricoq; Głogoviensi, qui id ambiebat, & alijs suæ stirpis Ducibus præteritis, VENCESLAVM Boëmorum Regem crearent, quòd retineret is etiam tunc munitiones quasdam in tractu Cracoviensi, & nemo potentior hostis obijci VLADISLAO posset. Hucusq; verba Cromeri loco citato cum sequ:

Tertiò. Interregnum accidit per liberam resignationem seu abdicationem Regni, quem modum Strada, de bello Belgico lib: 1. decadis primæ fol: 5, ignotum Principum *aulæ* prodigium vocat, vt cùm posset imperare, desineret. Exemplum apud exteros habes in CAROLO V. *R*omanorum Imperatore, qui ingravescente in dies valetudine præfractus prostratusq; vt suprema cōponeret, & quam rerum molem sustinere diutiùs pro dignitate, quæ se imperiumq; deceret, haud posset, omni se Belgij Burgundiæq; Imperio abdicavit, & in Philippum suum, Regnorum Provinciarum & Insularum vbiq; existentium possessionem transtulit. Et ex codice (quem ad sublevandam memoriam secum attulerat) tanquam è rationario Imperij Gallicâ linguâ conscripto Bruxellis, octavo Calendas Novembris *Anno Domini* 1555. abdicationem ipsemet publicè recitando. FERDINANDO autem Fratri suo, multis ante annis Regi Romanorum creato coronam sceptrumq; Imperij per Gvil Orangij Principem transmisit, & novo Principi aulâ relictâ, privata in domo aliquandiu consedit. Tandem instructâ classe è Zelandia cum suis sororibus Heleonora ac Maria Reginis Viduis, illa Galliæ, hac Ungariæ, secundâ navigatione Laredum Cantabriæ portum invectus est. Vix descenderat ex prætoria navi, cùm fœda illico exorta in portu tempestas classem impetu disjecit, prætoriam hausit, quasi non vectura amplius Cæsarem, Cæsarisq; fortunam. Ferunt vbi primum littus attigit, prostratum in genua osculo terram libasse atq; addidisse: salutari à se reverenter communem parentem, vtq; nudus è matris olim vtero prodierat, ita ad alteram hanc matrem libentissimè reverti nudum. Et verò cùm in Cantabriam appulsus, ac profectus inde Burgos, raros admodum sibi obvios vidit Hispanos proceres (quòd nempe solus incomitatusq; titulis suis CAROLVS non allexerat) sensit tum primùm nuditatem suam. Accessit & illud, quod ex centum aureorum millibus (quem sibi reditum ex immensis opibus tantummodo seposuerat) cùm eorum parte opus esset, quâ famulos aliquot donaret, dimitteretq; expectandum illi plusculum

nec

nec ſine ſtomacho Burgis fuit, ita occaſionem nonnullis fortè præbuit affirmandi: Regnis vix ejuratis cœpiſſe Carolum initi conſilij pœnitere. Quanquam alij ipſo ejurationis die mutaſſe illum ſententiam ex eo narrant, quòd aliquot poſt annis cum Cardinalis Granvellanus ex occaſione PHILIPPO Regi revocaſſet in mentem, anniverſarium illum eſſe diem, quo CAROLUS Pater Imperio Regniſq; ceſſerat, reſponderit illico Rex, & hunc quoq; anniverſarium eſſe, quo illum ceſſiſſe pœnituit. Sed Strada temerè id fuiſſe ſparſum refutat. Itaq; Carolus Velliſoſetum lecticâ devectus, paululum cum Nepote Carolo Hiſpaniæ Principe demoratus, ad Divi Iuſti, Hieromynianum Cænobium rectà ſe contulit, vbi conſtitui ſibi domũculam juſſerat, ibiq; ſe incluſit, relictis penes ſe duodecem famulis, & vno equo, in quo aliquando obequitabat recreationis causâ colles vicinos, aliquando hortorum culturæ indulſit; ſæpe fabricandis horologijs, Iannello Turriono inſtruente, tum in tollendis aquis in ſublime, operam dabat, alijſq; inventionibus per dictum Iannellum artefactis delectabatur. Inter quas inventiones Iannelli illud memorandum fuit, quòd fecerit ferreas molas per ſe verſatiles, tantæ ſubtilitatis, parvitatiſq; vt manicâ occultatas monachus, facilè ferret, cùm tamen quotidie molerent tantùm tritici, quantùm hominibus octo in ſingulos dies alendis abundè eſſet. Sed huiuſmodi delectaciunculæ initio crebriores fuêre, dein verò admonente morbo parciùs adhibitæ; Caroloq; poſtmodum maior cura fuit, ſtatis monachorum pſallentium precibus frequenter intereſſe; non raro Sanctorum volumina lectitare: ac pijs rebus miſcere ſermones, ſollicito crebriùs noxarum confeſſione animam ac cæleſti pabulo (quanquã interdũ non ieiunus) paſcere, id enim ob ſtomachi languorem indultum ei à Summo Pontifice fuerat. Quin etiam plexo è funiculis flagello exigere à ſe, anteactæ vitæ pœnas perſeverè cæpit; quos inde funiculos à PHILIPPO Rege reverenter habitos, ab eoq; morti proximo afferri ad ſe juſſos, & vt erant cruore CAROLI Patris aſperſi, Filio PHILIPPO Tertio inter Auſtriacæ monumenta pietatis aſſervari fama eſt. Poſtremò pro matre ſua anniverſario perſoluto, ſibi exequias vivus & præſens, pullâ veſte opertus, in Templo decantantibus monachis circumſtantibus molem tumuli, atratâ veſte indutis, fecit & celebravit: ſacrificantiq; propior factus, accenſam facem, quam geſtabat manu ſublatis in cælum oculis tradidit, hæc verba proferens: Ego te vitæ & mortis arbiter oro, quæſoq; vt quemadomdum oblatum hunc à me cereum Sacerdos

capit, ſic commendatam in manus tuas hanc animam Tu quandoq; libuerit Tibi, in ſinum complexuſq; Tuos benignè ſuſcipias. Quibus verbis finitis, humi procubit, renovatiſq; omnium, qui aderant lachrymis, quaſi depoſitus in tumulum, ſupremâ lamentatione comploratus eſt. Atq; hoc videlicet rudimento Carolus vicinæ jam morti proludebat, namq; altero ab exequijs die febri correptus eâq; paulatim excedente conſumptus, Toletano Antiſtite procurante quæ Chriſtiano ritu luctanti animæ ſuppeditantur adjumenta, Religioſiſq; qui frequentes è Cænobio circumſtabant, abeunti hoſpiti expeditum iter in cætus piorum comprecantibus, nocte ante feſtam lucem S. Evangeliſtæ Matthæi hoc eſt vigeſimâ primâ Septembris *Anno Domini 1558.* ætatis ſuæ anno octo & quinquaginta poſt duos abdicationis Imperij & Regnorum, vita exceſſit morbo articulari fractus. Hæc Strada ubi ſupra à folio quinto ad folium decimum tertium, vbi plura de iſta abdicatione CAROLI videre potes curioſe Lector.

Simile exemplum abdicationis Regni noſtri à JOANNE CASIMIRO IV factæ noſtris temporibus vidimus. Hic *Anno Domini 1668. die 12 Iunij*, convocatis ad ſe DD. Senatoribus, mentem ſuam de abdicando Regno, privatim declaravit & aperuit. Ad quod ſtupefacti Senatores, primò rationibus, tandem precibus S. R. M. ſubmiſsè rogârunt, vt à propoſito hoc abſtinere nec afflictæ Patriæ majorem afflictionem per orbitatem hanc addere dignaretur: ſed cùm nec rationes, nec preces valerent, negotium hoc ad totam Rempub: ſpectare expoſuerunt. Interea temporis Jlluſtriſſimus Prazmowſki protunc Archiepiſcopus Gneſnenſis, tum & alij Senatores, per literas privatas, de mente & propoſito Sereniſſimi Regis abdicandi Regnum Palatinatus omnes informârunt, vt in proximis generalibus Comitijs, per Nuntios ſuos Terreſtres, à propoſito hoc S. R. M· precibus & inſtantijs humilibus avocare ſtudeant, & conentur. Itaq; dum Comitia generalia Varſaviæ, felix exordium die 27. Auguſti ejuſdem anni ſumpſerunt. Jlluſtris Dominus Stephanus Sarnowſki, vti Nuntiorum Terreſtrium Mareſchalcus, poſt oſculum Regiæ manûs die 29. Auguſti, diſertâ oratione S. R. M. allocutus eſt. Turbatos eſſe omnium Regni Civium animos, acceptâ notitiâ de propoſito S.R.M. abdicandi Regnum, ſpem tamen bonam concipere, quòd S. R. M. mutato propoſito optatam declarationem dabit, atq; ſic turbatos animos recreabit. A Throno Regio, Reverendiſſimus Dominus Andreas Olſzowſki Vice-Cancellarius protunc

Regni in hunc ſenſum reſpondit. Aperuit quidem S. R. M. ante Comitia hæc, DD. Senatoribus propoſitum ſuum abdicandi Regnū, quod inter varios fortunæ fluctus victor tamen per annos viginti ſuſtinuit. Sed cùm hoc negotium ad totam *R*empub: ſpectat, illud ad præſentia Comitia diſtulit, & cùm res magni momenti ſit, ad deliberandum adhuc ſumpſit, ſciens vbi maius periculum eſt, cautiùs & accuratiùs agendum eſſe. die tertiâ Menſis Septembris advenientes, is idem *R*everendiſſimus Dominus Vice-Cancellarius, indoluit fatis ſuis in ſermone ſuo, quòd ex officio ſuo, non tam libēs, quàm obſequendo juſſui S. R. M. formulam de abdicando *R*egno à S. R. M. ſibi traditam ſit prælecturus. Sed Senatus, Equeſterq; Ordo enixè S. R. M. ſupplicavit, vt dignaretur hunc actum triſtē ad ſequentem ſeſſionem differri, ad quæ poſtulata illorum conſenſit, die itaq; quartâ Septembris, is idem *R*everendiſſimus Vice-Cancellarius Regni, in hunc ſenſum allocutus eſt *R*empub: Sereniſſimum *R*egem poſt tot deliberationes ſtudiosè factas, & maturè trutinatas in propoſito ſuo abdicandi *R*egnum permanere: non aliquo faſtidio regnandi, ſed ob feſſam valetudinem, tum vt æternæ ſaluti ſuæ meliùs conſulere poſſit & valeat. Hic auditis Senatus Equeſterq; Ordo infelicitati ſuæ id adſcripſerunt, accuſando fata, quæ mutare non valebant. Sed ne Sereniſſimum Regem inconſolatum dimitterent, per decem in circa dies conſultârunt, de proviſione annuali Sereniſſimo *R*egi ex proventibus Regni danda, ſummamq; centum quinquaginta mill: floren: Polonicalium conſtituerunt, diplomataq; aſſecurandæ proviſionis ab vtrinq; conſcripta ſunt.

Venit tandem dies 16. Menſis Septembris atro notandus calculo, quo Sereniſſimus Rex ex palatio ſuburbano, magno numero Senatorum & Equeſtris Ordinis ſtipatus, ad Eccleſiam Collegiatam S. Ioannis profectus, ibidemq; Sacrificio Miſſæ devotiſſimè audito, in arcem ſe contulit, & in loco ſolito ſub baldachino conſedit, *R*everendiſſimoq; Vice-cancellario *R*egni toties memorato ad thronum ſuum vocato, vt tempus & horam abdicationis *R*egni faciendæ publicâ voce in conſpectu totius *R*eipub: denuntiaret, diplomataq; ejuſdem abdicationis legeret, ordinavit. Itaq; *R*everendiſſimus Dominus Vice-Cancellarius Regni, triſti vultu, brevi ſermone, tempus abdicationis adveniſſe publicavit. Perilluſtris autem Dominus Máłáchowſki protunc Referendarius *R*egni, nunc autem Epiſcopus Cracovienſis, diploma abdicationis mœſtâ voce legit, poſt lecturam eius tam diploma abdicationis & *R*everſale proviſionis à *R*epub: factæ

ab vtrinq; ſubſcripta ſunt, ſub ratihabitione Palatinatuum ex quo in Comitiolis particularibus nihil antecedenter actum fuerat. Præfata diplomata abdicationis in conſtit: *Anni 1668. folio 1.* & diploma reverſale nomine ſtatutum *fol: 7. vide*, quæ ratihabitio poſtea Pactis Conventis Sereniſſimi Regis MICHAELIS inſerta eſt. His peractis Sereniſſimus diploma electionis & coronationis ſuæ rubro involutum ſerico Reipub: reddidit; breviq; ſermone, ſed pleno affectûs erga Patriam & Rempub: incæpto, ſed cùm ob gemitus & lachrymas ex oculis prorumpentes non poſſet eundem continuare, reliquum ſermonis in charta à ſe conſcripti prælegendum præfato Reverendiſſimo Vice-Cancellario tradidit. Audivit Senatus totuſq; Equeſtris Ordo non ſine dolore maximo, hanc paternam Sereniſſimi valedictionem, & tandem Senatus ore Jlluſtriſſimi Archiepiſcopi pro paterno affectu, pro ſedulo regimine, ſummas gratias egit rogando; ne Sereniſſimus ſponte deſinens regnare, deſinat amore & affectu antiquo Patriam & Rempub: proſequi, promittendo conſtantem erga Sereniſſimum obſervantiam, devotionē & amorem: finitâq; hâc gratiarum actione, provolutus ad genua Sereniſſimi, dexteram eius oſculatus eſt, idem & alij Senatores non ſine lachrymis & ſingultibus fecerunt. Similem gratiarum actionem Mareſchalcus nomine ſuo & totius Equeſtris Ordinis fecit, quibus ſæpe prænominatus Dominus Vice-Cancellarius diſertâ oratione (prout illi innatum erat) nomine Sereniſſimi reſpondit, & ad oſculandam Sereniſſimi manum invitavit. Finito hoc mœſto abdicationis Regni ſpectaculo, omnes Senatores, totuſq; Equeſter Ordo Sereniſſimum (licèt Sereniſſimo renitente, quaſi jam non Rex, ſed privata perſona eſſet) ad palatiū ſuburbanum, vnde venerat, reduxerunt, toto populo vtriuſq; ſexûs per plateas, voces triſtes & lachrymabiles edente. Ubi pauco tempore Sereniſſimus commorans ad ſtatum *Z*ivecenſem ſeſe tranſtulit, auditurus, quem Succeſſorem in Regno habiturus eſſet. Et cùm audivit MICHAELEM in Regem electum eſſe, ſummo gaudio perfuſus, fines Regni reliquit, & in Galliam (immemor quanta ibi Princeps adhuc, paſſus fuerit) ſe contulit. Refert enim Everhardus Waſſenbergius, in ſuo carcere intitulato Gallico, quanta paſſus fuerit iſte Princeps à Gallis, quæ ab illo fusè ſcripta in compendium redigo, vt ſciat Polonia, quo affectu debeat ferri in gentem Gallicam, dum ſangvinem Regium Poloniæ, ita ignominioſè tractàrunt. Hic Princeps, ne otio deliteſceret, pauco comitatu ſtipatus, vt alias *R*egiones, ita & Galliam peragrare deſtinavit.

vit.

vit. Galli suspicione conceptâ, quòd favens Domui Austriacæ, perlustrare voluit portus, Civitates & oppida Galliæ, vt his visis & lustratis, cum exercitu Imperatoris Romani, captato tempore, possit aggredi, & incommoda Gallis facere, dum ad Oppidum Martegues pervenisset, à Nargonio Castellano illius arcis, instruente Comite Ludovico Valesio, Regis Galliæ protunc illius provinciæ gubernatore, captus, in angusto fornice cum aliquot personis detentus est: & sub prætextu majoris commoditatis & decentiæ ad Palatium Archiepiscopale Salonæ, vili equo, centum militibus præcedentibus, tot sequentibus à tergo, in vicinum Oppidum Martegues præeunte Chantarenâ Præfecto custodiæ corporis Gubernatoris Provinciæ illius deductus est: inde Salonam in vehiculo sejugibus equis adductus est; concurrentibus vilioris vulgi hominibus persvasum habentibus, quòd cum armata manu Galliam ingressus fuerit, & in oppugnationibus manifestè deprehensus, & vt publicus hostis captus fuerit: adeoq; truci vultu, crudeli supercilio, vltricibus minis, currum Principis circumstantes non aliter, acsi cum triginta sex personis integrum Galliæ Regnum subjugare præsumeret; ad arcem vsq; vociferantes, & contumelijs innumerabilibus afficientes prosecuti sunt. Et nisi publicâ potestate prohibitum fuisset, in Principem sangvinis Regij Poloniæ manus violentas injecissent, & in frustula dissecassent: Princeps itaq; JOANNES CASIMIRUS noster in Palatium Archiepiscopi Arelanensis ingressus, centũ militibus sex jugiter ante cameram eum observantibus, in vna exigua camera cum sat exigua porticu, non sine afflictione animi sui remansit occlusus. Interim tam ipse Serenissimus Princeps, quàm Urbanus Octavus Summus Pontifex, tum Serenissimus VLADISLAUS IV. Rex Poloniæ, Frater Principis capti germanus, & Proceres Regni, pro eliberatione egerunt. Interea temporis suspicionem novam Rex Galliæ & Cardinalis Risellius eius Consiliarius intimus innovavit. Quòd VLADISLAUS IV. podagrâ debilitatus ad termas quatuor milliaribus à Vienna distantes ex consilio Medicorum se contulerat, non aliâ specie & intentione, quàm ut communicato consilio cum Imperatore Romanorum, nova fœdera, contra Regem Galliæ iniret, & detenti despectiq; Principis Fratris sui germani ignominiam acri bello vindicaret, exindeq; Rex Galliæ, Serenissimũ Principem nostrum custodiri severiùs mandavit. Et cùm Chantarena Regi Galliæ detulerit, Serenissimum Principem fugam moliri (cùm ipse Chantarena per subordinatas personas id Serenissi-

mo Principi ſvaſerit) tandem publicè, id maxima cum calliditate & aſtutia ſua publicavit, ut innocentiſsimum Principem, odio & injurijs omnium exhiberet. Ideo poſt carcerem Salvonæ, novem menſibus ſuſtentum, in Segeſtorum Oppidum (vulgo Ciſteronum) in limitibus Provinciæ & Delphinatûs ad Druentiam ſitam Civitatem, non amænitate loci, non domorum ſtructurâ, nec plateis, nec templis, nec publicis operibus, ſed tantùm aſperitate loci, muro duplici, & quod titulo Epiſcopatus gaudeat, & utriuſq; Regionis Delphinatûs & Provinciæ clauſa ſit, celebris & clara. Sed & ad radicem præcelſi, pyramidalis formæ, ad quam aſcenſus non niſi unâ viâ patet, cætera prærupti montis, dorſum huius caſtellum ingens (modernum ævum Fortalicium appellat) occupat, cuius aditus & ingreſſus duobus propugnaculis munitur. Ab hoc dorſo deinde ſcopulus tantæ altitudinis, cælum versùs eminet, vt vix homo in caſtello conſtitutus, quis ſit, è faſtigio agnoſci poſsit. In cacumine demum huius ſcopuli (ad quem nullatenus, niſi per acclives gradus, adminiculo ſcalarum perveniri poteſt) parvula ſacra ædes quam priſca Gallorum pietas conſtruxit, & modernâ mirâ metamorphoſi in carcerem Ioannis Principis noſtri, convertit. Cum autem hinc niſi Dædalicâ arte quemquam poſſe fugere impoſsibile eſſet, nihilominus hoc etiam Galliâ timente non ſolùm anguſtis feneſtrellis (quæ duæ tantùm lumen admittebant) ferro duplici, ſed anfractum etiam camini noviter extructi, ne & hâc viâ Princeps ſibi forſitan conſuleret, crate ferreâ munivit. Ad hunc ergo locum, tam altum, præruptum, horridum, ſolitarium, Princeps Joannes, vno curru, ſejugibus equis, cum ingenti ludibrio à prænominato Chantarena deductus, occluſus, familiaribus Principis amotis, per ſex menſes cum ſummâ ignominia, irriſione, & macerie detentus eſt. Tandem cum VLADISLAUS IV. Rex Poloniæ, inſtantiam indignabundus & authoritatem ſuâ interpoſuerit, ex tam ſqualido & ignominioſo carcere, ad alium carcerem non ita ſordidum & rigoroſum, captivus tamen, in *ſylvam S.* Vincentij ſeu Boſcum Vincennarium deductus eſt, & in itinere paulo humaniùs tractatus eſt. In ingreſſu tamen ad carcerem & in ipſo carcere ludibria multa & rigorem ſenſit. Et non priùs dimiſſus eſt, quàm VLADISLAVS IV. per ablegatum ſuum extraordinarium ad Regem Galliæ miſſum, certis conditionibus & cautione de non vindicando eum, liberaſſet, in quo carcere vltimo *Sereniſsimus* JOANNES per ſex Menſes prope integros manſit. *Plura vide apud*

Waſſen-

Wassenbergium qualiter & post dimissionem suam ex carcere tractatus fuerit hic innocentissimus Princeps, mihi insinuasse sufficit. Hoc addito, quòd is Serenissimus in Gallia die 16. Decembr: *Anno Domini 1672.* Niverniæ audito tristi nuntio de capto per Turcas Camenecio, ultimam vitæ suæ periodum clausit: sed ex Gallia in vrna honorificentissimè advectus, in Basilica Cracoviensi præsente Serenissimo JOANNE III. Rege sepultus est. Sed ne iste modus vacandi Throni Regij in Polonia in posterum fiat, Serenissimo MICHAELI Regi inter alia pacta conventa & hic articulus de non abdicando Regno insertus est. Ut est videre in Pactis Conventis ejusdem Serenissimi MICHAELIS Regis, articulo 4to, *Anno 1669.* Qui tamen articulus omissus est in pactis conventis cum Serenissimo JOANNE III. Rege.

Quarto modo Interregnum accidit per desertationem Throni Regij. Exemplum apud Nos in HENRICO VALESIO Gallo, de cuius electione & desertatione Regni, nonnulla ex Maximiliano Fredro Castellano Leopoliensi, qui commentarium brevem rerum Polonicarum à morte SIGISMUNDI AUGUSTI in lucem edidit.

Mortuo SIGISMUNDO AUGUSTO Rege Poloniæ ex stirpe JAGELLONICA, è paterna linea vltimo, nullâ prole relictâ, sed solùm Serenissimâ ANNA Sorore suâ germanâ, provectioris quidem ætatis, nuptijs tamen adhuc aptâ, res in Interegnum devenit, & dies electionis novi Regis juxta præscriptum juris in loco solito assignata. Adveniente tempore electionis *die 7. Ianuarij Anno Domini 1573.* plurimi Candidati ad Regnum Poloniæ capessendum per Oratores suos comparuerunt, quorum legationes post peracta præliminaria auditæ sunt. Et cùm legatus Marchionis Brandeburgici, Ducis Prussiæ, necessaria quædam se allaturum sparsit, placuit illi dare ante alios audientiam, sed nihil aliud in sua oratione magis postulavit, nisi ut Princeps ejus, vti civis Polonus possit locum in Senatu habere, cui responsum est, sufficere Duci beneficium Reipub: cui tanti feudi munus contulerat; locum verò in Senatu & suffragium in eligendo Rege non posse concedi.

Hoc expedito Oratore Brandeburgico, intromissus est ad Collegium utriusq; ordinis IOANNES FRANCISCVS COMMENDONIVS Cardinalis Legatus, & Orator Summi Pontificis, qui in sua oratione nomine Summi Pontificis, vti communis Patris & Pastoris nihil aliud postulavit, nisi vt more Antecessorum suorum, Proceres Regni cùm Equestri Ordine, curam diligentem habere Fidei Catholicæ Romanæ

dignarentur, & Regem talem eligerent, qualem & Respub: Polona & vniversæ Reipublicæ Christianæ tempora postulant, & qui sit avitæ & Catholicæ pietatis cultor & amator, pro quo paterno affectu, & pastorali sollicitudine ingentes gratiæ actæ sunt Summo Pontifici & Legato. Postea sequenti die admissi sunt in consessum Reipub: legati & Oratores Maximiliani Imperatoris Romanorum, quorum vnus disertâ oratione nomine Imperatorio duos filios ejusdem proposuit, vnum primogenitum nuper in Regem Ungariæ coronatum, alterum Ernestum Archiducem Austriæ. Sed quia ut illum primum in Regem suum eligatis, illud forsan prudentes sententias vestras morabitur, ne duorum populorum Rex factus, alterum negligentiùs habeat, quæ re non titulo Regem habere, & regi vultis, quem extra Regnum morari, à temporibus VLADISLAI Ungari Regis vestri veremini, atq; sic in laudes Ernesti excurrit, & eum recommendavit, & multa commoda obtulit.

Orta postea est controversia inter legatos Galliæ, & Regis Hispaniarum, de præcedentia, de ingressu ad Collegium Senatûs & Equestris Ordinis: & cùm à Repub: legati Galliæ prælati essent, Legato Regis Hispaniarum. Hispanus nolens se postponi, maluit non auditus, in Hispaniam, salutatâ tantùm Serenissimâ Annâ redire.

Itaq; legati Galliæ admisi sunt, quorum vnus, Henricum Valesium Ducem Andevensem, CAROLI IX. Regis Galliarum Fratrem germanum multis laudibus extulit, & quæ commoda inde Reipub: Polonæ posint evenire exposuit, & nonnulla obtulit. His oratoribus Imperatoris & Regis Galliæ, responsum datum est, vt expectare dignentur finem & eventum electionis.

Non deërant & legationes Electorum Principū Imperij pro Ernesto Archiduce Austriæ.

Fuerunt item Regis Sueciæ, Imperatoris Turcarum, Magni Ducis Moschorum Legati, suorum Principum studia promoventes.

Auditis præmisis, legationibus, lectis literis per Legatos à suis Principibus Reipublic: redditis, consideratis commodis & incommodis per Legatos pro suis Principibus allatis; trutinatâ, beneq; perpensâ boni publici vtilitate, licèt varij sensus Senatorum & Equestris Ordinis fuerint; nonnulliq; ex incolis Regni coronam Regiam tacitè ambiebant; prævaluit tandem major pars suffragiorum in HENRICVM VALESIVM, discrepantesq; partim svasu, partim precibus, partim promisis, & omni alio meliori modo, ingenio dexterrimorum, & præcipuè Joannis Zamoyscij, in

vnam

vnam sententiam pro VALESIO tracti sunt. Jncolæ autem ambientes Regnum, pulchro invento ejusdem Zamoyscij submoti sunt. Instabat enim; quoniam externorum Competitorum Oratores vetantur esse *præsentes*, dum darentur de eligendo Rege sententiæ & suffragia, justum & *æqvum* esse, vt & incolæ Regni, si qui sunt ambientes purpuram Regiam, à consensu nostro absint. Quo audito Zamoyscij sermone nemo illorum, partim ob verecundiam, partim ob metum invidiæ, vel confusionis, ausus est assurgere, sicq; de eligendo Piasto disceptatio sopita est. Simile quid factum fuit sub VLADISLAO Tertio Rege Poloniæ, nam cùm factiosi turbas necterent in coronando hoc Rege, Joannes Olesnicius (cognominatus Glovacius) Mareschalcus è Senatus-consulto pronuntiavit ad Nobilitatem, vt quibus placeret VLADISLAUM coronari, in dextram discederent, qui aliter senserint, in lævam. Id vbi factum est, unâ voce omnes, VLADISLAUM Regem esse jusserunt. Melstinius verò cum Sbanscio & Strasso, qui in editiorem locum contradicturi ascenderant, turpiter deturbati sunt. *Ita Cromerus in histôria sua, lib. 21. fol: 455.* Itaq; instabant Palatinatus, vt Archiepiscopus Gnesnensis (qui tunc erat Jacobus Vchański partium Imperatoris) electionem Regis nominaret. Erat tunc pridie Pentecostes, & sole jam ad occasum vergente, intervenit Mielecius Podoliæ Palatinus, vt denuntiatio ad diem Lunæ sequentem differretur zelozissimè instans indecorum dicens, Regem tam illustrem nocturno tempore denuntiari, quod & obtinuit. Adveniente die Lunæ, variæ disceptationes intermixtæ sunt, dum ad vesperam dies inclinaret, omnes petierunt Archiepiscopum, vt ad denuntiationem Regis accederet, & cùm jam assurgeret, intervenit Andreas Comes de Gorka, & à parte Grochoviensi, (nam Joannes Firleius Cracoviensis, & Nicol: Mielecius Podol: Palatini, animadverso, quòd post semel ac iterum sententias & suffragia singulorum Palatinatuum diligenter excepta, favor in Henricum inclinaret vnâ cum alijs paucis, quos penes erat confœderatio de Religione dissidentium, Grochoviam secesserant, nec ad commune consilium, licèt aliquoties invitati fuerint, venire voluerunt, non alio fine, quàm vt confœderationem per cunctationem suam & contrarietatem HENRICO firmare & stabilire possent) cùm diplomate Confœderationis comparens denuntiavit, etiam & suos in Henricum consensisse, quo audito, omnium vocibus excitatus est Jllustrissimus Archiepiscopus, vt ampliùs non tardaret, sed ad denuntiationem Regis accederet. Itaq; iterum

rum atq; iterum & tertiò interrogavit, an convenirent in nominationem HENRICI Regis, omnibus acclamantibus, quod sic, eundem renunciavit. Et ad Ecclesiam Collegiatam Varsaviensem tituli S. Joannis itum est, pro gratiarum actione DEO Omnipotenti pro felicissimo successu electionis, & ibidem iterum publicatio facta est, Regis noviter electi.

Quatriduo post, Oratores Gallici ad campum electoralem vocati sunt, quibus in præsentia totius Reipub: pacta conscripta lecta sunt, & an ea, tam nomine HENRICI in Regem electi, quàm etiam CAROLI Regis Galliarum acceptare, juramentoq; nomine Principalium suorum confirmare velint, quæsitum est. In quod cùm consensissent, ad juramentum præstandum admissi sunt, post quod juramentum ab illis præstitum Mareschalcus Regni solenni ritu ex officio suo HENRICVM in Regem Poloniæ esse electum altâ voce publicè proclamavit. His actis legati in Galliam mittendi electi sunt octo ex Senatu vtriusq; gentis, inter quos Primas Legationis fuit Adamus Konarscius Episcopus Posnaniensis & quinq; ex Equestri Ordine vtriusq; gentis tam Polonæ, quàm Lithvanicæ. Quibus præter pactâ conventa, instructio alia separata in scriptis tradita est; in qua data est potestas tractationis de concludendo matrimonio Serenissimæ Annæ Principis cum Serenitate sua. Quibus sic instructi Legati, iter versùs Galliam, idq; per Saxoniam arripuerunt, sed jussu Augusti Electoris Ducis Saxoniæ, Lipsiæ ab inceapto itinere remorati sunt. Quod Legati nostri ægrè ferentes, cùm per illud impedimentum & authoritas Reipub: læsa, & jus gentium violatum esset, è medio sui Ioannem Herburtum ad præfatũ Ducem misêre, quem ita sermone suo commovit, vt mox Legatos post multos amplexus factos dimiserit. Itaq; Legati summa cum celeritate, iter suum versùs Galliam prosecuti sunt, & vrbem Parisiorum die 14. Calendarum Augusti summo cum applausu introducti sunt. Tertio die, post ingressum suum in Vrbem Parisiorum, primò Regem Galliarum, Reginam Catharinam Matrem, & Isabellam Austriam vxorem Regis salutârunt, sequentibus diebus ipsum HENRICVM adierunt, pacta conventa obtulerunt, & quod ipsis à Repub: commissum fuerat exposuerunt, quibus HENRICVS libenter consensit, & eadem acceptavit, & juramento corporali se comprobaturum promisit, solo puncto de matrimonio ineundo cum Serenissima Anna, & de Confœderatione dissidentium in Religione, ad futura Comitia coronationis suæ dilatis.

Quæ

Quæ transactiones Legatorum cum HENRICO, ad 5. Idus Septembris, tempus consumpserunt.

Postridie ejusdem diei mane, ad Ecclesiam principalem Parisiensem sub titulo Beatæ Mariæ Virginis, Rex Galliarum, HENRICVS, Rex Navarræ Borbonius, Reginæ, Oratores nostri, cum Legatis Summi Pontificis, Regis Hispaniarum, Scotiæ, Venetorum, aliorumq; Principum, Cardinales quatuor, Borbonius, Lotharingij duo, Estensis quartus, Episcopi, Senatores, Nobiles, & Cives innumeri confluxerunt; ibiq; sacris peractis, HENRICVS Rex Poloniæ electus ante majus altare flexis genibus, in manu Episcopi Posnaniensis, spectantibus illis omnibus, juxta formam ab Oratoribus & Legatis nostris porrectam juramentum præstitit; post eum Rex Galliæ ad ea omnia præstanda, quæ Legati & Oratores eorum circa electionem HENRICI juramento spoponderunt.

Tandem quarto Idus Septembris, ad Palatium Parlamenti Parisiensis descensum est, vbi in præsentia omnium præmissorum, Oratores & Legati nostri decretum seu diploma electionis HENRICI argenteâ thecâ inclusum præmisso sermone ab Episcopo Posnaniensi, ante Reges deposuerunt. Quod postquam publicè lectum fuit, summo cum applausu Regibus & alijs omnibus genu flexis, hymnus *Te Deum laudamus*, decantatus est. Postea Legati nostri assurgente Rege Galliæ & alijs omnibus, manum Regiam HENRICI electi osculati sunt, & per aliquot dies convivijs insignibus excepti, & muneribus à CAROLO Rege Galliarum donati, iter in Poloniam cum Rege suo accelerabant.

Interim Rex Galliæ HENRICO in Regem Poloniæ electo, Fratri suo germano, vt magnum honorem exhiberet, ab vrbe secretim egressus, HENRICVM medium inter se & Regem Navarræ in Vrbem Parisiensem ad Palatium Parlamenti summa cum pompa retro introduxit, ibidemq; per Cancellarium Regni Galliæ sigillum Regium oblatum est, concessâ jussu Regis Galliæ potestate, ut omnia pro arbitrio suo disponeret, honores & officia distribueret, quoadusq; in Gallia commoraretur, & sic multi post dies inter applausus & gratulationes consumpti sunt.

Interim Legati nostri rogârunt HENRICVM, vt iter in Poloniam acceleraret. Itaq; præmisso ante se Zborovio, vno ex Legatis Polonis, ipse quarto Calendarum Octobris *Anno Domini* 1573. cum alijs Legatis Polonis, Nuntio Sedis Apostolicæ, Ludovico Gonzaga, Duce Novioduni, Hedicorum, Carolo Duce Meduariæ, Alber-

to Comite Rodosiarum, Mareschalco Franciæ, Villoctaro Præfecto aulæ, & diversis Comitibus, Vice-Comitibus, & Nobilibus Galliæ, Lutetiâ discessit, quem & ipsemet Rex Galliæ ad viginti milliaria comitatus est, & vltra processisset, ni morbus inopinatus impedivisset. Factâ valedictione, Rex Galliæ Lutetiam reversus est, HENRICVS autem Poloniam versùs properavit, per Lotharingiam, inde per Germaniam. Et quidem Heidelbergiæ Fridericum Palatinum Rheni invisit, Francfordiam ad Mænum transgressus, Fuldæ Natalis Domini festa absolvit. Tandem à Philippo Lantgravio cum tribus millibus equitum solenniter exceptus est, postea per Saxoniam nomine Augusti Ducis à Casimiro ejus genero salutatus, & cum bis mille equitibus honorificè deductus; inde ad Locros nomine Cæsaris MAXIMILIANI, cum mille & quingentis equitibus cum summo honore susceptus, fines demum Marchionis Brandeburgensis attigit, cujus omne obsequium & humanitatem expertus. Tandem octavo Calendarum Februarij *Anno Domini* 1574. Medzirecium pervenit, vbi Stanislaus Karnkovivs Episcopus Vladislaviensis cum numerosa Nobilitate veniens, Regem disertâ oratione salutavit. Miedzirecio Posnaniam itum est, vbi cum ingenti lætitia omnium magnificentissimè à Proceribus & Nobilitate majoris Poloniæ susceptus est. Jnde Cracoviam versùs properavit, vt funeri Regis Antecessoris adesset, sed Senatores à latere consulendo valetudini defessi Regis persvaserunt, ut aliquis Purpuratorum Galliæ mitteretur. Itaq; priusquam Rex Cracoviam advenit, sepultura & exequiæ SIGISMVNDI Regis AVGVSTI, die duodecimo Mensis Februarij, solitis cum ceremonijs absolutæ sunt. quibus præter Senatores, Ordines & Officiales Regni, externorum Principum Legati, Summi Pontificis, Jmperatoris, Regum Franciæ, & Electi Poloniæ, Ungariæ, Sveciæ, Ferrariæ, Venetorum, Brandenburgi, & aliorum adfuerunt. His peractis, HENRICUS Rex vnico milliari ab Urbe Cracovia, die 18. Mensis Februarij stetit, cui obviam Senatores, Officiales, Nobilitas & alij iverunt, & nomine omnium Ordinum Petrus Miscovius Episcopus Plocensis Regem succinctâ oratione salutavit, vtq; bono omine, Urbem ingrederetur, invitavit, interim Archimareschalcus, quo ordine ad Urbem procederetur, dispofuit. Progrediebatur HENRICVS sub aurato cælo, albo insidens equo, datus est honos Purpuratis, qui cum HENRICO aderant. (vti Dux Gvisius, & alij Ducum præcipui) qui medij inter binos Senatores Regem antecedebant, in Vrbem, atq; ipsam arcem vix horâ secundâ noctis ingressus

Rex,

Rex, ad Ecclesiam Cathedralem descendit, ibiq; fusis DEO precibus, salutatum Serenissimam Annam rectà è Templo perrexit, dies sequens (hoc est decimanona Februarij) vacua fuit à curis publicis, die vigesimâ, Senatus & Legati Provinciarum, ad arcem convocati sunt, vbi Stanislaus Sandivogius, Czarncovius, Regem nomine Nuntiorum Provinciarum salutavit sermone latino, quem sermonem Joannes Zamoscius Secretarius Capitaneus Belzensis, gallicè interpretatus est. Tum Rex ipse per se gallicè respondit, quæ Faurus Pibracus, Latinè interpretatus est, gratias agendo, quòd sibi tam potens regnum obtulerint, invigilaturumve supremi Numinis auxilio adjuvante, ne sua regimina reprobari possint. Quantum verò ad libertates seu firmandas seu confirmandas attineret, non tantùm scripta chartâ & privilegio, sed sanguine & vitâ se obsignaturum velle. Ad quæ responsum est, nomine omnium: non desperare Rempub: Serenissimi Regis regimina fore secũdiora, quem superis sic disponentibus, in tanto numero competitorum dignissimum judicavit, & pro coronatione dies sequens destinatus est. Quibus peractis eodem die, vespertino tempore, more antiquo, Templum Sancti Stanislai (in Rupella dictum) pedester visitavit, & rursus in arcem solenniter reductus est. Jtaq; adveniente die Coronationis, solitis cum cæremonijs Coronatio Regis peracta est, Iacobo Vchanski Archiepiscopo Gnesnensi coronam Regiam imponente. Et dum Rex deberet coronari, dissidentes magno cum clamore vrserunt, vt & confœderationem suam de dissidentibus in Fide, jurejurando confirmaret: quâ vociferatione Rex diutiùs genibus flexis distinebatur, tandem moderando dissidium, pacem servatam iri, salvis juribus tam Romanæ Ecclesiæ Catholicæ, & dissidentium conclusum est, quo moderamine adinvento dissidentes conquieverunt, & solennia Coronationis felicem effectum habuerunt. Coronatione perfectâ, ac obedientiâ à Cracoviensi Urbe die sequenti (vt moris est) solenni ritu redditâ, sequenti die Comitia exordium habuerũt, quæ in ijs tractata fuerint, & quæ acciderint, videatur Fredro & Solcovius. Post peracta Comitia Coronationis, Legati Provinciarum servatis solennitatibus ad suas provincias discesserunt, plurimis Senatoribus penes latus Regium remanentibus, vt novum Regni inhabitatorem præsentiâ suâ recrearent. HENRICVS Rex optimatum animos studens sibi conciliare, non solùm bona publica benemeritorum præmia illis contulit, sed etiam patrimonium mensæ Regiæ plerisq; concessit. Hæc Equester Ordo videns contra statuta fieri, ægrè tulit, vt videre est apud Fredro fol. 114. cum sequ. Et

Et dum HENRICUS Rex Cracoviæ manens, partim venationibus extra Urbem vacabat, hastiludijs, tum alijs oblectamentis animum suum recreabat, turbavit illum inopinatus casus. Avis quædam, allato secum filo, cùm se ad tectum Palatij ante fenestras *Regias*, Rege tunc prandente alligasset, eodem filo suspensa remansit, quo audito populus divulgavit arduum negotium manere *Rempub*: è Gallia, prout & evenit, nam ex Gallia Mater HENRICI eundem certiorem fecit, & ut ad Regnum hæreditarium, dimisso *Regno* Poloniæ, quamprimùm veniret, ni otiùs adesset, posse aliquem à parte Principis de Conde reperiri, qui in absentia ejus, ad sceptra *Regni* Galliæ capessenda molimina strueret. Hic tristis nuntius non leviter animum Regis affecit: convocatisq; tribus consiliarijs suis intimis Gallis, iter arripere in Galliam, constituit, sed consiliarij suaserunt, vt cum Senatoribus Regni penes latus suum residentibus, priùs conferret. Itaq; convocato Senatu, consilium secretum cum illis init. Condolent Senatores, non dissvadent imò optant discessum in Galliam, seq; comites itineris futuros pollicentur, modò cum tota Repub: de hoc negotio tractet. Expiscatus Senatorum animos solvit congressum: rogando, vt die sequenti, tardiùs, quàm consveverant illum adirent: Interea ad vesperam illius diei, qui erat decimusoctavus Mensis Iunij, quinti à coronatione sua, convocat dictos suos tres Consiliarios intimos, equos parare jubet, depositisq; literis sub tegumento mensæ, (vel vt vult Solicovius lecti) eâdem nocte per posteriorem arcis januam, equo conscenso, cum octo comitibus, alijs omnibus ignorantibus, primâ luce diei Oświęcimum, inde ad Pozynam Oppidum Silesiæ pervenit, Postquam illuxit dies, dum Joannes Tencinius Regij cubiculi protunc Magister, de inopinato Regis discessu rescivit, assumpto sibi pro comite Nicolao Zebrzydovio, conscensis velocissimis equis celeri cursu prosequuntur Regem, & vltra jam Pozynam assecuti, provoluti ad pedes Regios, rogant velit supersedere ab incæpto itinere, ne se, suamq; fidem, honorem, existimationem, taliter deserendo Regnum, prostituat. Nihil apud Regem valuêre ejusmodi preces, sed annulum è digito suo Regio detractum Tencinio in signum & tesseram sui reditûs ad Regnum dedit, pollicendo, compositis & firmatis rebus suis in Gallia, in Poloniam rediturum, subjungendo, cætera ex literis meis à Nobis in conclavi nostro Regio Cracoviæ relictis, quas curate vnicuiq; reddi, ad quos scriptæ & intitulatæ sunt, tum à Carolo Danzeo & Alemano Consiliarijs meis intelligetis. His dictis versùs Viennam

iter

iter arripuit, vbi ab Imperatore humanissimè receptus est. Nam postquam rescivit Imperator HENRICVM paucis milliaribus abesse, duos filios suos juniores ad tertium ab Urbe lapidem ire obviam jussit, & ipse Imperator cum primarijs Proceribus ad pontem majorem Danubij processit, & facto amplexu, Viennam ad Palatium deduxit. Viennâ Venetias, vbi reperit obvium sibi Legatum Cardinalis Hosij Episcopi Varmiensis, Româ ad se missum, svadentis, ne Regnũ Poloniæ disponente DEO cum omnium applausu & consensu delatum deserat, & curam ipsius abjiciat. Ad quæ Rex respondit; multas excusationes discessûs sui in Galliam adferendo, curam tamen habiturum, ne Regnum Poloniæ per absentiam suam aliquod damnum patiatur. Non diu HENRICVS Venetijs moratus per Sabaudiam in Galliam properavit. Atq; sic in Regẽ Galliæ vnctus & coronatus est, ipsâ Dominicâ Quinquagesimæ, quâ ante annum Polonum sceptrũ acceperat. Discessu inopinato HENRICI consternati sunt omnes. Interim Tęncinius ab HENRICO reversus, literas Regias sub tapete (vt ipse insinuaverat) relictas quærit, illis inventis convocat Senatores, tunc Cracoviæ præsentes ad Palatium, reddit ijsdem literas easdem. Lectæ sunt in publico consessu, vocatus & Danzeus intimus HENRICI Consiliarius, ut de discessu Regio sufficienter informet. Quid opus facto sit, Senatores cum nonnullis ex Equestri Ordine, tunc Cracoviæ commorantibus, consilium ineunt.

Placuit mittere per tabellarios Viennam literas ad HENRICVM, tum ad Principes viciniores denuntiando eis discessum HENRICI in Galliam, præter scitum & expectationem omnium. Ad HENRICVM autem, vt memor fidei & juramenti præstiti; memor salutis, & incolumitatis omnium, redeat ad Regnum Poloniæ. Vix dum tabellarius cum talibus literis abierat, adferuntur Viennâ literæ ab HENRICO ad Ordines scriptæ, in quibus discessum suum inscijs Ordinibus factum excusabat; & vt Legati ad eum in Galliam mitterentur expostulabat, cum quibus possit de reditu suo conferre, & consulere malis & incommodis, quæ Reipub: ex diuturnitate absentiæ suæ possent evenire.

Discessum inopinatum HENRICI non tantùm fama publica ad Proceres Regni detulit, sed & Senatores Cracoviæ manentes, singulis amicis suis per literas denuntiãrunt. Itaq; Cracoviam properant de Repub: in communi consulturi. Petunt sibi negotium discessûs Regij referri. Proferuntur literæ Regiæ; tum quid factum

ſuerit, quale reſponſum ad literas Regias datum enarratur. Sed cùm ſcirent non poſſe quidquam concludi abſente majore parte Ordinū, dicunt Conventûs Generalis Varſaviæ diem decimam Menſis Septembris (Sulcovius vult quòd ad Feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli) eiuſdem anni, de tempore Conventuum Provincialium, vtq; Palatini Equeſtrem Ordinem informent, ut pro die aſſignato, ſi viſum foret Varſaviam conveniant, non poſſe aliter ſalvari Rempub: quàm ſi in commune conſultaretur, ſignificarentq; ocyùs, ſi conſilium hoc Equeſtri Ordini placeret.

Non diſplicuit hoc conſilium Equeſtri Ordini, imò gratiæ magnæ per literas actæ, quòd tam pio & bono exemplo ſibi præirent, ſe non reluctantes ſecuturos. Sed M. D. Lithvaniæ non facilè aſſentiebatur, tum ob anguſtiam temporis, tum ob periculum à Moſchis, ne cùm ad Conventum generalem irent, Moſchus interim Lithvaniam ingrederetur.

Verùm noſtri negotijs Reipub: manus appoſuerunt: milites ad præſidia limitum miſſi & ex omni parte ſecuritati Reipub: proviſum eſt. Jn Conventibus tamen Provincialibus, Equeſter Ordo contra Senatores aſſurrexit, inculpando illos ex ſola ſuſpicione indulgentiæ & aſſensûs in profectionem Regiam. Sed poſtquam Senatores literas Regias protulerunt, & innocentiam ſuam deduxerunt, verſæ querelæ in Regem, & itum fuiſſet in ſuffragia pro eligendo novo Rege, niſi aliquorum prudentia & authoritas obſtitiſſet, ſvadendo, vt Legati ad Regem in Galliam mittantur, qui mentem HENRICI exquirant; fidelitatem Reipub: coram confirment, modò ille regimen: vel ſi graviùs in hoc periculo agere oportet, requiratur tempus ſui regreſſûs: niſi hoc obtineatur, definiatur illi à Repub:, niſi intra duos treſve menſes adfuerit, cogi populum Polonum novæ electionis: non poſſe enim regimen ſubſiſtere ſine rectore. Cum applauſu ſummo Equeſter Ordo hanc ſententiam Senatorum recepit; dictumq; negotium Oratoribus Provinciarum, quatenus in Conventu generali Varſavienſi id promoverent.

Adveniente tempore, indicto per Conventus particulares Provinciarum, Conventûs generalis Varſaviæ, confluunt Proceres, & Equeſter Ordo. Poſt exauditas Legationes variorum Principum etiam Imperatoris Turcarum, lectæ ſunt literæ ab HENRICO Viennæ de data 18. Septembris *Anno Domini 1574.* ad Rempub: ſcriptæ. Quibus perlectis fautores HENRICI incuſabantur, & literæ paulò acerbiores ad HENRICVM ſcriptæ, vt pro duodecima Menſis

tis Maij anni sequentis, ad Regnum Poloniæ redeat, quodsi non venerit, sibi de novo Rege cogitandum esse.

Cum his literis Hieronymus Rozdrazevius Secretarius major Regni & Joannes Thomas Drohoievius mittuntur, quos Solikovius bono Patriæ studio, Archiepiscopo Gnesnensi, tum Czarncovio Episcopo Vladislaviensi & Tenczynio conscijs præjerat. Non aderant huic Conventui Lithvani, quia tardiùs conveniebant, aut convenire noluerant, quòd non per Primatem (pro more) convocarentur, sed authoritate paucorum Conventuum Provincialium utpote Cracoviensis, Posnaniensis & Sendomiriensis Palatinatuum. Damnosum quidem mansit in posteritatem (*scripsit Fredro fol:* 207.) authoritatem Primatis à paucis usurpari, sed periculum Reipub: prævaluit, cùm præsertim Interrex impar esset tuendæ Reipub: & segnis admodum in prævidendis malis: censura tamen illius Conventûs & authoritas mansit penes titulum Primatis. Allatæ quoq; sunt literæ ab HENRICO ad Primatem, de data Lugduni 14. Septembris *Anno Domini* 1574. in quibus incusavit Primatem, quòd sine authoritate ejus permiserit Conventus Particulares seditiosos, & lustrationes armatas, acsi jam Throno Regio vacante. Postquam dies duodecima Maij advenit, Ordines vt pactum erat Stęzyciam confluxerunt. In quo Conventu literæ, quas Legati nostri ab HENRICO attulerant, lectæ sunt, in quibus benevolentiam & constantiam suam erga Regnum Poloniæ expressit, nec oportere temporis & dierum mensurâ circumscribi, ocyùs imò, quàm Ordinum decreto dicta reditum suum vocaret dies, se velle in Poloniam redire, modò rebus Gallicis tutum provideret, interim Legatos suos ad Ordines mittere, & vt pauca mora adventui illorum detur, postulavit. Dum aliæ legationes à Principibus audiebantur, avidè expectabantur Legati HENRICI, quorum expectationem fautores HENRICI summo cum studio promovebant. Sed cùm tardiùs adventarent, Ordines credentes se ludificari, ad novi Regis electionem procedendum esse acclamârunt. Multi pro MAXIMILIANO laborabant quorum conatus vt alij reprimerent Piastum urgere cæperunt. Atq; sic in varia studia distractis omnibus, Conventus ille rebus infectis dissolutus est. Interim odia & dissensiones invalescebant, nonnulli qui HENRICI causæ & nomini studebant, in periculum deducti, multi interfecti. Solicitatur à multis Archiepiscopus, vt cùm vix aliqua spes redituri Regis supersit, & moram de mora necteret, & vellet vtrumq; Regnum tenere, cùm tamen in Polonia nonnisi præsentem

regnare posse, non per Interregem, vt Convocationem generalem Ordinum Varsaviæ indiceret. Itaq; Archiepiscopus Gnesnensis hactenus pro HENRICO fortis satis & animosus, labescens, ex quo MAXIMILIANVS Imperator suis rebus apud Archiepiscopum non deerat, Convocationem generalem Varsaviam pro die tertia Octobris indixit, quæ una tantùm vix duravit *vt refert Sulicovius:* in eadem Convocatione generali Ordinum Comitia Electionis indicta sunt, ut infra sub tit: de Electione dicemus. Interveniente Interregno, jus Majestatis, penes Ordines Regni remanet. Jn Confœderatione Palatinatûs Cracoviensis post mortem SICISMVNDI Tertij. Unde & Principes externi sub tempus Jnterregni, in literis suis ad Ordines, titulum Serenitatis apponere debent, aliàs literæ non leguntur. *Fredro ubi supra fol:244.* Archiepiscopus autem Gnesnensis vicem Regis gerit. Hic mortuo Rege, mortem ejus, Palatinatibus per vniversales literas sub titulo & sigillo suo, cum annotatione in fine earundem, Senatorum tunc ad latus suum præsentium, denuntiat, & easdem ad Officia Castrensia transmittit, & vt publicentur mandat. Et præter denuntiationem mortis Regiæ, in ijsdem literis vniversalibus, de consilio & consensu Senatorum, diem Comitiolis Palatinatuum & Districtuum, jam & Convocationi generali Varsaviensi assignat, & vt ad eam primo die Convocationis conveniant invitat & hortatur. Contributiones si quæ retentæ sunt, sine mora exigantur & extradantur. Capitanei tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithvaniæ invigilent, ne homines insolentes in vnum conveniant, & tumultus faciant, in Comitiolis modus coërcendi ejusmodi insolentias ineatur. Domini Capitanei in limitibus Regni Capitaneatus habentes, nullum hominem suspectum, vel literas passûs non habentem in viscera Regni admittant. Quodsi ab aliquo Principe externus Ablegatus veniat, de ipsius adventu, Archiepiscopum absq; mora certiorem faciant, & interea ad declarationem Archiepiscopi fines Regni transgredi non permittant. *Ita Ioannes Wężyk* Archiepiscopus Gnesnensis post mortem SIGISMVNDI Tertij Regis *Anno Domini 1632. die 5. Maij* fecit, vt videre est in volumine Constitutionum sub eodem anno.

Sic Matthias Lubienski Archiepiscopus Gnesnensis mortem VLADISLAI IV. Regis, de data Loviçij *die 26. Maij Anno Domini 1648.* denuntiavit, vt videre est in volumine Constitutionum anni ejusdem.

Sic vacante throno Regio post abdicationem à Joanne CASI-

MIRO Rege in facie totius Reipub: factam, (ut supra insinuavimus) Nicolaus Prazmowski Archiepiscopus Gnesnensis, convocationem generalem Varsaviensem omnium Ordinum Regni & M. Ducatûs Lithvaniæ ex Senatûs-consilio *pro 5ta Novembris Anni Domini 1668.* indixit, vt videre est in volumine Constitutionum ejusdem anni.

Sic Michaël Rádzieiowski S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Gnesnensis, ex Senatusconsilio Convocationem generalem Varsaviensem *pro die 29. Augusti Anno Domini 1696.* indixit, vt videre est in volumine Constitutionum ejusdem anni.

Interea temporis, ex Senatoribus Spiritualibus & Sæcularibus, tum ex Officialibus nonnulli assignantur, qui penes corpus Regis mortui resideant, omnemq; ordinem ac decentiam procurent: sumptus autem ad hoc necessarij, ex bonis Oeconomicis, usq; ad diem sepulturæ decernuntur, *vide confœderationem generalem Anni 1674.* Quod fit, etiamsi Rex alibi moriatur, prout ad cadaver Cnusinum (vbi supremam diem clauserat SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex die septima Julij) Senatores missi fuerant, ne aliquid ad majestatem & tristem defuncti deesset pompam, antequam funus maturaretur. *Fredro fol: 7.*

Adveniente die Convocationis, Senatus cum Equestri Ordine ad Ecclesiam Collegiatam Sancti Joannis descendunt, Convocationisq; suæ auspicia ab invocatione S. Spiritûs incipiunt, auditaq; Missâ de Spiritu Sancto cantatâ, & concione, ad Curiam se conferunt; Senatores suum conclaue solitum, Equester quoq; Ordo suum proprium ingrediuntur, electoq; Mareschalco, cujus potestas est à singulis sententias petendi, notandi, coæquandi, mittuntur ad Senatum aliqui ex Equestri Ordine, qui peterent tempus conclave suum Senatoriû ingrediendi, quâ obtentâ facultate à Senatu, jungunt se Senatui, quem Mareschalcus nomine Equestris Ordinis salutat, & postulata exponit. Cui à Senatu respondetur, & communis consultatio, de securitate & tranquillitate domestica & externa, de tempore & modo Electionis Regis, tum de alijs negotijs & materijs commodum Reipublicæ tangentibus, ab utroq; Ordine, tam Senatorio quàm Equestri initur.

Et quia in hac Convocatione generali, uterq; Ordo fœdus init, obligando se sub fide, honore, & conscientijs, contra turbatores pacis, & factiosos Cives, nullo habito respectu, domûs, privatarum amicitiarum, & sanguinis, se ituros, hæc Convocatio generalis vno nomine vocatur Confœderatio, vt passim intitulatur in constitutio-

nibus. Vocatur quoq; alio nomine, idiomate Polonico **Kaptur**/ sumpto nomine à tegumento capitis, quod tali nomine à Polonis appellatur. Sicut enim illud tegumentum defendit totum corpus hominis ab impetu imbrium & nivium, sic & confœderatio ista, totum corpus Reipub: protegit ab omnibus malis imminentibus & occurrentibus. *Przyłuſcius lib: 1mo, cap: 1. art: 2. fol: 6. Dreſnerus lib: 1. institutionum tit: 9.* Atq; sic confœderatio & **Kaptur** idem sunt, vt videre est in Constit: Regni *fol: 401.* & apud Herburtum in statuto Latino, sub verbo Interregnum. Hæc convocatio generalis durat sex septimanis, vt & alia Comitia generalia; nisi prolongetur de consensu Ordinum, ob aliquam justam causam. Aliquando duabus septimanis vel breviori tempore expeditur, stante concordiâ communi, & cessantibus factionibus, vt infra patebit in confœderationibus Ordinum Regni.

Tractantur autem in illis, non solùm respectu securitatis internæ seu domesticæ, aut externæ, sed etiam aliæ materiæ, quas necessitas svaserit, vt ex infra scriptis confœderationibus patebit.

Et inprimis **Kaptur** seu confœderatio ab Ordinibus Regni tunc Cracoviæ existentibus post mortem SIGISMVNDI AVGVSTI Regis in Arce Cracoviensi *Anno Domini 1572.* Sabbato post festum Divisionis Apostolorum fuit celebrata. In qua, inhærendo privilegio in Civitate nova **Korczyn** *Anno Domini 1438.* ab Ordinibus conscripto, & imitando Majores suos, sub fide & honore suis, contra illos, & destructionem eorum in vita, & facultatibus ac bonis, qui inobedientiam iuri Terrestri communi excitare, bella contra Rempub: & Regnum movere, violentias, invasiones, deprædationes in conis personarum Spiritualium & Sæcularium, tum ipsarummet Ecblesiarum, aut alias insolentias facere, auderent, se coniunctim vel divisim pro exigentia & necessitate periculi ituros; consilia nulla eisdem daturos, aut aliquam inclinationem & propensionem demonstraturos,etiäsi sibi sanguine,affinitate,aut aliquâ cognatione aliâ, conjuncti essent, promiserunt, prout in volumine Constitutionum *fol: 207.* cum sequ.

Et ex illa confœderatione in Korczyn Herburtus in Statuto Latino sub verbo *Interregnum* forsan desumpsit hæc verba: *Insuper si qui extra fines Regni positi, Ecclesias, seu bona Ecclesiæ, aut confinia Regni nostri Rege nondum coronato molestare præsumpserint, volumus, promittentes sine dolo & fraude, cùm ad hoc specialiter requisiti fuerimus, juxta posse facultatesq; nostras, vnanimiter illa pelendere.*

Tandem anno ſequenti, hoc eſt 1573. *die* 28. *Menſis Ianuarij* confœderatio generalis omnium Ordinum Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ Varſaviæ inita & conſcripta fuit, in qua ſub fide, honore & conſcienrijs ſuis promiſerunt, & ſe obligârunt ad ſervanda puncta infra ſcripta.

1. Nullam diſunionem & diſmembrationem inter ſe facturos, aut aliquâ factione allaboraturos, ſed ad locum pro tempore præfixo congregatos, concorditer & pacificè actum Electionis juxta voluntatem divinam ad effectum deducturos, nec in Regem aliquem conſenſuros, niſi priùs omnia jura & privilegia & libertates, quæ ſunt, & quæ illi poſt Electionem dabuntur, juramento confirmaverit, & præcipuè ſuper hoc juraverit, quòd pacem communem inter diſſidentes in Religione conſervabit, Nobilitatem precibus, aut ſolutione quinque marcarum ſuper haſtam, extra limites Regni, non extrahet; expeditionem bellicam generalem Nobilitatis abſq; conſtitutione Comitiali non inſtituet. *fol: 208.*
2. Quodſi aliquis, alium locum & tempus Electionis novi Regis eligere; tumultus in actu Electionis facere, militem privatim conſcribere, Electioni concorditer factæ contrarius eſſe, auderet & præſumeret, contra talem ire omnes promiſerunt *fol: 208.* cum ſequ.
3. Pax inter diſſidentes in Religione conſervetur *fol: 209.* prout latiùs videre eſt hic, ſub titulo de Religione.
4. Omnia beneficia Iuriſpatronatûs Regij, Prælaturæ Eccleſiaſticæ, Indigenis Polonis, Romanæ Fidei, juxta ſtatutum Regni conferantur. Beneficia autem Eccleſiarum Græcarum, hominibus Græcæ fidei. *fol: 209.*
5. Differentiæ inter ſtatum Spiritualem & Sæcularem, de rebus temporalibus politicis, in proximis Comitijs Electionis Regis componantur. Ibidem.
6. Ordo adminiſtrationis juſtitiæ, prout quiſq; Palatinatus concorditer ſibi conſtituerit, ſervetur. Similiter & reſpectu munitionis & præſidij arcium in limitibus Regni conſtitutarum. Ibidem.
7. Proficiſcentes ad Comitia Electionis, vel in loco *ipſo* Electionis, necnon redeuntes ex ijſdem Comitijs, nec ſibi, nec alijs violentiam faciant, *fol: 210.*

Reliqua, quæ conſtituta ſunt reſpectu inſcriptionum fatalium, ſub Interregno, & ſimilium, ſub § de judicijs Capturalibus infra inſinuabimus.

Quæ omnia & singula servare, sub fide, honore, & conscientijs suis, pro se & posteris suis spoponderunt. Et si quis contrarius esset, contra talem in destructionem ejus, omnes consurgere promiserunt.

CONFÆDERATIO GENERALIS VARSAVIENSIS.

Post mortem STEPHANI Regis, feriâ secundâ post Dominicam Lætare in Quadragesima proxima.

Anno Domini 1587: *Folio* 407. *in volumine Constitutionū.*

1. Omnes Ordines Regni & M. D. L. sub fide, honore, & conscientijs suis promiserunt, quòd nullam scissuram aut dismembrationem inter se facient, nec eam fieri permittent *fol:* 407.

2. Nec vna pars absq; alia Regem eliget; nec per factiones privatas accipiendo munera vel pecuniam in commodum suum proprium, aut ad conducendum militem, vel saltim promissiones aliquas acceptando, in thronum Regium inducet. Aliàs de promissis legitimè coram judicio Capturali generali convictus pro hoste Patriæ pronuncietur, nec ad Electionem novi Regis admittatur. *Ibidem.*

3. Quòd omnes ad locum destinatum pro tempore præfixo congregati, actum Electionis novi Regis, juxta voluntatem Dei ad effectum deducent: Nec in alium Regem consentient, nisi qui per libera suffragia omnium electus esset. Quodsi aliquis ex Senatoribus vel Officialibus Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ, aut ex privatis personis auderet Regem nominare, publicare, & coronare, talis pro hoste Patriæ habebitur. *Ibidem.*

4. Rex electus vt ante omnia, jura omnia, Privilegia & libertates, quæ sunt, & quæ illi post Electionem porrigentur, juramento, juxta Rotam juramenti Regum Poloniæ, HENRICI & STEPHANI in Coronatione præstiti, confirmet. *Ibidem.*

5. Confœderationes antiquæ de Dissidentibus in Religione, & illorum pace reassumptæ sunt, *fol:* 409.

6. Compositio inter statum Spiritualem & Sæcularem, quòd in futura Electione novi Regis fiet, & novo Regi pro confirmanda illa juramento dabitur. *fol:* 416.

7. Vulne-

7. Vulnera Reipub: exorbitantiæ, gravamina & excessus, ad futura Comitia Electionis differuntur, vt vel ipsi Ordines, vel deputati ab illis cognitionem faciant, & omnia in bonum ordinem redigāt, promittendo id facturos in ipsomet exordio Electionis. *Ibidem.*

8. Bona alicuius violenter & hostiliter occupans, si respectu eiusmodi injuriæ & damnorum, nondum litis contestatio in aliquo judicio intercessit, injuriatus tálem iniuriantem, membranà Iudicij Terrestris vel Castrensis illius Terræ, vbi bona occupata jacent sub titulo Consiliariorum & Ordinum Regni, ad Comitia hæc Electionis peremptoriè citet, & ibidem iniurians judicetur. *Ibidem.*

9. Ad correcturam Iurium & Tribunalis Regni ex Senatu deputati sunt; ex Equestri autem Ordine, ut in lustris Palatinatuum proximis eligantur. *Ibidem.*

10. Securitas Ciuitatum & Oppidorum conservatur, præter, si in recenti crimine (prout de hoc statutum Torunense obloquitur) captus esset, ut judicium Capturale cum Civili in Prætorio judicet, conclusio autem decretorum, penes maiorem partem Iudicum Capturalium remaneat. *fol: 411.*

11. Lustrum in quolibet Palatinatu & Terra decernitur & locus unicuiq; Palatinatui assignatus pro octava die Maij contra inobedientes, pœna de expeditione bellica statuitur. Venientes ad lustrum, vel ex eo redeuntes & in ipso lustro pax servetur, sub pœnis in præsenti confœderatione descriptis, per eosdem judices confœderationis cognoscendis & decidendis. Utq; in eodem lustro, Nuntij Terrestres ad hanc convocationem missi, necessitates Reipub: Electionem futuram novi Regis tangentes exponant; demonstratisq; literis vniversalibus istius Conuentus sedulò persuadeant, vt omnes & singuli pro futura Electione moveantur, statutum. Quodsi aliquis diversa bona habeat, sufficere in illo Palatinatu lustrum facere & comparere, in quo literæ vniversales lustri illum deprehenderent. Quas literas vniversales lustri vt Palatini aut Castellani, vel in defectu eorum Officiales primi, sex septimanis ante lustrum ad Capitaneos transmittant, Capitanei autem publicari faciant cum vadio tali, quale de executione decretorum judicij Capturalis superiùs descriptum est. Ab hoc lustro, pœnis liberati sunt, qui ante Interregnum hoc extra Regnum discesserunt, & ibi commorantur, dummodo per substitutas personas lustrum hoc expediant. Similiter & omnes alij, quos

jus commune, juxta continentia ſtatuti liberat. Sicut & milites pecunia in ſervitium bellicum Reipub: conducti. Similiter incolæ M. D. L. qui bona in Regno habent, miſſis ad luſtrum hoc perſonis idoneis. Famuli Dominis M. D. L. inſervientes, in Regno poſſeſſionati ab hoc luſtro exempti quoq; ſunt, eo reſpectu, quòd in Magno Ducatu Lithuaniæ, Reipub: ad inſtar militum inſerviant, Domini tamen illorum tenentur regeſtrum horum famulorum in Regno poſſeſſionatorum, ad Acta Caſtrenſia Varſavienſia, ante tempus luſtrationis præſentis porrigere, ne in hoc aliqua eluſio fiat. Sic etiam famuli poſſeſſionati Dominis in Regno inſervientes liberantur, dummodo unusquiſq; illorum, dum Domini illorum luſtrationem facient, in regeſtrum inſcribi faciat: Aulici quoq; Reginæ, & Deputati ex Aula Regis demortui, ad obſequium circa corpus ejuſdem, ab iſto luſtro liberi facti ſunt: quorum Aulicorum regeſtrum, ut vnus ex Dominis Mareſchalcis, Dominus autem Præfectus Aulæ Regiæ ad ingroſſandum ad Acta Caſtrenſia Varſavienſia porrigat. *fol: 411.* & ſequ.

12. Proventus ex bonis Regalibus, & omnes alij tam in genere, quàm in ſpecie, nullis penitus exceptis, à quocunq; retenti ad Theſaurarium Regni aut Subdelegatum ejus, in ſpatio ſex ſeptimanarũ à die confœderationis conſcriptæ, comportentur. Contumacibus terminus peremptorius, vigore ejuſdem convocationis, coram Iudicibus in futura Electione novi Regis deputandis, ſexta dies ab electione, aſſignatus, ſub pœna dupli, quæ jam ex nunc vigore ejuſdem Conventûs in defectu ſolutionis pro tempore ſuperiùs expreſſo, fiſco Reipub: applicando decernitur. Pro cuius executione data facultas Domino Theſaurario remittendi ad forum contumacis, & Dominus Capitaneus eam faciat. *fol: 412,* cum ſequ.

13. Quidquid Dominus Theſaurarius Regni, tempore Interregni, cum ſcitu Senatorum & Conſiliariorum Regni, tam pro munitione & præſidijs arcium limitanearum, quàm pro alijs neceſſitatibus Regni expendet, novus Rex & Reſpub: circa calculum acceptabunt. *fol: 413.*

14. Theſaurum & ſupellectilem Regiam omnem in genere, tam poſt SIGISMVNDVM AUGUSTUM, quàm poſt STEPHANUM Regem, Dominus Theſaurarius Regni bene conſervet & pro Comitijs Electionis novi Regis advehi procuret, quod ſi aliquid ab aliquo ſubtractum fuerit, inquiſitio & judicium tum ſatisfactio, in ijſdem

ijſdem Comitijs Electionis formetur, & fiat. Ad quod judicium per literas innoteſcentiales Domini Theſaurarij vocatus, ſub pœnis legibus ſancitis, peremptoriè compareat.

Quantum verò ad theſaurum Grodnæ, Nuntij Terreſtres Magni Ducatûs Lithvaniæ, Fratribus ſuis cuiuſcunq; ſtatûs perſuadeant, vt propter celeriorem expeditionem iſtius inquiſitionis, & deciſionis ab omnibus Ordinibus vtriuſq; gentis, ad Comitia Electionis, Dominus Theſaurarius M. D. L. advehi quoq; procuret. *fol: 413.*

15. Bona Reipub: menſæ Regiæ in quocunq; Palatinatu externi tenentes poſt literas monitoriales Domini Theſaurarij dimittant. Quodſi fuerint contumaces, judicium Capturale, ad Palatinum pro executione facienda remittat, quam Palatinus ſub pœna ſuperiùs expreſſa faciat. Quòdſi Dominus Theſaurarius in præmiſſis negligentem ſe exhibeat, aut alicui faveat, in Comitijs Electionis, in facie omnium Ordinum reſpondeat. *Ibidem.*

16. Adminiſtratio Oeconomiarum, & proventuum bonorum Regalium, poſt mortem Capitaneorum vel Tenutariorum juxta privilegium Regni ad Dominum Theſaurarium & non ad alium ſpectat. Arcem quoq; Lanccoronenſem, vt defacto ſub adminiſtrationem ſuam recipiat, ſtatutum eſt. *Ibidem.*

17. Miles in Palatinatu Cracovienſi, juxta confœderationem ejuſdem Palatinatûs & Sandomirienſis conſcriptus approbatus, & vt huic militi, Dominus Theſaurarius indilatè, ex bonis Reipub: ſolvat, injunctum eſt. Et ne milites iſti, illorumq; Præfecti ad Comitia Electionis venire audeant, cautum eſt. Mittere tamen aliquos ad Electionem, in negotijs ſuis permiſſum eſt, non tamen in maiori numero, quàm viginti, includendo & famulos. Similiter & illos, qui pecuniâ ſuâ, in neceſſitatem Reipub: ſuccurrunt. *Ibidem & fol: ſeq.*

18. Dominus Theſaurarius Regni, vnà cum Deputatis ad id per conſtitutionem electis, ante Electionem, Privilegia Regni revideat, & coronam obſigillet. *fol: 414.*

19. Ad receptionem Quartæ, Ravæ juxta conſtitutionem Lublinenſem, deputati ſunt. *Ibidem.*

20. Ne ſub tempus Interregni, diſſidia, duella, tumultus, & diſcordiæ fiant, ſed pax & amor fraternus vigeat, cautum eſt.

21. Ne aliquis cum externis hominibus, aut cum tormentis majoribus bellicis, vel cum bombardis cuiuſcunq; generis ad locum electionis venire audeat, ſub pœna in confœderatione expreſſa

 cautum

cautum eſt; aliàs ſub fide & honore contra tales, tanquam contra hoſtes Patriæ ſe ituros ſpoponderunt ſibi: niſi expeditio bellica generalis Nobilitatis in luſtris Palatinatuum conſtituta eſſet, nam tunc permiſſum eſt venire cum bombardis & alijs armis, non tamen cum hominibus externis. *Ibidem.* Sed iſte articulus poſtea declaratus eſt, vt infra dicetur.

22. Ad reviſionem ſaliſfodinarum Vieliceníium & Bochnenſiū deputati ſunt Commiſſarij, vt in Comitijs Electionis relationem faciant, injunctum eſt. *Ibidem.*

23. Tempus Electionis dies 30. Iunij. locus autem, ex iſta parte Varſaviæ, vbi *Wola* jacet determinatus eſt. Vtq; venientes ad Comitia iſta, & in loco electionis, nulla damna, aut injurias faciant, ſed juxta ordinationem Varſavienſem *Anno Domini 1573.* ſub pœnis ibidem expreſſis ſe gerant, cautum eſt. *Ibidem.*

24. Defenſio limitum Terrarum Ruſſiæ, Podoliæ, Volyniæ conſtituta eſt, & ad eum effectum, duo millia equitum laudata, vtq; Dominus Theſaurarius Regni, quolibet quartuali, florenos quindecem pro vno equo numeret, & Leopolim ad manus Domini Notarij Campeſtris tranſmittat, hic autem Notarius cum ſcitu Præfecti maioris huius militis, in convocatione hac electi, & jurati, Præfectis militum cuiuſcunq; vexilli numeret, & diligenter animadvertat, ne aliquis in regeſtrum huius militis ſe inſcribat, qui penes Capitaneum, ſervitium bellicum expedire tenebatur: vtq; poſt acceptam pecuniam, in duabus ſeptimanis, vnicâ die in loco ſibi cum Præfectis militum bene viſo luſtrum militis iſtius faciat, & expediat; & ab hoc luſtro ſervitium bellicum incipiat. Milites autem vt bonos equos habeant: miles haſtatus, cum haſta, loricâ indutus, manicis munitus, galeâ tectus, cum bombarda minori aliàs **z krotko ruſznicą/** cum framea, **z koncerzem albo z pałaſzem/** equo ad prælium inſideat. Eques autem Coſaticus cum bombarda majori, aliàs **z pułakiem/** & cum bombarda curta. Ad hæc Dominus Notarius Campeſtris luſtrum taliter faciat, vt Præfecto centum milites habenti, equum **powodowego**, item pro tympaniſta, pro tubario, pro Vexillifero, acceptet. Præfectus aliàs **Rotmiſtrz** decem equos, Commilito aliàs **Towarzyſz** ad maximum ſex equos habeant, reliquos equos famuli ſuppleant, *fol: 415.* & ſequ: vbi plura ordinata ſunt reſpectu iſtius militis, & reſpectu præſidiorum arcium limitanearum, tum adminiſtrationis juſtitiæ ex hoc milite.

25. Domino Theſaurario Regni data eſt facultas arendandi Oecono-

mias

mias & Telonea, in quantum pecunia in thesauro deficeret; habitâ præ oculis consideratione, quantum desideraretur pecuniæ pro necessitatibus Reipub: protunc expendendæ; & non plus. Tandem eandem confœderationem Senatores & Nuntij Terrestres subscripserunt, & ad Acta Castrensia Varsaviensia, ipsum originale confœderationis ad acticandum oblatum est.

CONFÆDERATIO GENERALIS VARSAVIENSIS.

Post mortem SIGISMVNDI III.

Anno Domini 1632. die 16. Iulij. facta & conscripta.

1. DE non facienda inter se dismembratione; de concordi per libera suffragia, & non per factiones aliquas electione novi Regis, de confirmatione jurium, privilegiorum & libertatum per Regem electum sub nexu juramenti facienda, idem statutum est, prout in antecedentibus confœderationibus *fol: 2.*
2. Exorbitantiæ & vulnera Reipub: ad Comitia futuræ Electionis novi Regis, vt in antecedentibus confœderationibus rejecta & dilata sunt. *Ibidem cum sequ.*
3. De pace inter dissidentes in Religione idem statutum est, prout latè sub titulo de Religione diximus, *fol: 3.*
4. Quid de Iudicijs Capturalibus & fatalibus statutum est *fol: 3. cum sequ.* infra sub §. de Iudicijs Capturalibus dicemus.
5. Contributiones ordinariæ & extraordinariæ ad exactores, ab his ad thesaurum Regni & M. D. L. in Prussia autem ad Thesaurarium Prussiæ, Quarta autem ad locum solitum Ravæ deferantur; cui ordinationi ne Conventus particulares Palatinatuum derogēt. Non deferentes has contributiones ad exactores, exactores autem ad thesaurum, summario Iudicio in judicio Capturali respondeant: hoc addito, quòd abjurata ex fundis desertis, & desolatis per bellum Sueticum & Cosaticum, admittantur. *fol: 6.*
6. Civitatibus & Oppidis, prout sub alijs Interregnis, cavetur; captus in recenti crimine (prout statutum Torunense obloquitur) à Iudicio Capturali & civili in Prætorio, judicetur, manente de-

cretorum conclusione penes pluralitatem Iudicum Capturalium. Palatinatus tamen *Russiæ*, respectu istius articuli de civitatibus, ad conferentiam cum fratribus in Comitiolis primis post hanc Convocationem, accepit.

7. Tempus Electionis, *dies 27. Septembris anni 1632. assignatus*, & vt sex septimanis, prout alia Comitia duret, & vt ante omnia exorbitantiæ & vulnera Reipublicæ in eadem Electione sanentur, nec vllo modo ad electionem & nominationem novi Regis descendatur. Locus autem electionis ex illa parte Varsaviæ vbi **Wola** jacet, determinatus. *fol. 6. & 7.*

8. Respectu venientium ad Electionem, dum de externis hominibus, & tormentis bellicis, reassumptus est in toto articulus confœderationis generalis Varsaviensis *Anni Domini 1587*. Respectu autem ordinis Electionis, & accessus ad locum consultationibus designatum, reassumpto ordine *in anno 1573.* descripto, differtur ad Comitia futuræ Electionis, & ut ante omnia id constituatur cautum est. *fol: 7.* Similiter respectu ordinis securitatis, administrationis justitiæ, in reditu ex electione, ad ipsum actum electionis rejectum est. *fol: 8.*

9. Dominis Mareschalcis vtriusq; gentis (accedente consensu pro hac vice Incolarum Palatinatûs Mazoviensis) data est facultas (prout & in alijs *Comitijs* eadẽ habent) distribuendi hospitia Palatinatibus, Terris & *Districtibus*. Ab hoc tamen onere exemptæ sũt Curiæ & domus Nobilium. *Ibidem.*

10. Cum congregati ad Comitia electionis, non omnes stationes possint habere prope Varsaviam, constitutum est: si Nuntij vel Deputati à Palatinatibus, Terris, Districtibus, ex remotioribus stativis, ad circulum generalem ad consultationem mittantur, Domini Mareschalci, more solito hospitia Varsaviæ pro illis assignent. *Ibidem.*

11 Cautum est, ne Incolæ Regni vel M.D.L. veniendo ad Comitia Electionis, & in loco Electionis, injurias, damna, exactiones, excessus, excisiones in *sylvis* Nobilium faciant. Pro cognitioneq; ejusmodi iniuriarum civilium & criminalium constitutum *est* Iudicium generale Capturale compositum, electiq; sunt communi consensu Iudices primâ die Electionis tres ex Senatu; ex Ordine Equestri Minoris Poloniæ quatuor; totidem ex *Equestri* Ordine Majoris Poloniæ, similiter & ex Ordine Equestri Magni Ducatûs Lithvaniæ; receptumq; est ab illis juramentum super justè

judican-

judicando, juxta Rotam Tribunalis Regni; & ut cum Dominis Mareſchalcis vtriuſq; gentis, in palatio Domini Mareſchalci Regni hæc judicia peragantur, tali poteſtate & ſecuritate, prout judicia Tribunalis Regni, pluralitateq; ſuffragiorum vincente decreta ferantur. Et vt hoc judicium extraordinarium ſolùm ad inaugurationem novi Regis duret; nec antiquis juribus Mareſchalcalibus in poſterum deroget. *Ibidem.*

12. Ad revidendum theſaurum Regni, vbi inſignia, clenodia, & Archiva Regni conſeruantur, præter Senatores, ad quos ex diſpoſitione juris ſpectat occluſio coronarum, deputati ſunt nonnulli ex Senatu & Equeſtri Ordine, tempuſq; faciendi hanc reviſionem præfixum: vtq; juxta inventaria poſt mortem SIGISMVNDI AUGUSTI & STEPHANI Regum Poloniæ conſcripta, theſaurum & archiva memorata, revideant, & connotent, relationem verò ſuæ functionis, in Comitijs futuræ Electionis faciant. Inſuper cautum eſt; ne in poſterum fornix, in quo inſignia Regni conſervantur, abſq; Dominis Senatoribus, qui juxta præſcriptum juris, claves ab eodem penes ſe habere tenentur, aperiatur. *fol: 8,* vbi etiam ad reviſionem theſauri Magni Ducatûs Lithuaniæ, deputati ſunt, & tempus reviſioni præfixum.

13. Renovatio Pactorum cum Principibus vicinis factorum conſtituta, & legati ad illos deſtinati. Cum quibus autem nondum pax certa eſt, vt Ordines ineant modum, qualiter Reſpub: durante Regno pace frui poſſit. *Ibidem.*

14. Ad latus Primatis Regni, ex vtroq; Ordine Reipub: & ex utraq; gente deputati ſunt, vt occurrente aliquo caſu, conſilio, & auxilio non deſint ei: legationes externorum Principum vnà cum Primate audiant, & incidentes Reipub: neceſſitates iiſdem Primas communicet, & communi conſilio procuret, ne Reſpub: quidquam detrimenti ſubeat & patiatur. Graviora autem & ſtatum Reipub: animamq; præſentis Interregni concernentia ad actum Electionis pro cognitione & deciſione jvt reſerventur. *fol: 9.*

15. Licèt quidem Jlluſtriſſimus Archiepiſcopus Gneſnenſis cum Senatoribus decorem & ordinem circa corpus Regis demortui conſtituit, tamen pro majore decore publico ad idem corpus, tam ex Senatoribus, quàm Officialibus Regni & M. D. L, deputati ſunt, vtq; vſq; ad Electionem novi Regis ibidem reſide-

ant, decoris publici & ordinis curam habeant. *fol: 9.*

16. Quamvis nonnulli Palatinatus, Terræ & Districtus Regni & M. D. L. particularibus laudis suis securitati contra insolentes & seditiosos sibi prospexerunt, & sic ordinarius exercitus Reipub: si tamen istis præsidijs securitas teneri non posset, aut ab extra aliqua ex parte periculum Reipub: immineret, constitutum est, vt Domini Duces exercitûs Regni & M. D. L. quilibet pro suo loco officio & competentia deberet præsidia Reipub: pecuniaria illic convertere, vbi necessitas Reipub: postularet. *fol: 10.*

17. Pro munitione & præsidijs arcium Prussiæ, Dominus Thesaurarius Regni, triginta millia florenorum cum scitu supremi Ducis exercitûs Regni, ex pecunia contributionum numeret, quam summam Ducatus Prussiæ, ex pensione ab Electore Brandeburgico accepta, restituat thesauro, *fol: 10.*

18. Data est facultas Incolis duorum Palatinatuum majoris Poloniæ, vt si domestica securitas id postulaverit in Comitiolis immediatis post hanc Convocationem ex bonis Reipub: in ijsdem Palatinatibus militem (vulgò dictum **Wybrańce**) colligere. *Ibidem.*

19. Periculis à Moscho & Livonia imminentibus, vt Duces Exercitûs M. D. L. occurant, exercitumq; suum in tali disciplina teneant, ne bonis Reipub: Spiritualium & Sæcularium graves sint. Quodsi cum suo exercitu hosti resistere non possent, inito consilio cum Primate Regni & Deputatis ad eum consiliarijs, majorē numerum conscribant. Si verò ab illis partibus non imminerent pericula, sed in Regno, exercitum suum Polono jungant. Et si vterq; exercitus non sufficeret, expeditio bellica generalis Nobilitatis constituta est, sub pœnis de expeditione bellica generali. Extradendi literas restium in manus Primatis & deputatorum Consiliariorum data est potestas. A præfata tamen expeditione bellica generali, & pœnis, studia in exteris tractantes, vel ob aliam causam commorantes. juxta confœderationem *Anni 1587.* exempti sunt, dummodo ex bonis illorum hoc servitium bellicū per substitutum expediatur. Nuntij tamen Terrestres M. D. L. respectu istius expeditionis generalis, ad conferentiam cum fratribus Palatinatuum suorum dilationem obtinuerunt. Ad hæc cautum est, vt miles Regni & M. D. L. conscriptus & pecuniâ conductus, ex nunc vbi maius periculum immineret Reipub: cōvertatur. *fol: 10. & sequ.*

20. Ne miles Districtuum (aliàs (**Powiátowy**) & pecuniâ conductus,

ctus, immiſceat ſe electioni novi Regis, ſed ibi excubet, vbi à Ducibus ſuis, de conſenſu Reipub: collocatus fuerit. Et ne trãſeundo ſtationibus, exactionibus, vel alijs modis, bona Spiritualium & Sæcularium, tum Regalia & Oeconomias aggrauent, contra facientes, Duces illorum, ſummario proceſſu ad inſtantiam partis iniuriatæ, iudicent. Permiſſum tamen eſt, vt Exercitus poſſit Deputatos ſuos ad Comitia electionis mittere, non tamen in maiori numero, quàm viginti perſonarum, includendo & famulos. *fol:* 11.

21. Domini Theſaurarij Regni & M. D. L. contributiones Reipub: niſi pro milite, & non in alias neceſſitates, idq; cum ſcitu Primatis & Conſiliariorum, extradant, ſub pœna ſolutionis de ſuo. *fol:* 12.

22. Ob dignitatem Reipub: & gratam memoriam erga Regem demortuum conſtitutum eſt; vt proventus ex bonis menſæ Regiæ, pro neceſſitatibus Reginæ, derelictæq; eius Prolis, tùm pro decore circa corpus Regis demortui, vſq; ad electionem novi Regis extradantur, pro quibus neceſſitatibus, vt & theſaurus M. D. L. ex proventibus tempore Interregni perceptis, vel percipiendis contribuat. Vt tamen Domini Theſaurarij expenſas iſtas moderent, ne pecunia pro defenſione Reipub: laudata, in neceſſitates illas convertatur; & ne debitis bona Reipub: & bonorum menſæ Regiæ onerent; rationes perceptæ & expenſæ in Comitijs Electionis Regis facturi. Et vt præfatas expenſas poſſint commodiùs expedire, applicatæ ſunt pœnæ de contributionibus ſuperiùs latæ, ſi Tenutarij bonorum Menſæ Regiæ, proventus ex illis provenientes, non in tempore ad theſaurum deferrent. Tum ne Officialibus Regis, obventiones ſolitæ ex bonis menſæ Regiæ ſolvantur. *fol:* 12.

23. Electio Deputatorum ad Tribunal Regni, ſolito tempore fiat, Iudicia autem Tribunalitia duabus ſeptimanis poſt coronationem Regis inchoëntur. *Ibidem.*

24. Ad reuiſionem ſaliſfodinarum Vielicenſium & Bochnenſium deputati, ut eas, tempore præfixo, cum Theſaurario Regni, & cum Succamerario Cracovienſi, prout privilegium ipſius ſonat revideant, indemnitati earum provideant, & relationem in Comitijs Electionis reviſionis factæ faciant. *Ibidem.*

25. Domini Palatini & Capitanei Vkrainæ, in arcibus limitaneis reſideant, & officio ſuo ſatisfaciant, niſi ſint Officiales Reipub: aut

bello inſerviant, & excepto actu Electionis, ad quem permiſſum eſt venire, dummodo Nobilem bene poſſeſſionatum cum ſufficienti præſidio relinquant. *fol: 13.*

26. Pro commoditate Incolarum *R*egni & M. D. L. ad Comitia Electionis venientium, commiſſum eſt Domino Theſaurario Regni, vt inito conſilio cum Domino Capitaneo Varſavienſi, vocatoq; Architecto Regio, pons ſuper fluvio Viſtula, ſumptu publico exſtruatur, cuius ſumptûs duæ partes ex theſauro Regni, & tertia pars ex theſauro M. D. L. dentur. Domini autem Tenutarij viciniores ex ſylvis Reipub: ligna ne denegent. *Ibidem.*

27. Reſpectu pacis inter Vnitos & Diſunitos Religionis Græcæ, ſcriptum certum, mediatione *R*egis Sueciæ & Deputatorum ex Senatu & Equeſtri Ordine, conſcriptum & manu præfati *R*egis ſubſcriptum & ſigillo ejuſdem *R*egis munitum, vtriq; parti datum eſt, vt illud ad Fratres ſuos deferant & præſentent. *Ibidem.*

28. Luſtra & Comitiola, quæ ſibi Palatinatus, Terræ & Diſtrictus cõſtituerunt, approbata, & in quibus nondum ſunt conſtituta, data eſt poteſtas eadem conſtituendi, tempuſq; comitiolis & luſtris diſtinctim aſſignatum eſt. Vtq; juxta conſtitutionem ſuper hoc factam vnuſquiſq; ad illa veniat. Si tamen aliquis Nobilis in pluribus *P*alatinatibus vel Diſtrictibus habeat bona, data eſt ei facultas, in quo Palatinatu vel Diſtrictu voluerit, ad hoc luſtrum venire. *Ibidem. & ſequentibus folijs.*

29. Ad correcturam Iurium, vt Palatinatus, in primis comitiolis ante Electionem futuram novi Regis, vnum ex quibuslibet Comitiolis eligant Deputatos, qui cum alijs incolis ad Comitia electionis veniendo, ſtatim à principio Electionis cum Deputatis ex Senatu, hanc correcturam Iurium faciant, & ad trutinam omnibus Ordinibus Reipub: porrigant. *fol: 15.*

30. Monetæ ordo & proventus, cum poſt mortem *R*egis penes *R*empub: remaneant, ad ordinem & correcturam eiuſdem deputati ſunt; vt certum modum corrigendæ hujuſmodi monetæ adinveniant, & in Comitijs Electionis *R*egis ſub cenſuram totius *R*eipub: dent. *Ibidem.*

31. Jncolis Livoniæ & civitati Gedanenſi intuitu meritorum & damnorum pro Repub: ſuſceptorum, ſecuritas reſpectu certæ ſummæ in Comitijs *Anni 1631.* data, aſſecuratur & confirmatur. *Ibidem.*

Quæ omnia ſe ſervaturos, ſub fide, honore, & conſcientijs ſuis pro

ſe &

se & posteris suis spoponderunt. Et si aliquis his contravenire & pacem in hac confœderatione constitutam, & ordinem communẽ destruere præsumpserit, contra talem in destructionem eius consurrecturos, promiserunt, & manibus proprijs eandem confœderationem subscripserunt, cum additione à nonnullis: *salvis juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ*, ab alijs autem: *excepto articulo confœderationis mei Palatinatûs*

CONFÆDERATIO GENERALIS VARSAVIENSIS Post mortem VLADISLAI IV. *Anno Domini* 1648. *die* 16. *Iulij conscripta.*

1. NEgotium exorbitantiarum & differentiarum inter dissidentes in Religione Christiana ad Electionem futuram novi Regis reiectum. *fol:* 1.
2. De non facienda dismembratione inter se, de concordi Electione Regis, omnia vt in antecedentibus confœderationibus. *fol:* 2.
3. Rex electus vt statim post electionem suam omnia jura &c. confirmet. *fol:* 2.
4. Vulnera Reipub: exorbitantiæ, gravamina, vt in Electione ante omnia sanentur, vel modus ad ea sananda adinveniatur. *Ibidem.*
5. Pax inter dissidentes in Religione vt sit, & plura alia de hoc *fol:* 3 & 4. de quo supra sub tit: de Religione diximus.
6. De validitate decretorum à die mortis Regiæ vsq; ad publicationem literarum vniversalium latorum. *fol:* 4. vt in alijs confœderationibus.
7. De apertione librorum seu Actorum Castrensium, & de inscriptionibus, omnia vt in prioribus confœderationibus. *fol:* 4.
8. De juramento Capitaneorum judicialium, vt in alijs confœderationibus. *Ibidem.*
9. Notarius Terrestris Grodensis M.D.L. in futuris Comitiolis Relationum iuret. *Ibidem.* Notarius autem Terrestris Sanecensis in judicijs Capturalibus Terræ suæ. *fol:* 5.
10. Jn Castro Smolecensi licèt Notarius Terrestris non habeatur; o-

mnes tamen inſcriptiones in eodem factæ valorem habeant, ac ſi coram Notario ſint factæ. *Ibidem.*

11. Ob incarcerationem Capitanei Winnicenſis cùm Acta Caſtrenſia ſint clauſa, poſitio Actorum Terreſtrium ejuſdem Palatinatûs, ad eliberationem Capitanei, aut ad conſtitutionem Iudicis Surrogati, conceſſa eſt. *Ibidem.*

12. Lauda & confœderationes & omnes ordinationes reſpectu ſecuritatis, contributionum & adminiſtrationis juſtitiæ, tantùm in Palatinatibus, Terris, Diſtrictibus Regni factæ approbantur; ſine tamen præjudicio juris publici, privatorum & Spiritualium, & officij Theſaurarij Regni. *Ibidem.*

13. Lauda & confœderationes Palatinatuum, Terrarum, Diſtrictuū M. D. L. in Comitiolis ſive ante innoteſcētiales literas Primatis ſive poſt ſub hoc Interregno factæ approbantur; eo addito, quòd diverſitas Káptury, in hoc caſu Interregni, pro hac ſolùm vice admiſſa ſit, in poſterum non debet derogare juri communi, aut aliquā diſmembrationem inter Palatinatus Regni & M. D. L. conſequenter in ipſa gente, ſapere. *Ibidem.*

14. Capitaneis & Officijs Caſtrenſibus non debet nocere, quòd executionem decretorum Tribunalitiorum, ante mortem Regis, ſive in cauſis civilibus, ſive in criminalibus latorum non facient modo, ſed poſt coronationem novi Regis, in ſex ſeptimanis ad requiſitionem partis, juxta exigentiam juris eandem faciant. *fol. 6.*

15. Luſtrum ſi alicubi ſub tempus huius convocationis peragatur, omnes Senatores & Nuntij Terreſtres ad eam congregati, liberantur. *Ibidem.*

16. Qui Palatinatus, Terræ, Diſtrictus, lauda ſua ante convocationem hanc, nondum conſtituerunt, ſed modò illa, in hac convocatione de conſenſu Fratrum ſtatuerunt, & quæ in comitiolis ſuis poſt convocationem hanc primis & immediatis, & hoc reſpectu contributionum, ſecuritatis internæ & externæ ſine præjudicio tamen publici & privati juris conſtituent, eundem valorem habeant, qualem lauda ante hanc convocationem facta, dummodo in iiſdem eadem forma ſervetur. *fol: 6.*

17. Qui Palatinatus, Terræ, Diſtrictus, lauda particularia, reſpectu ſecuritatis contra licentioſos homines conſtituerunt, aut conſtituere intendunt, omnem firmitatem & valorem habeant, ad executionemq; deducantur. *Ibidem cum ſequ:*

18. Cauſæ, quæ ſive ex conſenſu mutuo partium, ſive ex limitatione Com-

Commiſſariorum & aliorum judiciorum, aut vigore contractûs terminum præfixum habebant, juxta vim illius limitationis, inſcriptionis vel contractûs terminum habeant poſt felicem coronationem Regis, ad maximum in ſpatio ſex ſeptimanarum, dum pars partem legitimè adcitaverit. *fol: 7.*

19. De ſecuritate Civitatum & Oppidorum, & de judicio capti in recenti crimine, prout in anteriori confœderatione, hâc additâ declaratione de concluſione penes pluralitatem Iudicum Capturalium, vt una pars Conſulum, & duæ partes Iudicum Capturalium ad ſuffragia ſpectent. *fol: 8.*

20. Tempus & dies Electionis, ſextâ Octobris 1648. aſſignatus, vtq; hæc Comitia Electionis ſex ſeptimanis tantùm durent; & ut ante omnia, exorbitantiæ & vulnera Reipub: ſanentur &c. Locus autem ex illa parte Varſaviæ, vbi **Wola** *fol: 8.*

21. Reſpectu ſecuritatis venientium ad Electionem, & ex illa diſcedentium, tum ordinis & ſecuritatis in ipſamet Electione, vt in antecedenti confœderatione. *fol: 8. cum ſequ.*

22. De hoſpitijs, Nuntijs Palatinatuum, Terrarum & Diſtrictuum, vt Varſaviæ more ſolito aſſignentur, ut in anteriori confœderatione *fol: 9.* vbi libertationes domibus & lapideis Varſaviæ datæ, relaxantur, exceptis illorum, qui officijs publicis privilegiati ſunt.

23. De reviſione theſauri Regni, & occluſione fornicis, vt in anteriori confœderatione, hoc addito. In quantum Dominus Theſaurarius ob infirmitatem venire non poſſet, Nobilem aliquem in locum ſui ſubſtituat. Res à defuncto Rege Reipub: teſtamento legatas, vt donatas, executores teſtamenti ad ſe recipiant, & in futura coronatione novi Regis, Reipub: præſentent, *fol. 9. cum ſequ:*

24. De pactis cum externis Principibus, vt ſupra in confœderatione. Hoc addito, vt Legatus ad Turcam deſtinatus, requirat adminiſtrationem ex Tartaris, & reſarcimentum damnorum per eos illatorum, tum dimiſſionem captivorum. Quæ legato publico, ſed mediocri ſumptu abſolvatur. *fol: 11.*

52. Conductio militis à Palatinatibus, Terris, & Diſtrictibus ad propulſandum periculum à Coſacis, Tartaris vnitis, in comitiolis facta approbatur, & vt ejuſmodi miles nulla damna & violentias faciendo, ad deſtinatos in hac confœderatione Ductores quàm citiſſimè, ſub pœnis in articulis militaribus deſcriptis, conveni-

 at.

at. Contra delinquentes data facultas injuriatis, vel in Tribunali Regni proximo, inter causas militares, vel coram Ductoribus præfatis, vel etiam in judicio Capturali illius Districtûs, in quo excessus factus esset, agendi. Quodsi totum vexillũ citatum esset, data facultas per duos è medio sui Deputatos respondendi. Præfati autem Ductores, coram Dominis Commissarijs militaribus juxta hanc Rotam jurent.

Ego N. juro, quia exercitui mihi tradito fideliter præero, & operâ illius tantùm ad reprimendas invasiones inimicorum hostiles vtar, fines Regni tutos pro viribus præstabo, dignitatem & securitatem Reipub: quantùm potero defendam, & si (quod DEUS avertat) Regnum seditio invaserit, nulli parti adhærebo, damna Incolis Russiæ, Podoliæ, Volhiniæ nulla inferam, & ne à militibus meis inferantur, omni ratione providebo. Pensiones verò tam ab Ecclesiasticis, quàm ab alijs personis quibusuis nullas omnino exigam, & ne milites mei exigant, studebo. Sic me DEVS adiuvet & hœc sancta Crux. fol: 11.

26. Duces exercitûs vtriusq; gentis homines istos in servitio Reipub: existentes, pecuniâq; Reipub: conductos ne in viscera Regni, nec de toto, nec per partes, & præcipuè sub tempus Electionis, ad locum Electionis inducant, aliàs pro hostibus Patriæ declarantur, forum cum illis agendi, in judicio Capturali generali, ad instantiam Nobilis possessionati assignatum. Sub eadem quoq; pœna, in eodem foro repetenda, prohibitum est Præfectis legionum & vexillorum, ne militem sub suis directionibus Reipub: inservientem ad Electionem novi Regis adducere audeant & præsumant. *fol: 11. cum seq:*

27. Consilia bellica, vt maturè & dextrè possint expediri, deputati sunt, tam ex Ordine Senatorio, quàm Equestri, ad latus Ducis exercitûs, vt communicato consilio omnia agantur. *fol: 12.*

28. Datur facultas Magno Ducatui Lithuaniæ, vt possit quinq; millia militum conscribere contra Cosacos infestantes limites eiusdem Ducatûs. Ne tamen ejusmodi miles damna bonis Reipub: Oeconomiarum Nobilium & Spiritualium inferat, sub pœnis de disciplina militari in constitutionibus, præcipuè *Anni 1633. & Anni 1635.* descriptis. Quodsi ex illa parte periculum cessaret, & Regno immineret, vt Duces exercitûs Lithuanici in subsidium Regnicolis, cum suo milite veniant; salvâ authoritate suâ in omnibus manente. Quodsi nulla necessitas esset, post finitum Quartuale miles hic dimittatur. *fol: 13.*

29. Reparatio Arcis Smolescensis & præsidium ex thesauro M. D. L: constitutum est. *Ibidem.*

30. Ad latus Archiepiscopi deputati sunt ex utroq; Ordine, & ex utraq; gente Consiliarij, vt supra in alijs confœderationibus. *fol: 14.*

31. Itidem ad corpus Regis mortui. Et propter majorem securitatem & ordinem jurisdictio Mareschalcalis, ad futuram Electionem Regis reassumpta. *fol: 15.*

32. Jn casu, quòd miles conductus, ad propulsanda pericula Reipub: non sufficeret, expeditio bellica generalis Nobilitatis constituta, sub pœnis de expeditione bellica, & hæc constitutio, pro primis literis restium, assignata: secundæ autem & tertiæ literæ restium, datæ sunt in manus Archiepiscopi & Deputatorum Consiliariorum, à qua expeditione exempti, vt supra. Magnus tamen Ducatus Lithuaniæ respectu istius articuli, ad conferentiam cum fratribus, dilationem obtinuerunt. Palatinatus verò Podoliæ, juxta constitutionem *Anni 1613. & 1647.* expeditionem hanc suscepit, hoc est, Districtus Drohicensis, & Bielensis, ac Terra Mielnicensis, ex viginti mansis (aliàs **Włok**) equitem hastatum (aliàs **koniá Vsárskiego**) ex decem autem mansis equitem Cosaticum. *fol: 16.*

33. Lustrum quoq; generale militis tam pecuniâ conducti, quàm Districtuum in castris, ut fiat, & juxta hunc computum Palatinatus coæquationem faciant, habitâ ratione desolationis Palatinatuum Vkrainæ per hostem. Et ne Palatinatus, Terræ, Districtus, hunc militem suum ex castris educant, durante necessitate Reipub: contra hostem, cuius decisionem, in Comitijs Coronationis, Reipub: faciet. Et vt Palatinatus, Terræ, & Districtus huic militi tempestivè solutionem stipendij procurent. Si tamen hic miles esset ultra servitium conventum detinendus, tunc stipendium, illi eo modo persolvatur, prout militi Quartuario, hoc est, **Kwárciánemu**. Et iste miles Reipub: vt se gerat juxta constitutionem *Anni 1620.* Ratione autem disciplinæ militaris constitutio respectu belli Prussici lata, reassumpta est: Palatinatus tamen Posnaniensis, Calissiensis, Sandomiriensis, & Terra Wielunensis respectu istius puncti, vt stipendia more militis Quartuarij solvantur, ad conferentiam cum fratribus receperunt. *fol: 16.*

34. Milites Palatinatuum, & Reipub: pecuniâ conducti, ne electioni Regis se immisceant, & ad illam veniãt, & transeundo, ne damna, violentias, in bonis Nobilium & Spiritualium, tum Regalibus

libus faciant; contra facientes Duces eorum summario processu judicent. Permissum tamen est, ut exercitus possit Deputatos suos ad Comitia Electionis mittere, dummodo non in majori numero quàm viginti personarum, includendo famulos. *fol: 16. cum sequ:*

35. Domini Thesaurarij Regni & M. D. L. contributiones Reipub: nonnisi pro solvendo stipendio militi conducto, idq; cum scitu Archiepiscopi & Deputatorum Consiliariorum expendat, sub solutione de suo. *fol: 17.*

36. Ex bonis Mensæ Regiæ, provideatur Mensæ Reginæ, & decori circa corpus Regis mortui, vsq; ad sepulturam ejus. Ad quas expensas vt & thesaurus M. D. L. ex proventibus, quos tempore Interregni ex bonis Mensæ Regiæ percipiet, concurrat. Ad hæc, vt Regina proventus ex salisfodinis & teloneis, prout vivente Rege juxta præscriptum juris & consuetudinem debentur illi, percipiat. *fol: 17.*

37. Dominus Thesaurarius proventus ex omnibus Oeconomijs & ex *Funtsoltu* Gedanensi & Helbingensi recipiat: contractus autem omnes absq; scitu thesauri initi & conscripti nullius valoris sint. *Ibidem.*

38. Comitiola electionis Deputatorum ad Tribunal Regni solito tẽpore peragantur. Iudicia autem Tribunalitia duabus septimanis post Comitia Coronationis futuri Regis, juxta cadentiam suam, inchoëntur, *Ibidem.*

39. Ad reuisionem salisfodinarum Vielicensium & Bochnensium, deputati sunt Cõmissarij, eo modo vt supra. Hoc adjuncto, vt huiusmodi salisfodinæ sub administratione thesauri Regni sint. *fol: 17. cum sequ.*

40. Palatini & Capitanei Vkrainæ, in arcibus limitaneis resideant, sub pœna privationis Capitaneatûs. Forum post Curiam ad instantiam cuiusvis, respectu cuius constitutio *Anni 1620.* in toto reassumpta, exceptis &c. vt supra, vt in alijs. *fol: 18.*

41. Pons, vt super fluvio Vistula extruatur. *Ibidem.*

42. Quia vniversales literas ex Convocatione hac generali, multi ex Clero minori, ad regimen Reipub: non spectantes subscripserunt, ejusmodi subscriptiones cassatæ, & in posterum ne tales literæ extradantur, cautum. *Ibidem.*

43. Jn arce Cracoviensi, Capitaneus Cracoviensis, propter securitatẽ ejusdem arcis, trecentos pedites Polonos non externos, sub hoc

tempus

tempus Interregni teneat. Palatinatus autem Cracoviensis stipendium illis solvat. Et si Dominus Capitaneus de proprio aliquid pro tali præsidio solvit, illi restituatur.

Præfectus autem generalis armatutæ Reipub: pulverem tormentarium globos, & alia similia procuret. Victualia autem, & aliæ necessitates ad munitionem arcis, ex proventibus magnæ administrationis, aliàs **wielkorządowych/** juxta exigentiam provideantur. *fol: 19.*

44. Lauda Palatinatuum, Terrarum & Districtuum respectu lustri peragendi facta, approbantur. *Ibidem.*

45. Ad pacificationem Cosacorum Commissarij deputati sunt, & quidquid juxta instructionem sibi datam, constituent, in Comitijs Electionis Regis novi approbabitur. *Ibidem.*

46. Scriptum certum, ratione boni ordinis inter milites servandi, Ductoribus à Repub: deputatis manu Archiepiscopi, & Mareschalci Nuntiorum Terrestrium subscriptum & ad Archivum datum, approbatur. *Ibidem.*

47. Ad habendam informationem, quantum post cladem militis Quartuarij) aliàs **Kwárciánego** in servitio Reipub: remanserit, deputati sunt Commissarij: à quibus habitâ informatione, Dominus Archiepiscopus & Deputati Consiliarij ad illum, si non in toto, saltem in parte, ex proventibus quartæ, solutionem quàm primùm assignent, & in ulteriori servitio Reipub: eundem militem assecurent. *fol: 19. cum seq.*

48. Miles ab Archiepiscopo in rem Reipub: conductus & conscriptus approbatur. *fol: 20.*

49. Civitates prætendentes se habere jura & privilegia ad eligendum etiam Regem, de ijsdem juribus & privilegijs doceant, aliàs non admittantur. *Ibidem.*

50. Civitas Varsaviensis vetus & nova, pro hac vice à stativis & stationibus militaribus, non obstantibus quibusvis laudis Palatinatûs Varsaviensis, liberata, cum hac tamen conditione, ut in Civitate, omnes vias præsertim per quas ad locum Electionis itur, totaliter reparent. Curiæ tamen Nobilium ab hoc onere exemptæ. *Ibidem.*

51. Palatinatibus, Terris, Districtibus, juxta affectationem eorum tempus Comitiolis Relationum & lustris assignatum. *Ibidem.*

52. Declarationes Magni Ducatûs Lithvaniæ respectu contributionũ pro necessitatibus Reipublicæ, & comitiolorum relationum. *f. 23.*

35. Quam confœderationem in omnibus punctis, & clausulis, pro perpetua lege se habere declarârunt, & spoponderunt pro se & posteris suis, sub fide, honore & conscientijs proprijs, omnia in eadem confœderatione contenta firmiter servare & tenere. Quicunq; autem contravenire præsumpserit, contra talem, in destructionem eius in vita & bonis, consurrecturos. Tandem hæc confœderatio manibus Senatorum & Nuntiorum Terrestrium, & eorum Mareschalci subscripta est, cum clausulis nonnullorum, Salvis juribus Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, & juribus ac decretis Ducatûs Mazoviæ, nec obstantibus protestationibus dissidentium, & cum alijs clausulis pro parte dissidentium in Religione. *vt videre est, à fol: 26. usq; ad finem.*

CONFÆDERATIO GENERALIS VARSAVIENSIS:

Post abdicationem Regni à JOANNE CASIMIRO IV. factam.

Anno Domini 1668, die 5tâ Mensis Novembris inita.

1. JUra & Privilegia Orthodoxæ Romanæ Catholicæ, & Ritûs Græci unitorum Ecclesiæ, salva remaneant, nec illis quidquam derogari permittetur, sed circa defensionem ejusdem Ecclesiæ, & immunitatũ ejus, more majorum suorum omnes stabunt. *f.* 1.
2. Negotium totum & integrum, respectu exorbitantiarum, vulnerum Reipub: & pacis inter dissidentes in Religione Christiana, ad futura Comitia Electionis novi Regis dilatum est. *Ibidem.*
3. Sub fide, honore & conscientijs suis obligârunt se, quòd nullam disunionem & dismembrationem inter se facient, nec eam facere permittent; nec una pars absq; alia Regem eliget, aut factione privatâ allaborabit, aut per factiones aliquem in Thronum Regium, pecuniam accipiendo in suum commodum, vel conductionem militis, aut saltem promissa acceptando: inducet. Aliàs in nullum Regem consentient, nisi qui per libera suffragia, nemine contradicente electus esset. Quodsi aliquis ex Senatoribus Spiritualibus vel Sæcularibus, aut Officialibus Regni & M. Ducatûs Lithuaniæ, aut ex privatis personis auderet Regem de-

nuntiare sine unanimi consensu omnium Ordinum, talis pro hoste Patriæ habebitur. Et Jllustrissimus Dominus Archiepiscopus Gnesnensis ad denuntiationem Regis non accedet, nisi præmissis tribus interrogationibus, an sit consensus omnium? & an sit satisfactum omnibus exorbitantijs? Et cum hac conditione Rex omnia jura, privilegia, & libertates, quæ sunt, vel quæ dabuntur, per pacta conventa, ante nominationem & denuntiationem, priùs juramento confirmet, non diminuendo quidquam juramento Regum Poloniæ, HENRICI, STEPHANI, SIGISMVNDI III. VLADISLAI IV. & JOANNIS CASIMIRI proximè demortui, Regno & M.D.L. annexis & incorporatis provincijs in Coronatione facto, & post adventum & præstitum juramentum constitutionibus Comitialibus, roboret. Insuper confœderationem hanc suam, omnes tunc præsentes tali juramento corporali confirmârunt. *fol: 2. & Ibidem.*

Forma Juramenti.

EGo N. juro DEO Omnipotenti, in Trinitate vni, super hoc. Quòd non interpretando aliquo modo contrario ant excogitato hoc juramẽtum meum, in Electione futuri Regis, hunc nominabo in Regem, à quo & nomine eius nihil unquam accepi, aut promissum mihi est, neq; factiones per se vel per alios feci, neq; respectu alicuius privati interesse mei, sed respectu totius Reipub: omnia faciendo. Et hunc in Regem nominabo, quem juxta conscientiam meam & jura nostra dignum censebo. Neq; aliquem in Regnum inducam, nisi in quem concors & vnanimis omnium consensus fuerit. Et si alicuius factioni & promotioni adhæsi, ab eo nunc recedo. Et quicunq; vivente adhuc Rege proximè mortuo, & post abdicationem ejus, modis excogitatis citra jura nostra procurabat Coronam Regiam Regni Poloniæ, eum non eligam, nec nominabo: sic me DEUS adjuvet, & hæc ejus Passio sancta. fol: 2.

4. Insuper ut hoc juramentum ad effectum perveniat, vti inter æquales in Repub: Cives statutum est, quòd qui ad futuram electionem Regis venire voluerit, nullus, cuiuscunq; status & praeeminentiæ fuerit, debet admitti ad consilia publica, & ad suffragium, nisi priùs coram Deputatis ex Senatu & Equestri Ordine, à principio Electionis electis, & coram Cancellarijs utriusq; gentis juramentum hoc præstiterit. A quo juramento Deputati illi & Cancellarij neminem sub nexu ejusdem juramenti non eliberent. Qui autem in hac convocatione, hoc juramentum præstiterunt, subscriptio illorum in hac confœderatione facta, edocebit. Quod-

ſi aliquis inveniretur talis, qui contemnendo hanc ordinationem & conſtitutionem, veniendo ad electionem, noluerit hocce juramentum præſtare, talis non ſolùm à conſilijs publicis & ſuffragio debet repelli, ſed etiam pro hoſte Patriæ haberi, & contra eum omnes conſurgere tenebuntur. *fol. 2. & ſequ:*

5. Ad hæc, fœdus, ſub fide honore, conſcientijs, ex nexu ejuſdem juramenti præſtiti initum eſt. Quodſi aliquis ex Principibus externis, ſive ex Civibus Regni noſtri, per factiones aliquas, & illicita media, in præjudicium jurium, libertatum, invitis Ordinibus, per potentiam, in thronum Regium aliquem inducere, per eiuſmodiq; factum Rempub. turbare vellet, contra talem omnia ſtudia ſua & vires Ordines omnes convertent; & in eodem fœdere, unus ab alio non recedendo, indiſſolubiliter permanebunt, quouſq; Reſp: per liberam electionem Regis non fuerit pacificata. Et contra talem violatorem jurium & libertatum, tam antiquarum, quàm in hac confœderatione conſtitutarum uſq; ad guttā ſanguinis, cùm periculo vitæ, & bonorum damno, ſe oppoſituros promiſerunt. Tum quòd Regnum à Magno Ducatu Lithuaniæ; nec è converſo Magnus Ducatus Lithuaniæ à Regno & annexis & incorporatis provincijs nullam diſmembrationem inter ſe facient. *fol: 3.*

6. Cautum eſt, ut in futuris Comitijs electionis Regis ad nullam conferentiam reſpectu candidatorum, conſequenter ad electionē & nominationem Regis accedatur, quouſq; vulnera Reipub: utriuſq; gentis, exceſſus, exorbitantiæ, gravamina, tam in Comitijs, quàm privatim facta & illata, non fuerint ſanata, vel ſaltem modus ad ea ſananda, & ad bonum ordinem reducendi, non fuerit adinventus. *Ibidem.*

7. Pax inter diſſidentes in Religione Chriſtiana ut ſit, & multa alia circa hoc ſtatuta ſunt, de quibus ſub titulo de Religione ſupra diximus. Hoc unicum additum eſt. Quòd Ariani uti lege proſcripti, & Apoſtatæ à fide Catholica Romana & Vnitorum abhinc tranſeuntes ſub hunc articulum de pace inter diſſidentes in Religione non cadant, nec illo tueri ſe poſſint, imò omnes conſtitutiones de Arianis latæ reaſſumptæ & confirmatæ ſunt perpetuis temporibus, & quòd in quovis ſubſelio etiam Capturali nunc tempore huius Interregni cum quolibet Ariano vtriuſq; ſexûs & fautoribus illorum, ſi in Regno, vel Magno Ducatu Lithuaniæ reperirentur, pro executione ad cuiuſvis inſtantiam hoc

jus

jus ad effectum deducatur. Apostatæ autem præfati abhinc convicti, in foro fori pœnâ exilij puniantur. *fol: 4. & sequ.*

8. De validitate Iudiciorum Tribunalitiorum, Terrestrium, & aliorum, quæ à die abdicationis vsq; ad publicationem innotescentialium Archiepiscopi, idem vt in alijs confœderationibus dispositum est. *fol: 5.*

9. Vbi post publicationem literarum vniversalium Archiepiscopi in Regno & Magno Ducatu Lithuaniæ ex communi consensu Nobilitatis alicuius Palatinatûs, Terræ, Districtûs, libri Castrenses aperti fuerunt, omnes inscriptiones &c. vt supra validantur. *Ibidem.*

10. De juramento faciendo á Capitaneis Iudicialibus, qui habendo privilegia à Rege mortuo, nondum jurârunt, idem statutum est, vt in anterioribus. *Ibidem.*

11. Lauda, confœderationes, & ordinationes tempore huius Interregni, ab innotescentia publicata, tam in Regno, quàm in M. D. Lithuaniæ, respectu securitatis, contributionum, administrationis justitiæ factæ, sine præiudicio juris publici & privatorum, tum Spiritualium, Bonorum Regalium Oeconomiarum, Feudalium, etiam Dominorum Thesaurariorum vtriusq; gentis approbantur. *Ibidem.*

12. Lauda autem per potestatem providendæ securitatis Districtualis judicibus Capturalibus implicitè concessa, non debent extendi ad materiam Comitiola concernentem, nec ad missionem legationum, aut ad quascunq; expensas pecuniæ, sub pœnis contra transgressores legum, in Tribunali Regni ad instantiam cuiusvis repetendis. *fol: 6.*

13. Quæ lauda & confœderationes omnes in Regno & Magno Ducatu Lithuaniæ debent habere valorem sine præiudicio jurium vtriusq; gentis præcipuè in laudo Terræ Belcensis; punctum ratione expeditionis hominum ex bonis Magni Ducatûs Lithuaniæ ad expeditionem bellicam generalem Nobilitatis ad illam Terram cassantur, & ne in posterum perpetuis temporibus fiant, cautum est. *Ibidem.*

14. Palatinatûs Bracławiensis cùm ob hostilitatem non possit habere jurisdictionem propriam IudicijsCapturalibus illius locus (jam ante latâ constitutione destinatus pro comitiolis) Włodimiriæ destinatur. *Ibidem*

15. Capitaneis & Officialibus Castrensibus non debet nocere, quòd executionem decretorum non facient dispositum. *vt supra.* Et

bannitio in Tribunali Regni in personam Domini Capitanei Visscensis, pro non expedita executione certi decreti, obtenta, cassata, & annullata est: injunctum est tamen illi sub pœnis legibus sancitis, vt statim post Convocationem, in tribus juxta decretū Tribunalis executionem peragat. *vide fol: 6. cum sequ.*
16. A lustro omnes Senatores & Nuntij Terrestres ad convocationem venientes, in quantum hæc lustra in aliquo Palatinatu sub tempus istius convocationis peragerentur, liberantur. *fol: 7*
17. Qui Palatinatus, Terræ, Districtus in Regno vel M. D. L. lauda sua ante Convocationem non habendo, in convocatione de consensu Fratrum fecerunt &c. vt supra in alijs confœderationibus, approbantur. *Ibidem.*
18. Qui Palatinatus, Terræ, Districtus, particularia lauda constituerūt, vel intendunt constituere contra licentiosos homines, approbantur, & vt possint ad executionem deduci, permittitur. *Ibidem.*
19. Contributiones, quas Palatinatus, Terræ, Districtus, seorsivis laudis sibi constituerunt, vel constituent, aut modum exigendi eas adinvenerunt, vel adinvenient, in Regno juxta Constitutionem, & laudum, exigantur: remissus in extradendis eis processu thesaurali, ad judicium Capturale ejusdem Palatinatûs, Terræ, & Districtûs citetur. Similiter Exactores & Arendatores Ducillarum, si perceptas & exactas contributiones, his quibus juxta laudum tenentur reddere, pro tempore præfixo non reddiderint, coram ijsdem judicijs Capturalibus respondeant, tam in Regno, quàm in M. D. L. *fol: 7. & sequ.*
20. Proventus autem Quartæ, & aliæ contributiones ordinariæ juxta jus antiquum extradantur. Forum contra non extradentes, in judicio Capturali generali Varsaviensi, ad instantiam Instigatoris ex delatione thesauri. Quod extenditur & ad retentores antiquarum extraordinariarum contributionum, & ad omnes bona Reipub: quocunq; prætextu vsurpantes. Proventus autem Quartæ imminens, Rauam, juxta antiquam consvetudinem & constitutionem *Anni 1667.* advehatur à Tenutarijs. *fol: 8.*
21. Jura & privilegia Civitatum & Oppidorum confirmantur, prout & in alijs confœderationibus fuit factum. *Ibidem.*
22. De judicio capti in recenti crimine, idem vt supra statuitur. *Ib:*
23. Dies electionis & locus assignatur, vt supra. & vt sex septimanis & non ampliùs duret. *Ibidem.*
24. Exorbitantiæ & vulnera Reipub: vt in electione ante omnia sanentur, & corrigantur. *Ibidem.*

25.

25. Respectu venientium ad electionem, reassumpta est constitutio *Anni 1573. & Anni 1587.* & sibi spoponderunt omnes easdem in toto servaturos, & ituros contra illum, qui locum & tempus quàm præfixa sunt eligere, & tumultus in electione facere, & militem privatim conscribere, electioni Regis concorditer factæ & conclusæ contravenire & contradicere auderet. *Ibidem cum fol: sequ:*

26. Respectu ordinis in electione & venientium ad locum pro electione assignatum, ad Comitia electionis futuræ reiectum, & vt ante omnia hæc in eadem electione constituatur, statutum est. *fol: 9.*

27. Respectu hospitiorum Varsaviæ pro Nuntijs Terrestribus, vt in alijs confœderationibus statutum est. Lapidea tamen dicta Kostczynska, quæ pro typographia Elertowska, à Repub: propter commoditatem publicorum negotiorum destinata, ex officio perpetuis temporibus, liberata est. *fol. 9.*

28. Ad electionem venientes, & in actu electionis nullas injurias, damna, & excessus faciant. *Ibidem.*

29. Respectu securitatis, ordinis, & administrationis justitiæ in discessu ex electione, idem ut supra. *Ibidem.*

30. Ad revisionem thesauri Regni, vbi sunt, insignia &c. & ad receptionem & traditionem ejusdem novo Thesaurario, deputati sunt Commissarij modo antiquo, & tempus revisionis assignatū est, & vt relatio in Comitijs electionis futuræ cum connotatione sufficienti defectûs clenodiorum, respectu quorum defectuum, vt thesaurus unà cum Instigatore Regni, cum retentoribus, aut successoribus præteritorum Thesaurariorum jure agat, & vindicet in judicio Capturali generali electionis futuræ, injunctum est. Et quia Dominus Thesaurarius certa clenodia apud defunctam Reginam oppignorata, ex manibus Serenissimi Regis præteriti, enumeratâ summâ centum viginti mill: flor: ex proventibus publicis exemit, ejusmodi clenodia ad solitum locum thesauri comportet: summa autem præfata centum viginti mill: florenor: ad rationem debiti, quod sibi Serenissimus Rex apud *Rempub:* prætendit, compensetur: quæ Domino Thesaurario in rationibus publicis Respub: acceptabit. De apertione autem fornicis thesauri, similiter vt supra statutum est. *fol: 9. cum sequ:*

31. Ad revisionem thesauri Magni Ducatûs Lithuaniæ similiter deputati sunt Commissarij, tempus assignatum; & vt omnium ge-

ſtorum relatio in Comitijs futuræ electionis fiat, ſtatutum eſt.

32. Ad latus Archiepiſcopi more ſolito vt ſupra, electi ſunt Conſiliarij. *Ibidem.*

33. Reſpectu Ablegatorum à Principibus externis ad electionem Regis venientium jura antiqua reaſſumendo decretum eſt, ne in perſonis ſuis Varſaviam appropinquent abſq; ſcitu Primatis *Regni*, qui juxta arbitrium ſuum unicuiq; illorum conſiſtentiam aſſignabit, ex Equeſtri Ordine reſidentes penes latus illorum aſſignabit, ne factiones aliquas faciant, ſed dum tempus illis pro publica audientia in conſeſſu totius *Reipub:* aſſignabitur, tali tempore aſſignata veniant. *Ibidem cum fol: ſequ:*

34. Venientes ante electionem Ablegati Principum externorum, vt à Domino Archiepiſcopo & aſſiſtentibus Conſiliarijs quàm citiſſimè expediantur. *fol: 13.*

35. Idem Dominus Archiepiſcopus cum aſſiſtentibus Conſiliarijs diligenter advertant, vt Delegati, Secretarij, & nullus exterorum reſidens Varſaviæ maneant, & in toto Regno nullas factiones faciant. *Ibidem.*

36. Si aliqua ſcripta in præjudicium confœderationis Ordinum & contra liberam electionem invenirentur, hæc omnia caſſantur; & in futurum ſi aliquis ex Ablegatis Principum exterorum per ſcripta aliqua, aut ſubſcriptiones turbare negotia Interregni auderet, talis pro hoſte Patriæ habeatur. *Ibidem.*

37. Pacta cum externis Principibus renovantur, & ad omnes ejuſmodi Principes, Legati expediantur, & cum quibus nondum certa pax conſtituta & inita, omnes Ordines ineant rationes, vt *Reſpublica* cum illis durante Interregno pacificari poſſit, aut ſaltim tractatus cum illis inire. Quæ legationes ſumptu publico moderato peragantur. *Ibidem.*

38. Similiter cum Moſcho, quoniam per Dominos Commiſſarios Reipub: armiſtitium ad annos certos Andruſoviæ initum, & poſtea per Dominos Legatos magnos confirmatum eſt, ideo conſervando in toto ejuſmodi pacta, vt Commiſſarij ad tractandum de pace perpetua cum hoc Principe in termino Andruſoviæ præfixo adveniente, ex Senatu & Equeſtri Ordine, qui in plenipotentia ad hos tractatus à Repub: data ſunt ſpecificati, tractent nihil recedendo ab inſtructione ſibi data, imò procurando, ut cum emolumento Reipub, hoc negotium abſolvant. Sumptus Dominis iſtis Commiſſarijs ex theſauro Regni & M. D. Lithuaniæ provideatur. *Ibidem.*

39. Duces exercitûs vtriusq; gentis militem pecuniâ conductum, & in servitio *R*eipub: existentem, in viscera Regni, neq; in toto, neq; per partes, & præsertim sub tempus ipsum electionis in locum ejus designatum non inducant, aliàs pro hoste Patriæ censentur. *R*espectu cujus, forum cum illis ad instantiam cuiusvis Nobilis possessionati in judicio Capturali generali assignatū. Sub eadē pæna & in eodem judicio repetenda, prohibitum est, & Præfectis militum, ne cum suis militibus veniant. *fol: 13.*

40. Expeditio generalis Nobilitatis in Regno constituta est tali modo. Vt omnes Palatinatus in debita præparatione sint, ad quem effectum tempus lustrationis in Comitiolis relationum sibi assignent. Et si ex aliqua parte immineret periculum, præcipuè si aliquis ex Principibus externis voluerit liberam electionem turbare, vt quilibet Palatinatus juxta antiqua jura sua & consuetudines sine divisione belli illuc vbi necessitas postularet, eant, juxta ordinationes de ista expeditione descriptas, integritatem charissimæ Patriæ contra quemcunq; hostem exemplo majorum suorum defendere, sub pœnis de expeditione belli. Denuntiatio autem istius expeditionis data est in manus Archiepiscopi & assistentium Consiliariorum, vt habitâ notitiâ à Dominis Ducibus exercitûs de aliquo magno periculo conferendo, etiam cum Senatoribus vicinioribus de hac expeditione disponat: hæcq; ordinatio in hac convocatione facta sit pro duabus literis restium, idq; propter præparationem meliorem. Ab hac expeditione liberantur in exteris commorantes, dummodo ex bonis illorum aliquis ad hoc servitium mittatur, juxta confœderationem *Anni 1587.* Expeditionē autem hanc bellicam in *P*alatinatu Podlachiensi juxta constitutionem *Anni 1613.* & laudum *Anni 1647.* Districtus Drochicensis & Belensis faciant. Similiter & Terra Mielnicensis vt ex viginti laneis aliàs **Wlok** Equitē hastatum, & ex decem, Equitem Cosaticum mittat Terra. Lucoviensis juxta constit: *Anni 1667.* & omnes Palatinatus Terræ, Districtus, respectu hujus expeditionis penes jura & consuetudines suas conservantur. Et in hac expeditione habeatur ratio Palatinatuum devastatorum. Magnus quoq; Ducatus Lithuaniæ consensit in hanc expeditionem, constitutivè, quòd exigente necessitate ad succurrendum *P*atriæ juxta jura & consuetudines respectu istius expeditionis omnes convolabunt. *f. 13. & seq:*

41. Miles neq; præsidiarius, neq; Reipub: pecuniâ conductus ad Comitia electionis Regis ne veniat, sed pro Repub: in locis sibi à

Ducibus juxta ordinationem *R*eipub: excubent, ne bonis Nobilium *R*eipub: Spiritualium &c. injurias & damna faciant, aliàs Domini Duces summario processu injuriatis administrationem justitiæ faciant, data tamen est facultas mittendi Deputatos ad Comitia electionis, modo quo supra. *fol: 14.*

42. Comitiola electionis Deputatorum ad judicia Tribunalitia solito more & tempore fiant: Tribunal autem in duabus post Comitia Coronationis juxta cadentiam inchoëtur. *Ibidem.*

43. Proventus omnes ex Oeconomijs & ex Funtsolto Gedanensi & Elbingensi Dominus Thesaurarius Regni recipiat. Similiter & Dominus Thesaurarius M. D. L. ex Oeconomia Lieviensi. Contractus omnes absq; scitu thesauri facti nullius valoris sint. *Ibid:*

44. Ad revisionem omnium Oeconomiarum & bonorum Mensæ Regiæ in *R*egno, deputati sunt Commissarij tam ex Senatu, quàm & ex Equestri Ordine, vt cum scitu Domini Thesaurarij factâ revisione, de statu & proventibus sufficientem relationem in Comitijs futuræ electionis Regis faciant, salvis per omnia juribus Domini Thesaurarij. *fol: 15.*

45. Ad revisionem quoq; salisfodinarum Vielicensium, & Bochnensium, similiter deputati sunt Cõmissarij ,vt eam cum D. Thesaurario *R*egni, & cum Succamerario Cracoviensi, & Domino Administratore salisfodinæ Vielicensis alias Bachmistro, convenientes pro die præfixo, demittendo se intus quàm citissimè & sufficientissimè; expediant, ordinationemq; faciant vt sal tam personis Spiritualibus, quàm Sæcularibus, juxta antiquam consuetudinem & fundationes extradatur. Horumq; omnium sufficientem relationem, in futura electione, *R*eipublicæ faciant. *Ibidem.*

46. Datur facultas Domino Thesaurario *R*egni, vt ex Oeconomijs, & ex alijs proventibus ordinarijs Reipub: summam ducentorum nonaginta millium florenorum quingentorum, recipiat sibi , idq; respectu sumptuum, quos fecit pro prætensionibus Tartarorum, quæ summa circa rationes publicas acceptabitur. *Ibidem.*

47. Ordinatum est, vt ex thesauro Regni, Domino Mareschalco, & Magno Duci exercitûs *R*egni, summa, quam ex proprio, pro bono publico circa tractatus cum Tartaris sub *Podhayce* , expendit, sine mora effectualiter persolvatur. *fol: 16.*

48. Ut Dominus Capitaneus Cracoviensis, propter securitatem ejusdem arcis per totum tempus Interregni, in eadem arce trecentos pedites habeat, & futuro *R*egi legitimè ab omnibus electo fideliter con-

ter conservet, pro quo præsidio salarium Dominus Thesaurarius Regni ex proventibus Oeconomicis provideat, & eidem Domino Capitaneo, quidquid de proprio in conducendo & salariando hoc milite hucusq; expendit, prævià liquidatione, idem Dominus Thesaurarius Regni restituat, quam summā circa rationes ejusdem, Respublica acceptabit. Dominus autem Magister Generalis Artilleriæ armaturæ Reipub: pulverem tormentarium, globos & alia necessaria provideat. Victualia autem & alia quæcunq; ad munitionem necessaria juxta exigentiam ex proventibus provideantur. *Ibidem.*

49. Et quoniam ad fortalitium Luboviense pro præsidio ejusdem centum viginti peditum servitium, antiquis juribus agnitum est, ideo penes hoc jus, Dominus Capitaneus Spiscensis, ad vlteriorem declarationem Reipub: conservatur. *Ibidem.*

50. Domini Capitanei, vt in arcibus limitaneis (iuxta anteriores confœderationes) resideant. *Ibidem.*

51. Pons supra Vistulam, juxta antiquas confœderationes extruatur. *Ibidem.*

52. Deducendo ad executionem constitutionem *Anni 1647.* respectu jurisdictionis tenutæ Viscensis, ut omnium ex antiquo ad Capitaneum judicialem spectantium, & post fata Magnifici Domini Joannis Korycinski Capitanei Gnieucoviensis vacantium, Dominus Thesaurarius Regni inventarium conficiat, confectoq; inventario juxta lustrationem *Anni 1569.* tradat in realem possessionem Domino Capitaneo protunc Viscensi. *Ibidem.*

53. Quidquid, post factum calculum debebitur Domino Castellano Vilensi Magno Duci exercitûs M. D. L. ratione stipendij & vestium peditibus suis post ultimam liquidationem, Thesaurus M. D. L. effectivè refundat. *fol: 17.*

54. Domino Castellano Vilnensi datur facultas discedendi ad balnea externa, pro curanda sanitate. *Ibidem.*

55. Quandoquidem pro persolutione debitorum Reipub: contributiones novæ laudatæ non poterant esse, obstantibus instructionibus multorum Palatinatuum Regni, eliberando fidem publicam Dominorum Commissariorum ultimæ Commissionis Leopoliensis, **zwinionym** vexillis militum Polonorum per assecurationē datam, similiter & summam militi extero in clenodijs debitam; assecurationes respectu dictorum stipendiorum, & summæ datæ approbantur, promittendo, quòd in futura electione inibit

Respub: modos & media solutionis benemeritorum stipendiorum, juxta liquidationem in Commissione Leopoliensi in præsentia Deputatorum à militibus factæ, vel juxta assignationes thesauri, si aliquæ datæ sunt. *Ibidem.* vbi plura alia, respectu solutionis stipendiorum debitorum militibus, tum eliberationis militum in captivitate Tartarorum remanentium constituta sunt.

56. Diploma certum in Comitijs *Anni 1667.* certis Palatinatibus, qui propter bonum publicum in fortunis proprijs damnum ad tempus senserunt, à Repub: datum, & ad effectum non deductum assecuratur, quòd in futura electione inibit modos *R*espub: ad illud effectualiter deducendum, vt incolæ dictorum Palatinatuum sint satisfacti. *fol: 17. & sequ.*

57. Quoniam juxta constitutionem *Anni 1667.* Dominis Commissarijs præteritis ad tractatus cum Moscho deputatis, summam quinquaginta quatuor millium, quadringentorum & trium florenorum, ex retentis antiquis contributionum ordinariarum & extraordinariarum, sicut ex novis in ijsdem Comitijs præteritis laudatarum, thesaurus non persolvit. Tunc inhærendo modernæ declarationi solutionis Domini Thesaurarij M. D. L. in facie *R*eipub: factæ, ut memoratam summã ex ijsdem retentis præteritis, & extraordinarijs, quæ ad hoc vsq; tempus tenentur, contributionibus, ante electionem sine ulteriori mora, thesaurus idem persolvat, commendatur & injungitur. *fol: 18.*

58. *R*es monetaria vt ad perfectionem deducatur, ex consensu omnium Ordinum, authoritate præsentis Conventûs, omnes monetariæ in Regno & M. D. L. & in annexis & incorporatis Provincijs ad futuram electionem exnunc clausæ. Et thesaurus Regni & M. D. L. omnes rationes ineat, vt sufficientissimam informationem det respectu correctionis monetæ & formationis monetariarũ in futurum, sinè præjudicio contrahentis in constitutione *Anni 1667.* expressi & assecurati. *Ibidem.* vbi etiam hoc additum est, quòd in futura electione, circa pretia rerum, Respub: effectivam ordinationem constituet.

59. Considerando, quòd Civitas Cracoviensis Metropolis Regni fidem summo erga Rempublicam studio semper præstitit, & ob id, prærogativâ in ferendis in Conventibus Nobilitatis, suffragijs decoratur, ijsdemq; gaudet, & nunc per Legatos suos fidem & studia erga Rempublicam denuntiat, insuper per tres annos pro conservan-

servanda securitate Civitatis, pedites in præsidio proprio, sumptu maximo fovebat, & hucusq; tempore Interregni fovet. Ideo grato animo id accipiendo & ad confœderationem *Anni 1586.* se conformando, eandem Civitatem ad modernum vinculum & confœderationem libenter recipimus. Respectu autem expeditionis bellicæ generalis, penes jura & constitutionem *Anni 1621.* totaliter conservatur. *Ibidem.*

60. Civitas Vilnensis Metropolis M. D. L. ex multis rationibus, in confœderatione Reipub: debet remanere. Et quia & nunc per Legatos suos in hac confœderatione, juramento præstito dedit documentum fidelitatis, ad eandem confœderationem respectu securitatis, spectabit. *Ibidem.*

61. Eodem modo, Civitas Posnaniensis & Leopoliensis ad confœderationem admittuntur, & circa jura sua conservantur. *fol: 19.*

62. Civitas antiqua & nova Varsaviensis pronunc ab omnibus stationibus & stativis militum, non obstantibus quibusvis laudis, tam generalibus, quàm Palatinatuum, Terrarum & Districtuum Palatinatûs Mazoviensis, liberantur, cum hac conditione, vt in civitate vias omnes, & præcipuè per quas ad electionem itur, lapidibus reparent, ad quod omnes Concives contribuant, exceptis Curijs Nobilium. Eidem civitati, ne administratio justitiæ impediatur, judicia aperiuntur, quæ etiam circa jura & privilegia sua in toto conservantur. *Ibidem.*

63. Civitates, quæ sibi prætendunt jus ad liberam electionem Regis, non admittantur ad ejusmodi electionem, nisi priùs in eadem electione legitimis & manifestis privilegijs & juribus deducant. *Ibidem.*

64. Subditi Domini Castellani Cracoviensis jurisdictionem eius agnoscant & obedientiam debitam præstent. *Ibidem.*

65. Civitas dicta *Bychow* Magnifici Domini Casimiri Sapiechy Thesaurarij Nadwornego M. D. L. conservatur penes libertationem in constitutione *Anni 1655.* sibi ad annos viginti datam. *Ibidem.*

66. Contributio certa in Regno, pro solvendo stipendio militi præsidiario, constituitur, & qualiter debeat disponi ordinatur. *Ibidem.* Similiter & in M. D. L. *fol: 20.*

67. Quoniam Dominus Thesaurarius M. D. L. succurrendo necessitati publicæ, cùm non posset commissio militaris in tam stricto tempore Interregni esse, sponte admisit, contra jus antiquum Thesaurariorum, hanc varietatem, quòd Palatinatus & Districtus,

penes se, non inferendo in thesaurum, contributionem fumaliū reliquerint, ne hoc in posterum juri antiquo, officij Thesaurariaelis M. D. L. noceat, cautum. *Ibidem.*

68. Retenta omnia, tam præterita, quàm moderna, contributionis fumalium, tum contributionum ordinariarum & extraordinariarum, præsertim ex teloneis, ducillis, & alijs (conservando nihilominus Quartæ, constitutiones respectu desolationis latas) in judicio Capturali Palatinatuum & Districtuum, thesaurus M. D. L. vindicare & ad executionem iuxta jura antiqua deducere, tenebitur. Quorum omnium dabit rationem Reipublicæ, in futura electione. *Ibidem.*

69. Jn supplementum extraordinariarum thesauri Regni expensarū, imposita est in omnes in genere mercatores in Civitatibus Regijs, Spiritualibus & Terrestribus habitantes, summa centum millium florenorum, cuius medietatem in bona moneta, & aliam in currenti ad thesaurum, sub processu Fisci, importent. Ad quam summam contribuendam & homines in Civitate habitantes, & jura civitatis non habentes, mercimonia tamen diversa privatim, vel publicè exercentes obligantur, non obstantibus quibusuis liberationibus, quæ ad præsens cassantur, reassumendo constitutionem *Anni 1667. sub titulo* **ná supplement extraordynáryinych** *&c. Ibidem.*

70. Judæis in Regno tam bonis Regalibus, quàm Spiritualibus & Terrestribus habitantibus, loco contributionis capitalis imposita est pro hoc anno summa centum quinque millium in moneta currenti, vtq; eam seniores illorum duabus solitis ratis ad thesaurum Regni importent, pro solitis muneribus Tartaris convertendam. Qua summa in integro persolutâ liberantur ab alijs cōtributionibus, præter telonea & ducillas, penesq; jura antiqua & constitutiones respectu securitatis illorum conservantur. *Ibidem & fol: sequ.*

71. Iudæis M. D. L. imposita est contributio fumalium sexduplex, includendo & id, si jam aliquid Exactoribus extradiderunt, quâ persolutâ liberantur ab alijs contributionibus, & penes iura sua iuxta constitutiones *Anni 1650. & 1661.* conservantur. *fol: 21.*

72. Tartari M. D. L. & in Regno manentes, penes libertates iuxta privilegium jura & statuta conservantur, ne tamen fana sua alias **Mieczety** in illis locis, in quibus antea non erant extruere audeant. Et quod respectu contributionis Capitalis à vectoribus

Tar-

Tartaricis, vexillis exercitûs M. D. L. Tartaricis ſex millia florenorum **wytracono** ad futuram electionem dilatum, interea hanc contributionem ſexduplicem fumalium iuxta jus & conſuetudinē omnes extradant. *Ibidem.*

73. Comitiola Relationum M. D. L, licèt juxta ſtatutum in quatuor ſeptimanis poſt Comitia incidere debeant, conſiderando tamen dierum brevitatem & viarum incommoda, ad longius tempus protractum eſt, pro incidentibus modo. In quibus Exactores (ſi nondum eſſent electi) & Nuntios Terreſtres pro futura electione eligant. Tempus quoq; pro extraditione contributionum aſſignatum eſt. *Ibidem.*

74. Palatinatibus autem Terris & Diſtrictibus in *Regno* tempus Comitiolorum *Relationum* ſpeciatim & diſtinctim aſſignatum eſt, & modus contributionum deſcriptus eſt: ſubſecutæ declarationes M. D. L. reſpectu contributionum. Tandem concluſa eſt confœderatio modo ut ſupra, cum ſubſcriptionibus Senatorum & Nuntiorum Tereſtrium cum clauſulis. Saluis juribus & immunitatibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ, vel ſalvis juribus, privilegijs, decretis Ducatûs Mazoviæ, & proteſtor contra omnia ea, quæ in favorem diſſidentium acta ſunt, vel excepto articulo confœderationis de diſſidentibus à fide Catholica, & alijs ſimilibus clauſulis, inter quas poſitæ ſunt. Salvis per omnia juribus diſſidentium, non obſtantibus vllis proteſtationibus & exceptionibus: vt videre eſt in conſtitutionum volumine.

CONFÆDERATIO GENERALIS VARSAVIENSIS,

Poſt mortem MICHAELIS Regis.

Anno Domini 1674. die 15. Ianuarij.

1. JUra & privilegia orthodoxæ *Romanæ* Eccleſiæ, & Ritûs Græci Vnitorum conſervantur. *fol: 1.*
2. Exorbitantiæ, & inter diſſidentes in *Religione* differentiæ ad futura Comitia electionis differuntur. *fol: 2.*
3. De concorditer facienda electione novi *Regis*, vt in anterioribus confœderationibus cavetur. *Ibidem.*

4. Ne aliquis ex Senatoribus tam Spiritualibus, quàm Sæcularibus utriusq; gentis, vel ex privatis personis sine consensu omnium Ordinum audeat *R*egem denuntiare; aliàs pro hoste Patriæ declaratur. *Ibidem.*

5. Dominus Archiepiscopus non denuntiet Regem electum esse, nisi post trinam interrogationem Ordinum, an sit omnium consensus? an omnibus exorbitantijs satisfactum est? & quòd *R*ex jura omnia &c. vt supra confirmabit. *Ibidem.*

6. Sub fide honore & conscientijs, omnes spoponderunt sibi, contra illum, qui ex externis Principibus, vel Incolis Regni, per factiones & illicita media, in præjudicium jurium & libertatis, invitis alijs, atq; ita absq; vnanimi consensu omnium, per potentiam in thronum *R*egium inducere &c. vt in alijs confœderationibus, audeat. *Ibidem. & sequ.*

7. Ad sananda vulnera *R*eipublicæ vtriusq; gentis, defectus, gravamina, & exorbitantias istas tantùm, quæ ex persona Principis proveniunt, similiter & civitatum, si aliquid tam in Regno, & Magno Ducatu Lithuaniæ, quàm in *P*russia & in alijs provincijs Regno & Magno Ducatui Lithuaniæ incorporatis & annexis compertum fuerit, quòd contra jura, privilegia & libertates, tam in Comitijs quàm privatim defacto alicui esset factum, in futuris Comitijs electionis, ante omnia, & ante nominationem Regis id tollatur, & in ordinem redigatur: vel modus ad occurrendum eis adinveniatur. *fol: 3.*

8. Palatinatus Prussiæ, dum expeditio generalis Nobilitatis statuitur, vltra fines suos, juxta iura sua antiqua, ne protrahantur. *Ibidem.*

9. Pax inter dissidentes in Religione Christiana, iuxta priores confœderationes, cavetur. In civitatibus *R*egalibus, vbi ad præsens fana sua habent, in illis exercitium publicum sectæ suæ permittitur: vbi autem illa erecta non habent, ne illa extruere audeant. Ducatus quoq; Masoviæ penes iura sua, respectu Christianæ *R*eligionis, conservatur. Conceditur tamen dissidentibus ad actus publicos vel judicia, aut alia negotia venientibus, aut penes aulam Dominorum morantibus (exclusis tamen plebeiorum servitoratibus) vt in hospitijs, devotiones suas privatim absq; conventiculis, concionibus, & cantibus faciant. *fol: 3. & 4.*

10. Constitutio *Anni 1631.* contra violatores securitatis publicæ reassumpta est, cautumq; quòd in posterum eiusmodi causæ violatæ securitatis à quacunq; persona cuiusvis conditionis, non inter

ter causas terminorum tactorum; sed ferijs quintis, ex speciali regestro, inter causas recentium, judicentur: præter, si persona Spiritualis in crimine deprehensa esset, tunc Officio Spirituali tradatur, & prævia inquisitione ibidem iudicetur.

Ministri dissidentium in Religione, ex quacunq; occasione, ratione quarumvis rerum, & iniuriarum, in iudicio sæculari competenti conveniantur & iudicentur. In Magno autem Ducatu Lithvaniæ, in magna *Rota*. In causis autem ex actoratu ipsorum forum rei sequantur, & in eodem damna sua iure vindicent. *fol: 4.*

11. *R*especti religionis tam Vnitorum, quàm Disunitorum in Regno & M. D. L. existentium, omnes confœderationes priores reassumptæ, non præiudicando juribus Vladicatûs Præmisliensis, & Archimetriæ Luscinensis in districtu Pinensi & vbicunq; sint, Ecclesiarum Vnitorum. *P*rætensionum aliarum in hac Religione, sufficiens pacificatio futuro Regnanti recommendabitur, & præcipuè respectu Vladicatûs Præmisliensis inter Vnitos & Disunitos Vladicos causa, per judicialem decisionem juxta jura, diplomata, & privilegia utriusq; partis in Cōitijs coronationis vt decidatur & pacificetur, quàm maximè recommendabitur. Salvis etiam juribus & erectionibus fundationum, tum decretorum in foro sæculari latis Ritûs Latini in Terra Chełmensi. *fol: 5.*

12. Ariani vti lege publicâ proscripti, nec Apostatæ à fide Catholica Romana & vnitorum abhinc transeuntes possunt se tueri hâc confœderatione, imò omnes constitutiones de Arianis factæ, reassumptæ & confirmatæ sunt in perpetuum. Et vt in quolibet subselio in judiciis Capturalibus nunc sub tempus istius Interregni, cum quolibet Ariano vtriusq; sexûs, & cum fautoribus eorum in quantum in Regno vel Magno Ducatu Lithvaniæ reperirentur, ad cuiusvis instantiam iura ista ad executionem deducantur. Apostatæ autem abhinc convicti in foro fori exilio puniantur. *Ibidem.*

13. De validitate decretorum, à die mortis Regiæ vsq; ad publicationem literarum vniversalium Archiepiscopi latorum, omnia vt in anterioribus. *Ibidem.*

14. De apertione librorum Castrensium, & de validitate inscriptionum &c. itidem vt in anterioribus. *Ibidem.*

15. De juramento Dominorum Capitaneorum præstando, omnia vt in anterioribus. *fol: 5. & sequ.*

Qq 16. De

16. De approbatione laudorum & ordinationum ſub tempus Interregni, reſpectu defenſionis contributionum &c. idem vt in anterioribus. *fol: 6.*

17. Reſpectu Palatinatûs Braclavienſis ejuſq; iuriſdictione, idem vt in anteriori. *fol: 6.*

18. De Capitaneis & Officiis Caſtrenſibus, quòd non debeat nocere, quòd executionem decretorum Tribunalitiorum ante diem mortis Regiæ &c. idem vt in anterioribus, hoc addito; vt cauſæ omnes Fiſci cum exactoribus & retentoribus omnium Reipublicæ contributionum in judicijs Capturalibus decidantur, & executiones decretorum Tribunalitiorum & Capturalium Officium Caſtrenſe indilatè ſub ſolutione de ſuo faciant. *fol: 7.*

19. Qui Palatinatus, Terræ, Diſtrictus in Regno & M. D. L. lauda ſua ante convocationem non habendo, hîc in convocatione de conſenſu Fratrum condiderunt, & quæ adhuc in Comitiolis poſt convocationem primis facient, & hoc ratione contributionum & ſecuritatis internæ, ſine præiudicio publici & privati juris, datur facultas illa condendi, conformando ſe in toto puncto ſuperiùs de laudis & confœderationibus expreſſo. Et vt eiuſmodi lauda, vigore præſentis conventûs, & approbationis talem valorem habeant, ſicut & alia ante convocationem facta, dummodo in illis eadem forma ſit. *Ibidem.*

20. Qui Palatinatus, Terræ, Diſtrictus condiderunt ſibi lauda particularia contra licentioſos homines & prædones, tum reſpectu munitionis civitatum limitanearum & faciendæ Caſtrenſis executionis, vigore eiuſdem Conventûs valorem plenum habeant, & ad executionem deducantur. *Ibidem. & in anteriori.*

21. Si in iſtis Palatinatibus, qui inter ſe controverſos limites habent, prout in Palatinatu Podlachiæ, Lublinenſi, & Breſtenſi M. D. L. Pinſcenſi, Volinenſi Palatinatibus & Diſtrictibus, & aliis his ſimilibus, homines exceſſivi evitare judicia Capturalia propter differentias granitiales ſeu limitum, vellent; declaratur, quòd ad illa judicia citentur & iudicentur, in quibus immediatè ante mortem Regis iudicabantur: nihil derogando illis limitanearum ab vtraq; parte differentiarum. Et quia **Lofow** & **Lubecz** Magno Ducatui Lithvaniæ incorporatæ ſunt, ideo in judicio Capturali Orſanenſi iudicentur. *fol: 7. & ſequ:*

22. Cauſæ hæ, quæ ſive ex ſcriptione, ſive ex limitatione Commiſſariorum & aliorum judiciorum, ſive etiam per contractum, ter-

minum

minum assignatum habebant, iuxta vim istius limitationis, scriptionis, vel contractûs, terminum habebunt post felicem coronationem Regis futuri, ad maximum in sex septimanis, dum pars partem legitimè adcitaverit. *fol: 8.*

23. Contributiones quas Palatinatus &c. seorsivis laudis sibi constituerunt, vel constituent, aut modum exigendi eas adinvenerunt &c. vt in anteriori confœderatione. *num: 18. & hic fol: 8.*

24. Quarta utraq; & contributiones ordinariæ iuxta jus antiquum extradantur, respectu quarum forû &c. vt in confœderatione anteriori. *num. 20. hîc fol. 8.*

25. Jura, privilegia, & securitas Civitatum & Oppidorum Reipub: confirmantur, vt in anteriori *num. 21.* & in aliis confœderationibus factum est, & hîc *fol: 9.*

26. De judicio capti in recenti crimine, idem vt in anteriori *num: 22.* & alijs confœderationibus, & hîc *fol: 9.*

27. Dies electionis futuræ Regis, & locus assignatur, vt in anterioribus confœderationibus, sed vt tantùm duret tribus septimanis. Et ut ante omnia exorbitantiæ & vulnera Reipublicæ sanentur. Permittuntur conferentiæ cum Legatis exterorum Principum, dummodo non privatim & noctu, sed publicè fiant, alias delinquentes, in judicio Capturali generali, tenebuntur responderе. *fol: 9.*

28. Scripta & obligationes de eligendo Rege, si exteris Principibus extraditæ sunt, quoniam de illis Respublica nescivit, nec ratificavit, veluti inscia Repub. datæ sunt, nihil operari & pro nullis, cassatæq; declarantur. *Ibidem.*

29. Respectu venientium ad electionem, reassumptus est in toto articulus confœderationis generalis Varsaviensis *Anni 1587.* de venientibus ad eam cũ exteris & cum bombardis, similiter reassumpta est confœderatio generalis Varsaviensis *Anni 1573.* respectu electionis liberæ & concordis. Hoc est; consurgere contra talem promittimus, qui aut locum, aut tempus aliud ad electionem eligeret, & constitueret, aut in electione, post liberam electionem & denuntiationem per Dominum Archiepiscopum & Dominos Mareschalcos publicationem, tumultuari auderet. Palatinatus autem cum legionibus, aut aliquis alius cum hominibus sive suis propriis sub vexillis, & tanto magis cum Reipublicæ transire, & ad electionem appropinquare non debent, neq; cum bombardis ad vallum venire audeat, aliàs pro hoste Patriæ censendus

ſendus, ſed iuxta jura antiqua, futurus Rex, nemine contradicente debet eligi. *fol: 9. & ſequ:*

30. Reſpectu ordinis in electione, ad ipſum actum electionis differtur, *fol: 10.*

31. Reſpectu hoſpitiorum Varſaviæ pro Nuntijs ex Palatinatibus, prout in anterioribus confœderationibus ſtatuitur: excipiũtur tamẽ lapideæ Koſtczynſka & Szelizinſka aliàs Drewnowſka duabus conſtitutionibus libertatæ. *fol: 10.*

32. Capitaneus Varſavienſis exemplo Cracovienſis in antiqua arce debet habere reſidentiam exdiviſam. *Ibidem.*

33. Incolæ Regni & M. D. L. iniurias, exceſſus, damna in pratis & ſegetibus, ylvis Nobiliũ, & alias violentias hominibus, ad electionem venientes, & in electione, ne faciant: aliàs facientes civilem, vel criminalem iniuriam compoſitum Iudicium, hoc eſt: tres Deputati ex Senatu, quatuor ex Maiori Polonia, totidem ex minori Polonia, quatuor ex M. D. L. à Nobilitate primà die electionis ab omnibus concorditer electi, præſtito juramento ſuper iuſte judicando juxta Rotam Tribunalis, cum Dominis Mareſchalcis vtriuſq; gentis, ad reſidentiam Domini Mareſchalci Magni Regni conveniendo, omnes civiles & criminales actiones, quæ ſub electionis actu in illo generali omnium Ordinum conſeſſu acciderent, eà poteſtate & ſecuritate, prout judicia Tribunalitia, pluralitate ſuffragiorum vincente judicent. Hocq; cautum eſt, vt eiuſmodi extraordinarium judicium tantùm ad inaugurationem felicem novi Regis duret, & poſtea ſtatim deſinat, nec antiquis Mareſchalcorum juribus debeat in poſterum nocere. *fol: 10. & ſequ.*

34. Modus reſpectu ſecuritatis diſcedentium ex electione, & adminiſtrationis juſtitiæ, ad futura Comitia electionis differtur. *fol: 11.*

35. Cauſa ordinationis Zamoyſcianæ ne ampliùs Rempub: & futurã electionem turbet, inhærendo conſtitutioni *Anni 1589. 1590. 1635.* ad tradendam poſſeſſionem Zamoſcij & bonorũ ordinationi ſubiectorum Domino Martino Zamoyſki, Subdapifero Leopolienſi deputati Commiſſarij, vt, vnius vel plurium abſentià non obſtante, Zamoſcium, & ad alia bona ordinationi ſubiecta, pro tempore ex innoteſcentialibus incidente, conveniant, & iuramento juxta præſcriptum ordinationis, à prænominato Domino Zamoyſki in facie Eccleſiæ, vel vbi placuerit Dominis Commiſſarijs recepto, bona omnia ordinationis eidem Domino Martino Zamoyſki in

realem

realem possessionem tradant. Iura, privilegia possessorum & subditorum revideant, & cum inventarijs connotent: in quo omnis securitas tam ipsi Domino Zamoyski, quàm Dominis Commissarijs, & eorum famulis cavetur. Contra autem violatores & impugnatores traditionis bonorum, forum in judicijs Capturalibus, vel in Tribunali Regni, in Regestro securitatis Dominorum Senatorum & Nuntiorum Terrestrium, juxta constitutionem *Anni 1667.* assignatur. Debita realia à piæ memoriæ Ioanne Zamoyski Palatino Sandomiriensi in bona ordinationi subiecta contracta, in quantum bona eius tam Paterna, quàm Materna in exolutionem illorum non sufficient, ex proventibus bonorum ordinatorum, prævià transfusione juris à creditoribus, exolvantur, neminem ex creditoribus ex possessione turbando. Quorum debitorum in Tribunali Lublinensi, inter causas Capturales ab initio Tribunalis fiat cognitio, ubi illis terminus conservatur. Et hæc solutio debitorum in sequelam contrahendorum novorum non trahatur, nec ordinationi in aliquo derogare debet. Et quoniam Dominus Subdapifer Leopoliensis pro quacunq; expeditione bellica Reipub: ducentos homines conducturum & præsentaturū declaravit se, & conseruationē fortalicij promisit, illudq; pro Repub: retenturum obligavit se; ideo huic declarationi in facie omnium Ordinum Reipub: factæ, satisfacere tenebitur: juribus Ecclesiæ Collegiatæ & Academiæ Zamoscianæ per omnia salvis. *fol: 11. & sequ.*

39. Ad revisionem thesauri Regni, vbi insignia & Archiva Regni conservantur, Domini Commissarij tam ex Senatu, quàm Equestri Ordine, vt cum alijs, qui iuxta præscriptum juris ad clausuram thesauri spectant, vtpote Castellanus Cracoviensis, Palatini Cracovien: Posnan: Vilnen: Sandomirien: Calissien: Trocen: vnà cum Domino Thesaurario Regni illum revideant, conveniendo Cracoviam vnà septimanâ ante Comitia Coronationis; & inventario per personas dignas & sibi bene visas (assignato illis competenti salario) in præsentijs suis conscripto, & manibus proprijs subscripto relationem omnium in proximis Comitijs Coronationis faciant. Et vt in posterum fornix, in quo insignia & Archiva Regni conservantur, absq; Dominis Senatoribus, qui ab eo claves juxta antiquum jus, retinere debent, nunquam aperiatur, vtq; abhinc fornix iste septem seris fixis, occlusus remaneat: à qualibet sera, singuli Domini Senatores clavem su-

am habeant. Similiter vt ijdem Domini Senatores, à clenodij Reipub: habeant claves. Neq; Domini Thesaurarij, absq; scitu illorum, fornicem hunc quocunq; tempore aperiant, & nulla clenodia remanentia, ex Senatûs-consilio, vel ad mandatum alicuius, sine scitu totius Reipub: extradant. Ad hæc, iidem Domini Commissarij inquisitionem faciant, an executores defuncti Regis VLADISLAI IV. testamento eiusdem Regis Reipub: legata & donata, ad thesaurum reddiderunt? *fol. 13.*

Eodem modo ad revisionem thesauri M. D. L. deputati sunt Commissarij vnà cum Domino Thesaurario M. D. L. iniunctumq; est illis, vt conveniendo Vilnam, pro tempore præfixo, seriò inquirant, quò conuersa sint Archiva, privilegia, & thesauri M. D. L. ante hostilitatem, & horum omnium in futura electione, sufficientem relationem faciant Reipub: *Ibidem.*

37. Ad latus Archiepiscopi Gnesnensis vti Primatis Regni, modo, quo in alijs confœderationibus, deputati sunt ex vtroq; Reipub: Ordine Consiliarij. *fol: 14.*

38. Legati à Principibus externis pro electione venientes, ne audeāt Varsaviam in personis suis venire, vel appropinquare, nisi priùs Domino Archiepiscopo Gnesnensi certiorato de adventu suo, qui Dominus Archiepiscopus locum pro consistentia illis assignet, ex Equestri Ordine assistentes illis adiungendo, ne factiones aliquas faciant, sed tunc demum ad consessum Reipub: communem veniant, dum illis audientia publica assignabitur. Si autem ante electionem aliqui Legati venerint, Dominus Archiepiscopus cum assistentibus Consiliarijs, quàm citissimè eosdem expediat. Similiter idem Dominus Archiepiscopus & Consiliarij sibi assistentes invigilabunt, ne delegati Secretarij externorum residentium Varsaviæ maneant, nec in toto Regno factiones aliquas faciant. *fol. 10.*

39. Si aliqua scripta in præjudicium confœderationis, & contra liberam electionem invenirentur, cassantur: & in futurum, si aliquis ex Legatis externis auderet per scripta aliqua, vel per subscriptiones, negotia Interregni turbare, talis pro hoste Patriæ debet haberi. *Ibidem. & fol: sequ.*

40. Pacta inita cum vicinis externis renoventur, & exnunc ad omnes Legati mittantur, cum quibus autem nondum certa pax constituta, omnes Ordines ineant rationes. *fol: 16.*

41. Ad concludendam perpetuam pacem cum Moscho, deputati sūt ex vtroq;

ex vtroq; Ordine Domini Commissarij, dataq; est facultas Domino Archiepiscopo, vt cum assistentibus Consiliarijs sufficientem instructionem det illis. *Ibidem.*

42. Domini Duces exercitûs vtriusq; gentis, ne homines in servitio Reipub: existentes, & pecuniâ ejusdem conductos, inducant in viscera Regni, neq; in toto, neq; per partes, etsi quidem nullo tempore, præcipuè tamen sub tempus electionis in locum eidē electioni destinatum, aliàs pro hostibus Patriæ censeantur. Respectu cuius forum cum illis, ad cuiusvis instantiam Nobilis possessionati in judicio Generali Capturali. Præfecti quoq; legionum, & vexillorum milites suos in servitio Reipublicæ existentes, ad electionem eandem ne secum trahant, sub eadem pœna, in eodem foro repetenda. *Ibidem.*

43. Ad consilia bellica maturè & dextrè peragenda, Deputati ex Senatorio & Equestri Ordine, in Comitijs proximè præteritis, ad latus eorundem Dominorum Ducum assignati confirmantur, cum ea potestate, prout in constitutione dictorum Comitiorum expressum est, volendo, vt se ad scriptum, quod in Comitijs præteritis ad Archivum eo nomine datum fuit, in consilijs in toto conforment. Addendo quoq; ex Palatinatibus Prussiæ (qui in Comitijs præteritis Nuncios non habuerunt) Deputatos in generalibus illius Provinciæ comitiolis destinatos. *Ibidem. & fol: seq:*

44. In casu necessitatis, si miles pecuniâ conductus ad repellenda pericula non sufficeret, expeditio generalis bellica Nobilitatis constituitur, vt quilibet Palatinatus, juxta jura sua & consuetudines, sine divisione belli, conformando se constitutionibus antiquis & Comitiorum proximè præteritorum (quæ ad præsens reassumuntur) vbi necessitas postulabit, eant, & juxta ordinationes de expeditione hac descriptas, integritatem charissimæ patriæ, contra quemlibet hostem, exemplo maiorum defendant, sub pœnis de expeditione bellica, & quod superiùs memoratis obligationibus, promiserunt sibi & se obstrinxerunt. Intimatio autem ejusdem expeditionis bellicæ, in manus Domini Archiepiscopi, & assistentium Consiliariorum & viciniorum Senatorum data est: & vt hæc præsens constitutio loco primarum literarum restium sit, conclusum est. A qua expeditione bellica & pœnis Nobiles in exteris causâ studiorum vel aliorum negotiorū commorantes, vt in alijs confœderationibus juxta constitutionem Anni 1587.

ni 1587. liberantur. Civitates autem ad hanc expeditionem ſtringuntur, ſed vt ſecundùm præſcriptum conſtitutionis *Anni 1621.* ſe gerant iniunctum eſt. Palatinatus autem Podlachiæ, vt hanc expeditionem juxta conſtitutionem *Anni 1613.* & lauda *Anni 1647.* faciant. Similiter & Terra Lucovienſis juxta conſtitutionem *Anni 1667.*. Et omnes Palatinatus, Terræ, Diſtrictus, reſpectu iſtiſtius expeditionis, penes jura & conſuetudines conſervantur. In Palatinatibus quoq; Mazovienſi & Płocenſi habendo reſpectum tenuiorum Nobilium, vt ſex, vnum Equitem bene inſtructum ex moderatione Dominorum Caſtellanorum, Succamerariorum, Capitaneorum Iudicialium, & Vexilliferorum (quorum in hoc caſu fidem & conſcientiam obligârunt, vt fideliter huic ſervitio Reipub: ſine vllo reſpectu privato, & depactatione attendant) in luſtro præſentent, neminem ex his eliberando, qui in equo ſervitium bellicum poſſunt facere. Qui reſpectus vt habeatur in alijs Palatinatibus per calamitatem hoſticam deſolatis. Aula Sereniſſimæ *R*eginæ Eleonoræ penes conſtitutionem Comitiorum proximè præteritorum in toto conſervatur. Similiter aula Illuſtriſſimi *P*rimatis *R*egni vt in eadem prærogativa ſit, & regeſtrum in moderna convocatione manu Domini Mareſchalci Nuntiorum Terreſtrium, ſubſcriptum ſit. cum hoc additamento: vt perſonæ ad bellum aptæ, & quæ in memorata reſidētia remanebunt ex perſonis ſuis, & ex facultatibus in locum ſui ſubſtituant & expediant. In hanc expeditionem M. D. L conſenſit, juxta jura antiqua & conſuetudines ſui Ducatûs, & juxta conſtitutionem in Comitijs proximè præteritis, eo nomine latam. *fol: 17 & ſequ:*

45. Ne miles tam ex præſidijs, quàm pecuniâ pro ſervitio Reipub: conductus, ad electionem veniat, vt ſupra ſtatutum eſt. *fol: 18.*

46. De electione Deputatorum ad Tribunal, & de inchoatione Tribunalis, idem ſupra ſtatutum eſt. *fol: 18.*

47. Proventus ex omnibus Oeconomijs Dominus Theſaurarius *R*egni recipiat, ſimiliter & Dominus Theſaurarius M. D. L. Contractus omnes ſine ſcitu Theſauri facti, annullantur. *Ibidem.*

48 Ad reviſionem Oeconomiarum & bonorum Menſæ Regiæ in Regno deputati ſunt Cômiſſarij, vt omnes Oeconomias in *R*egno & Ducatu Pruſſiæ ſalvis contractibus modernorum poſſeſſorum, & exceptis Oeconomijs, quæ contractus ſuos, conſtitutionibus vallatos & confirmatos habent, vnà cum Domino Theſaurario revideant,

deant, & de statu & proventibus sufficientem relationem in proximis Comitijs electionis faciant: ita tamen; vt circa revisionem moderatas expensas adhibeant, nec thesauro graves sint. Salvis juribus in posterum Domini Thesaurarij. *fol. 19.*

49. Ad revisionem salisfodinarum Vielicensium & Bochnensium deputati quoq; sunt Comissarij, vt eam cum scitu Thesauri, & in praesentia Domini Succamerarij Cracoviensis expediant, salisfodinas ad bonum ordinem & meliores proventus reducant: retentum sal Palatinatibus & Terris vt extradatur, debita laborantibus persolvantur, & pro necessitatibus earundem expensas non tantùm ex remanentibus defuncti Regis, sed & nova incisione salis, ordinent. Quod si ex remanentibus defuncti Regis aliquid remanserit, pro solutione debitorum mortui Regis, Thesaurus convertat, *Ibidem. & fol: sequ:*

50. Sumptus ad corpus Regis defuncti necessarii usq; ad funus eiusdem, ex bonis Oeconomicis Regalibus fiant, ita tamen; vt à superfluis erogationibus abstineatur, & ne bona mensae Regiae debitis onerentur, harumq; expensarum rationes in Comitiis reddātur. Ad haec, ordinatur, vt ex proventibus mensae Regiae, salisfodinarum, Oeconomiarum, teloneorum, Serenissimae Reginae Eleonorae, quandoquidem nondum ad bona reformationi suae subiecta pervenit; inhaerendo consuetudini antiquae, & praecipuè exemplo Serenissimae Ludovicae Reginae summa ducentorum millium florenorum monetae in Regno currentis pro vno anno, in quantum Interregnum tam diu duraret, assignatur, non includendo in hanc summam donum nuptiale constitutione *Anni 1670.* cautum. Promittendo, quòd pro faciliori perceptione à Thesauro summam hanc futuro Regi, in Pactis Conventis trademus. Hoc addito; vt & Thesaurus M. D. L. tertiam partem istius provisionis & supra specificatarum expensarum, ex proventibus Oeconomiarum in M. D. L. contribuat. Quae omnia Dominis Thesaurarijs vtriusq; gentis, circa rationes Respub. acceptabit. *fol: 20.*

51. Ne decori publico, circa corpus Regis defuncti desit aliquid, deputati sunt pro residentia Varsaviae circa idem corpus Regis, vsq; ad futuram electionem novi Regis, Domini Senatores, tam ex Spirituali, quàm saeculari statu, nec non Officiales. Et propter majorem ordinem & securitatem circa idem corpus Regis defūncti, Dominis Mareschalcis, vt solitam jurisdictionem Mareschal-

calem ad futuram electionem reaſſumant & exequantur, committitur, & ad hoc uſq; tempus lata ab illis decreta, approbantur. *Ibidem.* & *fol: ſequ:*

52. De reſidentia Dominorum Capitaneorum limitaneorum, vt ſupra diſpoſitum eſt. *fol: 21.*

Pons ſuper fluvio Viſtula, ſumptu publico extruatur, pro quo, theſaurus Regni duas partes, & tertiam partem theſaurus M. D. L. contribuat. Tenutarij autem bonorum Regalium viciniorũ, ligna ex ſylvis non denegent. *Ibidem.*

53. Commiſſio Leopolienſis in Comitijs præteritis decreta, quoniam ob mortem Sereniſſimi Regis effectum ſuum ſortiri non poterat, juxta ordinationem jam antea factam revificatur, & Lublinum transfertur, in Tribunal theſauri convertendo, ſine præjudicio tam judiciorum Capturalium Palatinatûs Lublinenſis, quoad privatas Palatinatûs actiones, ſicut etiam juriſdictionis Caſtrenſis Lublinenſis quoad executionem. Officium Terreſtre Lublinenſe ad ſcribenda decreta deputatur: obligando illos, vt cum Dominis Ducibus exercitûs & Domino Theſaurario Regni, & ex Senatu conſtitutione in Comitijs præteritis expreſſis, ſicut & ex Equeſtri Ordine in Palatinatibus & Terris electis & ſalariatis Commiſſarijs, pro termino præfixo conveniendo, judicia privatarum iniuriarum non minus illorum, qui ad expeditionem Chocimenſem venire retardârunt, abſentiæ cuiuſvis perſonæ ponderãdo legalitatem, necnon alias actiones & cauſas ibidem expreſſas ex delatione Inſtigatoris Regni præſidente ſupremo Duce Regni inſtituant, & ſervatâ iuſtitiâ ſummario militari proceſſu judicent, citationes ſub titulo Tribunalis extradantur. & multa alia conſtituta ſunt, vt videre licet. *fol: 21. cum ſequ:*

54. Milites deſertores caſtrorum ſine ſcitu & conſenſu Dominorum Ducum vel eorum viceſgerentium pro infamibus declarantur, niſi à publicatione literarum vniverſalium Illuſtriſſimi Domini Primatis & Domini Mareſchalci Nuntiorum Terreſtrium manibus ſubſcriptarum in ſpatio duarum ſeptimanarum ad vexilla ſua non redierint. In Comitijs, judicijs, & in alijs omnibus actibus publicis, vti perſonæ condemnatæ locum ſtandi non habeant. Domini autem Capitanei in perſonis & bonis illorum executionem extendant, non derogando quidquam per hoc authoritati judiciorum Dominorum Ducum. *fol: 23.*

55. Ne Reſpub: inermis remaneat, ſeptuaginta millia diverſi militis ſub

ſub directione Dominorum Ducum ordinantur, pro ſtipendijs autem illorum, præter alias contributiones, duplex ſubſidium charitativum generale, juxta conſtitutionem & inſtructionem *Anni 1662.* ſtatuitur, & modus exigendi, tum quæ perſonæ debeant illud ſolvere, præſcribitur. *fol: 23. cum ſequ.*

56. Ad exercitum Reipub: pedites ex bonis Regalibus & Oeconomijs vulgò dicti *Brańcy* ordinantur, vt juxta jura antiqua & conſtitutiones ſub rigore pœnarum in legibus deſcriptarum expediantur, & tempeſtivè ad Caſtra à ſuis centurionibus & Præfectis adducantur, Notarioq; Campeſtri Regni præſententur, ſub pœnis. *fol: 24.*

CONFÆDERATIO GENERALIS VARSAVIENSIS, Poſt mortem JOANNIS III. Regis.

Anno Domini 1696. die 29. Menſis Auguſti, poſt ſciſſionem prioris per certos Nuntios Terreſtres iterũ celebrata.

1. OMnia deſideria publica & privata, ad futuram electionem Regis reijciuntur. *fol: 1.*
2. Rex eligatur Catholicus verus Romanæ Eccleſiæ, ſimiliter & Regina *fol: 2.*
3. Jura & privilegia Orthodoxæ Romanæ Catholicæ, & Ritûs Græci vnitorum Eccleſiæ tueri, ſub fide honore & conſcientijs omnes ſpoponderunt. *Ibidem.*
4. Sub iiſdem nexibus, & vinculo ſacroſancto, omnes ſpoponderunt, & ſe obſtrinxerunt nullam diſmembrationem inter ſe & factiones privatas in eligendo Rege facturos, nec aliter in electionem Regis conſenſuros, niſi in eum, qui per libera ſuffragia, nemine contradicente fuerit electus, aliàs ſi aliquis, ſive ex Senatoribus tam Spiritualibus, quàm Sæcularibus aut Officialibus Regni & M.D.L. vel ex privatis perſonis auderet ſine vnanimi conſenſu omnium Ordinum Regem denuntiare, talis pro hoſte Patriæ cenſeatur. *fol: 2.*
5. Non priùs Dominus Archiepiſcopus Gneſnenſis ad denuntiationem Regis accedat, niſi præmiſſâ trinâ interrogatione, an ſit omnium conſenſus, & ſatisfactum ſit omnibus exorbitantijs? Et

quòd Rex jura omnia, privilegia, libertates, quæ sunt, vel quæ illi porrigêtur per Pacta Conventa, ante nominationem & denuntiationem priùs per Oratores suos juramento confirmabit: non diminuendo quidquam ex juramento Regum Poloniæ HENRICI, STEPHANI, SIGISMVNDI III. VLADISLAI IV. JOANNIS CASIMIRI, MICHAELIS, & JOANNIS III. recenter defuncti, Regno & M. D. L. & annexis & incorporatis provincijs, in coronatione facto, & post adventum & præstitum juramentum constitutionibus comitialibus corroborabit. *fol: 2. & sequ:*

6. Occurrendo, ne per ambitionem plurium turbetur, vel (quod absit) distrahatur *R*espublica; conformando se ad instructiones omnium ferme Palatinatuum, exclusionem Piastorū censuerunt esse necessariam, & in eam spoponderunt, & confœderationem inierunt, obligando se adinvicem fide, honore, & conscientiâ, quòd omnem talem, qui ex *C*ivibus tam *R*egni, quàm M. D. L. in æqualitate constitutis, inter concurrentes, cum ambitu suo, in futura electione ad coronam declararet se, & illum, qui Piastum ex Civibus nominaret, pro hoste Patriæ habebunt. *fol: 3.*

7. Similiter caverunt sibi omnes, & confœderationem inierunt sub fide, honore, & conscientijs suis, sub nexu eiusdem juramenti obligârunt se, quòd, si aliquis ex externis Principibus, sive ex Civibus ejusdem *R*eipublicæ, per factiones & illicita media in præjudicium jurium & libertatum invitis Ordinibus auderet per potentiam in Thronum Regium inducere, & *R*empublicam per hoc turbare, contra talem quemlibet, omnia studia & vires suas convertent, vnus ab alio non recedendo, sed hucusq; in hoc vinculo indivisi permanebunt, donec Respublica per liberam electionem Regis fuerit pacificata. Contra violatorem jurium & libertatum, tam antiquarum (quæ omnes reassumptæ sunt) quàm & in hac confœderatione constitutarum, quousq; salutis, substātiæ aliquid & sanguinis superfuerit, opponent se, non dividendo se in partes, neq; faciendo dismembrationem aliquam, tam Regnū à Magno Ducatu Lithvaniæ, quàm & Magnus Ducatus Lithvaniæ à Regno, Terris, Palatinatibus, & annexis incorporatisq; Provincijs. *fol. 3.*

8. Respectu pacis inter dissidentes in Religione, antiqua jura & confœderationes & præcipuè *Anni 1674.* reassumptæ, & quòd circa illa & illas dissidentes inviolabiliter conservabuntur promissum est. Salvo jure & exceptis Ducatûs Mazoviæ *R*eligionis Græcæ tam

cæ tam vnitorum, quàm disunitorum in Regno & in M. D. L. existentium, omnes præteritorum Interregnorum confœderationes reassumendo, quod circa jura & privilegia ijsdem data, eosdem tueri & conservare spoponderunt. Arianos autem & Apostatas, Kuakieros & Menonistas ab hac confœderatione excludendo. *fol: 3. & sequ.*

9. Tempus pro Comitijs electionis Regis dies 25. Maij *Anni 1697.* assignatur, & vt ad hanc electionem viritim omnes expeditione bellicâ generali veniant. Salvis juribus Terrarum *Prussiæ*, & Civitatum, respectu ejusdem expeditionis bellicæ generalis latis. Et vt iste actus electionis sex septimanis tantùm duret, & in illo ante omnia vulnera *Reipub:* sanentur, & exorbitantiæ omnes pacificentur; aliàs ad electionem & consequenter ad nominationem novi Regis nullâ ratione accedatur. Et vt negotiū faciliùs effectuari possit, statutum est, vt statim primâ septimanâ inchoatæ electionis, per Deputatos ex Senatu sex, ex Equestri verò Ordine ex gentibus per quatuor, in præsentia Dominorum Ministrorum Statûs, tum Regni, sicut & M. D. L. prænominatæ exorbitantiæ & Pacta Conventa cum futuro Regnante conscribantur. Tertiâ autem septimanâ Ordinibus Regni legantur, & publico consensu, ex mente totius Reipublicæ approbentur; quod sibi quàm solennissimè fide, honore, promiserunt. *fol: 4.*

10. Prætensiones ad Domum Regiam, ad futura Comitia electionis rejectæ sunt. *Ibidem.*

11. Locus electionis, vt in anterioribus confœderationibus assignatus. *Ibidem.*

12. Respectu venientium ad electionem, & respectu securitatis publicæ, omnes præcedentes confœderationes in toto reassumptæ sunt, juxta quas tam Cives, quàm Legati externi se gerant, sub rigore, in præfatis confœderationibus expresso, cautum est. *Ibid:*

13. Ad pacificandum militem in vinculo confœderationis manentem modus satisfactionis, ad proxima Comitiola relationum dilatus est: salvis liquidationibus. *fol: 5.*

14. Respectu Artileriæ Regni reassumitur constitutio *Anni 1659.* titulo **Porządek Artyleryi Koronney:** hoc addito: quòd quousq; destinati duo Capitaneatus non essent ad hanc Oeconomiam bellicam redditi, interea Thesaurus Regni defectus Artileriæ Regni suppleat, & præcipuè sub hoc moderno Interregno. Nihilominus solutio novæ Quartæ modo & rigore in legibus descripro currat. *fol: 5.*

15. Ad latus Domini Archiepiſcopi Gneſnenſis, ex vtroq; Reipub: Ordine, & ex vtraq; gente, Conſiliarij deputati ſunt, vt in neceſſitatibus occurrentibus Reipub: maturo conſilio & auxilio, præſentes oretenus, abſentes & remotiùs agentes per literas ne quid detrimēti Reſpub: ſubeat, conſulant. Graviora autem &c. vt ſupra: pro notitia & deciſione ad omnes Ordines in electione, conſervando. *fol: 5. & ſequ:*

16. Miles confæderatus vt ad obedientiam Ducum, & obſequium Reipub: redeat, deputati ſunt ex vtroq; Ordine Commiſſarij, vt cum Ducibus exercitûs pro die 20. Octobris anni ejuſdem, ad locum, quem ex opportunitate & circumſtantijs Domini Duces magis opportunum viderint, venientes, cum eodem milite confœderato tractent, declarando illi certam emeritorum ſtipendiorum ſolutionem, & in conſiſtentijs hybernalibus pro hac vice ſatisfactionem. Promiſſum eſt, quidquid Domini Commiſſarij conſtituerint, pro rato & grato Reſpublica habebit. *fol. 7. & ſeq.*

17. Et quia ſatisfactio prænominato militi confœderato, abſq; liquidatione non poteſt expediri: hæc autem liquidatio, ex lege & vſu recepto in Tribunalibus Theſauri ſolet peragi; ideo ex neceſſitate publica conſtitutiones de Tribunali Theſauri & forma illius in Comitijs *Anni 1685. & 1690.* latas reaſſumendo, hoc Tribunal translatum eſt Leopolim, pro die vigeſima prima Menſis Ianuarij *Anni 1697.* deputatiq; ſunt ex vtroq; Ordine Domini Commiſſarij, vt in præſentia Domini Theſaurarij *Regni* expediant, præſtito ante omnia juramento in eam Rotam.

Ego N. juro DEO Omnipotenti in Trinitate vni, quòd in Tribunali Theſauri, ad quod deputatus ſum, functionem meam fideliter, ſine aliquo reſpectu privato, in rem Reipublicæ, æquitatem & juſtitiam ſervando, exequar, & circa liquidationem cum exercitu juxta ſanctam juſtitiam & notitiam meam procedam, nulla munera vel honoraria, imò nec promiſſiones aliquas recipiam & ſecreta judicij non revelabo. Sic me DEVS adiuvet, & paſſio illius ſancta. fol. 9. & ſequ:

18. Ad reviſionem Oeconomiarum, & bonorum ad menſam *Regi*am ſpectantium in Regno, præter Dominum Theſaurarium deputati ſunt, ex vtroq; Ordine Domini Commiſſarij, vt Oeconomias omnes, exceptis his, quæ contractus ſuos conſtitutionibus firmatos habebant, revideant cum ſcitu Theſauri *Regni*; & *Rei*pub: de ſtatu & proventibus illarum ſufficientem relationem in

Comi-

Comitijs futuræ electionis faciant. Ne tamen Domini Commissarij graves sint Thesauro, magnas expensas faciendo, Thesaurus invigilet & curam habeat. Hæcq; revisio in loco cuiuslibet Oeconomiæ expediatur, salvis per omnia juribus supremi Domini Thesaurarij Regni. *fol: 10.*

19. Ad revisionem salisfodinarum Vielicensium & Bochnēsium, deputati sunt eo modo, vt in anterioribus confœderationibus, Domini Commissarij. *Ibidem.*

Tandem vt hæc confœderatio, in omnibus punctis & vinculis perpetuum robur & validitatem habeat, & in dubium ne vocetur, omnes Senatores, Officiales, & Equester Ordo eandem subscripserunt, & per Deputatos ad Acta Castrensia Varsaviensia oblata, ad ingrossandum, & pro informatione totius Reipub: vt typis imprimatur, commissum est.

Præter has confœderationes, fuit etiam confœderatio generalis Ordinum Regni, & M. D. L. vivente & regnante MICHAELE Rege cum expeditione bellica generali Nobilitatis, idq; contra non faventes eidem Serenissimo Regi. Initium habuit sub *Golembino*, sed postea actus ejusdem Varsaviam translatus est, & in Comitia sex septimanarum conversus. *Anno Domini 1673.*

Reperiuntur quoq; in volumine constitutionum Regni confœderationes particulares Palatinatuum.

Quarum prima est confœderatio Senatorum & Nobilitatis Palatinatuum Cracoviensis, Sandomiriensis, & Lublinensis, post mortem olim STEPHANI I. Regis Poloniæ, Cracoviæ in festo S. Ioannis Evangelistæ. *Anno Domini 1589.* inita & conscripta, ad Actaq; Castrensia Capitanealia Cracoviensia ad ingrossandum per Deputatos oblata. Quas literas confœderationis Officium Castrense admisit, & publicari in locis publicis mandavit. Et postea Ministerialis generalis Regni coram eodem Officio & Actis Castrensibus Capitaneatûs Cracoviensis personaliter constitutus, easdem literas præinsertas, tam in Castro Cracoviensi, quàm etiam in circulo Civitatis Cracovien: proclamâsse, & ad notitiam quorum interest deduxisse recognovit, vt videre est in volumine constit. Regni. *fol: 399. cum sequ:*

In hac autem confœderatione hæc acta sunt.

1. Confœderatio (seu *Káptur*) in Civitate nova **Korczyn/** *Anno Domini 1438.* facta & post mortem SIGISMUNDI AUGUSTI Regis *Anno Domini 1572.* Sabbato post festum Divisionis Aposto-

lorum, per Antecessores suos, Cracoviæ renovata conservatur, excepto articulo, qui sublatus erat per posteriorem confœderationem de pace inter dissidentes in Religione, per HENRICVM & STEPHANVM Reges juramento confirmatam, quæ confœderatio, quia dissidentibus in Religione prospicit pacem & amorem fraternū, ideo in suo robore juxta continentiam suam in toto relicta est, & præterea confœderatio illa post mortem SIGISMVNDI AVGVSTI in Palatinatu Cracoviensi facta, in toto, juxta latiorem continentiam eiusdem confœderationis cum omnibus vinculis in ea expressis, reassumpta est. *fol: 399. cum sequ:*

2. Quia in dicta confœderatione *Anni 1572.* omissa est nominatio personarum, quæ Cives Palatinatuum, contra violatores publicæ pacis convocare, & contra illos ducere, pœnas in legibus definitas extendere possint, quilibet Palatinatus constituit Præfectos suos, qui imminente periculo, tam contra illos violatores pacis publicæ, quàm contra hostem externum, & etiam contra suos tumultus excitantes ad intimationem literarum vniversaliū (quæ vulgò Restes vocantur) à Dominis Palatinis dictorum Palatinatuum factam, more bellico, cum Nobilitate conjunctim & non divisim eant. Pœna non venientium, confiscatio bonorum statuta est; & vt juxta arbitrium insimul & Dominorum Palatinorum extendatur. Salvâ emendâ articuli huius, in conventione proxima Convocationis facienda. *fol: 401. cum sequ:*

3. Extra Regnum tempore istius Interregni commorantes, vel in alijs Palatinatibus sub tempus publicationis dictarum literarum vniversalium manentes, per personas substitutas, hāc expeditionem bellicam faciant. *fol: 402.*

4. Data facultas est Domino Palatino Cracoviensi, mille equites & trecentos pedites Polonicæ, & non alterius gentis conscribendi, non derogando quidquam per hoc, officio Domini Supremi Ducis exercitûs Regni, imò juxta privilegia antiqua, officium illius totaliter conservando. Ad hæc, Dominus Sebastianus Lubomirski ex amore erga Rempub: centum pedites suos adjunxit, idq; pro tuendis limitibus Vngariæ & Silesiæ. Similiter & Dominus Castellanus Osuięcimensis, exigente necessitate ferre auxilium Reipub: cum suo milite, promisit. Quodsi eiusmodi miles ad propulsanda pericula non sufficeret, expeditio bellica generalis Nobilitatis modo quo supra constituta est. Et quia cum Domino Thesaurario non poterat conferentia fieri respectu sumptûs pro

solven-

ſoluendis ſtipendijs, Dominus Palatinus Cracovienſis ex amore ſolito erga Rempublicam promiſit ſe de proprio ære ſoluturum, pro quo gratijs actis, promiſſum quoq; eſt Domino Palatino, ſi ex theſauro Regni non eſſet illi ſolutum, ex prima contributione ſubmiſerunt ſe ſoluturos. *Ibidem.*

5. Eidem Domino Palatino Cracovienſi, reſpectu ſumptûs pro exploratoribus, culina, & pro alijs neceſſitatibus bellicis per totum Interegnum vſq; ad coronationem Regis, aſſignata ſunt octo millia florenorum. *Ibidem.*

6. Pro munitione arcis Cracovienſis, data eſt facultas Domino Capitaneo Cracovien: trecentos pedites gentis Polonæ, & non alterius nationis, conſcribendi; vt hanc arcem, juxta officium & juramentum ſuum, vnà cum Collegis ſuis & Officialibus iſtius arcis cuſtodiat, & Regi legitimè electo reddat. *R*ecommendatumq; eſt Dominis Proceribus, vt per literas Dominum Theſaurarium *R*egni moneant, quatenus ex officio ſuo, & ex neceſſitate Reipublicæ ſumptum omnem prouideat. Quodſi Dominus Capitaneus pro ſolvendo ſtipendio huic militi de proprio expenderit, refuſio eidem, modo vt ſupra Domino Palatino Cracovienſi fiat. In quibus omnibus vt Dominus Capitaneus cum Domino Palatino Cracovienſi conferant, & vires ſuas inſimul, in commodum & non in damnum Reipublicæ, convertant: monito Domino Magno Adminiſtratore arcis, vt pulverem tormentarium, globos bellicos, & alia neceſſaria pro defenſione arcis, ſuſtentatione hominum, ex proventibus magnæ adminiſtrationis provideat. *fol: 402. cum ſequ:*

7. Per portas Civitatis Cracovienſis liber ſit tranſitus, adhibitâ tamẽ circa hoc circumſpectione, quam Civitas Cracovienſis cum alijs Civitatibus ſibi adiacentibus conſtituerunt: cui etiam Dominus Magnus Adminiſtrator arcis, curam ſuam adiungat. *fol: 403.*

8. Cum maximè expediat Reipublicæ, ne procraſtinetur Convocatio generalis Ordinum, injunctum Dominis Senatoribus Minoris Poloniæ, vt per literas Dominum Archiepiſcopum Gneſnenſem excitent ad eam abſq; mora intimandam. *Ibidem.*

9. Domini Capitanei vt diligenter invigilent, ne ſub prætextu mercium vel ſub alia cauſa, quidquam ex *R*egno evehatur, per quod Reſpub: damnum habere poſſit. *Ibidem.*

10. Similiter ne exteri homines ex *R*egno dimittantur vel admittantur, abſq; ſcitu Domini Palatini Cracovienſis. Quod ſi aliquis con-

trarium facere audeat, capiatur, & ad præfatum Dominum Palatinum remittatur: quod vt ad notitiam Dominorum Capitaneorum perveniat, eos certiores super præmissis faciat. Facturi id sub juramento & fide erga Rempublicam debita, in lege expressa. *Ibidem.*

11. Cautum est ne aliquis vltra decem externos homines in famulatu foveat, sub pœna, de bombardis lata. Forum coram Domino præfato Palatino Cracoviensi, assignatum est. *Ibidem.*

12. Positio librorum Terrestrium solùm fiat pro extractis, pro quietationibus, recognitionibus, transportationibus. Similiter vt Acta Castrensia aperta sint solùm, pro inscriptionibus, quietationibus, protestationibus, relationibus, & pro extractis. *Ibidem.*

13. Fatalia & præscriptiones non currant à morte Regis, donec aliquid certi constituatur. *fol: 404.*

14 Pax communis & amor fraternus vt servetur, commendatum est. *Ibidem.*

15. Confœderatio respectu pacis inter dissidentes in Religione, juxta suam continentiam, in plenissimo suo robore conservata & approbata est. *Ibidem.*

16. CivitasCracovien: ob immotam semper fidē summo ergaRempub: studio præstitā, ad vinculum & confœderationē admissa est; similiter & aliæ Civitates, Oppida, & omnes homines cuiuscunq; status & conditionis. Item Iudæi, cæteriq; omnes, nullis exclusis sub hāc confœderationem recepti sunt. Et vt violatores eorum pœnas in hac confœderatione expressas subeant, statutum est. Insuper Consulatus Cracoviensis seriò monitus est, vt sicut in fidelitate, ita etiam in diligenti custodia & circumspectione Civitatis, & in obedientia suis superioribus præstanda, in hac rerum turbatione diligentiores, & vigilantiores se exhibeant. *Ibidem.*

17. Nuntii Terrestres ex Palatinatu Lublinensi exposuerunt, commissum sibi à Fratribus, si aliquid vltra constitutionem comitiolorū, sive in Civitate **Korczyn**, sive Cracoviæ conclusum & ordinatum esset, illis Lublinum deferant, quodsi in aliquo puncto hæc ordinatio & conclusio Fratribus displicuerit liberum sit illis penes laudum suum remanere. *fol: 404.*

Tandem omnes supradictos articulos, tam in parte, quàm in toto spoponderunt sub fide, honore, & conscientijs suis, pro se & posteris suis servaturos. Et si aliquis contravenire illis vellet, pacem & ordinem communem turbare & scindere auderet, omnes

contra

contra talem ſe conſurrecturos in deſtructionem eius promiſerunt: pro majori autem certitudine, manibus proprijs eandem confœderationem nomine ſuo & Fratrum, qui ex hoc conſeſſu juſtis & inſperatis ex cauſis diſceſſerunt, ſubſcripſerunt, & nonnulli ſigilla ſua gentilitia appoſuerunt.

Confœderatio Palatinatûs Sandomirieñ: Sub tempus luſtri ſui Anno Domini 1587. die 8. Maij, ſub Pokrzywnicá.

In qua Confœderatione Palatinatus idem conſultationem inivit de pace, concordia & amore inter ſe. Deinde quòd confœderationem in cauſa diſſidentium in Religione, per HENRICVM & STEPHANVM Reges Poloniæ juramento confirmatam, in futura electione Regis, cum omnibus Ordinibus Regni promovebunt, vt in perpetuum inviolabiliter conſervetur, prout in volumine Conſtitutionũ Regni fol. 422. videre licet.

Tandem idem Palatinatus eodem anno, menſe, die, & loco vt ſupra, tempore ejuſdem luſtri aliam conſultationẽ in negotijs Reipub: fecit.

1. Promiſſa eſt mutua pax & concordia, & quòd contra conſtituta & ordinata in Convocatione generali Varſavienſi antecedẽti nihil dicetur: imò in futura electione Regis præcuſtodietur; ne quid contra jus commune & libertates fiat, ſed omnia conſilia dirigantur ad conſervationem horum omnium, & futurus Rex articulos ſuper his dandos confirmet. *fol: 424.*
2. Ut unuſquiſq; in officio ſuo juxta privilegia ſibi data conſervetur. *Ibidem.*
3. Omnes ad futura Comitia electionis novi Regis expeditione bellicâ vniverſali veniant. Si tamen Pater impeditus fuerit, per filium: Domina autem advitalitia per amicos ſeu famulos ſuos, & alij eo modo, quo ſervitium bellicum abſolvere tenentur, hánc expeditionem bellicam faciant. Pœna tamen ſtatuti in articulo non venientium ad hanc electionem locum non habeat. *Ibid:*
4. Dominus Archiepiſcopus Gneſnenſis Legatos Summi Pontificis, Turcarum, & aliorum Principum exterorum abſq; vlla mora expediat. *Ibidem.*

5. *Respectu* fani dissidentium in Religione, *Cracoviæ* diruti, vt Dominus Palatinus *Cracoviensis* officio suo in conservatione pacis publicæ satisfaciat, commendatum est. In futura autem electione Regis promiserunt se curaturos, vt author istius excessûs cum complicibus suis condignè puniantur, & ne in posterum eiusmodi insolentiæ fiant, obviaturos. *Ibidem. cum fol: sequ:*

6. Commissum est Dominis Palatino & Castellano Sandomiriensi & Becensi, vt discordias, odia inter certas personas orta, pro officio suo Senatorio componere studeant. Quodsi hæc compositio effectum suum non sortiretur, spoponderunt se curaturos; vt authoritate Conventûs electionis obvietur, ne talia odia & discordiæ liberam electionem futuri *Regis* turbent. *fol: 425.*

7. Spoponderunt sibi curaturos in futura electione Regis, vt privilegia Regni, quæ Statuto non sunt inserta, & essent necessaria Reipub: inserantur; & præcipuè privilegium ALEXANDRI Regis. *Ibidem.*

8. Satisfaciendo ordinationi in præterita Convocatione generali Varsaviensi, electi sunt Iudices Capturales ex quolibet Districtu Palatinatûs sui. Et vt hæc judicia Capturalia in arce Sandomiriensi peragantur, vnius vel duorum absentiâ non obstante. Pro Notario autem huius judicij Capturalis, Notarius Terrestris deputatus est. *Ibidem cum sequ:*

9. Ad correcturam jurium, & Tribunalis Regni, deputati sunt: & vt constitutio de bonis nullo jure receptis, ad debitam executionem deducatur, in hac correctura apponatur. *Promittendo* hoc negotium in futura electione *Regis* promoturos, vt authoritate ejusdem consessûs decidatur. *fol: 426.*

10. In locum Capitanei Opocinensis defuncti, Surrogatus Iudex electus est. *Ibidem.*

11. Modus electionis, vt ante omnia in Comitijs electionis Regis futuri conscribatur. *Ibidem.*

12. Proventus quartæ pro festo Pentecostes imminens, vt *Ravam* conferatur, & Domini Deputati eundem proventum ad futuram electionem *Regis* conservent. *Ibidem.*

Quæ omnia promiserunt more Antecessorum suorum servare: & vt ad notitiam omnium deveniant, commissum est Domino Palatino suo Sandomiriensi, vt ad Officia Castrensia Palatinatûs eiusdem transmittat, & publicari faciat. Pro majori autem fide, eandem confœderationem, manibus proprijs, cum appositione sigillorum, nemine contradicente subscripserunt. Ibidem

Ibidem adiunctæ ſunt reſponſiones ad proteſtationes nonnullorum Palatinatuum, reſpectu certorum articulorum, utpote reſpectu judiciorum Capturalium, reſpectu pacis inter diſſidentes in Religione, reſpectu expeditionis generalis bellicæ, reſpectu luſtri, ſanationis vulnerum, exceſſuum, & exorbitantiarum, vt videre eſt in volumine conſtitutionum Regni. *fol: 427.*

Confœderatio Palatinatûs Cracovień:

Tempore luſtri, die nonâ Maij, Anno eodem 1587. ſub Proſzowice inita; & ad Acta Caſtrenſia Cracovienſia, per certos Deputatos ad ingroſſandum, feriâ quintâ poſt Dominicam Exaudi proximâ, Anno eodem 1587. porrecta, & per miniſterialem generalem Regni in locis publicis, tam in Arce Cracovienſi, quàm in circulo Civitatis Cracovienſis publicata.

1. QVandoquidem Equeſter Ordo, ad hoc luſtrum, pro demonſtranda alacritate ſerviendi Reipub: cum tali apparatu comparuit, cum quali terror externo hoſti inijci poſſet. Ne tamen ſub prætextu huius luſtri, via in poſterum alicui paretur moleſtandi & trahendi ad pœnas aliquas, non tantum hos, qui ex juſta cauſa ad luſtrum hoc non venerunt, ſed etiam qui convenerunt ad dādam juſtificationem adventûs ſui. Ideo ſub fide & honore ſuis, caverunt, quòd nullus in poſterum reſpectu iſtius luſtri debeat moleſtari, & aliquibus pœnis ſubijci. *fol: 419.*
2. De his quæ in Convocatione præterita generali Varſavienſi conſtituta ſunt, & de valore illorum, ad futura Comitia electionis, ex cauſis animos ſuos moventibus, & præcipuè, quia, quod ad omnes ſpectat, id conſenſu omnium debet definiri, reſervârunt, præter locum & tempus *pro die 30. Iunij* electioni aſſignatum, & modum veniendi ad illam, quæ libenter acceptârunt, & ſub verbo nobili promiſerunt, ad illam venire, & alios Fratres ad idem faciendum inducere, videndo maximam neceſſitatem huius, & remanſuros ibidem, quouſq; neceſſitas Reipub: id poſtulaverit. *Ibidem.*
3. Modus judiciorum Capturalium præſcriptus: vt ſub hoc Interregno ſolùm quatuor articuli judicij Caſtrenſis, tum homicidiorum & omnium in vniverſum criminalium cauſæ, quarum cognitio

generali Conventui Regni competeret, tum & expulsionum violentarum, & damnorum inde secutorum, & spoliationum in bonis personarum tam Spiritualium quàm Sæcularium, & non aliæ causæ judicentur, idq; à morte Regis, viq; ad coronationem novi Regis. Citatio extradatur in membrana Terrestri aut Castrēsi, cum titulo: Nos Consiliarij & Ordines Regni: hæcq; citatio duabus septimanis ante incidentiam judiciorum per Ministerialem Regni ponatur. Pro quo termino, reus citatus peremptoriè cōpareat, semotis quibusvis dilationibus, exceptâ verâ infirmitate, idq; tantùm in personali, vtpote criminali actu, judicatumq; patiatur.

Quod autem attinet ad causam expulsionis, aut si aliquis alicui citra hanc ordinationem bona violenter inequitaverit, & possessionem qualicunq; modo & prætextu ademerit, aut domum spoliaverit, eodem modo, quo supra ad idem judicium Capturale citetur, judiciumq; restitutionem bonorum, & refusionē damnorū decernat, (non descendendo in cognitionem & disputationē jurium) in duabus septimanis satisfacien: conservando, ín defectu satisfactionis, partibus terminum in sequentibus judicijs. Et plura alia constituta sunt respectu istorum judiciorum Capturalium, quæ in sequenti titulo referemus.

4. Quia sub tempus huius consessûs factus est Cracoviæ per homines licentiosos, in destruendo fano dissidentium in Religione Christiana tumultus, ne hoc malum in posterum serperet, destinati sunt Domini Commissarij ad faciendā hanc inquisitionem, unà cum his officijs, quæ ad faciendam hanc inquisitionem pertinerent, ad investigandū, quis author & auxiliatores huius tumultûs fuerint? utq; ejusmodi licentiosos capere & in carcere detinere faciant, ad ulteriorem determinationem in Comitijs futuris electionis.

Tandem his statutis, confœderationem manibus suis subscripserunt, & sigilla sua gentilitia (modo quo supra) apposuerunt.

Ex quibus superiùs dictis hæc colligo.

Imprimis, quòd istæ confœderationes & consultationes particulares Palatinatuum, in quibus prospicitur securitati Palatinatûs sui, lustrum decernitur, Præfecti militi suo eliguntur, stipendia militi suo providentur, Iudices Capturales eliguntur, in tantum robur & validitatem habent; in quantum, authoritate Convocationis generalis Ordinum approbatæ fuerint, vel data fuerit facultas in eadem Convocatione generali, easdem faciendi, & in ijs pro defen-

sione

ſione Palatinatuum ſuorum conſtituendi neceſſaria, vt ſupra: vide in Confœderatione generali Varſavienſi poſt mortem SIGISMVNDI III. *Anno Domini 1632.*
Secundò. Cùm periculoſa ſint momenta temporum Reipub: abſq; Rege eſſe maximè expedire; ne tempus Interregni in longum protrahatur, ſed abſq; mora, tempus Convocationis generalis Ordinum Regni, & Comitiorum electionis novi Regis intimetur, ne detur occaſio Palatinatibus in privatos circulos coëundi & cõſultandi, ſeditioſis autem Civibus & externis Principibus, factiones faciendi, & quæq; extrema audendi. Idem monet Maximilianus Fredro, de geſtis Polonici populi, ſub HENRICO Rege Polonorum ejus nominis primo. *fol: 12.* Hinc Iacobum Vchanſcium Archiepiſcopum Gneſnenſem in hoc peccâſſe, & ab Ordinibus Regni inculpatum eſſe refert, quòd munere ſuo haud dextrè uſus eſſet. Sed & noſtris temporibus poſt mortem JOANNIS III. Regis, ſimile ſi non majus peccatum vidimus Quis autem author fuerit, ſcribant Hiſtorici, ego calamum contineo.
Tertiò: quòd luſtra in Palatinatibus ſingulis ſub tempore Interregni (quamvis juxta leges ſingulis annis deberent fieri, ſed hoc neglectum eſt) fiant. Nam tunc Nobiles pro poſſe fortunarum ſuarum arma, equos, comitatum, & alia bello neceſſaria demõſtrando, externo hoſti metum iuſtum incutere poſſunt.
Non minùs & expeditionem generalem bellicam totius Nobilitatis neceſſariam eſſe. Siquidem (vt aliqui aſſerunt) trecenta & quadraginta & ampliùs millia (cùm mota ſedibus ſuis, ſub ſignis ſteterit Nobilitas) vel vt Fredro vbi ſupra numero vigeſimo, ducenta millia & parum vltra poſſint numerari. Hincq; tantus numerus Nobilitatis, præter militem ordinarium Reipub: ſi ſub obedientia Ducum & ſervitio Reipub: remaneret, maximum terrorem hoſti externo inferre poteſt. Tempore quoq; Interregni amoliendas eſſe factiones, & ſeriò, quibus intereſt, invigilandum concordiæ Civium etiam per rigorem juſtitiæ: maximèq; armorũ potentiæ in publicum parandæ incumbendum, pro ſecuritate limitum. Fredro de geſtis populi Poloni ſub HENRICO VALESIO. *fol: 78.* Periculoſumq; eſt Reipub: privatum Civem nimis armari, huicq; omnibus modis obviandum eſſe. *Fredro ibidem fol: 9. & 11.*



TITULUS OCTAVUS
De judicijs Capturalibus.



Ortuo Rege post publicationem & denuntiationem ejusdem mortis per literas vniversales ab Archiepiscopo Gnesnensi, omnia judicia tam Tribunalitia, quàm post Curiam, tam Castrensia, quàm Terrestria silent. ne tamen administratio justitiæ, ex seditiosis & licentiosis hominibus sumenda cesset, constituta sunt Iudicia Capturalia, & data facultas est; vt quilibet Palatinatus Iudices Capturales in comitiolis particularibus suis eligant, non quidem ad omnes causas, sed ad certas judicandas vt infra patebit. Ita in cōfœderatione Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 3.*

Itaq; quilibet Palatinatus, in conventibus suis particularibus, ex pluralitate ejusmodi votorum Iudices eligunt, ut in Confœderatione generali Varsaviensi, *A. D. 1587. fol: 409.* Vbi numerus & qualitas Iudicum arbitrio Palatinatuum relinquitur. Ita Palatinatus Cracoviensis sub tempus lustri sui sub **Proszowice** *die 9. Maij Anno 1587.* elegit Dominum Palatinum Cracoviensem, & in absentia ejus, Dominum Capitaneum Cracoviensem, & ex quolibet Districtu duos Iudices, non obstante absentiâ trium vel ad summum quatuor: vt in volumine constitutionum. *fol. 421.* videre est.

Similiter & Palatinatus Sandomiriensis, sub tempus itidem lustri sui sub **Pokrzywnicá/** *die 8. Maij Anno 1587.* ex quolibet Districtu Palatinatûs Sandomiriensis, duos elegit, vnius vel duorum absentiâ non obstante. Idem & in Confœderatione Palatinatûs Cracoviēsis *Anno Domini 1632. die 28. Iulij.* Cracoviæ *fol: 3.* Sed in istis eligendis Iudicibus praxis cuiusq; Palatinatûs observanda, nam aliquando plures, aliquando in minori numero eliguntur: & more judiciorum Tribunalitiorum servatur, vt saltem Iudices sex sint ad constituendum hocce judicium. Et cum Ducatus Oświęcimensis & Zatorensis ultra antiquam consuetudinem in majori numero Iudices Capturales sibi elegerunt, statutum erat: ne hoc in posterum sit, pro illo tamen tempore, ad judicia Capturalia Cracoviensia admissi sunt. vide confœderationem generalem Varsaviensem post mortem VLADISLAI IV. *fol: 5. cum sequ:*

Isti

Isti Iudices in prima sessione sua, ante inchoationem judiciorum, tenentur juramentum corporale super justè judicando, juxta formulam Iudicum Tribunalitiorum Regni, idq; etiamsi circa officia sua & dignitates antea juraverint. Ita in dicta Confœderatione generali Varsaviensi *fol: 409.* & in Confœderatione generali Varsaviensi post mortem SIGISMUNDI III. *fol: 4.* Et in Confœderatione generali Varsaviensi post mortem VLADISLAI IV. *fol: 5.* Et in Confœderatione generali Varsaviensi post abdicationem Regno à JOANNE CASIMIRO *fol: 6.* Et post mortem MICHAELIS. *fol: 6.* Idem & Palatinatus Cracovien: in Confœderatione sua Cracoviæ *Anni 1587. fol: 421.* Et post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 2.* vbi statuit cùm Iudices Terrestres essent electi ad judicia Capturalia, vt coram Officio Castrensi Cracoviensi hoc juramentum præstaretur. Insuper additum est, quòd licèt ob brevitatem temporis Incolæ Ducatûs Zatorensis & Oświęcimensis non miserint suos Deputatos ad Conventum Cracoviensem, nihilominus data est illis facultas duos Iudices ad hæc judicia eligendi & mittendi, ita tamen; vt Iudices isti sui, vt alij Iudices, jurent. Notarius ad hæc Iudicia Capturalia, Notarius Terrestris; in defectu Terrestris, Castrensis, aut quem sibi Palatinatus & Terra elegerint. Ita supra *fol: 409.* Sic Palatinatus Cracoviensis, *d. fol: 421.* Notarium Castrensem elegit: Palatinatus Sandomiriensis vbi supra *fol: 426.* Notarium Sandomiriensem: similiter & Palatinatus Cracoviensis in Confœderatione sua post mortem SIGISMVNDI *Anno 1632.* in primis Comitiolis suis sub **Proßowice** facta, & postea in Confœderatione generali Varsaviensi approbata, vt videre est in volumine Constitutionum post literas denuntiatorias mortis Regiæ ab Archiepiscopo Gnesnensi.

Locus celebrandorum horum judiciorum in civitatibus principalibus, sive totius Palatinatûs, sive Terræ, ubi judicia Castrensia peragi solent, juxta arbitrium Palatinatûs seu Terræ constitutus est. In Confœderatione generali Varsaviensi *fol: 409.* Sic Palatinatus Cracoviensis *fol: 421.* constituit arcem Cracoviensem in loco consveto judiciorum Castrensium, hoc addito: ne cum multo famulatu & cum bombardis veniant. *Castri* tamen custodia & directio penes Capitaneum Cracoviensem remanet, vt in Confœderatione Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI III. Sic Palatinatûs Sandomiriensis in Confœderatione sua *fol: 425.* arcem Sandomiriensem assignavit. Sic Palatinatus Russiæ, ut Leopoli peragantur, in Confœderatione generali Varsaviensi, post abdicationem Regni, à JOAN-

NE CASIMIRO *fol: 18.* statuit. In terra autem Brelensi, in Civitate Branscensi: In Terra Mielnicensi, in Civitate Minscensi; in Terra Drohicensi, in Civitate Drodzicensi peragantur; in Confœderatione generali Varsaviensi, post mortem MICHAELIS Regis *fol: 8.* constitutum est; tribus septimanis vna post alia vt peragantur *d. fol: 409.* Constitutum est, & in Confœderatione Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 4.* Decreta autem ex pluralitate Judicum concluduntur & feruntur. *d. fol: 409,* & in Confœderatione Palatinatûs post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 4.*

Securitas horum judiciorum, & partium ad illa venientium, & ex illis discedentium, tum & validitas decretorum, talis, vt judicij Tribunalis Regni in d. confœderatione generali Varsavien: *1587. fol: 409,* Item in Confœderatione generali Varsaviensi post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 4.* Et in Confœderatione generali Varsaviensi post mortem VLADISLAI IV. *fol: 7.* Et in Confœderatione generali Varsaviensi post abdicationem Regni à JOANNE CASIMIRO *fol: 7.* & post mortem MICHAELIS *fol: 7. cum sequ:* Et in Confœderatione Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI Tertij. *fol: 4.*

Titulus autem citationis talis.

Nos Consiliarij & Ordines Regni Palatinatûs N. vt in Confœderatione generali Varsauiensi *Anno Domini 1587. fol: 40.*

Vel; Nos Proceres Regni Palatinatûs N. vt in Confœderatione Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 4.* Scribitur autem vel in membrana Terrestri, vel in membrana Castrensi, prout quisq; Palatinatus sibi constituerit.

Positio istius citationis fit per Ministerialem Regni juxta dictam Confœderationem generalem Varsaviensem. *Anno Domini 1587. fol: 407.* duabus septimanis ante. In Confœderatione tamen Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI III. vt supra *fol: 4.* statutum est, vt unâ septimanâ ante judicia possit poni.

Pro quo termino citatus, peremptoriè, absq; vlla dilatione comparere & respondere tenetur, semotis omnibus dilationibus (exceptâ verâ infirmitate, & hoc tantùm in personali, vtpotè in criminali actu) & judicatum pati. Jta in d. Confœderatione *Anni 1587. fol: 407. cum sequ.* salvâ inquisitione, si pars illam postulaverit. Jta Palatinatus Cracoviensis in Confœderatione sua. Jdem & in Confœderatione eodem anno sub Proszowice *fol: 420.* Et in Confœderatione alia post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 4.*

Quæ

Quæ inquisitiones seu scrutinia coram Judicio eodem, peremptoriè in secundis judicijs expediantur, *ibidem*. Quodsi ex inquisitionibus pateret inculpatum esse reum criminis, tunc judicium pro qualitate delicti eundem condemnet. Si autem inculpatus citatus non compareret, judicium contra illum procedat tanquam juri communi rebellem. Jn Confœderatione Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI III. *fol:*4. Ex quibus, si innocentia inculpati appareat, inculpans pœnâ talionis, hoc est, centum marcarum, cum refusione expensarum, medio juramento per partem liquidatarum, & sessionis in turri per duodecem septimanas puniatur, juxta contẽta Constitutionis Petricoviensis *Anno 1565*. Jta in d. Confœderatione *1587, fol: 408. cum sequ:* Jn Confœderatione autem Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 4.* vbi simpliciter de pœna talionis fit mentio, vbi etiam statutum est, quòd si aliquis in contumaciam esset condemnatus, possit ad idem judicium pro malè obtento accusantem citare, positâ citatione vnâ septimanâ ante terminum, & ibi processum malè obtenti tollere.

Causæ, & actiones ad hæc judicia Capturalia spectant. Primò, quatuor articuli Castrenses, hoc est: violentia fæminæ illata, præda in via publica facta, incendium & immissio ignis, necnon invasio domûs. Jtem causæ homicidiorum, & omnium in universum criminalium, quarum cognitio generali Conventui Regni, competeret. Jtem expulsionum violentarũ, damnorumq; inde secutorum. Jtem spoliationum in bonis personarum tam *S*piritualium, quàm Sæcularium; idq; tantùm à morte *R*egis vsq; ad coronationem novi Regis.

Quantum autem attinet causam expulsionis violentæ, aut si aliquis contra dispositionem juris, bona alicuius invaderet, percuteret, & possessionem sub quocunq; prætextu adimeret, aut domũ spoliaret; talis, modo quo supra ad judicium hocce citatus, per hocce Judicium ad restitutionem bonorum occupatorum, & ad refusionem damnorum (non descendendo in disputationem jurium) in duabus septimanis facien: debet condemnari: conservando partibus, in defectu satisfactionis, terminũ in sequentibus terminis judicij. Quodsi reus esset impossessionat⁹, liberum erit parti injuriatæ, eundẽ captivare & ad judicium hocce Capturale deducere. Si autẽ hic reus ad domũ alicuius Nobilis possessionati aufugeret, aut res aliquas ad domũ ejusdem Nobilis possessionati asportaret, tunc apud eundem Nobilem arestetur: quem dictus Nobilis tenetur eundem si arestatur in judicijs post arestum proximis statuere. Si autem hic Nobilis, circa

positionem aresti eundem reum, in instanti extraderet, vel deferet, nesciendo de eiusmodi excessu ejus, potest pars injuriata eundem captivare, Nobilis autem ille liber remanebit. Quæ etiam omnia, administrator bonorũ illius Nobilis, in absentia eius tenetur facere, aliàs si non fecerit, Dominus, ex illo administrationem justitiæ facere tenetur sub pœnis eisdem. In civitatibus autem, Officium Castrense, cum Officio civili, vbi autem non esset Officium Castrense, judicium Civile parte petente eundem captivare debet sub pœnis eisdem. Quodsi reus citatus & condemnatus decreto judicij huius noluerit satisfacere, pœna in Confœderatione descripta contra eundem eodem modo, prout contra alios supra expressorum criminũ patratores, extendatur. Hoc est, vt ad delationem per literas innotescentiales Judicum Capturalium, Palatinus, in defectu Palatini, Castellanus, vel in defectu horum, primus Officialis Terrestris, aut Iudices ipsi Capturales (si id illis fuerit concessum, à Palatinatu, vel Terra eiusdem Palatinatûs) totam Nobilitatem Palatinatûs, vel Districtûs illius, per literas vniversales commoveât, & terminum assignẽt, pro quo termino quilibet debet comparere, & executionem decreti judicij Capturalis facere, idq; sub pœna de expeditione bellica facita. Respectu cuius pœnæ in eodem judicio Capturali forum assignatur, ad instantiam partis injuriatæ. Jta in d. Confœderatione generali Varsaviensi *Anno 1587. fol: 407. & sequ: ubi fol: 409.* quod commotio Nobilitatis in Palatinatu Russiæ pro executione faciendâ decretorum judiciorum debet fieri, juxta ordinationem Confœderationis illius Palatinatûs.

Quodsi aliquis horum in pœna contumaciæ condemnatus esset, tunc idem judicium Capturale debet illum citatione apertâ & literali septimâ die post decretum latum citare, terminumq; pro expurganda ignorantia sua (in quantum illam pars prætenderet) assignare. Quo termino adveniente tenebitur juramentum corporale super ignorantia de citatione, præstare, illoq; præstito ad causam & actionem sibi motam & intentatam respondere, judicatumq; pati: quodsi temerè absentaverit, & ignorantiam juramento non comprobaverit, tunc judicium Capturale decretum in contumaciam latum debitæ executioni (vt supra) demande.

Jn criminalibus tamen causis, scrutinia & inquisitiones, coram eodem judicio Capturali, in judicijs proximis & immediatè sequentibus, tam ex parte accusantis, quàm ex parte inculpati, & etiam complicum, si aliqui fuerint, peremptoriè expediuntur, & si ex

scru-

ſcrutinijs patebit, quòd aliquis iniuſtè inculpatus & accuſatus fuerit, tunc injuſtè accuſans juxta conſtitutionem Petricovienſem *Anno D. 1565.* latam ab eodem judicio puniatur. Ita in d. Confœderatione generali Varſavienſi. *Anno* 1587. & nos ſupra attigimus. Idem de verbo ad verbum habetur in Confœderatione Palatinatûs Cracovienſis, *Anno eodem 1587.* die nonâ Maij ſub **Proſʒowice** *fol: 420.* vbi tamen additum eſt, quòd dicta commotio Nobilitatis pro exequendo decreto judicij Capturalis, ſub tempus electionis Regis, non debet fieri.

In Confœderatione autem generali Varſavienſi, poſt mortem SIGISMVNDI III. *Anno Domini 1632. fol: 4.* ſic habetur: ad judicia Capturalia cauſæ & actiones non ſpectant, quæ ante Interregnum, ſive in Tribunalibus Regni, ſive poſt Curiam Regiam, ſive in alio quovis judicio fuerunt alicui intentatæ, ſed ſolùm, quæ à die mortis Regis ſunt incæptæ & quæ uſq; ad coronationem novi Regis accidere poſſunt, non includendo tamen in hoc actiones cognitionũ jurium (exceptis cauſis liquidarum exemptionum,) ſed tantùm actiones criminis & facti violenti, & perſonalis iniuriæ. Inter quas cauſas, ſi cauſa expulſionis accideret, tunc juxta Confœderationem generalem Varſavienſem, *Anni 1587.* judicetur. Vide & conſtitutionem *Anni 1633. ſub titulo: Acta Interregni.* vbi decreta in cauſis ad quatuor articulos Caſtrenſes ſpectantibus, ſicut & in cauſis facti violenti, & perſonalis iniuriæ, & in alijs, quas Confœderatio generalis Varſavienſis iudicare illis permiſit, lata, authoritate Comitiorum approbata ſunt. Et quia in multis locis, Iudices Capturales datâ poteſtate abutebantur & ſe ingerebant in cauſas civiles & cognitiones jurium, & in cauſas reſpectu fundorum & granicierum. Similiter & in cauſas antea inchoatas & judicatas, ſimiliter in cauſas fiſci, quæ contractus Theſauri in præiudicum Fiſci tollerent, talia omnia decreta caſſata ſunt, & cauſæ in integrum reſtitutæ ſunt, reſpectu quarum, vt quilibet in foro competenti agere poſſit conceſſum eſt. Et quia & tales abuſus comperti ſunt, quòd vltra præfixum tempus, iam poſt inchoationem felicis coronationis Regis, nonnulli Iudices Capturales judicabant, & multos Nobiles pœnâ infamiæ, & aliis decretis aggravârunt, ſimiliter etiam & exceſſus in alijs Palatinatibus & Terris commiſſos & perpetratos & ad Iudicia Capturalia illorũ Diſtrictuum pravis ſubtilitatibus ad iudicium ſuum trahebant, & in contumaciam pœnâ infamiæ puniebant, eiuſmodi omnia decreta & ſimilia annihilata & caſſata ſunt, vti intentioni Reipub: contra-

ria, & si aliquis tali decreto aggravatus esset, data est illi facultas ad cassanda decreta ad Tribunal Regni **bez gleytu** citare: in Magno autem Ducatu Lithvaniæ ad Tribunal Vilnense. Has autem causas, quæ processu Capturali, sub Interregno non sunt finitæ, & si iam in executione rei judicatæ penderent, in judicio Castrensi illius Districtûs continentur, & ibidem sine appellatione exequantur. Quæ autem primùm inchoatæ essent, in Tribunali Regni ex speciali Regestro ante omnes causas judicentur, manentibus ijsdem pænis in judicijs Capturalibus latis. Protractumq; est tempus personis his quæ officio publico in ijsdem Comitijs fungerentur, ad alia judicia post prima proxima. *Vide & constit: Anni 1676. f.12.* & in cōstitutionibus M. D. L. eiusdem anni. vide & Confœderationem Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 3.* vbi generaliter tantum causæ criminales & facti exprimuntur.

Vide & in Confœderatione Generali Varsaviensi post mortem VLADISLAI IV. *Anno Domini 1648: fol: 6.* vbi hoc solùm additum est: quòd Palatinatûs Posnaniensis & Calissiensis, etiam causæ liquidarum exemptionum non possunt judicari, idq; stante laudo suorū Palatinatuum.

Jn Confæderatione quoq; Generali Varsaviensi post abdicationē Regni à IOANNE CASIMIRO IV. *fol: 6.* omnia prout in Confœderatione post mortem SIGISMVNDI III. hoc addito; quod si judicia Capturalia tam in Regno, quàm in M. D. L. vltra hoc præscriptum processerint, nullitas decreti sit, cum restitutione causæ in foro fori in integrum.

Idem & in Confæderatione Generali Varsaviensi post mortem MICHAELIS Regis, *Anno Domini 1674. fol: 6.* vbi adiunctum est; quòd desertores vexillorum Præfectis suis respondere teneantur.

Ad eadem judicia spectat causa, si aliquis in recenti crimine, iuxta Statutum Torunense in civitate esset captus; sed judicium Capturale cum iudicio Civili in Prætorio debet iudicare, conclusio tamen decretorum penes pluralitatem Iudicum Capturalium sit. *In* Confæderatione generali Varsaviensi. *Anni 1587. fol: 411.*

Idem in Confæderatione Generali Varsaviensi post mortem SIGISMVNDI III. *Anno Domini 1632. fol. 6.* Palatinatus tamen Russiæ respectu istius puncti ad conferentiam cum Fratribus suis in Comitiolis primis post eandem Confæderationem accepit.

Idem in Confæderatione generali Varsaviensi post mortem VLADISLAI IV. *fol: 8.* cum declaratione de conclusione decretorum

urm

um penes pluralitatem *Iudicum Capturalium*, vt videlicet vna pars sit Consulum, & duæ partes *Iudicum Capturalium*, ad suffragia spectent.

Jdem & in Confæderatione generali Varsaviensi, post abdicationem Regni à JOANNE CASIMIRO Rege *fol: 8.* hoc addito: quod tantùm sub tempus *Interregni*, eiusmodi causam compositum hoc *Iudicium* possit judicare, non derogando quidquam post finitum Interregnum juribus Civitatum & Statuto Torunensi. Quod idem & in Confœderatione generali Varsaviensi post mortem MICHAELIS Regis *fol: 9.* cautum est.

In Confœderatione generali Varsauiensi post mortem VLADISLAI IV. *fol: 7.* statutum erat, quodsi aliquis, in persolvendis cōtributionibus à Palatinatibus, Terris, & Districtibus laudatis remissus processu Thesaurariali à judicio Capturali ejusdem Palatinatûs Terræ, & Districtûs judicetur: similiter, Exactores, Arendatores Ducillarum, in quantum pro tempore præfixo non persolverint. Vide de hac materia, in Confœderationibus superiùs à nobis connotatis. Inter alia, quod si aliquis in Convocatione Generali Varsaviensi, functionem Senatoriam, vel Nuntij Terrestris gerens, citatus esset post electionem suam ad judicium Capturale, & ibidem condemnatus, talis decreti rigor non debet, nec potest contra illum extendi, sed de novo actio contra illum instituenda est. Itē in Cōfœderatione generali Varsaviensi post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 5.* In Confœderatione simili, post mortem VLADISLAI IV. *fol: 6.* Post mortem MICHAELIS Regis. *fol: 7.* Consuetudines Ducatûs Oświęcimensis & Zatoriensis, & aliarum ditionum Silesiæ ad Regnum spectantium abrogatæ, præcipuè respectu literarum fideiussorialium, ne judicio Capturali subsint, in Confœderatione generali Varsaviensi *Anni 1587. fol. 409.* Iudicia hæc tribus septimanis una post aliam fieri debent.

Cessare autem debent tribus septimanis ante electionem Regis, & deinde tribus septimanis post electionem inchoari. Jn d. Confœderatione *1587. fol. 409:* & in Confœderatione Palatinatûs Cracoviensis post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 4. vbi dicitur.* Et sub tempus ipsiusmet electionis, nam tunc judicium Capturale fit ut infra dicemus.

Causæ & actiones in judicijs Capturalibus sub *Interregno* indecisæ, & in executione pendentes, interveniente felici regimine novi *Regis*, in judicio Castrensi illius Districtûs continuantur, & ad executionem ibidem sine appellatione deducuntur. Quæ autem tan-

tùm inchoatæ sunt ex speciali Regestro ante omnes alias causas in Tribunali Regni, statim post coronationem Regis prosequuntur, manentibus ijsdem pœnis, quæ in judicio Capturali designatæ sunt.

Ita in Confœderatione generali Varsaviensi post mortem SIGISMVNDI III. *fol: 5.* Idem in Confœderatione generali Varsaviensi, post mortem VLADISLAI IV. *fol: 6.* Idem & in Confœderatione generali Varsaviensi post abdicationem Regni à JOANNE CASIMIRO *fol: 6.* Idem in Confœderatione simili post mortem MICHAELIS Regis. *fol: 7.*

Sub Interregno à die mortis Regiæ in rebus & progressibus juris, fatalia juris, aut præscriptio non currunt, nec alicui nocere possũt ad consequendam in posterum justitiam. In Confœderatione generali Varsaviensi, post mortem SIGISMVNDI AVGVSTI *Anno 1573: fol: 209.* Tandem in Constitutione Regni *Anni 1576. fol: 280.* sub titulo: *præscriptio seu fatalia sub Interegno*, idem statutum est, ne præscriptio aut fatalia juris, tam actori, quàm reo à morte Regis vsq; ad annum à die coronationis Regis currant. Quod & respectu non transportationis inscriptionum Castrensium cautum est.

Vide & in Confœderatione Palatinatûs Cracoviensis *fol: 404.* Item in Confœderatione generali Varsaviensi *Anni 1587. fol: 411.* sed ibi tantùm à morte Regis vsq; ad coronationem novi Regis. Item in Confœderatione simili post mortem SIGISMVNDI III. *Anno 1632. fol: 6. vbi sic habetur:* Fatalia tam Actori, quàm reo, non tantùm processibus & decretis jure sancitis, sed etiam inscriptionibus roboratis, quæ in se decisiones compromissoriales, liberè per partes contrahentes impositas, continent, non debent officere, imò suum vigorem vsq; ad tempus in Confœderatione specificatum habebunt. Idem de verbo ad verbum in Confæderatione generali Varsaviensi post mortem VLADISLAI IV. *Anni 1648, fol: 8.* Idem in Confæderatione simili post abdicationem Regni, à JOANNE CASIMIRO Rege *fol: 8.* Idem & in confæderatione post mortem MICHAELIS Regis. *fol: 8. cum sequ.*

Judicia omnia & decreta in Regno & M. D. L. tam Tribunalitia, Castrensia, Terrestria, & alia, à die mortis Regiæ vsq; ad publicationem mortis ejusdem ab Archiepiscopo Gnesnensi per literas suas vniversales factam, robur & legitimitatem ejusmodi habent, acsi ante diem mortis Regiæ essent facta & lata. Non præcluditur tamen via, ad tollenda decreta in contumaciam in iisdẽ judicijs lata & obtenta. Ita in Confæderatione generali Varsaviensi post mortem SIGISMVNDI III.

DI III. *Anno Domini 1632. fol: 4.* Jdem in ſimili Confæderatione poſt mortem VLADISLAI IV. *fol: 4.* Jdem in Confæderatione ſimili poſt abdicationem Regni à JOANNE CASIMIRO IV. *fol: 5.* Idem & poſt mortem MICHAELIS *fol. 5.*

Quantùm autem ad inſcriptiones ſub Interregno coram Actis Caſtrenſibus vel Terreſtrib⁹ factas, taliter diſpoſitum eſt. Et imprimis,

1. Jn Confæderatione generali Varſavienſi *Anno Domini 1573. fol: 209. ſic habetur.* Inſcriptiones omnes & reſignationes perpetuæ bonorum, coram authenticis Actis factæ & fiendæ ſub Interregno, approbantur & ſunt validæ.
2. Jn Confœderatione autem generali Varſavienſi *Anno Domini 1587. fol: 411. ſic habetur.* Inſcriptiones, recognitiones, quietationes, relationes, obductiones, donationes, roborationes ſub Interregno factæ, in ſuo robore remaneant: idq; extenditur etiam ad Civitates.
3. Jn Confœderatione generali Varſavienſi poſt mortem SIGISMVNDI III. *Anno Domini 1632. fol: 4. ſic habetur.* vbi poſt publicationem literarum vniverſalium Archiepiſcopi Gneſnenſis, ex communi Nobilitatis illius Palatinatûs, Terræ, Diſtrictûs conſenſu, libri Caſtrenſes fuerunt aperti, tunc omnes inſcriptiones perpetuitatem ſapientes, vel ſimplicis debiti, aut teſtamenta, proteſtationes, & relationes in illis authenticatæ valorem habeant, & vbi ad hoc vſq; tempus libri ejuſmodi clauſi fuerunt, abhinc Officium Caſtrenſe illos aperiat, & vnicuiq; liberum acceſſum ad ejuſmodi libros & Acta præbeat. Et omnia iſta ſub Interregno ad Acta ſuſcepta, ejuſmodi valorem habeant, acſi vivente Rege fuerint facta, & acta.
4. In Confœderatione Palatinatûs Cracovienſis poſt mortem SIGISMUNDI III. *Anno Domini 1632. fol: 4. ſic diſponitur.* Librorum Terreſtrium apertio, ſolùm debet eſſe pro extractis, quietationibus, recognitionibus, tranſportationibus. Coram Actis autem Caſtrenſibus, inſcriptiones, quietationes, proteſtationes, extractus, relationes poſſunt fieri.
5. Jdem in Confœderatione generali Varſavienſi poſt mortem VLADISLAI IV. *Anno 1648. fol: 4.* prout in Confœderatione generali Varſavienſi, poſt mortem SIGISMVNDI III. vt ſupra, idq; de verbo ad verbum.
6. In Confœderatione generali Varſavienſi poſt abdicationem Regni

à IOANNE CASIMIRO IV. *fol: 6. sic habetur.* In judicijs Capturalibus Regni, & M. D. L. omnes inscriptiones ab initio eorundē judiciorū vsq; ad finem illorū factæ, talem valorem habeant, acsi in quolibet Officio & subsellio, regnante Rege fuerint factæ.

7. In Confœderatione autem generali Varsaviensi. post mortem MICHAELIS Regis. *fol: 6.* omnes inscriptiones ab inchoatione horum judiciorum Capturalium, vsq; ad finem eorundem judiciorum factæ ejusmodi valoris sint; acsi in quolibet subsellio regnante Rege fuerint factæ.

De causis, quæ ex consensu partium, vel ex limitatione Commissariorum, aut aliorum *Iudicum*, vel vigore contractûs, quòd post felicem coronationem Regis futuri debeant ad maximum in sex septimanis, dum pars partem legitimè adcitaverit, reassumi, vide in Confœderatione generali Varsaviensi, post mortem VLADISLAI IV. *fol: 7.* & post abdicationem Regni à IOANNE CASIMIRO *fol: 7.* & post mortem MICHAELIS. *fol: 8.* De causis autem Palatinatuum, qui controversos limites inter se haberent, si excessivi homines respectu controversorum limitum judicia Capturalia effugerent, statutum est, vt ibi citentur & judicentur, ubi immediatè, usq; ad mortem Regis consveverant judicari, nihil derogando differentijs illis granitialibus ab vtraq; parte. Ita in Confœderatione generali Varsaviensi post mortem SIGISMUNDI III. *fol: 5.* post mortem VLADISLAI IV. *f. 7.* post abdicationem Regni à JOANNE CASIMIRO *fol: 7.* post mortem MICHAELIS *fol: 8.* Fuit etiam in Confœderatione generali Varsaviensi, *Anno Domini 1573. fol: 209.* statutum. Quòd, si aliquis respectu certi debiti firmâ inscriptione obligavit se sponte & benevolè ad respondendum in judicio Castrensi, sive ante sive post mortem Regis, talis juxta inscriptionem, & obligationem, progressum juris vsitatum patiatur. Et Domini Capitanei teneantur vigore huius generalis Confœderationis, sine omni dilatione, juxta vsitatam formam ejusmodi causas judicare & exequi, præter hos Palatinatus, qui sibi formam administrationis justitiæ & executionis specialem constituerunt sub Interregno aut adhuc constituent.

Præter hæc judicia Capturalia Palatinatuum, constituitur judicium Capturale generale sub tempus electionis ad causas judicandas, quod judicium vocatur judicium compositum; quia tres deputantur & eliguntur primâ die electionis Regis, ex Senatu, quatuor ex Maiori Polonia, quatuor ex Minori Polonia, & totidem ex Magno Ducatu Lithvaniæ, qui juramento præstito in facie totius Reipub: super

per juſtè judicando, juxta Rotam Tribunalitiam cum Dominis Mareſchalcis vtriuſq; gentis, ad reſidentiam Domini Mareſchalci Regni conveniendo, omnes civiles & criminales cauſas, quæ ſub actu electionis in illo generali omnium Ordinum Regni, & M. D. L. conſeſſu, & alias cauſas accidentes judicant, eâ poteſtate & ſecuritate, quâ judicia Tribunalis Regni gaudent, pluralitate ſuffragiorum vincente. Qui Deputati in facie totius Reipub: juramentum tale præſtant.

Ego N. juro DEO Omnipotenti, quòd juſtè juxta DEVM, jus ſcriptum, æquitatem, controverſias partium judicabo; & recognitionem recipiam, non habendo reſpectum divitis vel pauperis, amici vel inimici, incolæ, vel advenæ, munera, minas non curabo; ſed in judicando ſolum DEVM, jus ſcriptum, æquitatem, controverſias partium, recognitiones, & judicium conſcientiæ meæ imitabor, & audiam; & alias cauſas ad me pertinentes fideliter, & juxta poſſibilitatē meam faciam: non practicabo cauſas cum aliquo. Ad hæc; non curavi electionem mei, ad hoc judicium; nec ſecreta judicij alicui revelabo: ſic me DEVS adiuvet & ſancta Crux Chriſti Domini.

DD. autem Mareſchalci in hanc formam jurant.

Ego N. juro Deo omnipotenti, quòd juſtè, ſine vllo reſpectu perſonarum, juxta juramentum, circa officium meum Mareſchalcale Regi Regnoq; præſtitum, judicabo. Nec cauſas ad hoc judicium venientes practicabo, nec conſilium in illis dabo, nec præcautiones aliquas faciam, ſecreta quoq; judicij præſentis non revelabo. Sic me DEVS adiuvet, & ſancta Crux Chriſti.

Jta hæc juramenta deſcripta. *vide Anno Domini 1632. fol. 7. in volumine conſtitutionum.* Decreta autem huius judicii connotat Dominus Notarius Terreſtris Varſavienſis, præſtito prius iuramento de non revelandis ſecretis judicii, & eadem decreta terminare, & cum Actis Comitialibus habere & conſervare debet, extracta cum ſubſcriptione ſua partibus requirentibus extradere poteſt, ſententiam tamen ferre prohibetur. Salarium aſſignatum eſt, prout Notarius Terreſtris Seradienſis habet.

Inſuper decreta iſtius judicii à tribus Deputatis, vno ex Minori Polonia, ſecundo ex Maiori Polonia, & tertio ex Ducatu Lithvaniæ ſunt ſubſcribenda. Ita hæc ordinata ſunt. *ubi ſupra fol: 5.*

Cautum tamen eſt; vt hoc judicium tanquam extraordinarium ſolùm ad inaugurationem novi Regis duret, & poſtea ſtatim deſinat.

nat, nec antiquis juribus DD. Mareſchalcorum in poſterum noceat. De quo judicio & cauſis ad eam ſpectantibus, vide in Confœderationibus ſupra à nobis deſcriptis, & infra ſub tit. de electione.

Et licèt omnia judicia ſub tempus Interregni, à die publicationís mortis Regiæ ſileant; tamen propter majorem ordinem & ſecuritatem circa corpus Regis mortui, DD. Mareſchalcis ſolitam jurisdictionem vſq; ad electionem reaſſumere & exequi committitur, decretaq; ab illis ante Convocationem generalem Varſavienſem lata, in eadem Convocatione generali approbantur. *Ita in* Confœderatione generali Varſavienſi *Anno 1674. fol: 21.* habetur.

138

TITULUS NONUS
De Electione Regis.



Eges Poloniæ olim non eligebantur, ſed per ſucceſſionem hæreditariam ſceptrum obtinebatur: idq; non ſolùm filij, more Gallorum, ſed & filiæ, more Hiſpanorum ſuccedebant. Sic Proceres & Nobiles Regni huius, LVDOVICO Regi Poloniæ & Vngariæ, *Anno Domini 1374.* conſenſerant, ut filij eius in Regno Poloniæ ſuccederent, & deficientibus filijs, filiæ hereditarent. *Ita Laſcius in ſuo ſtatuto fol: 40. Herburtus fol: 152. & ſequ: Ianuſovius libri primi, parte primâ: fol: 1. & ſequ.*

Similiter vivente Rege, filij eorum olim nominabantur & coronabantur: prout SIGISMVNDVS AVGVSTVS adhuc impubes, vivente Patre ſuo SIGISMVNDO I. abſq; ſolennitate Comitiorum fuit nominatus & coronatus, his conditionibus. Primò: vt vivente Patre à curis Regni abſtineat. Secundò, vt ſive vivente Patre, ſive illo mortuo cùm ad annos diſcretionis pervenerit, jura, privilegia, & libertates confirmet. Et ne per hoc exemplum, liberæ deinceps electioni derogetur, per diplomata Cracoviæ *Anno Domini 1530.* & Petricoviæ *Anno Domini 1538.* data, cavit, decrevitq;. Sic & VLADISLAO JAGELLONI, Ordines Regni promiſerunt, filium eius, quem ad gubernacula Regni magis aptiorem conſpexerint vivente illo, eligere. *Sarnicius fol. 9.*

Refert quoq; *Cromerus lib: 12.* hiſtoriæ ſuæ, fol: apud me 300. Quòd CASIMIRUS II. Rex Poloniæ, cùm nullos ex ANNA Vxore mares

mares liberos susceperit, præter unam filiam, eam in Successorem Regni designaverat, indictis ad eam rem Comitijs Cracoviam *ad octavam diem Maij Anno Domini 1339.* vbi re in consultationem Senatûs positâ, non est votorum compos factus. Nam aliqui Zemovitum, alij Janussium, Duces Mazoviæ, alij Vladislaum Ducem Oppoliensem volebant, quòd omnes isti, é vetusta Regum Poloniæ prosapia oriundi essent. Pervicit tamen CASIMIRVS Rex, vt omnium sententiæ in CAROLVM Regem Ungarorum Sororis suæ Virū, & filios eius inclinarent, refutatis aliorum, qui dissenserant, sententijs. Sed postea, lege perpetuâ cautum est, & quidem statim post mortem SIGISMVNDI AUGUSTI. Ordines Regni in Comitijs Varsaviensibus, antiquioribus sub trutinam missis legibus, expreßè prohibuerunt: ne Reges, vitæ suæ tempore Successorem ad Regnum nominarent, aut electionem indicerent; vel per cessionem, aut per alium quemcunq; modum designationem tentarent; vt nimirum liberæ genti, illæsa semper foret eligendi Regem facultas. Ratioq; redditur, quia præsente Rege novum eligi, non electio est, sed successio & hæreditas. Mancipantur eligentium liberæ voces, vt non qui optimus, sed qui proximus sanguine sceptris destinetur: cùm alij præsentiâ senis Regnātis, alij officio, cæteri cupidine placendi ad Principum destinata, non Rempub: trahuntur. Verùm post funera eligere, sola eligendi libertas est. *Ita Maximilianus Fredro. fol: 65.*

Sic Rex STEPHANVS BATORI promisit, quòd vivens Successorem non nominabit, nec electionem eius quovis modo & prætextu procurabit, & titulo hæredis renuntiavit. ut in literis confirmationis articulorum HENRICO Regi porrectorum. *Anno Domini 1573. in constitutionibus fol: 253.* sic & SIGISMVNDVS III. Successor eius in Regno, in Comitijs *Anni 1593. fol: 636. sub titulo,* **Wolność Elekcyey**/ vbi insuper addidit: quòd nec per cessionem, idq; sub nullitate actûs.

Et postea eædem constitutiones reassumptæ sunt in Comitijs *Anni 1607. fol: 829. & 1609. f: 889. & 1613. fol: 10. & 1631. fol: 1. & fol: 2.* Vbi diploma eiusdem Regis super hoc insertum est, in illis verbis: neq; Nos ipsos admissuros, vt viventibus Nobis, de substituendo Rege tractatus ineatur: neq; passuros, vt quisquam alter, hoc ipsum attentare præsumat: quinimo talem, & tales omnes, hostes Patriæ & publicæ libertatis subversores judicamus; pœnisq; ijs, quibus criminis perduellionis rei tenentur, subiacere decernimus. Et nihilominus, quidquid in derogationem libertatis eligendi Regis, à quoquam factum,

attentatumve fuerit, id irritum, nulliusq; roboris fore pronuntiamus. Nosq; vigore huius privilegij verbo nostro Regio ad hoc ipsum diligenter, & inviolabiliter servandum, Nos ipsos, & Successores nostros obstringimus, & obligamus harum literarum tenore. *Hucusq; verba diplomatis.*

Sic, in constitutione Regni *Anni 1662. fol: 3.* omnia jura & constitutiones Pactis Conventis confirmatæ, respectu liberæ electionis Regis reassumptæ sunt.

Sic & in constitutione *Anni 1667. f: 3. sub tit:* **Wárunek wolney elekcyey/** omnia jura & diplomata respectu liberæ electionis Regis reassumpta sunt, cum pœnis in ijsdem expressis.

Sic & JOANNES CASIMIRUS in diplomate suo abdicationis Regni, *Anno Domini 1668. fol: 4.* expressit, vt post abdicationem suam, juxta leges & consuetudines Regni, ad electionem Successoris in Regno procedatur. Et quòd liberrimam electionem nullâ ratione impediet, neq; Candidatum quempiam promovebit; imò remotiùs ab actu & loco electionis, durante eâdem electione manebit, verbo Regio promisit. prout in diplomate eius Reipub: dato patet.

Sic in constitutione *Anni 1670. fol: 12. sub tit:* **Warunek wolney Elekcyey/** MICHAEL Rex cum consensu omnium Ordinum, omnia jura, tam antiqua, quàm nova, respectu liberæ electionis Regis lata & edita reassumpsit & approbavit, promittendo, quòd nec ipse in minimo puncto illa immutabit, vel illis contraveniet, nec alijs id permittet, sed vt æviternis temporibus libera electio Regis sit, procurabit. Quodsi aliquis auderet contrarium facere, vel vivente Rege electo & coronato, alium promovere, contra talem legitimè convictum vti contra perduellem consurgere; & processu in Tribunali contra perduelles descripto, procedere. Sicut etiam si aliquis per factiones, scripta, conscriptiones, ad Regnum aspirare vellet, aut clam & indebitè per corruptiones procuraret, talis inhabilis sit ad Regnum.

Sic eidem MICHAELI Regi in articulis Pactorum Conventorum id appositum est, ne Regnum abdicaret, prout supra mentionem fecimus. Et quamvis sat abundè cautum sit; ne vivente Rege de Successore tractetur, tamen vivente JOANNE CASIMIRO Rege, Gallia per Ludovicam Gonzagam Vxorem eiusdem JOANNIS CASIMIRI, tentavit subscriptiones Senatorum & Principalium Nobilium pro Principe de Conte, nisi Lubomierscius cum alijs obstitisset. Pro quo quanta passus fuerit, porrigent sæcula sæculis, & hanc tam præclaram Domum Deus conservabit felicissimam. Vide

Vide & Confœderationes supra positas, in quibus sat cautum & provisum est de libera electione Regum.

Vide & Herburtum *sub verbo electio Regis, à fol: 155.* vbi refert quòd VLADISLAUS JAGELLO & subsequentes Reges usq; ad SIGISMVNDUM I. Idem & Ianusovius *libri primi parte 1. tit: 2.* vsq; ad SIGISMVNDUM III. omnes profitebantur se legitimè electos esse ab omnibus Ordinibus Regni. Sic & de alijs Regibus subsequentibus videre licet in literis denuntiationis & iuramenti præstiti, tum in confirmatione generali jurium.

Electio Regis non potest fieri absq; Lithuanis. In constitutione *Anni 1550. fol: 3.* Et in recessu Comitiorum Varsaviensium. *Anno Domini 1564.* in constitutionibus *f. 54. & 56. & Anno 1569. sub titulo.* o **Xiestwie Litewskim** / *fol: 174.* Herburtus *fol. 160.* Ianusovius *lib: 1. par:1. tit: 2.* Additum tamen est; si vocati, tempore congruo venire, & Regem eligere, voluerint. Herburtus *fol: 161.* Ianusovius *lib: 1. par: 1: tit: 2. fol: 9.*

Et quidem hæc electio Regis debet fieri in Conventu generali omnium Ordinum ad hoc idem edicto, hoc est, in Comitijs generalibus. Herburtus, *fol: 159* Ianusovius *ubi supra fol: 10. & Anno Domini 1576. fol: in constit: 139.* in Conventu sub Andreovia.

Debetq; fieri in Polonia & non alibi. Ianusouius vbi supra, *num: 11.* Non potest impediri ob absentiam aliorum Herburt: *fol: 159. in illis verbis*: vt unusquisq; qui vellet, ad illam venire posset; *& fol: 160. in illis verbis:* quicunq; Comitia ista obierit, eisq; interfuerit, consensu & voluntate, novus Rex eligatur & denuntietur.

Eligitur suffragijs unanimibus Ordinum omnium, non autem acclamationibus & frequentibus pileorum in Candidatum proiectionibus; prout Cosaci Zaporovienses Præfectum exercitùs sui eligere solent, teste Zobiescio. *fol: 113:*

Non admittitur: nisi priùs jura, privilegia, & libertates iuramento confirmaverit; & postea in Comitiis generalibus coronationis id repetierit, vt infra dicemus.

Tutiùs pro libertate est, Regem, à tota Nobilitate eligi, quàm si per Delegatos Provinciales eligatur. *Fredro, de gestis populi Poloni sub Henrico Valesio. fol: 33.*

Nec esse è re Reipub: Regem habere, qui duobus Regnis simul præsit. *Idem. fol: 45.*

Hinc cùm Oratores Poloni rogâssent LUDOVICVM Regem Poloniæ & Ungariæ, vt ex Ungaria primo quoq; tempore in Poloniam

veniret, & id idem Proceres Ungariæ suaderent, auditâ tali legatione Polonorum, & suasione Vngarorum, respondisse fertur *teste Cromero lib: 13. de rebus Polonorum fol: apud me 318.* Non satis intelligere, neq; hos quid suadeant, neq; illos quid petant: é neutrorum enim id re fore, sicuti ne duobus quidem gregibus expediat, vnum habere pastorem: satis & abundè esse negotij vni populo præesse; duas Respublicas vix vlla ratione sine alterutrius, sive adeo vtriusq; malo, & incommodo, ab vno administrari posse. Ita tunc LUDOVICUS.

In eligendo Rege hæc consideranda sunt. Gentis claritas, generis splendor, non immatura annis ætas, malè enim regi viros, quorũ puer Rector est. Et hæc in Regno Electivo, nam in Monarchia, vbi sors nascendi hæredes dat, senes, juvenes, minorennes æquè haberi Dominos & facilius per tutores populos regi, qui nisi imperata capere didicissent. Ita Orator Gallicus in oratione ad Rempub: Polonam habita, vt refert Maximilianus Fredro in HENRICO VALESIO. *fol:* 67. Item morum non ficta probitas, in Repub: administranda exercitatio, & rei militaris usus, atq; felicitas. Fredro *ibidem, fol:* 54. Adhæc, vt sit cultor pietatis. Sic Cyrus non censebat convenire cuiquã imperium, qui non melior esset ijs quibus imperaret; *teste Xenophõte lib: 19.* Sic DEUS dixit Salomoni, Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens, scindam Regnum tuum & dabo illud servo tuo. *Ita lib: 3. Regum cap; 11.* Et Claudian: *lib: 3. sic inquit.* Nunquam libertas gratior extat, quàm sub Rege pio. vide Baronem di Potes *resol: 5. fol: 35.*

Felicius est Principem eligi, quàm nasci. Fredro *ibidem fol: 208.* Et securius est regnare, dum absolutè non regnatur. *Idem fol: 95.*

His præmissis in genere de electione Regis, venio ad particularia electionis eiusdem.

Adveniente itaq; die Comitiorum electionis in Convocatione generali Ordinum præfixo, confluunt omnes ad Ecclesiam Collegiatam Varsauiensem S. Joannis, ibiq; invocant Spiritum Sanctum, vt bono omine, negotium tantæ molis aggrediantur, & finiant. Peractis solennijs, ad locum à DD. Mareschalcis assignatum, vallo & fossa castrorum more circumductum, (prope Varsaviam circa Villas **Wola** & **Powązki**) tres portas in se continentem, vnà orientali, pro Maiori Polonia, meridionali, pro Minori Polonia, occidentali, pro Lithuania in campo patenti pervium, congregantur. Et quidem Senatus cũ Interrege (hoc est Archiepiscopo Gnesnensi) sub tentorio ex lignis

intra

intra hunc vallum constructo, & tegulis ligneis coöperto, & tabulato columnis ligneis subnixo, Polonicè Szopa dicto, residet. Equester autem Ordo per Palatinatus divisus, tentoria & papiliones suos occupat, & ad electionem Mareschalci sui, descendit ad locum solitum intra vallum & fossam. Quem postquam ex pluralitate votorum elegerint ad juramentum juxta hanc formam præstandum vocant.

Ego N. jure DEO omnipotenti, quia in officio moderno Mareschalcatûs fidelis ero, nec instrumentum Electionis futuræ extradam, nisi ex legitimo consensu omnium & singulorum Electorum. Ita me Deus adiuvet, & hæc sancta Crux Christi.

Videatur in Actis electionis *Anni 1674. fol: 7. sub titulo* Porządek Elekcyi.

Alia forma juramenti Mareschalci Equestris Ordinis quàm in Comitijs electionis post abdicationem Regni, protunc Mareschalcus præstiterat.

Ego N. juro DEO omnipotenti in Trinitate vni super hoc, quòd existens in hac electione Director, à nullo præter ab Equestri Ordine dependentiam habebo, cum nullo concurrente ad Thronum Regium, nec per me, nec per subordinatas personas, conferentiam faciam, neq; practicabo, imò, si aliquod nocivum advertorim, certiorem faciam Rempub: *munera, oblationes, & honoraria eo nomine, tam à Civibus, quàm ab externis non accipiebam, neq; accipiam, neq; promissis alliciar à concurrentibus, nec ullum interesse etiam proprium promovebo. Instrumentum quoq; Authenticum liberæ electionis non subscribam, absq; consensu concordi, & unanimi Equestris Ordinis: sic me DEVS adiuvet & illius Passio sancta.*

Tandem mittuntur ad Senatum Deputati cum denuntiatione electionis Mareschalci factæ, & cum petitione, vt possint cum illo ad consessum Senatorum venire & illi se vnire: quod libenter à Senatu conceditur. Itaq; Mareschalcus electus cum Equestri Ordine adit Senatum, eumq; competenti oratione salutat, vice versâ Archiepiscopus Gnesnensis pari affectu, eundem cum Nobilitate assistente ibi recipit. Fitq; propositio ab eodem Archiepiscopo vti Interrege tractandorum, & Dominorum Senatorum consulta excipiuntur. Ante omnia autem pro securitate Comitiorum electionis, Iudicium generale Capturale instituitur, prout supra insinuavimus. Deinde ordo electionis præscribitur. Exorbitantiæ & vulnera Reipub: aliquando sanantur, vel modus ad ea sananda adinvenitur, ordo autem in actu electionis servandus talis præscribitur.

Et quidem *Anno Domini 1573. sub titulo* **Porządek Elekcyey** *statutum* est.

1. Ad loca, ad quæ Palatinatus ad tentoria sua, vel Senatus cum Equestri Ordine pro consilijs veniunt, nemo cum lorica, bombarda, & alijs armis, præter solitis, hoc est: cum framea, ense, gladio ancipiti venire audeat, sub pæna colli: sed hæc pœna, *Anno Domini 1632. sub eodem titulo* moderata est: vt infra patebit.
2. Hospitia alicui ex Officio assignata, alter non occupet, & si occupaverit, exnunc condescendat.
3. Jn hospitijs suis, tam in Civitate, quàm in suburbijs, & tanto magis, in locis ad quæ Palatinatus, ad tentoria sua seu papiliones, & Senatus cum Equestri Ordine pro consilijs conveniunt; similiter in via & ponte, pacificè se vnusquisq; gerat, rixas evitet, tumultus seditiones non excitet, nec occasionem det. Cum arcubus, bombardis non incedat, nec ex illis, & maioribus tormentis bellicis ejaculare audeat. Quodsi aliquis bombardam globo oneratam portare, aut cum illa ex hospitio, vel statione sua ad tẽtoria venire, aut explodere, aut ex arcubus, & tormentis majoribus bellicis eiaculare auderet, talis, pœnâ carceris per totum tempus electionis sustinendi, puniatur. Quodsi aufugerit, pro convicto habeatur, & captus à quocunq; Officio pœnâ colli puniatur.
4. Eximens frameam, aut ensem, vel gladium, pœnam viginti marcarum subeat: vulnerans pœnâ colli puniatur. Similiter tumultum, aut seditionem volens facere, vel incipiens, eâdem pœnâ colli puniatur, sicut & occidens vel de ponte alium detrudens, eandem pœnam subeat. *fol: 111.*
5. Ad ista tentoria in quibus Nuntij cum Senatu consilia ineunt, nemo in equo, vel curru veniat, aut inter papiliones eosdem collocet, et tanto magis ad ipsa tentoria introire, aut equos introducere audeat: aliàs si à famulis Dominorum Mareschalcorum vtriusq; gentis monitus, contumaciter se gesserit, talis apud gentem suam arbitrio Senatûs puniatur. *Ibidem.*
6. Exteri, famuli maiores & minores, tum aliæ similes personæ, ad tentorium hoc, in quo Senatus cum Equestri Ordine consultat, ne intrent, alijsq; in locis modestè se gerant, à vociferatione, sibilis abstineant; maximè dum Legati Principum exterorum audiuntur. Legatis quoq; ipsis, & eorum famulis morigeris debitus honor exhibeatur. Quodsi aliquem contrafacientem ministri Domi-

norum

norum Mareſchalcorum baculo vel flagro exceperint, Dominus illius id non ægrè ferat. *Ibidem.*

7. Nemo in Civitate vel in alio loco, rem aliquam alteri violenter accipiat, ſub pœna dupli. Sed in vendentes, juſto pretio res vendant. *Ibidem.*

8. Nemo à hora ſeptima ad nonam in medio horologio ante meridiem, pontem Civitatis in curru ingrediatur, ne plateæ Civitatis, & ſuburbia curribus & alijs impedimentis impleantur, ſimiliter & poſt meridiem hora tertia ad quintam, vt Domini ex illa parte Civitatis ad negotia Reipub: euntes & redeuntes, facilem tranſitum habeant. Super quo famuli DD. Mareſchalcorum invigilent; & ſi quem baculo vel flagro exceperint Dominus illius id ægrè non ferat. Horâ autem octavâ in medio horologio unuſquiſq; ad locum electionis veniat. *Ibidem.*

9. In loco tentoriorum, nemo audeat crematum, aut alios liquores vendere, ſub pœna amiſſionis liquoris. *Ibidem.*

10. Moneta quævis Lithuanica & Sileſitica, juxta literas vniverſales, in Comitijs Varſavienſibus proximè præteritis editas, accipiatur, ſub pœnis in iiſdem literis expreſſis.

Quibus omnibus præmiſſis, vt famuli DD Mareſchalcorum invigilent & attendant. Si autem aliquem contumacem percuſſerint, Dominus percuſſi id non ægrè ferat.

Si autẽ famuli DD.Mareſchalcorum in aliquo exceſſerint,coram ſuo Domino Mareſchalco conveniantur, quodſi adminiſtrationem juſtitiæ facere noluerit, Ordines Regni judicent.

Reſpectu autem ſupra præmiſſorum exceſſuũ & pœnarum, Iudicium Capturale compoſitum cognoſcat & judicet.

Tandem *Anno Domini 1632. ſub eodem titulo,* **Porządek elekcyey** ordinationes eiuſmodi factæ ſunt, & alijs annis reaſſumptæ, in nonnullis correctæ & auctæ ſunt.

1. Et imprimis. Articulus Confœderationis *Anni 1587. fol: 414.* reſpectu adventûs exterorum, & tormentorum bellicorum, ſic declaratus eſt: Legiones, vexilla exterorum cuiuſcunq; nationis, tam equitum; quàm peditum, ſimiliter & tormenta bellica, nemo intra tria milliaria à Varſavia, nec apertè, nec clam, intra dictum ſpatium occultare audeat & præſumat; aliàs ex delatione cuiuſvis ad inſtantiam Inſtigatoris Regni, ſi Regnicola, ſi Magni Ducatûs L. id fecerit, ad inſtantiam Inſtigatoris Magni Ducatûs Lithuaniæ citatus ad judicium Capturale compoſitum, & legitimè convictus,

pœnâ exclusionis ab omni actu electionis puniatur. Et si contumax fuerit pro hoste Patriæ declaretur. Similiter respectu exterorum, ne aliquis audeat eos ad electionem adducere, cum illis venire, vel eos fovere, declaratus est articulus dictæ Confœderationis *1587. fol: 414.* Quòd pro exteris non sunt habendi Terrigenæ Provinciarum Regno, & Magno Ducatui Lithvaniæ incorporatarum, licetsi linguâ, habitu à Polonis discrepent. *Ita Anno Domini 1632. & Anno 1648. & Anno 1674. fol: 2.* Similiter si aliquis non ad expeditionem aliquam bellicam, sed propter domesticum servitium vnum vel plures exteros foveret, pœnam prædictam non subeat, *Ita Anno 1632. & Anno 1674. fol: eodem.* Similiter si aliquis exterus ad videndum & spectandum Conventum Ordinum pacificus veniret. *Ita 1632. 1674. vbi supra.*

2. Veniens sive ex Civitate Varsaviensi, sive ex quibuscunq; stativis suis, ad locum in quo Senatus cum Equestri Ordine pro consultatione conveniunt, armatâ manu, ab actu electionis ad instantiam Instigatoris Regni ex delatione cuiusvis amoveatur. *Anno 1632. fol: 2. Idem & Anno 1674. fol: eodem.*

3. Ad locum in quo Senatus cum Equestri Ordine consultant, veniens cum bombarda, arcu, vel alijs armis, præter solitis, hoc est framea, ense gladio ancipiti, vel similibus, pœnâ non jam colli, vt supra, sed ducentarum marcarum, & sessionis in turri per sex hebdomadas puniatur. Citatus si ad judicium non veniat, banniatur. *1632. 2. Idem & 1648. fol. eodem & 1674.*

4. Cum securi adunca Polonicè **Czekanem** & pugione, nemo ad locum electionis eat, vel in eodem loco electionis vel ex illo discedens nemo portet, sub pœna ducentarum marcarum: *Anno 1632. 1648. 1674. fol: 2.*

5. Pedites & plebeij ad locum vallatum ne introeât sub pœna arbitraria Civili. Ita in omnibus dictis annis. *fol: 2.*

6. Stativa & hospitia, tam in Civitate quàm in villis per officium Dominorum Mareschalcorum assignata, & tam sua, quàm conducta, nemo audeat occupare, aliàs exnunc condescendant. Arma seu stemmata gentilitia apposita surripiens, seu avellens, aut inscriptiones ab Officio Mareschalcali factas delens, si persona Nobilis fecerit, pœnâ ducentarum marcarum, & sessionis in turri per totũ Actum electionis, si verò plebeius, abscissione manûs, præmissâ inquisitione officiosâ puniatur. *Anno Domini 1632. 1648. 1674. fol: 2.* vbi *fol: 3.* hoc additum est. Securitati hospitiorum conductorum, vel

vel ex Officio Mareschalcali datorum, similiter & Palatijs Curiarũ Dominorum Senatorum & Equestris Ordinis vtriusq; gentis, ad Electionem venientium prospiciendo, seriò cavemus, ne sub prætextu rixarum, tumultuum, acceptionis sub custodiam aliàs **pod Wiirte** reorum, aggressiones violentæ hospitiorum, convulnerationes, direptiones supellectilis fiant, sub pœna invasionis domûs Nobilis in Statuto Regni descripta. Quodsi reus ad hospitium Senatoris vel Nuntij aufugiat, ibidem arestetur: quem reum sic arestatum si Principalis diversans ad requisitionem Officij vel brachij Mareschalcalis in instanti noluerit extradere, citatus ad Iudicium Compositum Capturale eundem ad instantiam Instigatoris alterutrius gentis, statuere teneatur.

7. Curias Spiritualium & Noblilium violenter absq; consensu Dominorum occupans, post primam admonitionem judiciariam, condescendere, & pœnam duarum marcarum parti & totidem judicio solvere, & damna refundere tenetur. *1632. fol: 2. cum sequ. Idem 1648. 1674.*

8. In stativis suis in Ciuitate, suburbijs, villis, & in quolibet loco, ad quem Palatinatus ad stativa & papiliones conveniunt, & in quo Senatus cum Equestri Ordine consultant, similiter in via, ponte, sibi obviando unusquisq; modestè se gerat, sub pœnâ arbitraria Iudicij Civilis, præmissâ inquisitione, pro qualitate facti, cuiuis irroganda. *1632, fol: 3. Idem & 1648. & 1674.*

9. Bombardam oneratam globo per civitatem, vel suburbia portans, vel eam explodens pænâ ducentarum marcarum, si possessionatus; si impossessionatus; sessione in turri per medium annum puniatur. Quæ pœna & ad famulos similia facientes extenditur. *Anno Domini 1632. fol: 3. Idem 1648. 1674: folio eodem.*

10. Arma eximens in loco vallato, etiamsi non vulneraverit, Nobilis pœnâ sessionis in turri per sex hebdomadas sustinendæ, & ducentarum marcarum: plebeius pœnâ colli puniatur. Vulnerans autem, vel occidens etiam plebeium in quocunq; loco, sive in via, sive in civitate, sive in oppidis, villis, stativis, pœnâ colli puniatur. Citatus ad judicium non veniens, infamis pronuntietur. *Ita Anno Domini 1632. fol: 3.* similiter *Anno 1648. & 1674.*

11. Tumultus, rixas excitans in loco consultationis Senatûs & Equestris Ordinis, eximendo arma, vel percutiendo aliquem, pœnâ colli, præviâ inquisitione puniatur. *Ita Anno Domini 1632. fol: 3. & Anno Domini 1674. simili fol:*

12. De ponte aliquem deliberatè deijciens, pœnâ sessionis in turri per annum & sex septimanas, & ducentarum quadraginta marcarum puniatur: Et si deiectus submergatur, pœnâ colli puniatur. *Ita fol: 1632. fol: 3. & 1674. simili folio.*

13. Vasa in quibus pons constitutus est, destruens, vel ligna eximens, pœnâ arbitrariâ judicij Civilis puniatur. *Anno 1632. fol: 3. & 1674. simili folio.*

14. Ad locum ad quem Ordines conveniunt, nemo in equo, vel curru veniat, & præcipuè ad locum vallatum; monitus ab Officio Dominorum Mareschalcorum tam Regni, quàm M. D. L. pœnâ arbitrariâ Civili, à Iudicio Capturali Composito puniatur. *Ita 1632. 1648. & 1674. fol: 3.*

15. In portis in vallo constitutis, vel in circo rixas faciens, pœnâ arbitrariâ Civili puniatur. *Anno 1632. fol: 3. Idem Anno 1648. & 1674. simili folio.*

16. Famuli inferioris ætatis (*aliàs Pacholeta.*) & aliæ personæ leviores, ad locum consultationis non audeant introire: & in alijs locis modestè se gerant, & præcipuè circa audientiam Legatorum ab exteris Principibus missorum. Et eisdem Legatis & eorum famulis, debitum honorem exhibeant. Quodsi aliquis insolens, flagro aut baculo exceptus fuerit, Dominus illius non ægrè ferat. *1632. fol: 3. & sequ: 1648. fol: 4. 1674. fol: 3.*

17. Vendentibus in Civitate, suburbijs, & stativis, nemo audeat aliquid ex mercibus violenter rapere, sed juxta taxam Dominorum Mareschalcorum & Deputatorum, tum Officij Domini Palatini Mazoviensis, & Officij Castrensis Varsaviensis factam, emat, Si autem aliquis vltra hanc taxam; vel minori pondere aut mensurâ auderet vendere, talis, toties quoties, à Iudicio Dominorum Mareschalcorum & Deputatorum, pœnâ quatuordecem marcarum; rapiens autē violenter, convictus, pœnâ dupli puniatur. Quodsi injurians termino tacto citatus non compareat, banniatur. Prædicta tamen taxa tantùm in Civitate Varsaviensi, & in oppido vicino dicto **Pragá/** & non alibi observetur, statutum est. *1632. fol: 4. Anno 1648. & 1674. folio simili*, ubi additum est, quòd in **Stáryßewo** observetur.

18. Nullus vector aut venditor, à hora octava matutina ad nonam in medio horologio, Varsaviam per pontem in currribus ingredi, nec in plateis civitatis, & suburbiorum transitum angustient impedimentis aliquibus; similiter & post meridiem, à hora quarta ad quin-

quintam, & hoc ideo; vt Domini ex illa parte Varſaviæ, ad locum conſultationum ire, & ad ſuas ſtationes & hoſpitia redire, abſq; difficultate poſſint. Super quo famuli Dominorum Mareſchalcorum invigilent. *Ita Anno Domini 1632. fol: 4. Anno 1648. & 1674. ſimili folio.*

19. Circa locum in quo Senatus cum Equeſtri Ordine conſultant, nemo, crematum, vinum, cereviſiam, & alium liquorem vendere audeat, ſub pœna amiſſionis liquoris. *Ita 1632. 1648. 1674 f. 4.*

20. Moneta Reipub: & horum, qui in corpore, fide, obſequio Reipub: ſunt, & jus cudendæ monetæ conceſſum à Repub: habent, illa tantùm; quæ ante ceſſationem generalem, ſecundùm præſcriptum legis cuſa, in pari & æquali valore ſit & habeatur. *Ita Anno 1632. 1648. & 1674. fol: 4.*

21. Jn hoſpitijs tam in Civitate, quàm in omnibus oppidis, ſtativis, quilibet modeſtè ſe gerat, nullos exceſſus faciat, periculum ignis obſervet; ad quem effectum, Patresfamilias, aquam in vaſis, ſcalas, & alia neceſſaria habeat. Similiter penes culinas in foro extructas vaſa cum aqua habeantur. Super quibus Officium DD. Mareſchalcorum attendat; negligentes & inobedientes pœnâ quatuordecem marcarum puniat. Vaſa autem cum aqua & alia neceſſaria ad extinguendum incendium deſtruens, diſſecans, pœnâ ſeſſionis in turri per ſex ſeptimanas ſuſtinen: & refuſionis damni puniatur. *Anno 1632. fol: 4. cum ſequ: Anno 1648. ſimili folio.*

22. Victualia, liquores, merces cuiuſcunq; generis ad Civitatem & ſtativa unicuiq; vehere permiſſum eſt. Revenditoribus tamen & revenditricibus prohibitum eſt illa præripere, ſub pœna quatuordecem marcarum, & amiſſionis rei emptæ. *Anno 1632. fol: 5. 1648. ſimili folio, & 1674. fol: 4. cum ſequ:*

23. Jn domibus, celarijs, tabernis, nemo liquorem vendere, & propinare, ignem fovere, poſt horam octavam noctis in medio horologio audeat, ſub pœna amiſſionis liquoris & ſeſſionis in turri. *Anno 1632. fol: 5. Idem Anno 1648. & 1674. folio ſimili.*

24. Nullus exterorum in locum ubi publica negotia tractantur introire audeat; ſimiliter, neq; ad Civitatem & ſtativa, venire ſub prætextu mercimoniorum, abſq; ſcitu Dominorum Mareſchalcorum, vtriuſq; gentis præſumat. de quibus, Patresfamilias, Officium Dominorum Mareſchalcorum certiores faciant, ſub pœna arbitraria Ciuili, *1632. fol: 5. Idem 1648. & 1674. folio ſimili.*

25. Jn loco Iudiciorum DD. Mareſchalcorum vtriuſq; gentis & DD.

Deputatorum, vnusquisq; modestè se gerat, sub pœnis in jure de securitate Iudiciorum Tribunalitiorum Regni descriptis. *Ita 1632. fol: 5. Idem 1648. & 1674. simili folio.*

26. Jn domibus, tam in Civitate, quàm oppidis, villis, stativis, similiter in via & transitu, violentias, excessus faciens, ad delationem iniuriati, coram Iudicio Capturali Composito, citatus peremptoriè comparere tenetur, & judicatum pati. *Anno 1632. fol: 5. Idem 1648. & 1674. simili folio.*

27. Ad duellum provocans, pœnâ sessionis in turri per medium annum sustinendâ, & sexaginta marcarum puniatur. *Anno 1632. fol: 5: Idem 1648. & 1674. simili folio.*

28. Respectu præmissorum & quorumcunq; aliorum excessuum, sub tempus electionis commissorum & perpetratorum, quilibet cujuscunq; conditionis fuerit, coram judicio DD. Mareschalcorum, & Dominorum Deputatorum vtriusq; gentis, tanquam in recenti crimine respondere & judicatum pati debet. *Ita 1632. & 1648. fol: 5.*

29. Decreta autem huius judicij, Notarius Terrestris Varsaviensis, (qui ad hunc actum, super secreta judicij, juramento priùs præstito assumitur,) terminare, & cum Actis Comitiorum habere, & conservare, & cum sua subscriptione, copias requirentibus extradere debet, sententiam tamen suam non potest ferre; salarium autem, prout Notarius Terrestris Seradiensis habet. Decreta autem ipsa tres Deputati, vnus ex Minori, alter ex Maiori Polonia, & tertius ex M. D.L. proprijs manibus subscribunt. *Ita Anno 1632. 1648. & 1674. fol: 5.*

30. Contra famulos DD. Mareschalcorum in Officio existentes consurgens, vel percutiens, abscissione manûs: vulnerans, pœnâ colli, punitur. Famulus autem Dominorum Mareschalcorum, aut DD. Deputatorum in Officio suo excedens, à Dominis Mareschalcis & Deputatis judicatur, pro qualitateq; delicti & excessus, pari pœnâ prout alij delinquentes punitur: circa quod, reassumpta est Confœderatio *Anni 1573. fol. 4. Ita Anno 1632. fol: 5. cum sequ. Idem Anno Domini 1648. fol: 6. & 1674. fol: 5.*

31. Si aliquis ex Dominis Iudicibus deliquerit, in eodem Iudicio judicatur, & ijsdem pœnis pro qualitate delicti & excelsûs punitur. Dum tamen causa ipsius, vel famuli eius judicatur, à loco judicij recedere debet. *Ita Anno 1632. fol: 6. 1648, fol: 6. & Anno 1674.*

32. Custodes vitæ suæ, cuiuscunq; nationis, aliàs **Gwárdya/** nemo

ex sta-

ex stativis suis in campum ducere, & tantò magis ad locum in quo Senatus cum Equestri Ordine consulunt, appropinquare audeat, sub pœna infamiæ ad instantiam Instigatoris Regni, si Regnicola, si ex M. D. L. ad instantiam Instigatoris ejusdem Gentis, in Iudicio Capturali generali Composito decernenda & publicanda,. Quibus omnibus DD. Mareschalci ex Officio suo, pro securitate publica, tam in Civitate, quàm in campo, & tantò magis circa locum vallatum, per milites, & famulos suos prospicere tenentur. *Ita Anno 1648. fol: 3. & 1674. simili folio.*

33. Exactiones in ponte ab hominibus Equestris Ordinis & famulis eorundem, tum à curribus cum leguminibus pro necessitate Dominorum transeuntibus nullæ fiant. A mercatoribus autem, solitum teloneum pontis, ab equo vnus grossus tantùm, & non amplius exigatur, ne per depactationem & aggravationem, victualia maiori pretio vendantur. Similiter ne violentiæ aliquæ alicui, à militibus præsidiarijs, transeuntibus per pontem cuiuscunq; conditionis fuerint, fiat. Quibus Præfecti militum diligenter attendant; secùs faciens, pænâ arbitrariâ civili, à Iudicio Capturali Composito puniatur. *Ita Anno 1674. fol: 4.*

34. Decreta Iudicium hoc Capturale compositum, in omnibus causis ex pluralitate votorum concludit, duorum vel trium absentiâ non obstante *Ita Anno Domini 1632. fol: 6. Item Anno 1648. simili folio, & Anno 1674. fol: 5.*

Quibus sic ordinatis, Legati variorum Principum, etiam Candidatorum ad sceptra Regni obtinenda, admittuntur, & in consessu totius Reipub: audiuntur.

Literas fidei seu credentiales ad Senatum, Secretarius Regni major, vel Referendarius; ad Equestrem verò Ordinem, Mareschalcus ejus prælegit, Jllustrissimus Dominus Archiepiscopus Gnesnensis, nomine Senatûs, nomine Equestris Ordinis Mareschalcus Legatis respondet.

Qui Legati, in personis suis Varsaviam appropinquare non debent, sed priùs adventum suum Jllustrissimo Primati denuntient, vt cuilibet illorum subsistentia ab eodem assignetur, & solet aliquis ex Equestri Ordine ad latus eorum pro Residente assignari, vt invigilet, ne factiones aliquas moliantur, vt diximus supra in Confœderationibus, ad quas me refero. *Vide & Piasecium in Chronica sua fol: 540.* reddens rationem, ne Legati facilè arcana Reipub: penetrare vel electionis cursum interpellare valeant. Sic post mortem SIGISMUNDI

AUGUSTI ſtatutum erat, vt Legati externorum Principum, qui ante obitum Regis reſponſa accepiſſent, intra octavum diem abſcederent; motivo hoc inducti: quia Ordines Regni, multa clandeſtina conſilia diſſeminari per eos in populo intellexerunt. Cæteri qui ad electionem futuri Regis venerant, intra Poloniam manere juſſi, diſcretim tamen, & remotiùs à loco electionis, ne factioſos quoq; cõvenire, aut conveniri poſſent; ſingulis dati præcipui è Nobilitate cuſtodes, tum locus manendi in diverſis Urbibus. *Ita refert Fredro ubi infra fol. 17.*

Sed poſt mortem JOANNIS III. vacante Regno, non fuit hoc ſervatum: & ideo multæ factiones dominabantur, cum maximo diſcrimine Reipub: vt experti ſumus, & ordine hiſtoriæ enarrabunt.

Quòd autem Legati Principum externorum ad conſeſſum Reipub: admittantur, *videre licet apud Fredro ubi ſupra*, & nos ſupra in titulo de Interregno mentionem fecimus. *Videatur & Zawadzki in Diario ſuo, quod inſcripſit:* Gloria orbi Sarmatico. *Videatur & Piaſecki loco citato fol: 539. cum ſequ.*

Candidatus quoq; à loco & conſeſſu electionis abeſſe debet, prout in conſtitutione Regni, *Anno Domini 1633. fol: 13.* cautum eſt. Occaſionem autem iſti legi ferendæ VLADISLAUS IV. dedit, qui poſt mortem SIGISMUNDI III. Genitoris ſui, paulo poſt inchoata Comitia electionis, Varſaviam venerat, ægrè id ferentibus Ordinibus; licèt primarij quiq; venienti obviam proceſſerint. *Ita Piaſecius ubi ſupra, fol: 535.*

Sic & Joannes Zamoſcius poſt mortem SIGISMVNDI AVGVSTI, cùm pronus eſſet animo & voto in HENRICUM VALESIUM & de incola Rege eligendo paſſim ſermo invaluerat, petijt: quoniam externorum Principum, & Petitorum Oratoribus abſentibus, ad dicendas de Rege ſententias decurreretur, æquum eſſe ajebat, abeſſent Cives, qui peterent Regnum, ne gratia major, aut offenſa in præſentia pararetur libertate ſententiũ, *ut refert Maximilianus Fredro in libro geſtorum populi Poloni, ſub HENRICO VALESIO fol: 81.*

Sic & ANNA Soror SIGISMVNDI AVGUSTI poſt mortem eius, antequam vlteriùs de ſtatu eius Reſpub: decerneret, vt Lanciciæ aut Auguſtavij tempore electionis novi Regis commoraretur, ordinatum eſt, datis duobus è Senatu, qui cum majeſtate eam haberent, alter Epiſcopus, alter è Sæculari Senatu, *teſte Fredro ubi ſupra fol: 17.*

Nec obſtat, quòd MICHAEL & JOANNES III. præſentes fuerint electioni ſuæ. Nam MICHAEL, vltra ſpem, expectationem ſuam,

imo

imò nec cogitans, ſolo dictante Spiritu Sancto vnanimi conſenſu Ordinum electus fuit. JOANNES autem prudenter palliabat deſideria ſua, contradicendo electioni PIASTI, & alijs modis.

Auditis Oratoribus externorum Principum, & etiam Candidatorum, Ordines Regni rationes ſcrupuloſâ cenſurâ conſiderant, commoda & incommoda cuiuſq; Candidati, vnde maior publici boni vtilitas alluceret.

Hinc iſtas conſiderationes quæ habebantur, & modò ſolent haberi, placuit mihi ſubiungere, ex politicis noſtris authoribus deſumptas.

Et primò pro non eligendo PIASTO (hoc eſt Incola Regni) hæc adferuntur.

I. Quia electio Incolæ ſeu PIASTI nociva eſt æqualitati, cuius ſumma ratio habetur, & præfertur omnibus titulis externorum, cùm ſit vera libertas. Hinc dum Maximilianus Imperator Senatoribus, qui cum SIGISMVNDO I. Poloniæ Rege Viennam venerant, titulos Principis vel Comitatûs Imperij obtuliſſet, gratias egerunt, dicendo: Nobilitate Patriæ contentos eſſe, quæ titulis externorum par eſt: nec quidquam novi & alieni legibus Patriæ, & æqualitati communi inducere velle. Iam autem ſanguine iuncti Regi electo, fiduciâ ſangvinis vltra cæterorum paritatem aſcendere vellent.

2. Quia periculum eſt, ne in vna domo Corona Regia perennaret, ob potentiam & divitias Domûs Regiæ, & captantium favorem illius, & ſic periclitaretur libera electio, cardinale jus libertatis.

3. Jn conſeſſu deliberantium & conſultantium de Repub: liberæ voces non poſſent audiri, aut de Rege, ſi per illum jura violari contingat, ſine periculo offenſæ, & vindictæ (Cognatis Regis vbiq; exiſtentibus) diſceptari.

4. Quia eligendo Piaſtum, nullum commodum, & vtilitas Reipub: & perſonis eligentibus, accedit.

5. Quia ijdem Electores eſſent, qui & eligendi. Difficile autem & arduum eſt, vt is purpuram in alium lubens transferre velit, cui poteſtas eſt, aut alteri dare, aut habere ſibi, atq; ſic maximi motus in Repub: excitarentur. *Hæc ex Maximiliano Fredro à fol: 72. cum ſequ:* Ad hæc, quia ſi opulentus & magnæ familiæ eligeretur, contemptus ab eo ſperandus, ſi tenuioris fortunæ, vel familiæ in contemptu ab alijs haberetur, nec apud exteros populos authoritatem haberet. *Vide plura apud Fredro, fol: 230. cum ſequ.*

Jn favorem Indigenæ ſeu Piaſti.

Pro PIASTO hæ rationes militant, quas *Piaſecius in Chronica fol: 69. adfert, his verbis genuinis:* Invidentiæ autem vitio exercendæ Populi iſtius maximè circa electionem Regis ſui adeo indulgent, quòd propterea dignitatem Regalem, quâ nulla vſquam ſublimior eſt, malunt transferre ad alienigenas, & nomini Polono fortè iniquiores, poſthabitis (non ſine ignominia ſua) generis & ſanguinis ſui viris imperio paribus, vt nunquam in gente iſta deſunt: omninò naturæ, & rectæ rationis ſenſum exuunt; imò & Divinæ Legis, ac civilium politicarumq; diſciplinarum vniverſa inſtituta in hoc evertunt, cùm & Lex Divina, *Deutoronom: cap. 17. diſertis verbis alienigenam Regem eligi prohibeat.* Eccleſiaſticus verò clarè monet. *Admitte ad te alienigenam, & ſubvertet te.* Ac concordibus ſententijs, omnes Politiæ conclamant diverſarum nationum ingenia difficile convenire, & ex morum diverſitate, factorum diſcordiam promanare, atq; communiter externos, nullo amore in Rempub: duci, ſed quod ſibi cōmodum eſt facere, & prædam in ſinum ſuū conferre, hocq; maximè curare, vt accepta, libera Regna, ſuis Proſapijs hæreditaria faciant, vel earum robur in fulciendis proprijs patrimonijs evertant; vti Vngariæ ac Boëmiæ liberrima Regna, tales Domini noſtro ſæculo in ſervitutem hereditariæ ſucceſſionis ſuæ redegerunt; & Hiſpaniarum potentiſſimarum invictum robur, immenſis earum opibus & armis ad bella ſua diſtractis nimium labefactarunt. Jn Principe etiam præcipuè requiri nemo negabit, vt Rempub: norit, ne protinus ejus ſtatum, ad alienæ ſibi congenitæ & cognitæ normam immutet. Et pro Colophone libet hic apponere verba Philippi Cominæi, rationum Politici Statûs inveſtigatoris ſolertiſſimi. Vix ulla eſt (*inquit ille*) natio, quæ ferat imperium peregrinum. Galli certè non ferrent, & ubiq; populus eſt aliquâ mediocri potentiâ, videmus eum ferre ab indigenis gubernari. Et poſt pauca: Nam etiam vt Princeps aliquis externus bene rem gerat, & commodè gubernet, tamen quia moribus & ingenio differt, nec eam erga populum repræſentare poteſt benevolentiam, acſi eſſet indigena, facilè oriuntur diſſenſionum occaſiones. Itaq; fit, ut ille quo Principatum ad ſe delatum, ſuaſq; fortunas tueatur, aliunde milites & copias adducat, eorumq; ſe præſidijs muniat, qui beneficijs deinde ſingulariter ab eo & honoribus aucti, magnam multitudinis invidiam, & odium in ſe concitant. *Hæc ille.* Infinitum eſſet recenſere ſingula, non ſolùm ex arcanis Politicæ diſci-

plinæ,

plinæ, sed ex rerum usu à sæculis continuis experimentis sagacissimorum ingeniorum collecta argumenta, quibus concludunt; cuilibet Reipub: *infaustum* & noxium esse alienigenæ Principis dominatum. Ac nonnisi istis edocti æquè Christiani, & cultiores moribus populi, ac etiam Barbari, proprij sangvinis & gentis (*vt facilè videre licet*) habent Principes: soli Poloni contra naturalem ad sanguinem proprium propensionem, & contra communem omnibus gentibus opinionem, non tantùm alienigenam exclusis nativis ad Regnum admittunt, sed quibuslibet sinè discrimine petendam eam dignitatem exponunt, vt etiam Tartari Principis ambientis hoc Regnum Legati, in Comitijs electionis Regis HENRICI fuerunt admissi & auditi. *hucusq; Piasecius.*

Et quia per nomen Piasti Candidatus ad Regnum ex gente Polona vulgari vocabulo soleat designari & appellari, placuit de hoc Piasto (saltem pro exteris) insinuare. Extincto Popielo Principe, convenerat magna Procerum Regni multitudo Crusuiciam, ad eligendum novum Principem. Agitata res aliquamdiu, eò quòd varia essent hominum (vt solet) studia, & quidam ambitiosi magnas post se trahebant factiones, infectà tandem discessit. Ac dum nemo alteri paret aut cedit, in summa omnium licentia, cædes & latrocinia passim exercebantur; & interdum prælijs inter dissidentes certabatur. Nec finitimæ gentes (Germani præsertim) occasionem impunè, vel proferendorum finium suorum, vel prædas agendo, prætermittebant; divexataq; est miserrimè Polonia. Indicuntur itaq; iterum à Proceribus Comitia, consultatur diù frustra: nam non minùs demittuntur, sed magis intenduntur partium studia. Non deërant sibi interfectorum Popieli filiorum filij, quasi hæreditarium Principatum poscentes. Verùm ij quasi nothi ex nothis orti, & indigni, qui bene natis imperarent, repulsi sunt. Cùm itaq; Proceres varijs contentionibus diù essent fatigati, tandem eum elegerunt in Principem, quem nemo unquam speraverat, Piastum videlicet Oppidanum Crusuicensem, hominem simplicem, justum, & in egenos beneficum. Hic, cū ob multitudinem vix unquam auditam ad Comitia congregatorum annonæ caritas esset, circa finem Comitiorum, omnem Conventum illum penuriâ laborantem, augescente rerum earum quæ dabantur copiâ, refecit. Quo miraculo audito Proceres, vnanimi voce, aspirante Spiritu Sancto in Principem unanimi voce, acclamârunt. Et reluctantem, nomine Principis salutârunt. Qui sic electus, è Crusvicia (vti infami loco ob cædem Popieli) Gnesnam vetustissimam

Principum Polonorum ſedem ſe contulit, priſtinam beneficentiam atq; benignitatem vxore Repochâ dictâ adiuvante retinuit, alienus ab omni libidine Principatum feliciſſimè geſſit, & centum viginti annis vixit, ejuſq; Soboles, ordine non interrupto, partim Ducalem; partim Regiam dignitatem, uſq; ad CASIMIRVM II. Regem Poloniæ, dictum Magnum ob prœclara facta, geſſit. Ad quem Piaſtum Duces quoq; Legnicenſes ac Bregenſes primordia generis ſui referunt: ſed & in his jam ceſſavit. *Vide Cromerum in vita eius, fol: apud me 39. cum ſequ: videatur & Piaſecius in Chronica ſua, fol: 70.*

Pro Candidato Auſtriaco.

I. QVia Domus Auſtriaca conſanguinitatis, affinitatis, & amicitiæ vinculo maximè Polonis juncta eſt, *ut refert Stanislaus Lubienſki Epiſcopus Plocenſis, in vitis & ſerie Epiſcoporum Plocenſium fol: 358. in illis verbis.* Illuſtre eo tempore erat nomen Principum Maſoviæ VLADISLAI erant nati, Soror verò ipſorum Cimbarka (ex qua auguſtæ totius Domûs Auſtriacæ Familia, quæ his etiam diebus, magnitudine opum & virium cæteris præſtat, deducta eſt) nupſerat Erneſto Archiduci Auſtriæ, cuius filius FRIDERICVS III. poſtea ejus nominis Imperator, multum apud ſummos Pontifices authoritate poterat.

2. Quia Domus Auſtriaca ſummâ pietate claret & eluceſcit, hæreſes odit, & ne latè ſerpant ſummoperè cuſtodit, & ſic ſub protectione Dei inter tot hoſtes glorioſè, cum invidia aliorum floret. Felix namq; Reſpub: eſt; ſi vera contingat Religio, infirma autem, & ad caſum properans, ſi inſtabilis & varia. Sicq; Regnum Poloniæ firmum & florens remaneret ſub tanto Rege.

3. Quia Auſtriaci Nominis ſplendor: cuius radij anguſtis Europæ, Aſiæ, & Africæ angulis cùm contineri non poſſent, ad ignotos uſq; Antipodum & alterius orbis receſſus, penetrârunt, ita fulget; vt cœteras omnes ſuâ magnitudine obſcuret Familias. Si Reges, Imperatoreſq, ex ea profectos recenſere liberet, nimis extendenda eſſet narratio. Sol nuſquam vel oritur, vel occidit, quin Auſtriacum conſpiciat, & quaſi ſecum circumferat Imperium. *Ita Stanislaus Lubienſki, in oratione habita in funere SIGISMVNDI III. Poloniæ & Sueciæ Regis.*

4. Regnum Poloniæ, in tanta vicinitate cum Domo Auſtriaca exiſtens, contra hoſtes ſuos occurrente neceſſitate, auxilia facillimè habere poſſet.

Jn Contrarium.

1. QVia Domus Austriaca gente Germana, naturali plusquam Vatiniano odio gentem Slavonicam, ex qua Poloni profecti sũt prosequitur: vt quotidiana praxis edocet. *Ita Piasecki in Chronica, Fredro fol: 67.*
2. Quia cùm maximæ potentiæ sit, timendum est, ne gravis sit, & Regnum liberum in absolutum & hæreditarium dominium convertat, sicq; liberam electionem Regum tollat, prout in Boëmia, Ungaria, quæ & ipsæ liberæ & sui juris quoq; erant, nunc libertatibus suis exutæ humi prostratæ iacent, & tanq am cadavera extinctæ libertatis, à prætereuntibus non sine stupore spectari solent, vt quidam *apud Maximilianum Fredro fol: 68.* dixit. *Vide & Piasecki in Chronica, fol: 71. & fol: 263.*
3. Quia ad confirmandam potentiam suam honores & dignitates Regni, non Regnicolis, sed suis conferret, Ingenia magna, & pro libertate Patriæ certantia, ingeniosis commentis confiscando bona, & etiam vitam eripiendo, opprimeret, & tolleret; prout in Boëmia & in Ungaria homines magni senserunt. Ut docent historiæ, & nostris sæculis vidimus. *Fredro fol: 68.*
4. Timendum ne opes Polonæ, & quæcunq; decora Regni, in Germaniam vicinitatis commoditate transportentur. *Fredro fol: 67.*
5. Quia gente Poloná vti bellicosá contra hostes suos tanquam vasallis vteretur & contributionibus aggravaret.
6. Quia licèt aliquando Reipub: contra hostem suum auxilia dederit, id magno pretio & incommoditatibus constabat.

Pro Candidato Gallico,

Contra hæc adferuntur.

1. QVia gens Gallica superba est & alios contemnens, suamq; potentiam plenis buccis extollens. Exemplum adfertur *ex Maximiliano Fredro fol: 95.* Cùm emanasset in vulgus Gallicum HENRICO VALESIO certas leges datas esse, si Rex Poloniæ esse vellet, musitare cæperunt. HENRICVM non Regem, sed legum Polonorum mancipium futurum; non majori potestate in Repub: vsurũ, quàm Princeps Venetiarum vteretur: sufficere HENRICO suas opes, nec alienas, qvibus libera Principum ligaretur potestas. Qui rumor cùm esset delatus ad Oratores nostros, nec quidquam cunctatum rati, in quo populi Poloni dignitas verteretur, ad HENRICVM perrexêre, ne morâ damnum res sua pateretur, fieri enim

consuevit, vt fallax fama, si sæpiùs eadem loquatur, in assensum prudentiores quoq; trahat. Konarsciusq; Episcopus Posnaniensis Primas Legationis, gravi sermone audaciam & temeritatem populi Gallici exposuit. Non ingratè hunc sermonem Konarscij Henricvs accepit, & brevi sermone respondit. Non darent aures linguæ loquacis populi vana sæpiùs loquenti, sed quandoquidem DEO visum esset & populo Polono Electori se Polonorum Regem fieri, curaturum pro virili, ne suæ electionis pœniteret.

2. Quia gens impatiens est, in loco per longum temporis spatium sedere, & consilia tractare, jam autem apud nos consilia per longum tempus agitantur.

3. Quia ob distantiam locorum, in casu necessitatis contra hostes non possent dari ex Gallia in tempore suppetiæ & auxilia. Hinc prudenter quidam protulit, eam esse Imperiorum felicitatem, vicinarum gentium fœderibus iungi, & amicitiâ firmari earum, præsertim quæ si inimicæ forent, multùm à vicinia nocere, aut amicæ multum prodesse possunt. Longinquorum populorum non adeo secura esse auxilia, vt illis confidi possit, quia sera sunt, quia repentinis casibus imparata; amicitiam, à longinquo solam verborum esse à latere rerum & parati testimonij, capesserent occasionem, novo quodam vinculo quod offeretur.

4. Quia ob amicitiam & fœdera, quæ Gallia habet cum Turca, bellum cum Magno Duce Moschorum timendum.

5. Quia ob hanc amicitiam & fœdera cum Turca, non daret auxilia contra eundem, accidit id SIGISMVNDO Regi Poloniæ, cùm enim Rex Galliæ in societatem communis periculi à SIGISMVNDO invitaretur, respondit: Nihil bella aut pericula Turcica ad se pertinere. *Ita refert Stanislaus Lubieński in oratione sua habita in funere SIGISMVNDI Regis III. Poloniæ & Sueciæ fol: 483.*

6. Quia cùm Gallia infensissima sit Domui Austriacæ, ad opprimendam illam milite nostro passim uteretur, & continuis contributionibus exhauriret opes Reipub: nostræ, & gentem nostram consumeret.

7. Quia lingua Gallica & habitus diversa sunt à Polonorum.

In favorem Candidati Gallici hæc adferuntur.

I. QVia licèt Gallia, ob distantiam locorum & terrarum, incommodaq; viarum Regno Poloniæ, in occurrentibus periculis cōtra hostes suos, auxilia non potest per se dare, tamen per amicos suos

ſuos Principes viciniores, ob nominis Gallici valorem & authoritatem poſſet id præſtare, & ſaltim nervum bellicum ſuppeditare.

2. Quia Gallia Religionis Catholicæ propugnaculum, cuſtos, & defentrix fuit & eſt, vt videre licet *apud Piaſec: in Chronica fol: 123.*

3. Quia Galli longiùs à Polonia diſſiti, poſſunt eſſe remotiores à cauſis iniuriarum. Accidit ſiquidem nonnunquam, vt quorum collimitanea Imperia, certi termini, eorum & amicitias ſeparent.

4. Quia Gallia ob diſtantiâm locorum & terrarum non ita poteſt Regno Poloniæ nocere, quàm ſi vicinior eſſet.

5. Quia Gallia cum Polonia amicitiam non fictam & ſimulatam, ſed veram & apertam coluit; nec ob contracta odia, vindictam quæſivit.

6. Quia ſtante perpetuâ & inviolabili Galliæ cum Regno Poloniæ ſocietate, Mercatores Gallici merces ſuas in Poloniam alacriùs deferrent; reciproco commercio Mercatores Polonici ea quibus Polonia maximè abundat ſummo utriuſq; gentis commodo in Galliam exportarent.

7. Quia licèt Galli prout & aliæ gentes linguam Polonam ignorent, quæ maximè neceſſaria Regi Polono ad audienda in negotijs publicis Senatorum conſilia & populi querelas; id minimum eſſe impedimentum & obſtaculum. ſiquidem cùm non ſolus Rex, ſed cum conſilio Senatorum de rebus publicis tractat, poſſunt à Senatoribus conſilia & ab alijs informationes in negotijs occurrentibus latinè dari; & interea temporis Rex vſum & peritiam linguæ Polonicæ acquirere poteſt.

8. Quia inter Polonos & Gallos ob morum ſimilitudinem magna coniunctio animorum contrahitur.

9. Quia cùm Rex Galliæ cum Turcis intrinſecam amicitiam & firma fœdera ab antiquo colat, faciliùs & citiùs cum illis pax ineatur.

Pro Candidato Sueco,
In favorem hæc adferuntur.

Quia proxima cum Polonis commercia maris Baltici ſecuritas maxima commoda Reipub: adferret.

In Contrarium: Quia ob diverſitatem fidei non poſſet in Regno Catholico regnare

1. Quia genius nationis Sueticæ non facilè cum Polonis conveniret, vt & aliorum nationis Germanicæ.

2. Quia per electionem illius, Incolæ Sueciæ ob diversitatem Religionis alium Regem sibi eligerent, & sic motus & continua bella inter vtrāq; gentem exorirentur. Exemplum in SIGISMVNDO III. ejus nominis Rege Poloniæ, *vt videre licet in Chronica Piasecij à fol: 76.*

Pro Candidato Moscho,
In favorem hæc adferuntur.

1. Quia Christiani sunt.
2. Quia multa commercia cum occidentalibus Europæ populis facillimè peragerentur.
3. Quia Moschovitæ, sunt Polonis similes habitu.
4. Quia ex Ethnica & barbara gente Rex electus (prout est Moschus) Christianus factus, sæpè bonum & pium Principem agit. Exemplum est in Jagellone Duce Lithuaniæ, qui licèt Ethnicus in Regem Poloniæ assumptus fuerit, Christianus factus, populum suum curâ & solicitudine suâ ad fidem Christianam adduxit, Ducatumq; Lithvaniæ Regno Poloniæ adiunxit.
5. Quia consilia cum Senatu Polono faciendo, ex inculto & barbaro Ciuilis, bonus, & prudens evaderet, & Magnus Ducatus ille (prout cum Jagellone Ducatus Lithuaniæ) accederet: paxq; ampliùs inter nostram & illorum gentem non esset dubia.

1. *In contrarium:* Quia Moschovitica gens, incultâ & vitio barbaricæ viciniæ redolens barbariem, opprobrium induceret populo nostro apud exteras gentes, quòd tam barbarum & incultum Principem elegerit.
2. Quia non tutum est illi Principi, liberam Rempub: regendam dare, qui suo Principatui præest, vt hæres & Dominus, maximè quia hæc gens absq; cultura studiorum vivit, & Principem suum non vt Rectorem, sed vt Tyrannum agnoscit.
3. Quia Moscho regnante, inter Polonos & Tartaros firma fœdera teneri non possent.
4. Quia gens Moschorum ignava & Iudaicæ similis est, hinc parva authoritas apud Turcam superbum hostem, eiusmodi Regis esset.
5. Quia gens Moschovitica, *Polonis* nativus est hostis.

Has itaq; & similes considerationes, tum & commoda à Candidatis oblata, in bilancem, Senatus cum Equestri Ordine accipiens, determinant inter se, quis illorum Reipub: magis proficuus esset, & factâ maturâ deliberatione, ad electionem & nominationem Regis

procedunt. Et vtinam inter Electores Regis *Poloniæ* audiretur illud responsum cujusdam Senatoris Poloni! cui cùm Oratores Imperatoris, vt bono animo in Archiducem Ernestum Candidatum esset, munera secretò obtulisset, dignum *Patriæ* Cive responsum dedit. Muneribus impervium animū teneo, *Polonus* sum. Si hæc vestræ erga me benevolentiæ signa sunt, gratus lubensq; accepto, similia amicitiæ testimonia à me expectate, nullâ in cætera spe. *ut refert Maximilianus Fredro ubi supra fol: 50.* Nam quid magis inficere Comitia potest? quàm pestis & corruptela largitionum. Etenim his corrupti, non commoda & vtilitatem Regni & *R*eipub: spectant, sed cœco impetu ruunt in favorem illius, à quo muneribus & largitionibus onerati sunt, & sic totam gentem *P*olonam toti mundo, in opprobrium tradunt & transmittunt.

Ad hanc electionem Regis multi concurrebant, ad quos electio hæc minimè spectaret.

Et imprimis, tempore Interregni post mortem SIGISMVNDI AVGVSTI Marchio Brandeburgicus, Dux *Prussiæ*, per Legatum suum ab Ordinibus Regni petijt, vt locum in Senatu haberet, dicens: Civem Polonum esse titulo *Prussiæ* & prætextu, quam nomine fiduciario teneret. Sed illi responsum est. Sufficere Duci beneficium Reipub: cui, tanti Feudi munus contulerat; locum verò in Senatu, & suffragia in eligendo Rege non posse concedi. *Ita refert Maximilianus Fredro vbi supra. fol: 34. cum sequ.*

Tentavit id & post mortem SIGISMVNDI III. in Convocatione generali Varsaviensi *Anno 1632. teste Piasecio in Chronica sua folio 529. his verbis.* Dum autem ista in separatis conventiculis agitarentur, Senatus Legationes diversorum *P*rincipum externorum audivit. Et imprimis Electoris Brandeburgici, Ducis *Prussiæ R*egni *P*oloniæ vectigalis, qui expostulabat, quòd ad eum Conventum non fuerit vocatus, cùm tamen ad consilia Regni, vti membrum & *C*ivis *R*eipub: istius pertineret: hocq; ipsum, in diplomate à SIGISMVNDO I. Ducibus in *P*russia Antecessoribus suis concesso, sit expressum. Unde petebat, vt huiusmodi juris ratio haberetur, & ad minus ad electionē proximam Regis vocaretur, locusq; ipsi assignaretur in Senatu. Conditionesq; fiduciæ suæ (vt aiebat) graviores sibi impositas in quibusdam punctis volebat à *R*epub: moderari; tum & lites componi ratione confinium à *P*ræfectura Drahimensi cum *P*omerania Ducali exortas. Deinde offerebat Reipub: operam suam pro tractanda pace cum GVSTAVO Rege Sveco. Eandem Legationem ijdem Legati

exposuerunt apud Nuntios Terrarum seorsim considentes; & utrobiq; retulerunt responsum: quòd dubium illud, num Dux Prussiæ interesse possit Reipub: consilijs? jam ante in Conventibus Interregnorum præteritorum motum, nec unquam definitum, non possit dissolvi, nisi in plena Repub: nempe præsente Rege Reipub: capite: & tum demum cùm novus Rex inauguratus fuerit, declarationem huiusmodi dubij requirendam fore, interim verò insistendum esse consvetudini antiquæ. Rationes etiam fiduciæ suæ nonnisi auditis illius Provinciæ Ordinibus, idq; coram Rege novo cognosci posse. Pro differentijs terminorum Pomeraniæ discernendis & renovandis, similiter à novo Rege designandos fore Iudices. Pro officio ad tractandam pacem cum Sueco Rege, promisso, quo Respub: tempore opportuno lubens vti vellet, gratiæ actæ.

Idem tentàrunt eodem tempore & milites Quartiani nostri per Nuntios suos, vt in electione Regis ad suffragia danda admitterentur, sed ab vtroq; Ordine tam Senatorio, quàm Equestri responsum retulerunt: quòd milites stipendia Reipub: merentes functionem suam naviter obire, sub signis stare, Præfectoq; militari suo obsequi debeant, haud dubiam mercedem, & remunerationem laborum suorum recepturi. In quantum autem Nobilitatis suæ quisq; prærogativà ferendi suffragij in electione Regis gaudere velit, non ex castris, nec in militari censu, sed à tali authoramento solutus, si veniret ex Tribu & Palatinatu suo ad electionem, id consequi posset.

Fere simili quoq; legatione Kosacorum Zaporovianorum communitas Ordinem vtrumq; eodem tempore interpellavit: sed severius responsum accepit, nempe quòd Kosaci ex plebe collecti nullas partes habeant in consilijs publicis, neq; in electione Regis, quæ soli Senatui ac Ordini Nobilium convenirent. *Ita Piasecki vbi supra fol: 530.*

Civitates tamen nonnullæ Regni, hanc prærogativam habent, vt tam ad consilia publica, quàm ad suffragia eligendi Regem admittantur, vt supra in Confœderationibus diximus.

Hæc electio Regis fit aliquando per Deputatos ex Palatinatibus more aliorum Comitiorum. Tutius tamen est non per Delegatos id fieri, sed per totam Nobilitatem. Nam Comitiorum negotia posse Legatis Palatinatuum concredi, cùm errores consiliorum in Comitijs faciliùs corrigi possunt, quàm si malum Principem elegerint. Conferre item ad securitatem Imperantium, & obtemperantium cõstantiam, Regem per omnes eligi: bonos namq; malosue elegerint,

non

non alijs sed sibi imputari, & sine murmure quemq; laturi. *Ita Maximilianus Fredro vbi supra fol: 33.* docuit & monuit. Quam Nobilitatem vniversam cùm nec Curia, nec Conclave, aut tentorium capere possit, militariter sub dio considendo suffragia sua ferunt, & ad Senatum per Deputatos suos transmittunt, vt quotidiana praxis edocet. aliter fit, si per Deputatos à Palatinatibus Rex eligatur.

Sic itaq; dispositis & ordinatis omnibus, ad electionem acceditur: quæ vt feliciter succedat, omnes genua flectentes, in consiliū & auxilium Regem & Dominum Dominantium, per quem omnia facta sunt, vocant, intonando Hymnum, *Veni Sancte Spiritus &c.*

Et aliquando juramentum præstabant Electores: prout in Convocatione & Electione, ante electionem MICHAELIS Regis factum erat, vt supra sub titulo de Interregno diximus. Quæ tamen solennitas in subsequentibus Interregnis omissa est.

Tunc quisq; Palatinatus secessu facto, vota & suffragia sua expendit ac cum alijs communicat; Senatus quoq; similiter consultat. Et cùm omnes nemine contradicente in vnum ex Candidatis consentiunt, (nam aliàs contradicente aliquo nominari non potest, vt supra diximus, quod est cardinale jus libertatis Polonæ, nec attenditur, Senatorisne aut divitis? potentis, vel inferioris vox sit? sed singulorum eadem ratio habetur, dummodo Nobilis genere sit. Attamen ingenio dexteriores, discrepantes, partim suasu, partim precibus, tum omni meliori modo ad vnitatem votorum & suffragiorum solent trahere.) Archiepiscopus Gnesnensis ad nominationem Regis electi descendit, præmissâ trinâ interrogatione, an sit concors omnium consensus? aliàs stante contradictione non est illi licitum aliquem in Regem nominare: aliàs pro hoste Patriæ habetur, ut supra diximus. Sed hæc aliquoties non sunt in consideratione habita, & contradicentibus alijs, Archiepiscopi cui favebant, in Regem nominàrunt. Exempla horum libet in medium adferre, vt veritas comprobetur.

Post desertationem Regni ab HENRICO VALESIO Gallo (de qua desertatione supra sub titulo de Interregno scripsimus) dum illuxit dies septimus Novembris in præcedenti Confœderatione generali Varsaviensi omnium assignatus, convenerunt ad locum solitū Ordines, quo die, cùm varia & sine ordine in mediū proferebātur & inaniter tēpus consumebatur; placuit omnibus ex consilio prudentiorum negotium electionis ad diem sextum transferri, & vt aliæ materiæ non admittantur. Quo die adveniente, Legati externorum Principum

in Collegium Ordinum admiſſi ſunt, videlicet Maximiliani Imperatoris Romanorum, Regis Sueciæ, Palatini Transylvaniæ, qui tūc erat Bathoreus, Ducis Ferrarienſis, & aliorum, quorum omnium orationes in vnum collimabant, vt obtineretur Regnum.

Sequentibus diebus conſultatum eſt, de eligendo Rege. Senatûs major pars cum Archiepiſcopo Gneſnenſi Primate *R*egni (nam Maximilianus Imperator, rebus ſuis apud eum non deërat) & paucis ex Equeſtri Ordine, Imperatori Romanorum propenſos ſe demonſtrârūt, cum ea tamen conditione, vt Erneſtus filius eius Annam Principem, Sororem SIGISMVNDI AVGVSTI Regis demortui, cuius Annæ tutelam Reſpub: ſuſceperat, in matrimonium duceret.

Reliqui Senatorum cum Nobilitate cenſuerunt, *R*egem intra Poloniam quærendum eſſe; quod & Legatio Turcica promovebat; diſſuadendo, ne ex Domo Auſtriaca aliquem in *R*egem eligerent, cùm ſint capitales hoſtes Turcis; ſed è medio ſui aliquem, præcipuè Koſtkam, aut ſi id non placuerit, *R*egem Suecorum adſciſcerent: ſi nec iſte arriſerit, Stephanum Bathoreum Palatinum Tranſylvaniæ, amicum ſuum acceptare dignarentur. *vt refert Fredro f: 201.*

Itaq; Equeſter Ordo ad ſeſſionem ſuam ſolitam receſſit, ſententiam de *R*ege laturus. Ubi pauciſſimi pro Imperatore *R*omanorum Maximiliano ſententijs pugnabant: omnes reliqui, alium potiùs, hoc eſt è medio ſui eligendum ſuaſerant, eoq; impetu & fervore rectè ferebantur in Senatum, cum eiuſmodi ſententia & perſuaſione ſua, & nullatenus ſe admiſſuros Auſtriacorum & Germanorum in populum Polonum Imperium.

Graviter hæc accepit Senatus, & tanto graviùs, cùm audiebantur Equitum voces: quicunq; è Senatu ab Auſtria nollet Principem, in Equitum ſecederet ſeſſionem. *R*eperiebantur non pauci Senatorum, quibus Auſtriacum regimen haud gratum erat; contra authoritatem tamen & prærogativam rati moveri Senatorem loco; quare ad eas voces aſſurrexêre nulli, aliter rem acturi.

Poſt ſeceſſum Equeſtris Ordinis, conſultatum in Senatu, quid facto opus foret, hic authoritatem, illic eſſe potentiam, verbis potiùs, quàm pertinaciâ agendum. Itaq; miſſi ſex primi Senatorū, qui partim authoritate loci, partim ſuaſu ad faciliora flecterent motam Nobilitatē. Ivêre illi ac immiſti medijs Equitibus. Tunc Palatinus Cracovień: vnus ex Deputatis à Senatu, pro eodē Senatu, & Domo Auſtriaca, exponendo multa pericula, ad Equeſtrem Ordinem orationem

ionem habuit, sed ad prolixam eius orationem, breviter responsum est ei ab Equestri Ordine: malle se per Interregnum hostem & pericula ferre, quàm Austriacorum & Germanorum imperium acceptare: hostium damna posse resarciri, graviter imperantis Principis, nunquam, doceri se malis Ungarorum & Boëmorum, qui Austriacæ Domui implicati, hæreditas vniusDomûs facti, multò melius & æquius esse, Regem ex Incolis Poloniæ eligi.

Hoc dato responso, itum per sententias, cuinam Incolarum Regnum dari debuerit? Ad duos potissimùm inclinabant vota, videlicet Joannem Kostkam Palatinum Sandomiriensem, & Andream Tenczynski Palatinum Bełzensem.

Ægrè accepit hæc Senatus, cùm alij generis splendore, in rebus agendis dexteritate, cuiq; amborum se esse pares palam profiterentur, & multa alia obiecta sunt. Sed Joannes Kostka, & Andreas Tencinius modestè tulerunt querulantium voces; imò modestè ipsâ, quæ offerebatur regnandi fortunam.Gratias habere se (inquiebant) Equitibus, apud quos eo in pretio virtus sua haberetur: cæterùm nolle eâ electione Rempub: periclitari, tutius quæri in externo solo Principem, quàm domi cum tumultu & invidia eligi: donare se privatam fortunam & ambitum Reipub: saluti; sufficere sibi honores, cùm forent Senatores, ac Regum Electores.

Et licèt Equester Ordo, Incolam Regni in Regnum promovebat, nihilominus ad Senatum Deputatos suos misit, quem vellet ille ex externis Principibus eligeret, modò non ex Austriaca Domo. Nil tamen ea apud Senatum valuêre. Unde Equester Ordo palàm testatus est, à concordia Ordinum vnam se Reipub: petijsse salutem; sed quoniam Senatu dissentiente periculum Reipub: strueretur, cogi se in partibus, vt sibi & Reipub: providerent.

Tum Archiepiscopus Gnesnensis, suspicatus, Equites in parte novum quæsituros Principem, præoccupandos ratus, petijt suo in Collegio sententias, & quia in Maximilianum Imperatorem Romanorum inclinabant, nominavit eum Regem Poloniæ, publicatio in vulgus, in crastinam reiecta lucem. Reperti tamen non pauci Senatorum, qui egressi è circulo cum querela tutiùs esse domos sine Rege abire, quàm discordante Repub: paucorum studijs intrudi populorum Rectorem. Sequenti nihilominus die, studio Archiepiscopi Gnesnensis, Maximilianus Imperator Romanorum, in Regem Polonorum, voce Archimareschalci denuntiatus est. Interim Equites, ac Purpurati, qui deseruerant Senatum, quæ per Primatem insolentiùs

agebantur, minùs curavêre, armis etiam pro æquitate rei decertaturi. Properavêre suo in circulo sententias; Annam Principem, Sororem SIGISMUNDI AUGUSTI, posthumam Domûs Jagellonicæ in Reginam; in maritum & simul Regem STEPHANVM BATHOREVM, Transylvaniæ Principem elegerunt: porrectæq; sunt Legatis illius conditiones, ut infra.

Delatus rumor ad Senatum, Annam Principem in Reginam; STEPHANVM BATHOREVM in maritum & Regem ab Equitibus eligi. Demisêre illi, vel ad Annæ Principis nomen animos, quoniam erat sub tutela Reipub: nec melius à Tutrice Repub: provideri visum, quàm si in Reginam eligeretur. speciosa & è Repub: ea electio Senatui visa, intus pudibundi, palàm tamen confundi non ferebantur, imò quò magis imponerent, pro Imperatore fortiter suis sententijs pugnabant; sed validiùs Equites pro STEPHANO, quia steterе penes arma.

Indixêre sibi armatum Conventum Andreoviæ *pro die 18. Ianuarij sequentis*, quòd pro jure STEPHANI, & contra ambitum Maximiliani opportunam crediderant, & maximè, quòd illud Oppidum non longè à finibus Ungariæ, quà adventus STEPHANI è Transylvania sperabatur; & prope Silesiam, quà Maximilianus ad Regnum iturus erat, arma erant in terrorem ostendenda; huic alteri in tutelam.

Missæ interim in publicum utriusq; partis querelæ, partim Senatorũ in Equites, & contra STEPHANUM; partim Equitũ in Senatum & Maximilianum contra, cum obtestatione per salutem Reipub: per charam eligendi libertatem, quibus hæc grata forent, suas partes sequerentur. Scripsit insuper pars Electoria STEPHANI ad Maximilianum Imperatorem literas, quarum copias videre licet apud *Maximilianum Fredro fol: 237.* Similiter & responsum Imperatoris. *fol: 239.*

Sed responsio Imperatoris visa est superba, non modò his, qui partes STEPHANI tuebantur, verùm qui pro Maximiliano vota tulêre, vt sensim in partem STEPHANI transirent. Vsus est enim his verbis: sin verò (quòd absit) in vestro proposito consistere vobis constitutum maneat, vtiq; ipsimet haud difficulter existimabitis, quòd, cùm eo (quo diximus) modo in Regem Poloniæ & Magnum Ducatũ Lithvaniæ electi, nominati, ac in publica Senatorum ac Nobilium corona proclamati sumus; adeoq; huius rei fama jam passim per vniversum fere Orbem percrebuit, Nos non ita facilè hoc nostrum

strum quæsitum jus alteri cessuros, vel vt nobis eripiatur passuros esse. Quid autem inde secuturum sit, vobis judicandum relinquimus

Sed Archiepiscopus pertinacior, ac nonnulli Cæsarianarum partium, exprobrabat his inconstantiam, cùm nuper secum eadem sensissent, jam raptarentur in diversa. Hæc partim per secretiora colloquia & delatores, partim per literas insinuabant. Respondebant hi item: non sibi inesse inconstantiam, sed amorem Patriæ, alios navarchorum rectà ad portum deducere navem, alios per erroneas vias, & longos maris circuitus, cùm utrisq; idem portus pro meta & scopo sit: alios secundi pellunt venti, alios licèt artis nauticæ gnaros, adversi & varij in varia rapiunt, se item alia sentientes, non inconstantia, sed erronea sententiarum abripuerat opinio & vis: cùm æquè vnicam votis Reipub: salutem quæsivissent, ac ij qui non longùm deliberantes tutissima arripuêre consilia, prudentis verò errores corrigere, & bene agi cùm Repub: vbi cùm erratum fuerit, datur tempus corrigendi, nec illico itur in præceps cum errore.

Quidni Respub: ruinam prope erat, cùm Austriacus in Regem eligebatur? eoq; magis fugiendus Princeps, quia potens, & peregrinis viribus, domesticæ libertati horrendus. Poloniam verò quæritare nō dites, sed bonos *Rectores*, à bonis salutem receptura, à potentibus periculum. Non Imperatorem, non Ducem aut *Principem*, sed quicunq; mortalium optimus crederetur, capiendum esse *Re*pub: Rectorem; sat ornamenti datum ei, quem reciperet Regem; an pro Imperatore vltra sentirent? qui necdum omnium voto *Rex* creatus aut approbatus. Genti, quæ libera semper fuit, & humanitate Regum frui didicit, imperiosos sensus ac superbos literis insinuaret, & vix paucorum sententijs tactus deberi sibi Regnum crederet. Dari imò occasionem liberè eligentibus Polonis, posse tanti Principis non moveri respectu, sed solà deligendi libertate & ratione, nec minas curare, dum tenerent arma. Imò titulus literarum non pro dgnitate Ordinum dari visus; Reverendissimos ac Jllustrissimos Ordines à Regibus sibi Dominis appellari. Ab externo Principe Serenissimorum Ordinum titulum requiri, tum præsertim; cùm mortuo Rege Senatus & Equites Majestatem Reipub: sua ferrent in persona.

Hæ & aliæ rationes fuêre, ab Imperatore desciscentium. Magnus subinde numerus armatæ Nobilitatis, Senatorumve, Andreoviam pro die *18. Januarij 1576.* confluxit. Publicè pleriq; fassi Maximilianæ electionis errorem, itumq; faciliùs in augurationem STEPHANI BATHOREI, quæ partim per Legatos, partim per literas in *Provinci*-

as publicata, quæ nomen Polonorum colunt, & capiunt Imperium.

Ad recipiendum adventantem Regem à Transylvania, dicti præcipui è Senatu, item ex Equestri Ordine; tum alij, quibus imperatū Annam Principem Cracoviam sequi. Quantum ad limitum securitatem oportuit, motio communis belli indicta. Quo verò citiùs evocari possent, quiq; Palatinatus Provinciales Delegatos ad latus belli Ductorum tenuêre, qui Incolas monerent de periculis. sed Nobilitas ad bella evocata nullius imperio, quàm Regis subesse debet; tum verò quia Rex deërat, dicti communi omnium assensu tam generali expeditioni, quàm noviter lectis cohortibus Duces, Stanislaus Gorka, & Stanislaus Cikovius Succamerarius Cracoviensis; quanquam non deërat Dux militum ordinarius; sed quo dividerentur arma, & authoritas vnius nimia æqualitati inimica, cùm præsertim Purpura in ambiguo: veteranus tamen miles Duci ordinario parere jussus. *Hæc ex Maximiliano Fredro* in lib: Gestorum populi Poloni sub HENRICO VALESIO, in fine istius libri de verbo ad verbum desumpta sunt. Qui Fredro in his cessavit quæ scripsimus. Joannes autem Demetrius Sulicovius Archiepiscopus Leopoliensis in commentario rerum Polonicarum à *fol*: *49.* sic hanc electionem describit.

Erat tempus anni alienum & tractandis consilijs sub dio & papilionibus ineptum, multa in animis hominum acerbitas qua libet ex re suboriebatur, neq; sibi, vt fratres Joseph, mutuò quisq; alteri pacificè loquebatur. Præterea neq; modus aut ordinis aliqua species in rebus agendis, par electioni HENRICIANÆ, in qua fere Karnkovius clavum tenuerat, habebatur. Itaq; tanquam sibi, fortunæq; suæ irati omnes, celebratissimæ & clarissimæ electionis suæ prioris fructu se defraudatos esse, alij quidem in omnem occasionem intenti fuerunt, quo pacto, jure vel injuriâ Imperatorem Maximilianum Regem renuntiarent; alij verò ad eum excludendum popularem sententiam secuti, domestico Regi studebant, & Regnum jam ipsum ad Joannem Kostkam Palatinum Sandomiriensem, & Andream Comitē Tęncynium Palatinum Belzensem deferebant. Quo propsito vtrorumq; moderationem nullam admittente; Cæsariani, simulato paulisper syncretismo, intra vrbem se recipere consultandi causâ præseferentes, prope muros Civitatis in campo, ut id legitimè fecisse viderentur, cum Archiepiscopo substiterunt: missisq; à se quibusdam, hoc est Episcopo Cracoviensi & Palatino Podoliæ Mieleccio, atq; alijs cum Nobilitate, quæ suum locum in loco privilegiato tenebat tractandi causâ *12. Decembris.* Cæsarem Maximilianum Regem Poloniæ renun-

renuntiârunt; & ſtatim ad templum Civitatis præcipuum, ubi Regina fuit ad canendum Deo hymnum profecti ſunt, Czarnkovio & Chriſtophoro Zborovio aſſiduè Archiepiſcopũ cuſtodientibus. Quod ubi ad Nobilitatis caſtra relatum eſt, fremuêre omnes ac frendêre, quod altera pars non fraternè ſecum egiſſet Et cùm ſemel atq; iterùm aliquos ex ſuis ad eos qui Cæſarem renuntiaverant miſiſſent, rogantes ne vim Reipub: ac libertati communi inferrent, & ſui, liberorumq; miſererentur, nihilq; operæ pretij, ac ne commodi quidem reſponſi tuliſſent, proteſtati de iniuria ſibi facta, Annam Reginam Virginem, ſibi Principem legitimam per Joannem Sienicium poſtridie inaugurârunt, eidemq; maritum STEPHANVM BATHORI Palatinum Tranſylvaniæ ac futurum Regem deſignârunt. & mox eidem Reginæ per Joannem Koſtkam Palatinum Sandomirienſem & multos alios, Regnum, ſe, ſuaſq; libertates, vitam & fortunas deferunt. Indoluit illa primo Regni ſchiſmate tam periculoſo, lacrymiſq; fatalem Reipub: converſionem proſecuta, ſed poſtea vbi Ordines in ſententia perſtare videret, aſſenſum ad ea omnia, quæ ex uſu Reipub: eſſent, præbuit; ſeq; eorum fidei, conſilijs, & fidelibus ſtudijs permiſit, omnia ſua pro ſalute eorum ac Reipub: devovens. Karnkovius Epiſcopus, vt tam periculoſum ſchiſma ſanaret, Varſaviam accurrere voluit, ſed Solicovio & alijs rogantibus, ut paulíſper ſe adhuc domi contineret, non dubius ab vtraq; parte conſilium ejus imploratum iri, & jam hanc illam occaſionem præparatam eſſe, quâ omnis illa invidiæ flamma, quâ Regis HENRICI causa apud omnes flagrabat, ſuâ ſponte ſit collapſura.

Vix profectionis ſuæ ſententiam cohibebat, cùm ecce primùm à Bathorianis, deinde à Cæſarianis compellatur. Cupiebat is maximopere & rogabat, vt ij Oratores ad ſuos Candidatos mitterent, & potiùs in unum Candidatum quempiam præteritis hiſce ambobus convenirent, eaq; de cauſa Łovicium ad Archiepiſcopum accurrit, ſed is jam ita animum obfirmaverat, vt de ſua ſententia nullâ ratione deduci potuerit.

Abierunt igitur vtriuſq; partis nomine Oratores, ad ſuos quiſq; Electos, ad Cæſarem Albertus Laſcius Palatinus Siradienſis, Stanislaus Sandiuogius, Czarnkovius, Goſtomſcius Caſtellanus Sochacovienſis, Chriſtophorus Zborovius cum Collegis. Ad Bathorium verò Joannes Tarło Palatinus Lublinenſis, Georgius Mniſzek Inciſor Regius, Albertus Starzechowſki, Nicolaus Jazłowiecki, Joannes Oſtrorog, Martinus Lwowſki, Joannes Błazá, Georgius Niemſta, Adamus

Gorayſki, Stanislaus Łaſcz, Stanislaus Pſtrokońſki, Joannes Bełdowſki, Ioannes Radzieiowſki; ad quem etiam Archiepiſcopus Iacobum Woronecium Nepotem ſuum miſit, monens ne ſe decipi à quoquā pateretur; Regnum ne alteri Electo, & priùs nominato Principi intervertere præſumeret. Atq; eodem prope tempore Stanislaum Sandivogium Czarnkowſki, quondam conſenſum *R*egis HENRICI producentem, Coadiutorem Archiepiſcopatûs Gneſnenſis cum Capitulo inſtituit, & Clavem Zninenſem illi concedit. Batorianis inde meliorem telam fortuna texere cæpit, quòd ad judicium totius *R*eipùb: provocarent, & Comitia particularia paſſim; poſtremò generalem Conventum indixerant. Ad quem cùm Karnkovius, tanquam vindex patriæ libertatis oppreſſæ, evocaretur, illuc profectus eſt. Et in eo, confirmatâ Stephani electione, ac Imperatoris reprobatâ, (*idq; Anno 1575.*) nam & Oratores illius illuc advenerant, poſtquam per *P*hilopponium à Stephano & Regni conditiones ſuſceptæ, & jurejurando firmatæ, allatæ eſſent, & celer illius in Regnum adventus promitteretur, jam à partibus Bathorianorum apertè ſtetit, ipſoq; authore, & dies coronationis dictus, & ad eum ipſum Stephanum variæ atq; ad fœderatos Regni Principes literæ, & legationes decretæ, & expeditæ fuerunt, vbi cùm mentio fieret in ſcriptis confœderationis de *R*eligione, abundè Epiſcopus juribus Eccleſiaſticis cavit. Miſſi etiam fuerunt ex hoc Andreovienſi Conventu Oratores ad Cæſarē, Lanckoronſki, ſeu Wodzisławſki Caſtellanus *Z*avichoſtenſis, & Martinus *B*iałobrzeſki Abbas Mogiłæ, qui Cæſarem mitigarent, & juſtæ electionis Stephani rationes oſtenderent, quibus à Cæſare omne humanitatis genus oſtenſum eſt. Sub hoc idem etiam tempus Vchanſcius Archiepiſcopus Conventum ad diem ultimam Februarij, Conventui Andreovienſi contrarium edixit, qui tamen admodum infrequens fuit. Vnus fere Epiſcoporum fuit Karnkovius. (nam omnes Epiſcopi cum Archiepiſcopo Gneſnenſi Auſtriacis favebant) Epiſcopus Vladislavienſis, qui ſe his partibus primus adiunxit, quod ab eo magno Regi Eccleſiaſticæ emolumento factum fuiſſe, tempus & res ipſa poſtea comprobavit. Etenim cùm Stephanus hæreticorū vt plurimùm ſtudijs *R*ex eſſet nominatus, tanquam is, qui aut Hæreticus aut Hæreticorum fautor ab illis exiſtimaretur; & confirmaret hanc eorum opinionem Blandrata, homo Hæreticus, ab eo ad electionem miſſus; timens Epiſcopus ne eum, vel totum, vel medium haberent Hæretici, in hoc nervos ſuos intendit, vt antequam Stephanus in *R*egnum ingrederetur, de eius fide ac religione edoctus, vel eum

ſibi vlteriùs fovendum, aut verò, ſi quid de eo intelligerent, *Regio* faſtigio ac throno excludendum curaret. Coronationis Regis & *Reginæ*, dies *Dominicus Quinquageſimæ* dictus eſt, quo cùm Regis in Regnum adventus deſperaretur, longo enim terrarum circumitu, vt Ungariam Imperatori ſubiectam devitaret, per Valachiam & Moldaviam iter inſtituerat, gliſcentibus Cæſarianorum artibus, rumoribuſq; varijs; hincinde animos Bathorianorum in diverſa trahentibus, Karnkovius licèt adhuc de Regis adventu nihil certi haberet, tamen Cracoviam ad diem dictum ſe contulit; Reginæq; vt eò proficiſceretur perſuaſit. Et quoniam à Cæſarianis præveniri timebat, ne *Rempub:* in incerto ſtatu relinqueret, ſi vel Stephanus tardiùs adeſſet; vel aliquis gravior caſus, vt ſunt humanæ res, curſum ſui cæpti turbaret, coacto conſilio Senatûs, de Regina coronanda ad Senatum & Ordines retulit. Et quoniam in Repub: tuenda maximè ſtatum Eccleſiaſticum, ne quid detrimenti acciperet, attendebat; cum Clero imprimis Cracovienſi ſua conſilia communicat. vtrobiq; in vlteriorem deliberationem dilata fuit. Interea tamen, ne diù expectatus Rex, rebus Eccleſiæ non proviſis, Regni fines intraret, arreptâ hâc occaſione, quòd Rex eum, vt ſibi ad fines Regni occurreret literis ſuis invitabat, ipſe ſe rebus omnibus ſervans & invidiam hominum declinans, ad eum non ivit, ſed Solikovium ad ſe domo literis evocatum, & ne Reipublicæ & cauſæ Divinæ in tam periculoſo tempore & ipſe deeſſet, ſuò loco ad eum mittit. Magnum à Cæſarianis videbatur imminere periculum, ſed multò maius, ſi Rex in poteſtate Hæreticorum totus eſſet. Solikovius igitur de omni re, quam cum Rege ageret, Epiſcopi ſententiâ intellectâ, & plenè de omnibus inſtructus, in vlteriorem Ruſſiam profectus, *Regi* electo Stephano ad Sniatinium occurrit. Eum Prutum amnem, Moldaviam à Podolia diſtantem, tranſuectum, Hieronymus *Ruſſiæ* Palatinus & Nicolaus Caſtellanus Camenecenſis Sieniavij Fratres, cũ non contemnendo exercitu exceperunt; & per Martinum Mezenium Iuriſconſultum ſalutârunt. Invulgato Solikovij adventu apud Oratores, qui Regem electum adducebant, qui uno tantùm excepto, Hæretici omnes fuerunt, omnes ne Sulikovius à Rege niſi præſentibus illis admitteretur, vel audiretur, decreverunt, quòd vererentur, ne is per eum in Eccleſiaſticorum poteſtatem deveniret. Quod Solikovius, ex ijs qui Epiſcopo Karnkovio favebant, vbi ſubolevit, ipſe ad Oratores miſit rogans, vt ſibi acceſſum nomine Epiſcopi ad Regẽ compararent, qui in periculo maximo Reipub: & illis omnibus &

Regi huic electo adesset. Et cùm etiam quidquid ejus nomine apud Regem acturus esset, ipsos Oratores præsentes adesse, audire, & intelligere cuperet. Quo intellecto Oratores exhilarati, jam in Solikovium, atq; in eius persona in Episcopum Coricæi esse nolebant; sed Płazæ tantum & Niemstæ id negotij dederunt, ut Solikovium ad Regem concomitati, ei cum illo colloquenti adessent. Sed ut mos nostrorum fert, solus tantùm Płaza adfuit, & salutationem tantùm, ac benedictionem Episcopi audivit, atq; ad suos retulit. Cæteroquin de hora secretioris colloquij submissiùs loquuti, tandem horâ vespertinâ ejusdem diei, & in profundam noctem secum Rex & Solikovius, Philipponio fores obseruante, (qui dies fuit Sabbati) fuerunt. Illic Regem de omnibus rebus, quæ fundamentum essent Regni feliciter inchoandi plenissimè, nomine Episcopi edocet. Audivit Rex electus Solikovium, non sine suspirijs, & cum singulari cõsolatione sua; & non solùm ad omnia fusissimis verbis respondit, sed etiam fidei Catholicæ professione generali factâ, rebus statim ipsis, ita Solikovio satisfecit, vt is de eo omnia præclarè & sentiret, & ad Episcopum præscriberet. Et quoniam ante aliquot annos Sniatinium à Moldavis exustum, necdum restitutam Ecclesiam Catholicam habebat, in qua die Dominico crastino sacrosanctum Missæ sacrificium audiret, Solikovio locum ubi id fieri posset demõstrante, sequenti die summo manè illud se auditurum, & illud idem singulis diebus facturum lubentissimo animo spopondit. Habebat autem jam secum ab Episcopo Solikovius, & Sacerdotem, & omnẽ altaris apparatum, quem penes Regem cum pueris amanuensibus reliquit. Multi fuerunt sermones de Transylvaniæ Regionibus impijs, de paucitate Catholicorum, de Societatis Jesu Patribus, quos per Fabium Dalmatam jam petierit. Religionem quidem Catholicam se semper ob Proceres Hungariæ, & populos omnes Hæreticos integram servasse occultè, & Monacho cuidam Albæ Juliæ, seni, per speciem venationis ad eum excurrendo confiteri, & ab eo communicari solitum fuisse: & se quidem militari modo in penitioribus articulis Catholicæ fidei versatum, sed animo prompto omnia auditurum, & suscepturum, quæcunq; in salutem animæ suæ & Reipub: præsertim Ecclesiæ statum tuendum & ornandum, pertinere edoctus ab Episcopo fuerit. Multa dehinc de rebus alijs, politia Regni huius, moribus SIGISMUNDI AUGUSTI, HENRICI, itemq; officijs Regni, & forma Reipub: interrogabat.

Sequenti igitur die festo Dominico, summo manè, sacrum Missæ sacri-

ſæ ſacrificium audivit cum lachrymis: etiam librum Evangelij ſibi oblatum exoſculatus eſt, per totum ſacrum genibus flexis orans. Oratores durante ſacrificio Miſſæ ante fores erant, & cum Miſſam apud *Regem* haberi intellexiſſent, jam iſti Sacerdotes (inquiunt) ſe in poſſeſſionem *Regis* intruſerunt.

Dum hæc apud Regem aguntur, ij qui ad Cæſarem miſſi fuerant, redeunt, & cùm Senatui & Ordinibus Regni à Cæſare literas exhibuiſſent, quibus *Cæſar* eos fideles, dilectos compellavit, malam gratiam apud omnes inierunt, tanquam ij, qui jus Cæſareæ electionis, allatis talibus literis, non obſcurè confirmâſſent.

De Rege autem electo magna fuit Cracoviæ expectatio apud omnes, ſed maximè apud Epiſcopum Karnkovium, quem fructum allatura eſſet hæc ad eum Solikovij profectio. Igitur cùm literas Solikouij accepiſſet, quibus is Regem electum, ac præclaras illius animi dotes ac corporis, item prudentiam, facundiam, maturitatem, induſtriam, rerum vſum, ejus deſcribebat: Epiſcopus ejus literis ſparſis, mirifica erga eum ſtudia omnium excitavit. *Rex* electus ante feſta Paſchæ Vrbem ingredi debuit, ſed adverſâ valetudine impeditus, ad Monaſterium Mogiłæ, vno ab Vrbe milliario, ſubſtitit. Quē Epiſcopus, etſi primo quoq; tempore videre cupiebat, tamen ne in linguas hominum incurreret, ſe ſe continuit; & ad eum Martinum Pilſnenſem, Stanislaum Solicovium, & Clodavienſem Regis SIGISMVNDI AVGVSTI Concionatorem, Theologos ex Academia Cracovienſi, vt operâ eorum, aut unius eorum, qui ei magis placeret, in rebus fidei vteretur, deſtinavit. Rex ſibi Solicovium delegit, eumq; penes ſe retinuit: quo poſtea, quia Rex linguâ Latinâ vtebatur, & alios dicentes audiebat, per annos quinq; continuos Cōcionatore grato, & felici vſus eſt.

Peractis feſtis Paſchæ, *Rex* electus 18. Aprilis adveniens à Senatoribus & Nuntijs Equeſtribus, ante portam S. Floriani, in campo patente, die ſereno, & favente aurâ exceptus eſt; & per Epiſcopum Karnkovium omnium nomine ſalutatus: ad cuius orationem ipſe ore ſuo reſpondit: & tandem Vrbem & arcem, ſolenni quidem, ſed Henricanæ nihil ſimili, pompâ ingreſſus eſt: & tandem poſt diem octauam Paſchæ, cùm Archiepiſcopus Vchanſcius venire nollet, die Martis pro feſto, & in Templo S. Stanislai Cracoviæ in Arce, de more ab Epiſcopo Karnkovio, vnà cum Anna *Regina* coronatus eſt; cautione adhibitâ: ne ea res Archiepiſcopo Gneſnenſi tanquam *Primati*, ac *Regum* Coronatori præjudicaret; & in jureiurando *Regio*, de

ſalvo jure Ordinis Eccleſiaſtici in ſervanda pace inter diſſidentes de Religione conditione adiectâ; quam cùm Hæretici nollent, tandem in hanc formam conventum eſt; vt enuntiaretur ſalvum jus partium.

Regina priuſquam coronaretur, & Vxor Regis eſſe declararetur, juribus ſuæ Matris Bonæ, in quibuſdam Regni Poloniæ, Lithuaniæ & Mazoviæ fundis renuntiavit; & novam fundi inſcriptionem in terris Mazoviæ accepit.

Non deërant, qui Regem, aliam Vxorem ducere conſulerent, ſed Karnkovius vnà cum alijs mitioris ſententiæ Senatoribus, Reginæ authoritatem, quæ etiam in electione, priore loco nominata fuit, defendit, & incommodum potiùs aliquod ob ætatem, domeſticâ patientiâ ferendum, quàm vt Reginæ & Stirpis Polonæ contumelia fieret, & in rebus novis & imperfectis Rex & Regina peregrini ambo Regno præeſſent *Hæc Sulicovius.* Hic datur occaſio excurrendi, quòd Reſp: Polona, Sanguinem Regium ſummo in honore & reſpectu habuerit, & tantò magis ſi proles Regia remanſerit. *Sic Maximilianus Fredro, vbi ſupra fol: 4. ſcribit.*

Licèt verò Populo Polono ea eligendi poteſtas, vt Natis Regum poſthabitis, aliam in Domum ſceptra deferre poſſit, nec tamen fit; vt qui domi & in moribus Populi nati, reijciantur; ne ſic forſan minor Imperantibus paretur ſecuritas, & offenſarum in eligentem Populum detur occaſio, ſi alienæ Domûs ad purpuram quærantur Principes, poſtpoſitis, qui in aliquam ſpem ſceptrorum domi nati, quia è Regnantibus ſuſcepti; tum quòd merita Parentum digna in filijs ſceptrorum mercede allegare poſſunt. Sæpè verò fit; vt ea ſibi homines deberi credant, quæ falsâ ſpe devorârunt, ſi non obtineant, pro iniuria accipiant. *Hucuſq; Fredro.*

Sic *& Piaſecius in Chronica ſua fol: 71.* ſcribit. In altera etiam parte, quæ contra Auſtriacum ſtabat, non ſatis conveniebant Proceres: Moſcho enim & Piaſto iam ſepoſito recens fortitudinis meritorum, & in plurimos benefactorum memoria STEPHANI Regis ſatis promovebat, ne BATHORII excluderentur, cùm & more antiquo fuerit receptum, quantumvis liberè Rex eligeretur, Regi defuncto proximos ſangvine, & præſertim eius Fratris filios non præteriri. Sed Anna Regina fortiùs inſtabat pro Sororis ſuæ & Speciæ Regis Filio SIGISMVNDO (qui fuit poſtea Tertius eius nominis Rex Poloniæ poſt STEPHANVM BATHORIVM) adiuta non ſolùm operâ clientum, & Beneficiariorum ſuorum, quorum numerus tam in Sena-

torio,

torio, quàm Equestri statu erat ingens, sed etiam Jagellonij Sanguinis Majestate. Eius enim observantiam summam in istis populis vigere, praecipuamq; rationem illius haberi, omnibus anteactis Interregnis ipsamet Regina in persona sua fuit experta. *Hæc Piasecius.*

Et quamvis nulla vidit ætas posthabitum Regium Sanguinem, quòd in vtroq; sexu superesset, quin vel vltra Alpes vel maria ad scëptra quæreretur. Tamen post mortem Serenissimi JOANNIS III. Regis *Poloniæ*, licèt eius adesset non tantùm fæminea, sed & Mascula Proles; factio tamen Gallica, & quod magis mirandum sanguine iuncti, alijs omnibus promoventibus, tam ex Senatorio, quàm & Equestri Ordine, eandem vti inhabilem excluserant. Sed hæc intra parenthesim de Domo Regia: redeo ad incæpta de STEPHANO BATHORI. Coronationi Regis STEPHANI & Annæ nemo ex Lithuanis adfuit. Sed postea quod Joannes Chodkievicius Capitaneus Samogitiæ, & Mareschalcus Lithvaniæ jam in electione in partes Stephani, operâ Petri Zborovij Palatini Cracoviensis, cuius Sororem ante annos complures Coniugem habebat, concesserat; & cæteros Lithvanos *Polonis* se adiuncturos bona spes erat, quod & factum est. Nam Joannes Chlebovicius, Castellanus Minscensis cum aliquot alijs Lithvanis ad *Regem* venit, cumq; *Regem* tantùm Poloniæ consalutans, de iniuria à Polonis accepta, quòd eum *Regem*, Lithuanis exclusis, contra vnionis præscriptum, renuntiâssent, multis verbis agit, qui privatim cum *Rege* collocuti,& prudentiam ipsius meliore notâ conspicati, præterea & toti illi *Provinciæ* jus suum fore salvum, defensioq; contra Moschum promissa esset, non difficulter & ipsi, Regi se adiunxerunt, & suos omnes idem facturos esse polliciti sunt. *Hæc ex Solicovio.*

Piasecki autem in sua Chronica *à fol:* 2. Electionem & coronationem STEPHANI BATHORI sic describit. STEPHANVS gente Vngarus, STEPHANI BATTOR de Somlio (sunt alij Bathorei de Battor) Palatino Transylvaniæ ex Anna Telegdi filius, primùm ob insignem in re militari solertiam, post JOANNIS SIGISMVNDI ex Isabella Polona JOANNIS primi Ungariæ *Regis*, filij Transylvaniæ Principis mortem, favore *Prætorianorum* & Exercitûs Provincialis, cui eius Frater Christophorus Battor tunc præerat, reiecto æmulo Gasparo Bekesio, Principatum Transylvaniæ, *Anno Christi 1571. die 21. Maij* obtinuit, & deinde rem ipsius promovente Samuele Zborowski, sub illud tempus apud eum in Transylvania exulante, Rex Poloniæ fuit electus, *die 15. Decembris Anno Christi 1575.* postquam

Rex HENRICVS Valesius Gallus, sexto à suo in Poloniam adventu mense deseruerat hoc Regnum, defuncto *sub finem Mensis Aprilis Anno Christi* 1574. *ætatis suæ* 24. sterili Fratre suo germano CAROLO IX. Galliæ Rege, ad successionem illius Regni vocatus.

Et quidem sub illo Interregno divisis Procerum Nobiliumq; studiis, factio Zborovianæ adversa, elegerat alium Regem Poloniæ, nempe Maximilianum secundum Imperatorem Romanorum. Sed dum iste diutiùs deliberat, & Legatos ex Polonia ad se missos Viennæ Austriæ lento tractatu super conditionibus suscipiendi Regni, & de Anna Reginula Poloniæ, filio suo Archiduci Ernesto in matrimonium collocanda remoratur, Stephanus celeritate vtendum ratus, vt primùm pacta in Comitijs Electionis Regiæ *Varsaviæ die* 14. *Decembris* 1575. conscripta, & à Legatis Ordinum Poloniæ sibi proposita stabilierat, ac jureiurando Meggiesij *die* 8. *Februarij Anno Christi* 1576. firmaverat, magnâ festinatione in Poloniam veniens, ineunte *Mense Aprili ejusdem Anni* 1576. Cracoviam Regni sedem primus occupavit, & actis ibi generalibus Ordinum Poloniæ & Lithuaniæ Comitijs, suscepit Coronam & insignia Regni solenni ritu, sacra tantæ ceremoniæ procurante Stanislao Karnkowski Episcopo Vladislaviensi, eò; quòd Jacobus Vchanski Archiepiscopus tunc Gnesnēsis, Primas Regni, cuius hoc muneris est, Maximiliani partes sequeretur.

Peractâ autem Regiâ suâ inauguratione, Rex STEPHANVS mox omnes adversæ partis molitiones subvertit. Præsidium Alberti Łaski Palatini Siradiensis pro Maximiliano arcem Lanscoronam Cracoviæ vicinam & multùm infestam custodiens, intra paucos dies ad deditionem coëgit; armatorum turmas per Poloniam pro Maximiliano conscriptas dissipavit; vt ante istius anni 1576. finem omnes Poloniæ Proceres relicto Maximiliano, in eius obsequium concesserint: etiam Primas Regni, qui cùm Łouicij obfirmato pro Maximiliano animo hæreret, tandem intellecto, quòd ipsemet Rex STEPHANVS Varsaviâ Łovicium, & quidem cum militari manu eius declarationem requisiturus venire proposuisset, cunctatione omni sepositâ prævenit accurrens Varsaviam, ibiq; reconciliatus Regi jusiurandum fidelitatis præstitit, ac eius exemplo cæteri Episcopi, qui omnes fere præter Vladislauiensem Austriacis faverant, ad fidem obediëntiamq; Regis redierunt.

Sulicovius autem *fol:* 87: hanc accessionem Archiepiscopi ad STEPHANVM Regem sic describit. In Polonia vivente adhuc Imperato-

peratore, Archiepiscopus Vchanscius, authore & sollicitatore assiduo *Karnkouio* Episcopo Vladislaviæ, cùm à Maximiliano tardissimè res explicarentur, ut solet fieri in re, cuius auspicium non est à Divina voluntate, profectus se Regi subdidit, & ad eum Varsaviam venit: quod ei peropportunè cecidit. Rex enim iam iam Bolemonio Lovicium pedites suos Hungaros mittebat. Cum Karnkovius Episcopus, qui tum cum *R*ege Varsaviam proficiscebatur, misso ad Archiepiscopum Alberto Solicovio, qui tum Archiepiscopi familiaris erat, eum de præsenti periculo admonet, & meliùs etiam, quòd in hac animi obstinatione mortem Imperatoris non expectavit. Nepoti tamen eius Paulo Vchanscio non satis placida fuerunt initia *R*egis agnoscendi; etenim cùm pluribus comitatus peditibus armatis Varsaviam venisset, neq; *R*egem longo tempore vidisset, & non pauca de eo à *R*ege alieniora ad *R*egem perferrentur, aliquot eius pedites comprehensi & in vincula coniecti sunt. Quos ut herus liberaret, ad Regem accessit, & de iniuria sibi illata vehementer conquestus, vehementer etiam reprehensus, post correctionem suam implevit & fecit reverenter, quod alij fecêre libenter.

Solus Czarnkovius adversarum partium Legatione susceptâ apud Maximilianum Imperatorem hærens, eum ad persequendum armis jus electionis suæ incitare non desistebat. Tulitq; contumaciæ talis suæ justas pœnas, abdicatus propterea Præfecturâ Plocensi, ad Stanislaum Criscium Palatinum Mazoviæ & officio *R*eferendariæ Regni ad Nicolaum Firley Castellanum Biecensem translato. Et cùm post mortem Maximiliani Imperatoris (qui *R*atisbonæ *12. Octobris Anni 1576.* decesserat) sequestro Fratre suo Alberto Czarnkovio Præfecto Generali Majoris *Poloniæ*, veniam apud *R*egem STEPHANVM impetrâsset, paulò post iterum innovandis rebus deprehensus, majorem jacturam sensit, irritâ factâ à *R*ege adoptione (Coadiutoriâ usitato nomine) suâ ad successionem post Vchanscium Archiepiscopum Gnesnensem, & Zninâ amisâ, quam ex adoptione eadem possederat. *hæc ex Piasecio.*

Redeo ad Sulicovium. Imminebat *R*egno Cæsar, & fretus favore suorum, quos in Polonia habebat, tum verò Oratorum Polonorum precibus excitatus Comitia Imperij *R*atisbonam ad proximum mensem Iunium indixerat. Consilia igitur tum de *Cæsarianis* ad concordiam adducendis, tum de Cæsare à cogitatione *R*egni Poloniæ deducendo acta sunt. Cùm autem *R*egi STEPHANO non placeret, nomine suo quenquam ad Cæsarem mitti, ne jam in *R*egni pos-

ſeſſione poſitus, & Rex coronatus, & Reginam Vxorem habens, ſuâ cum illo diſceptatione ſuam dignitatem in dubium revocare videretur: ſed vt Senatores ac Ordines Regni potiùs aliquos mitterent, ſive ex medio ſui, ſeu ex ſecretarijs Nobilibus, qui non ſolùm Cæſarē adirent, & cum eo, ne Regnum jam quietum turbaret, agerent; ſed etiam Ordines Imperij compellarent, vt pacifica conſilia Imperatori ad mutuam pacem & tranquillitatem conſervandam, & temerè orbem Chriſtianum bellis non implicandum, darent. Eam ad rem delecti ſunt, Joannes Crotoſius Palatinides Inovladislavienſis, & Joannes Demetrius Solicovius, ambo Secretarij. Hi literis Senatûs & Ordinum ad Cæſarem & Principes acceptis, ſine magno apparatu (ita enim juſſerat Rex) Regis ipſius literis tantùm paſſus muniti, iter arripuerunt. Pluribus locis per Sileſiam impediebantur, ſed fortunâ animos eorum juvante, & patientiâ durum ſuperante, ita progrediebantur, vt Pragam incolumes pervenerint: vbi quoniam ſub id tempus etiam Polonici Regni cauſâ Præſide RUDOLPHO Rege Romanorum, Hungariæ & Boëmiæ, ac præſente Archiduce Erneſto, Comitia Boëmiæ agebantur, ad quæ nullas literas, nec mandata ſuorum habebant. Patefacto eorum adventu, nec tamen eis qui eſſent, apud eos quorum intererat, celantibus, à Rege per Scolourocium Valſtinum Vantembergium, & Wehinſcium ſalutati, & in media Comitia ingreſſi, Regem Romanorum & Erneſtum de ſuis perſonis ſalutârūt: & ijs quæ tum res poſtulabat, ore rotundo dictis, ſuâ ſuorumq; exiſtimatione ſervata, invidioſiſſimæ Legationis non infauſtum expediendæ bona initia dederunt. Rex enim Romanorum, ubi eos ad Cæſarem ſuum Parentem proficiſci comperit, ſatagebat, vt non Ratisbonam, vbi nondum Cæſar aderat, ſed Viennam ad ipſum Cæſarem, vbi is adhuc eſſe ferebatur, irent. Sed illis rectà Ratisbonam ſe malle reſpondenti, vt maturæ Cæſareæ Majeſtati adventanti occurrerent, neve ab eo in itinere exerrarent, ad diem ſedecimum, donec Cæſari de eorum adventu præſcriberetur, ſic volente & rogante Rege RUDOLPHO (qui mos eſt Principum vt rogent, quod habere volunt) Pragæ manſerunt, multoties à Proceribus illius Regni compellati, tâdem dimiſſi Ratisbonam venerunt, & Cæſar die ſequenti, Menſe Junio medio advenit. Pruſcovium primò deinde Francendorffium audientiam Polonici Nuntij apud Cæſarem petebant, ſed ea tam diu trahebatur, donec Moſchorum Legati advenirent. Alterò igitur die Nuntij Polonici ad Cæſarem accerſuntur, à Pruſcovio veteri ſuo amico Solikovius intelligere cupiebat, num publicam, vel privatam audienti-

dientiam apud Cæsaream Majestatem essent habituri: sed id etsi minùs obtinuissent, nihilominus animo præsenti, inter Germanorum & Polonorum greges sibi adversos incedentes, voculis etiam suorum dissimulatis, ad Cæsarem intrârunt. Ingressi, & salutato per Crotosium Imperatore, literisq; illi datis, Solikovius, rem ipsam aggressus, totum electionis negotium, vt res erat, longâ oratione Cæsari exposuit. Circumstabant Imperatorem, Wilhelmus Dux Bavariæ, & Albertus Łaski cum Christophoro Zborovio, ac Principum Germaniæ Legati, dum is verba faceret. Erant, qui antequàm diceret, gratius fore Imperatori suggerebant, si, quæ dicturi essent, potiùs in scripto exhiberent, sed illi maluerunt verba facere, quæ aliter accipi non poterant, & plus efficaciæ apud varios auditores habitura illis visa sunt, quàm scriptum, quòd á multis ignoraretur, tradere. Orationis contextum. *Vide apud Sulicovium fol: 73. cum sequ:* in qua totum negotium Electionis ut fuit, expositum est, & tandem petitum, vt sacra Cæsarea Maiestas tranquillitati & paci totius Orbis Christiani faveret; & libertatem omnibus liberis Nationibus peculiarem non invideret, & consilia contraria non audiret. Sinsecus fieret, non, possent Poloni, nisi pacem suam & statum præsentem Patriæ suæ, suasq; libertates, vitâ etiam ipsâ chariores, modis omnibus tueri ac defendere. Conquesti etiam sunt nomine publico de captivitate Andreæ Comitis Gorkani in Silesia à Corozbachio, & nece Gnoiowij ab Humienio Hungaro facta; rogando jus reddi injuriam passis.

Hunc sermonem Legati Polonici, Imperator, attento, & nihil mutante vultu audivit, & per Cancellarium suum respondit: se multò diversa ab alijs, qui Cæsaream Majestatem Regem Poloniæ renuntiârunt accepisse; & se suamq; electionem legitimè, etsi non ab omnibus, certè â majori parte Ordinum Regni factam esse ducere: verùm in re tanti momenti se deliberare & responsum clemens polliceri. De Gorcano & Gnoievio jus se dicturum via sua quærentibus esse.

Discedentibus à Cæsare Nuntijs, Christophorus Zborovius petere à Cæsare audientiam cæpit, quò ad verba Nuntiorum illorum minùs veritati consona respondere posset. Conversi ambo, & Crotosius quidem se vera dixisse & dicere respondit: Solikovius se non disputandi aut litigandi causâ cum privatis venisse; sed ad solam Majestatem Cæsaream, dixit: Igitur Cæsar, etiam cum quadam vultûs asperitate, quæ tamen illi rarissima fuit, Zborovium tacere jussit.

In diverſorium reverſis ipſis, Zborovius Crotoſium, miſſis ad eum tribus Nobilibus Polonis, ante Vrbem evocat, quòd intellexerit eũ ſibi minari, habere ſe quid cum eo loquatur. Quibus ille ſe ubiq; gẽium Zborovio ad omnia paratum eſſe, modò priùs legationem, quâ fungitur, abſolvat. quæ res cùm eſſet ad Imperatorem perlata, invidiam Zborovio conflavit, & Nuntijs vt eſſet pax, in omnibus cautum eſt. Venerat à Summo Pontifice Gregorio Decimo tertio Legatus, Vir magnæ authoritatis & prudentiæ, Cardinalis Moronus: hunc Nuntij adjerunt, ſalutârunt, & cum eo egerunt, vt nomine ſũmi Pontificis paci communi conſuleret, Cæſarem à *P*olonia armis petenda avocaret; & Regem jam Coronatum Regno libero relinqueret. Cardinalis cùm eos audiret, & multa præfatus de Summi Pontificis, ac ſua in Poloniæ *R*egnum nobile benevolentia & ſtudio; deq; Imperatoris bonitate humanitate, prudentia, ac ſingularibus virtutibus, ob quas, quodcunq; Regnum præſtantiſſimum, eum potiùs ſibi appetere *R*egem, quàm repudiare deberet. Tandem demiratus tam crebras Regum mutationes; poſtremò de *R*ege STEPHANO eiuſq; moribus, ac imprimis *R*eligione inquirere cæpit. Quem cùm Catholicum eſſe intellexiſſet, ac iam animum, per quoſdam ſuos Nobiles, ac Medicum, qui Solikovium ægrotum ſæpiùs adibat, præparatum habuiſſet, bono animo eſſe jubet, & ad omnia *R*egni Poloniæ commoda, & ſalutem procurandam, ac Nationem totam complectendam & fovendam, operam ſuam offert. Hinc alios adeunt, præſertim Cæſaris Conſiliarios. Fortè fortunâ orando apud Cæſarem Ordinum Imperij mentionem fecerunt, ſe nimirùm ad eos etiam mandata ſuorum habere: ſed cùm apud eos vel præſente Cæſare orandum eſſe intelligerent, illud magna cum injuria Imperatoris fore prævidebant: vel abſente, & tum ſe, ſi non Germanorum, certè Polonorum ipſorum alterius partis, altercationi, & contumelijs expoſitum iri putabant. Ideò ad Imperatorem dixerunt, ſe eò libentiùs Ordines Imperij non eſſe adituros, quò majorem ſpem habeant, ejus Majeſtatem ſuâ prudentiâ nixam, hoc tale negotium, non in cuiuſquam voluntate aut iudicio, ſed ex ipſius arbitrio ſitam, optato & ſalutari exitu terminaturam eſſe. Quæ res ut Imperatori placebat, ita *P*olonis fuit utilis. Quid enim attinebat cum Ordinibus agere? quando in dies ſingulos, non cum alijs tantùm extra Germaniam, ſed etiam ipſis Germanorum Principum Oratoribus multa etiam ſecretiora conſiliorum arcana communicabat: ex quibus hoc illis abundè conſtabat, Imperatorem quidem à *R*egno hoc aggrediendo

endo haud libenter superſedere poſſe: ſed à Germanis Principibus, ne dignitatem ſuam Cæſaream poſthaberet, illi perſuaderi, ſe omnibus auxilijs & opibus præſtò illi futuros. Satis diu illum, & multa ſuſtinuiſſe; tempus eſſe ignaviæ excutiendæ, & patientiæ tantæ aliquando imponendum finem. Cui ſententiæ etſi minùs adſtipularentur Brandeburgenſes & Saxones, tamen quia in eo & dignitatem Cæſaream, & gloriam totiùs Germaniæ ac ſalutem verti putarent; quò fortunam inclinare videbant, eò & favorem ſuum dirigebant.

Cardinalis autem ubi Cæſarem compellaſſet, & bellum illi diſſuadere vellet, ſuſpectum ſe illico Imperatori reddidit.

Tandem Nuntij Poloni vocati ad Imperatorem expediti ſunt, reſponſum illis ſcripto comprehenſum datum eſt, quod illi acceperunt eâ lege, ſi quid in eo contra mentem Ordinum Regni, à quibus advenerant, invenerint, ne ea res Cæſaream Maieſtatem offenderet, quòd tale reſponſum ad ſuos referre non poſſent. Quoniam autem indicio quodam ſecreto cognoverant, ſe non ſatis tutum iter in Patriam redeuntes habituros eſſe, literas paſsûs ab Imperatore petebant, ſed Imperator ore ſuo reſpondit: nihil periculi in ſuis ditionibus eis fore: quòd & factum eſt. Nam poſtea eodem quò diſceſſerant die, in pago Ducis Bavariæ tribus milliaribus à Ratisbona dicto Vatter cùm è navi ad noctem (nam per Danubium navi vehebantnr) in hoſpitium ſe recepiſſent, noctu coactâ ingenti aggreſtium multitudine, mandato Cæſaris capti, & Lincium deducti, ibiq; in Arcis habitatione una per quatuor menſes concluſi fuerant, ſparſo rumore, eos Turcas eſſe, qui nomine Bathorij Imperatoris vitæ inſidias ſtruxerunt. Condolentibus hominibus, qui eos videbant, neq; autem, (licèt linguam Germanicam noſſent) licebat illis quemquã alloqui. Cum Nobilibus tamen Cæſareis Aulicis, qui eos cum armatis deducebant, graviter de violato in perſonis Legatorum jure gentium expoſtulabant. Huius rei initium à Polonis eſſe datum, cùm Henricus Curczbachius Orator Cæſareus ad Pruthenos, ab Erneſto Vejero multis vulneribus affectus, captus & ſpoliatus ſit, de cuius etiam vita deſperaretur: quod ſi ille obierit, & ipſos non extra periculum eſſe: tradendos enim eſſe ſine dubio in manus Braineri, ac totius familiæ Curczbachanæ. Quos eorum minas etſi Poloni non multò faciebant, tamen dixerunt: ſi quid Vejerus peccavit, habere eum ſuum Principem, qui de eo jus dicturus eſſet: ſi verò pro Vejero pati innoxios, idq; Oratores publico nomine, non ad alium quemquam privatim, quàm ad Imperatorem ipſum miſſos, & longè in hoc Curcz-

bachio superiores, qui ad Gedanenses in rebellione confirmandos; non autem ad Regem Poloniæ, vel ad Senatum, aut Ordines Regni missus abijsset; sibi igitur imputaret, aut aliquis alius iniuriæ, si quæ iniuria, esset author quærendus; non ipsi, qui optimâ fide in negotio publico totius Reipub: Christianæ versati essent.

Erat tum Lincij *Præfectus* Losensteinus Vir senex & probus, & non lubenter in sua custodia *P*olonos habebat.

Frater etiam Solikovij Sigismundus Viennæ, Łaski Samuel Głocij cum literis ad Regem, Gorgovius Pragæ, familiares Solikovij, quos varijs itineribus terra præmiserat, capti fuerunt Ordines superioris Austriæ, quæ est supra Anasum, qui singulis mensibus judiciorum causâ, Lincinium conveniebant, & in Arce epulum sumebant, Polonos viserunt, & cum eis collocuti ad Imperatorem bis literas dederunt, rogantes, vt dimitterentur: bonam enim sibi vicinitatem cũ Regno Poloniæ necessariam; dissidium autem & bellum (quod absit) valde periculosum esse.

Captivi in Poloniam Regi STEPHANO & Senatui scripserunt, quæ tamen priùs ad manus Imperatoris literæ eorum missæ fuerunt; se Ratisbonâ à Cæsare benignè dimissos, sed in itinere captos, Lincij in Arce captivos detineri, nulla alia de causa, quàm uti fertur, ob Curczbachium captum, aut potiùs, donec eorum consilia de Regno maturescerent. Se quidem è captivitate liberari ocyùs cupere; verùm quidquid Rex cum Senatu in rem, vsum & salutem Reipub: faciendum decreverit, se omnia pro *R*ege & pro Repub: pati, & fortiter ferre paratos esse. Interea Imperator languere cæpit, & res quidem & consilia procedebant. Sed Vxor Imperatoris fæmina prudẽs, omnes vndequaq; literas ad Imperatorem missas ad se recipiendas; neq; ne Imperatori malè valenti animi dolorem afferrent, eas ipsi præsentari, aut legi volebat. Ergo accersitus RVDOLPHVS Romanorũ Hungariæ & BoëmiæRex ad Parentem, nomine eius semel atq; iterũ in consilium cum Ordinibus Imperij descendit, ubi cùm esset iterum ingressus Nuntius illi de morte Imperatoris Patris allatus, ab Ordinibus, & consolationis& Imperatoriæ dignitatis gratulationis occasionem dedit: itaq; è Curia Imperator salutatus descendit. Intra hoc tempus Kurczbachius captus sistitur, & datâ scriptâ sponsione de liberandis Regni Nuntijs, & Gorecio Palatino Sjradiensi, Lanckoronensi Vice-Capitaneo, qui in Arce quadam captus detinebatur, Ernesto Veiero ad Imparialem Cameram non evocando. Quodsi non perfecisset se rursum Regi STEPHANO ad festum S.Martini sistere debuit;

buit; missus æger animo & corpore, *Ratisbonam* ad Imperatorem Rudolphum reversus, literas dimissionis Lincio obtinuit, quas per suos amicos misit, ipsiq; Nuntij 29 *Octobris*, ex Arce in Civitatem dimissi, & tandem in Poloniam, inde Torunium ad Regem Comitia ibidem celebrantem pervenerunt. Et licet Maximiliano Imperatore morte ex hac vita sublato, STEPHANVS *Rex* indubitatus, omnia pro voto, jure optimo habere debebat, nihilominùs licèt ventus conquieverat, tamen fluctus nondum resederant. Etenim Gedanenses, partes Imperatoris, spe majorum libertatum illecti, secuti, licèt jam necessitas ipsa eos Regem STEPHANVM agnoscere cogeret, tamen etiam defuncto Maximiliano easdem vindicare, ac vsq; & armis extorquere nitebantur. Sed & hos STEPHANVS Rex ad obsequium brevi revocavit, *prout videre licet apud Sulicovium à fol: 89. & Piasecki in Chronica fol: 3. cum sequ:*

Contraxerat quoq; gravia odia STEPHANVS Rex, præsertim apud Zborovios, qui cùm in eius electione maiorem præ cæteris operam præstitissent, ex voto suo administrandum *Regnum*, & maximè beneficia distribuenda fore sperabant. Et cùm non nisi partium suarum Personas ad Officia promovendas obtruderent, contrariarum partium, quamvis meritissimos deprimerent; *Rex* naturâ ad virtutem propensior, eorum commendationes posthabere cæpit. *Vide Piasecki in Chronica fol: 5. cum sequ:*

Sed & alia causa odiorum fuit; quòd STEPHANVS Rex Joannem Zamoscium statim ab initio Regni sui adamavit; partim quòd electioni suæ favisset, partim quòd in eo magnam eruditonem & modestiam morum animadverterat. Hinc eidem Officium Vicecancellariatûs Regni detulit, *vt Piasecki ubi supra fol:* 6. Item Præfecturam militarem à Mielecio depositam (eò quòd Rex Ungaros milites familiariores habebat, & Ungari elati contumeliosiùs tractabant Polonos; & *Præfectis* militaribus Polonis ægreferebant) eidem jam Cancellario, præteritis veteranis militibus, præsertim Zborovijs, contulit. Et vt devinctiorem sibi redderet ei orbato interim Uxore *Radziviliana*, filiam Fratris sui Germani Christòphori Bathori nomine Griselidam matrimonio junxerat. Ex istis itaq; maiora odio in STEPHANVM Regem exarserunt, præsertim incitantibus Zborovijs, qui licèt jam ex proprijs infensis, satis in eum malevolentiæ concepissèt, alienas tamen potiùs divulgabant, & quæ viderentur ad publicam legum iniuriam pertinere, quàm maximè attollebant, vt eò plures in suas partes traherent, & legibus publicis patrocinantes, non su-

am sed *Reipub:* causam se agere probarent. Ac brevi animos Equestrium Ordinum in tantùm corruperant, vt nomen Regis, quasi Rempub: opprimere volentis exosum haberetur, & in Conventibus particularibus Terrarum, quæ antecedere solent generalia *Comitia*, nihil ad mentem Regis, nihil ad quietem publicam, sed omnia turbulenta concluderentur. Ad quòd Nuntij quoq; plerumq; homines factiosi, qui nimirum obstinatiùs tuerentur partes *Regis* contrarias, deligebantur operâ Zborovianorum. Multùm enim isti valebant consanguinitatibus; cùm vbiq; penè, etiam in Lithvania primarijs quibusq; agnationibus, vel affinitatibus coniuncti essent, & opibus pollerent, quas profusâ liberalitate dispensabat, maximè in exhibendis convivijs tantâ convivarum, idq; sine delectu Nobilium ac militarium frequentiâ; vt eorum mensa communis omnibus etiam egẽtioribus pateret. Et cùm jam studia Populi (vt ipsi judicabant) alienata esse à *Rege* viderent, etiam coniurationem, quâ eum *Regno* pellerent, vel tollerent concipiunt.

Nec segnior Zamoyscius in comparandis & firmandis Regijs suisq; partibus; fortissimum enim quemq; præsertim beneficijs & provisionibus Bonorum Regalium, quæ pene omnia sub hoc tempus, prout illi libuisset, Rex distribuebat, in suam clientelam attraxit militares omnes,& *Russiæ* fere vniversæ Primarij quiq; ipsi adhærebant, partim consangvinitatibus ei obstricti, partim necessitudinibus, quas cum multis optimatibus, & vetustioribus Prosapijs contraxerat: talium enim amicitias ille quàm maximè ambiebat & colebat. Et vt erat modestis & Civilioribus moribus, facilè omnes, qui non erant Zborovijs obligati, ipsum sequebantur. Maturiores quoq; & sanioris consilij Senatores ac Equestres, *Regijs* rationibus magis favebant, vt quem scirent innocunm, de Repub: gloriosè meritum & non nisi calumnijs confictis peti: Quod autem præcipuum Zâmoyscius erat in omnibus circumspectus, sagax, vigilans, vt illum nihil lateret, quidquid hostis moliretur; ac ministris industrijs felix, quorum operâ jussa eius strenuè & fidelissimè implebantur. Deprehensâ itaq; cõiuratione, proditione Alberti Długorai, quo optimo cytharedo familiaribus vtebatur Christophorus *Z*borowski, placuit vti compendio, & absq; graviori partium perturbatione, & ipsum caput coniurationis petere hâc ratione.

Adhuc sub HENRICO *Rege*, Samuel *Z*borowski, graviores inimicitias habebat cum Joanne Tęnczyński Castellano Woyniccensi, supremo tunc Cubiculi Regij Præfecto, quem fortuitò sibi ante Ar-

cis

cis Cracovienſis portam, obvium dum ferire nititur, ipſi proximo Andreæ Wapowſki, Caſtellano Præmislienſi ictum à Tęnczynio avertere conanti, lethale vulnus inflixit. Vocatus itaq; in jus ob tantum crimen (nempe ſub Comitijs, & in præſentia Regis patratum) cùm cauſam dicturus (non incerto capitis periculo) ſe non ſiſteret, ex uſu forenſi ſententia judicij Regis, nota pœnæ infamiæ ipſi irrogata fuit. Eſt autem vis pœnæ huiuſmodi, quòd is, qui ei addictus eſt, intra fines Regni degere prohibetur, alioquin à quocunq; impunè occiditur: Magiſtratus omnes, in quorum ditiones diverteret, eum tenere, & ad pœnam capitis ſervare obligantur. Vnde Zborovius iſte, cùm poſt promulgatam illam damnationis ſuæ ſententiam, tuto in Polonia conſiſtere non valeret, in Tranſylvania latitabat, ibiq; Stephano tunc Tranſylvaniæ Principi familiariùs innotuerat ac eum ſingulariùs demeruerat, navatâ ipſi in acquirendo poſt diſceſſum Regis HENRICI Regno Poloniæ optimâ operâ: Zboroviorum enim partes, quæ potentiſſimæ tunc erant in hoc Regno, prævaluerant in eligendo Rege. Fretus verò ille gratiâ Regis tanto obſequio ſibi devincti, cum ipſo in Poloniam redierat: & cùm nihilominus, quantumvis favore Regis fulciatur, notatus tali præſcriptione, lege vetante, intra Regnum morari non poſſit, literas ſecuritatis, ſeu liberæ in Regno manſionis (hoc enim vnicum beneficium Rex taliter periclitanti præſtare poteſt) à Rege obtinuerat ad paucos annos, vt interim ſibi partem læſam (nempè agnatos Vapovij cæſi) reconciliaret; ſed nunquam reconciliavit; præſertim Tęnczynio repugnante, qui eam iniuriam propriam reputabat, & non niſi ſanguine & capite ipſius Zborovij expiandam volebat. Contemptim etiam agebat ille, deſpectuiq; ducebat omnia, ac elapſo datæ ſecuritatis tempore, cùm longiùs ægrè obtinere poſſet, neq; petebat (nempè novandarum rerum, quas animo conceperat fiduciâ) liberius huc illuc commeant, palam vbiq; converſabatur, Rege & Magiſtratibus (vti diſſimulaſſent ad finem, niſi coniuratio interveniſſet) ſeu potentiam Zboroviorum metuentibus; potiſſimum autem morari ſolebat in Cracovienſi Tractu, Zamoyſcij tunc eius loci Præfecti juriſdictioni ſubiecto. Monet itaq; eum Zamoyſcius, vt cautiùs ageret, ac alio commigraret, inquiens: ſe eum in ſua ditione tolerare non poſſe lege vetante, quæ etiam Præfectum Regium loci cuiuſq; negligentiùs contra ſimiles proſcriptos agentem, ad pœnam vocat. Verùm ipſe ſprevit monentem, & magis oſtentans, quod nil timeret, turmas armatas circumducebat. Vnde Zamoyſcius veniens à Rege ex Lithva-

nia Cracoviam ad celebranda judicia, sua cum pernoctaret in Oppido **Proßowice** eum apud **Włodkowa** (Stadnicia genere sororis Zborovij filia) in proxima Villa **Piekáry** (Cracoviam præsente Zamoyscio ingredi decreverat) subsistentem misso Venceslao Vrowiecki cum satellitibus suis, nocte intempestâ sub finem Aprilis *Anni* 1584. comprehendi fecit. Comitatus ejus dispersus in vicinis Villis quiescebat, & ex paucis præsentibus. Vno qui arma arripuerat occiso, ac filio eius Alexandro, eò quòd bombardam explosisset levi tèr vulnerato, nullus obsistere voluit. Conductum autem ad Arcem Cracoviensem, Zamoyscius, custodiæ arctiori, nemini ad eum aditu permisso, tradidit; & ad Regem Nuntium expedivit pro informatione, num pœnæ capitis subijciendus esset? nempè quod ita lex publica requirat, vt Magistratus quilibet, Nobilem, quantumvis capitis reum capiens, nisi à Rege prius informetur, quid facto opus sit, in eum animadvertere, ac sine arbitrio Regis personam genere Nobilem capite punire non valeat. Interim dum responsum à Rege expectatur, varie laboraverunt diversi pro eliberando isto captivo: Nobilium Palatinatûs Cracoviensis Ordo frequens ad illa judicia Præfecturæ Cracoviensis congregatus intercedebat, vt tota causa ipsius ad Comitia Regni generalia remitteretur; & eius agnati offerebant pro eo decem obsides ex genere suo cum sponsione, quod eum ad Comitia stato die sisterent. Placârunt quoq; cæsi olim Andreæ Vapowski Viduam, sine cuius accusatione interfector ex more forensi non posse condemnari videbatur. Sed omnes istæ curæ nil profuerunt, & celeriùs nempè 15. *Maij* allatum informationis Regiæ ferale responsum, statim fuit denuntiatum Zborovio, vt domui suæ disponeret, demum colloquium expetentem Zamoyscius adhibito Magistratu suo Castrensi sub vesperam ejusdem diei convenit, exhibuit Regias damnationis literas, quarum præscriptum se præterire non posse ajebat, simulq; de conjuratione, quam ille cousq; ignoravit, fuisse detectam, multa expostulavit & quæsivit, in sequentis verò diei (Sabbatum fuit) primo diluculo Vicepræfectus Arcis cùm cohorte peditum armatâ, extra januam Arcis australem eductum, & minas (strofiolum porrexerat vni, ut intinctum in sanguine suo traderet filio, commoneretq; eum vindictæ) spirantem, capite truncari fecit, tantoq; silentio omnis illa executio successit, vt tum primùm sciretur, cum apertâ paulo post Arcis porta, cadaver illius publicè in feretro expositum jaceret; populo ex civitate catervatim ad tam inopinatum spectaculum concurrente. Castellana verò Cracoviensis

Jorda-

Jordanowa cum numerosa Nobiliorum Fæminarum caterva adveniens inter quærulosos eiulatus, illum truncum generi sui (filiam ipsius habuit vxorem) abduxit, lotumq; & assuto capite, togâ rubeâ holosericâ vestitum in domo Zboroviana (loco fori Cracoviensis Civitatis conspicuo) toto biduo visendum permisit, & inde post paucos dies sublatum, ad propriam possessionem conduxit Andreas Zborowski, Mareschalcus Aulæ Regiæ, qui mox cum magno comitatu venerat Cracoviam, & tamen nullâ quærelâ seu obtestatione (vulgò vsitato forensi iniuriam passis remedio) apud Acta publica factâ, præter quod in quatuor compitis fori Cracoviensis, Præconis voce obnuntiari curaverat, illum fratrem suum injustè damnatum fuisse, cum illo funere discessit. Neq; ulla tumultûs (ut aliqui ominabantur) aut commotionis indicia apparuerunt, licet Zamoyscius altero die post administratam illam justitiam in civitatem apud Episcopum Cracoviensem Petrum Myszkowski pransurus, ex Arce descenderit, & non semel transierit ad Templum Franciscanorum, juxta illas ædes Zborovianas, dum adhuc in eis funus illud hæreret. Imò conticuerant illius factionis omnes, postquàm rem seriò agi viderāt, & tantò magis cum ad proxima Comitia Varsaviæ indicta, Christophorus Zborowski alterum coniurationis Caput, ad dicendam causam læsæ Majestatis vocatus fuisset. Ibi enim quantumvis Nuntij Terrarum magna contentione, Regem à proposito eam causam juridiciali rigore examinandi avertere studuerint; (armata erant illa Comitia, ad quæ partium socij turmas militares conduxerant plurimas, & Rex auxerat suas cohortes Prætorias, quæ circa eius arcem assiduè toto Comitiorum illorum tempore, tanquam in castris excubabant) ille tamen, & cadaver Samuelis Zborowski, si (ad arcem Regiam Varsaviensem conducendum statuerant Zboroviani) adduceretur, in profluentem Vistulæ deijciendum forè renuntiārat; & Christophorum Zborowski, per Joannem Rzeczycki Instigatorem Regni, in Senatu de coniuratione accusatum, decreto Comitiorum, criminis læsæ Majestatis, damnari, è Regnoq; proscribi fecit. Atq; ita coniurationem illam futuram Reipub: Regiq; si maturuisset perniciosissimam, Zamoyscius, in herba, (vt ajunt) oppressit; dispendio tamen suo, nam exinde odia apud Zborovianos acerbiora, non sibi solùm, sed & suis posteris contraxit. *Hæc ex Piasecio à fol: 14. cum sequentibus.*

Sulicovius autem in commentario suo *fol: 145. cum sequ:* sic scribit. Indicuntur Comitia Regni Varsaviam hyeme proxima, *Anno Domini*

mini 1583. circa Natalem Salvatoris nostri. Ad quæ cum ex alijs Provincijs, tum ex Livonia à statibus Nuntij fuerunt ablegati, omnes benè sperabant, post recuperatam bello & transactione Livoniam, eam in bono statu collocatam iri, & bellorum præteritorum fructus fore amæniores, sed multa secus evenerunt. Erat inter capita propositionis Regiæ è recessu superiorum Comitiorum desumptum caput unum, de modo electionis Regiæ, quod pendebat indecisum. Jllud igitur etsi necessarium, & ab omnibus scitum fuerat, tamen quod à Rege proponeretur, in tantam suspicionem homines adduxit, vt persuasi essent Regem pro bellis hisce confectis loco præmij eò sua dirigere consilia, quò vel Andreas Batoreus Nepos eius, qui sub hoc tempus Cardinalis creatus fuit, vel Balthasar Frater eius aliquomodo Rex designaretur. Auxit eius rei suspicionem, quòd Rex ante Comitia, Stanislaum Karnkovium Archiepiscopum Varsaviam ad se vocabat, & cùm is ad Regem venire detrectaret, Rex ipse cum Cancellario Zamoyscio Łovitium venit, vbi liberaliter dies aliquot habitus est. Occupabat Zninam oppidum insigne Archiepiscopatus Gnesnensis, Stanislaus Sandigovius, Czarnkovius sibi nomine Coadiutoriæ Archiepiscopatûs, ab Vchanio olim Archiepiscopo datum. Eum ad Comitia illa Archiepiscopus Karnkovius citaverat, quam Czarnkovius citationem cùm Nuntijs Terrarum exhibuisset, ea illi occasione arrepta, cum Czarnkovio Regem & Senatum adeunt; de iniqua & à processu juris vsitato aliena citatione expostulantes, & cùm res in litem & judicia deducta esset, ita Comitia extracta sunt, vt invidioso illi de electione Regis capiti tractando loci & temporis nihil superesset. E Comitijs igitur rebus omnibus infectis discessum est, animis omnium ferè ad intima exacerbatis, & Rege non in minimam apud omnes invidiam adducto. Qui nihilominus ut aliquem Ordinem in Livonia institueret, ordinationem quandam priuatim conscripsit. Livones è Comitijs reversi tristia omnia denuntiant, & Solicovio alio translato (nam post mortem Joannis Srenienij Archiepiscopi Leopoliensis, ad eundem Archiepiscopatum nominatus fuerat) minus contenti; jam autem & Ernestus Vejerus in Prussiam recesserat, præsentem suum statum vti poterant, prudentiores tuebantur, & Radivilio locum tenenti obsecundabant. Sed & Rigensis Civitas à quodam Gisio homine peregrino ad seditionem concitata, in rebellionem recidit, cuius causa locum tenens, ex Arce Rigensi Vendam se contulit. Patres Societatis Jesu, præ tumultibus & violentia Civium, diu reluctante Magistratu in Arcem commigrarunt.

Aliquot

Aliquot viri præcipui Regij, Regiq; fideles, publicè à furiosa multitudine capite plexi, inter quos fuerunt Nobiliores, Gotardus Velingus Doctor, & Joannes Taltius, multi viri insignes fugâ sibi consuluerunt, & tota Gubernationis forma immutata est. E Comitijs tam infeliciter actis, Cracoviam se contulit Rex cum Regina, ibiq; Zamoyscio Cancellario Grijzeldem Bathoream Christophori Palatini Transylvaniæ Filiam nuptui tradit, & solennes nuptiæ aguntur, ad quas omnes Regni Senatores invitantur. His nuptijs multi Consiliarij adfuerunt, & Episcopi tres, Petrus Myszkovius Cracoviensis, Albertus Baranovius Præmisliensis, post mortuum Joannem Borucovium designatus, & Martinus Białobrzescius Camenecensis Abbas Mogillæ, qui novam nuptam è Transylvania adduxerat, & cum Cācellario copulaverat, spectacula multa & sumptuosa in ijs nuptijs èdita fuerunt.

Zborovij, Joannes, Andreas, & Christophorus cùm adessent, & Christophorus ex Germania reversus, per Cancellarium à Rege quatuor millium stipendium, quod olim Speruaginus Pruthenus in aula Cæsaris à Rege habebat, peteret, ac illi saltem media pars deferretur, in gravia utrinq; odia & tandem in fatalia Reipub: pericula ea res successu temporis erupit. Etenim Samuel, Frater Christophori Zborovius, quem ob necem Andreæ Vapovij Castellani Præmisliensis, HENRICVS Rex sententiâ suâ exulem pronuntiaverat, & hactenus Regis STEPHANI salvi conductus literas, quòd in Transylvania ei studuerit, & ipsius Cancellarij favore fovebatur, Rege in Lithuaniam profecto, Zamoyscij Cancellarij & tum Capitanei Cracoviensis; jussu propè Prossoviam captus, & Cracoviam perductus, demum capite plexus est. Paulò verò ante à Samuele, cum literis Christophori ad Samuelem ejusdem puer servus, sive suâ sponte vlturus ferociam Domini, sive à quopiam persuasus ad Regem effugerat, Literæ vim conspirationis habere videbantur. Quæ mors illius non solùm ipsius fratribus & familiæ luctuosa, verùm etiam Regno perniciosa fuit: Etsi enim Zamoyscius se per Officij sui Capitanealis fidem & integritatem, aliud cum exule, quem multoties per fratres eius, ne intra fines sui Capitaneatûs rogatus præmonuerit, facere non potuisse, multis etiam cum obtestationibus præsetulerit; tamen ea omnia, quæ hoc Samuelis supplicium secuta fuerint mala, abundè ostendunt minus opportuno Reipub: tempore id accidisse. Enimverò cùm Zborovij jam antea celebres, & Parentelis potentes, tam triste fratris sui fatum, atq; cum ijs Stadnicij omnes, ac Stanislaus Gor-

canus Comes Palatinus Posnaniæ, dolentissimis animis ferrent, locò sanandi vulneris, aliud novum Zborovijs illatum est. Rex Senatores per literas Lublinum ad proximum mensem Augustum convocat, ubi alijs, quæ de Repub: proponenda fuerunt, in publico propositis auditisq; Senatorum consilijs, in secreto consilio deinceps de Zboroviorum adversum se, suamq; dignitatem & salutem conspirationibus, ad eos refert, sibi in manibus eorum literas esse, à certo etiam & magni nominis Viro periculum sibi à Zborovijs imminens, ipso nimirum Archiepiscopo Gnesnensi denuntiatum esse, monens unumquemq, & rogans vt pro fide quisq; sua, quæ in salutem suam, ac totius Reipub: imò suam, ipsorum, propriam cuiusq; essent, quomodo huic malo absq; pernitie Reipub: occurrendum, & saluti communi, ac suæ securitati Regiæ & dignitati consulendum esset, sententias dicerent. Rem atrocem multis verbis, vt erat facundus à Rege propositam sententiæ Senatorum exceperunt, quorum illa convocatio erat frequens. Condolere omnes Regi & facti immanitatem, siquidem tale esse certò constet, exagerare; nihilominus quantò res grauior & majoris momenti esset, tanto majori deliberatione, & cōsilij maturitate in ea vtendum esse censuerunt. Aberat ab ea convocatione Karnkovius Archiepiscopus Gnesnensis, sive adversa valetudine domi detentus, quam literis suis apud Regem excusabat; sive certo suo consilio nixus, adfuturus tamen credebatur, si suum nomen in re tali à Rege editum iri scivisset. Adfuerunt Solicovius Archiepiscopus Leopoliensis, Petrus Myszkovius Cracoviensis, Victorinus Vierzbicius Luceoriensis, Albertus Baranovius Præmisliensis, Adamus Pilchovius Chełmensis, Jacobus Voronecius Kijoviensis, Episcopi. Comites Tęczynij Firley, & cæteri non pauci Palatini & Castellani, Cancellarius Zamoyscius, & Opalinscius Regni Mareschalcus, factionis Zborovianæ nemo, licet cognati quidam, qui se tamen immunes ab eorum factis profitebantur, adessent. Nemo in Senatu erat, qui in Archiepiscopi Gnesnensis nomine à Rege propalato, etiam ex ijs, qui minus Archiepiscopò favebant, graviter offenderetur. Archiepiscopi Leopoliensis mitiorem sententiam omnibus Senatoribus secutis, & ijs etiam qui secus sentiebant suam tegentibus & dissimulantibus, in aliam sessionem consilium dilatum est. Rege omnes denuò adhortante, ut in rem tanti momenti, quanti vix ulla alia esset, paratas jam ac magis expeditas sententias adferent, remq; usq; ad futurum Senatum secreto tenerent. Tertio die post (nam sequenti festum S. Bartholomæi Apostoli intercesserat) de-

nuò

nuo ad secretum consilium itur. Jllic Rex de propalato consilij secreto (fortasse vt acriores stimulos Senatoribus consilij explicandi, & animos retegendi adderet) obiter quæstus, denuo Senatores dicere sententias mandat.

Jtum in sententias & vota, & Sulicovius Archiepiscopus Leopoliensis in hunc sensum tulit: vt STEPHANVS Rex memor sit se Regni Poloniæ esse Regem, quod non armis acquisiverit, sed divinitus liberâ Polonorum voluntate adeptus sit, in quo Regno semper Reges populis amabiles, ac fide & benevolentia eorum tuti & muniti. Hinc factum esse, vt nunquam in hac gente Rex aut Princeps eius vllâ malignitate, iniquo aliquo fato occubuerit. Deinde cùm aliorum superiorum Regum, tum SIGISMVNDI I. mansuetudinis, clementiæ, & patientiæ exempla, in similibus vel aliorum erroribus, vel excessibus commemoravit. Nec præterijt & SIGISMVNDVM AVGVSTVM; Iulij etiam Cæsaris & Caroli V. meminit, qui proditorum & hostium suorum literas à suis interceptas, ad se verò allatas ne introspicere quidem sustinuerunt; sed vel eis, à quibus vel quibus erant missæ, reddi & tradi curaverunt; vel ipsis mortuis, ignibus corripuerunt. Et plura alia similia exempla adduxit. Hanc sententiam Sulicovij clementem & benignam multi secuti sunt, cæteri dixerunt, procedendum esse hoc in negotio diligentiùs.

Rex his auditis tertiò rogabat Senatum, vt sententias dicerent: Archiepiscopus permansit in sua sententia. Tandem quæsitum, an accersendi aut citandi essent? Archiepiscopus Leopoliensis accersendos; Cracoviensis Episcopus citandos esse suaserunt, cæteri variè varia proferebant, prout cuiq; visum erat.

Jtaq; Christophorus & Andreas Zborovii, ad futura Regni Comitia mandatis criminalibus ad instantiam Instigatoris Officij Regni citati sunt, Comitia autem ad futuram hyemem *Anni Domini* 1587. indicta, quæ fuerant STEPHANO Regi vltima. Zborovij ingeminata Domûs suæ vulnera, magis exulceratis animis ferentes, & nihil moderari passim præferentes, collectâ amicorum familiarium, militumq; non mediocri manu, ad Comitia Regni sese accingere (funus Fratris decollati Samuelis in mediam Ordinum coronam, cum filijs parvulis & pictura quadam, serieq; rei miserationem moturæ adducere, perhibebantur. Igitur Rex ex Lithvania septus numerosiore milite, & Cancellario cum non paucis copijs ei ante Varsaviam occurrente, ad Comitia ingressus est. Archiepiscopus Gnesnensis etsi se Lublini absentem à Rege his litibus intricatũ

indignè ferebat; tamen in omnia paratus, quæ pro Reipub: salute, sibi, aut ferenda aut præstanda essent, etiam advenit.

Jam verò fere omnibus locis Regni, in quibus Comitia Terrarum seu Palatinatuum præcedere solent, gravissimè tumultuatum fuit. Præsertim Russiæ in Conventu ad Visniam habito; Prosovicijs, & in Palatinatu Siradiensi. Citati fuerunt, ob turbatum Russiæ Conventum Stadnicij, Zmigrodenses ad judicium Regis: sed Archiepiscopo Leopoliensi deprecante, ne Rex vtriusq; partis culpam, cuius is spectator esset, alteri impingeret, ab altera transferret (quà in re etiam Archiepiscopum Gnesnensem sedulum astipulatorem habebat) citationes illæ criminales, quæ in Comitijs Regni iactabantur Nuntijs Terrestribus condonatæ fuerunt. Post Regis ad Comitia ingressum, diebus aliquot interiectis, Andreas & Christophorus Zborovij, cum Stanislao Comite Gorcano Palatino Posnaniensi venerunt, quos Ioannes Zborovius Castellanus Gnesnensis antecesserat, tum vt Regis Fratribus offensi gratiam quæreret, tum ut Senatorum & Nuntiorum animos sibi devinctos redderet, & fratrum suorum infelici causæ fautores conciliaret.

Inchoatis igitur Comitijs, & propositione eorum, quæ in consilium venire debebant nomine Regio facta, dictisq; à Senatu sententijs, & Nuntijs Nobilitatis ad sua tractanda remissis, causa Zboroviorum valvis præfixa. Christophorus voce præconis de more, ter, quaterq; accersitur. Instigator, accusatores, causidici, testes, munimenta, literæ, comparantur. Arx tota intus & exteriùs armatis repletur. In Senatu ipso Rex suis; Cancellarius, Mareschalcus, Palatinus Posnaniensis, quisq; suis à tergo vallabantur. Archiepiscopus Gnesnensis Regni Primas, salutis suæ, & Fratrum Episcoporum curã non deserens, suos licèt inermes, adstare voluit. Nova & hactenus inusitata in Poloniæ Regno judicij forma & facies apparebat: Nuntij Nobilitatis, cum rem tanto conatu & studijs partium intendi, & de libertatibus suis, illo, Regis cum subditis in causa propria judicio, agi viderent, omnes illi tali judicio præsentes adesse contendebant, quibus cùm responderetur, ad eos Iudicia Capitalia non pertinere; tamen, vt & ipsis æquitas judicij Regji plana esset & constare posset, vel omnes, vel aliquos, ab ipsis electos, qui Iudicio adessent, Rex admittendos censuit. Ita liberum fuit Nuntiis Equestris Ordinis, vel omnibus, vel qui vellent adesse. Non defuerũt sibi Zborovij in causa & casu suo tam gravi, & omnes Senatores, quorum æquitati confidebant, præsertim Archiepiscopos conveniebant. Igitur Gnesnensis,

Leopo-

Leopolienſi adhibito, ſæpiùs Regem adibant, vt ſe ad clementiam daret, ab eo impetrare volebant. Neq; Rex admodum difficilis fore videbatur, quin, ſi confeſſionem facti audiſſet, ac eius pœnitudine reos duci animadvertiſſet, cum eis benigniùs ſe proceſſurum reciperet: Joannes ipſe Zborovius Caſtellanus Gneſnenſis, judicio interveniens oratione demiſsâ Regem allocutus eſt: nè, miſertus Familiæ, de ſuis Anteceſſoribus, totaq; Repub: bene & fideliter meritæ; cuius etiam in ſeipſo fidei aliquod argumentum ipſe perſpexiſſet, eius reliquias opprimi, & peſſum ire, pateretur. Si quid peccatum aut aberratum eſſet à Fratribus, ætati & imprudentiæ, non autem malignitati tribueret. Nunquam Zboroviorum in Patriam, in certam, aut ſuſpectam fidem fuiſſe; nunquam id in gente Polona, fida & candida â ſæculo auditum eſſe, quòd machinationis ullius in ſuos Principes, aut Remp: Nobilium quiſquam accerſeretur. Si Frater Fratri privatas literas ſcribens, dolorem aliqua ex re conceptum, illi aperuerit, non continuò vim conſpirationis, verba doloris habere; non ſtatim perduelles habendum vtrumq; non ſtatim reum agendû aut peragendum. Ecce illos adeſſe, gratiam illis, & miſericordiam quærere, favorem & patrocinium Senatûs implorare; judicio cum Principe nolle contendere, ſatis jam pœnarum à Familia ſua luitum eſſe, cùm Frater ſuus ſine capite iaceat, qui ſi quid deliquiſſet, quod ipſe non excuſaret, ad Iudicium tamen Regis & Senatûs in Comitijs potiùs aſſervandum, & non privatim in illum animadvertendum fuiſſe. Sufficeret jam ſanguis unius, & ad hoc vulnus omnium non adderentur plura. Jam cætera ſe patienter laturos, & DEO, ac iniquis fatis ſuis, aut etiam peccatis acceptum laturos.

Ad quæ verba Joannis ZBorovij obortæ ſunt, & Senatui vniverſo & Nuntijs Terrarum lacrymæ, ita: vt gemitus multorum audirentur. Quâ tamen comploratione pene publicâ, non ſolùm nihil motus, ſed etiam ſuboffenſus Rex viſus erat.

Perſtante igitur in ſententia Rege, cauſa in judicium introducta. Patroni etiam, amici & affines Zborovij in conſpectum prodierunt: cum quibus erat Stanislaus Sandivogius, Czarnkovius, & Jacobus Niemoiovius Vir facundus, & magnæ apud Nobilitatem authoritatis. Qui ut Inſtigatoris Rzeczyccij accuſationem adversùs Chriſtophorum Zborovium attentâ aure excepit, præfatus ſe, non ut advocatum, ſed amicum citati in medium prodijſſe, & ne ob id, malam Regis gratiam iniret precatus. Omnia quæcunq; ad cauſam Zborovij ſuſtinendam; & Regem aut placandum, (quod quidem vnicè

ſtudebat) aut reum judicio capitali emancipandum, pertinere judicabat, de foro, delatore, citatione, evaſione juratoria, & alia id genus juris remedia adhibebat. Duravit hoc judicium non paucis diebus; & quæ Niemoiovius inducebat, decretis Regijs, tanquam cauſa diffugij præcidebantur Non deſiſtebat Archiepiſcopus Gneſnenſis & Leopolienſis Regem pro Zborovijs, ſingulis fere diebus adire & precari. Sed & Nuntij Nobilitatis magna ex parte Zboroviorum cauſæ faventes, per Kaſimirſcium Privilegium ALEXANDRI Regis Poloniæ, quo is actionem Regis cum Nobili certis terminis circumſcripſerat. Contra afferebatur, illud iam obſoletum & antiquatum eſſe. Et cùm poſt multas & varias diſceptationes, de eo Senatus fere omnis conſentiret: Nuntijs etiam, *R*egis & Senatûs nomine Archiepiſcopus Leopolienſis, Caſtellano Vilnenſi, Palatinis duobus & Caſtellano Podlachiæ ita ſatisfecit; vt & Nuntij in ea declaratione acquieverint, & concordes ad Senatum accedere eſſent parati, ſed in craſtinum à Rege ipſo dilato, neq; otio nonnihil poſtea variârunt. Poſt multas vtrinq; judicij ventilationes, & nullo jam ſubſidio Chriſtophoro Zborovio relicto, de ſalvo conductu Joannes Zborovius Regem & Senatum interpellat, quod etiam ab initio fecit, quem *R*ex in ſcripto conceſſit, modò vt ſe ſiſteret judicio, integrũ illi fore, accedere & recedere vſq; ad ſententiam definitivam. Salvus conductus ob Regis integritatem, vt verbis ita rebus validus, & nulla ex parte ſuſpectus videri poterat: Amicis tamen Chriſtophori ideo non ſatisfaciebat, quòd plenam recedendi facultatem non exprimebat, & ſententiam ita accelerari timebant, vt ei poſt vnicum acceſſum ampliùs vi literarum ſalvi conductûs facultas recedendi eſſe non poſſit. In his tractatibus, quidam familiaris Chriſtophorum Zborovium adit & tanquam rem certam cognoverit, etiamſi ſalvum conductum Regis habuerit, eum in media Arce antequam ad Regem acceſſerit, obtruncatum iri aſſeverat. Id à *R*ege negotij aliquibus datum eſſe, quod falſum omnino omnibus bonis viſum eſt. Quare Chriſtophorus nihil moratus, quale de ſe judicium fieret, ſummo manè cum non vulgari ſuo & amicorum comitatu, animo ferociente diſceſſit, & ſe in Moraviam contulit, quod Archiepiſcopos cùm *la*teret, ad *R*egem ingreſſis & adhuc pro Chriſtophoro deprecantibus, & pœnitentiam eius pollicentibus, ipſe Rex eum iam nec ſine declamationibus receſſiſſe, retulit. Et ſic in Senatu cùm in alijs aliorum tum in eadem cauſa, vti jus dictabat, proceſſum eſt, teſtimonia producta, audita, iuratum eſt, multa lecta, ingeſta etiam *hiſtoria* Saluſtia

na,

ná, de Catilinaria coniuratione magno auditorum tædio, ex scripto recitata, Niemoiovio jam patrocinium deponente, advocatis iam fessis Palatino Posnaniensi adhuc utcunq; facta m excusante, postea tamē absente & in hospitio se recludente, quod tamen Archiepiscopus Leopoliensis, pro sua cum illo amicitia graviter in eo reprehendit. Res Christophori desperato loco esse cæperunt. Præcipua quæ illi obijciebantur, fuerunt: conspiratio in necem Regis, quæ tamen ex literis ipsis, quæ publicè lectæ sunt, non satis clarè constabat; quam tamen Samuelis Zborovij ipsemet ante necem, omnis culpæ in Christophorum reiectæ confessione Instigator confirmabat. Item communicatio consiliorum cum Moschorum Duce, in Vrbe Lubeca cōtra Regem facta, & testimonijs quibusdam comprobata. Quin etiam puncta quædam à Moschico Nuntio accepta, & alia quædam, inter quæ, & insultus eius in Archiepiscopum Leopoliensem cum Crotosio, dum apud Imperatorem Nuntios Regni agerent, commemoratus fuit: Archiepiscopus Gnesnensis & Leopoliensis, tum Nicolaus Mielecius Palatinus Podoliæ, Regem ad Paternam & clementem correctionem à severiore animadversione in omnibus sententijs suis leniter avocare nitebantur: cæteri Senatores, vt quisq; vel in Cancellarium, vel in Zborovios erat affectus, ita sententiam suam dicebant, plures tamen in Regis & Cancellarij partibus erant, præsertim posteaquam Christophorus se à Comitiis subduxisset. Itaq; ejus contumaciâ ab Instigatore probatâ convictus eorum quæ illi obijciebantur, honore mulctatus est, octo fere Nuntijs Nobilitatis decreto illi obnuntiantibus, quod ante eum diem nunquam decreto Regio factum est. Comitijs tempore ipso à lege præscripto finitis, homines exasperatis animis domos quisq; suas repetierunt. Cardinalis Bologenetus Summi Pontificis Legatus, de jurisdictione, de decimis causam Spiritualium in ijsdem Comitijs defendens, infectis & imperfectis rebus Romam redijt. Causa Andreæ Zborovij Curiæ Mareschalci, nam & is citatus erat, in suspenso relicta fuit. Rex verò, nè quid Christophorus Zborovius exul ex Germania turbarum daret, Cracoviam ad quam sciebat Zboroviorum parentelas esse se contulit, & jus Civibus dicebat, & negotia Transylvanica tractabat. Postea in Lithuaniam discessit, & cùm bellum Moschoviticum mente agitaret, Andream Bathoreum Nepotem suum Cardinalem, Romam ad Sixtum Quintum Pontificem designat, & per eum de belli Moschovitici rationibus cum Summo Pontifice confert. Qui Summus Pontifex quanti Regem STEPHANVM faceret, cum alijs rebus per Oratorem eius,

Sulicovium Archiepiscopum Leopoliensem (qui cum professione obedientiæ nomine *Regis* & *Regni* ad eum Summum Pontificem missus erat) tum verò luculentissimo subsidio per Cardinalem illi ad exitum belli Moschovitici promisso abundè declaravit. Fuit jam *Annus Domini* 1586. quo & Rex ad futuri anni initium Comitia Regni Varsaviam indixerat, in quibus Andream & Balthasarum Nepotes pro Incolis Regni suscipiendos procurare intendebat, sed interea morbo correptus, quarto die postquam ægrotare cæperat, sub ipsos fere Palatinatuum Conventus, è vita *Grodnæ die* 12. *Mensis Decembris* migravit. *Hæc ex Sulicovio paulò longiùs desumpta sunt, sed lectori vt spero grata fore pro informatione.* Nunc ad inchoatam rem in similibus de electione Regis redeundo, quid in Conventu Andreoviensi, & successivè factum fuerit, ex volumine legum & Constitutionum adferre libet. Et imprimis successerunt.

LITERÆ SIGNIFICATORIÆ
De Electione Reginæ Infantis in Reginam Poloniæ, & Serenissimi STEPHANI BATHORI, Transylvaniæ Principis in Regem Poloniæ.

NOs Proceres Regni, & Nobilitas ex omnibus Palatinatibus congregati, huc sub Varsaviam pro electione *Regis* legitimè indicta, ad notitiam omnium & singulorum deducimus. Quia memores muneris & officij nostri in hoc loco iuxta jura & libertates nostras præscripto, accomodando se concordiæ & amori Fraterno, super quibus *Respub:* nostra consistit, de communi consensu; & concorditer talem in Regem eligere volueramus, ex quo, & defensionem, & iustitiam optimam habere possemus: cùm Monarchiæ, & Imperia omnia in his fundantur & conservantur. Quæ omnia præ oculis habendo; accepimus eiusmodi propositũ inter nos (Divino consilio nos conformando) vt ex Gente nostra possemus aliquam personam in Regem eligere: cùm extraneus, nec Rempub: nostram regere; nec officia *Regia* sua, tam facilè posset expedire, sed quia nonnulli ex Senatoribus, & ex Nobilitate Regni & M. D. L. contra hæc desideria & vota nostra, quæ nullas factiones, & practicationes inter se continebant, promovebant ex Domo Austriaca, vel ipsummet Imperatorem; vel Archiducem Ernestum, & nonnulli Archiducem Ferdinandum: Videndo quòd ex tali electione maxima pericula

Regno

Regno & Reipub: imminerent, id parti adversæ sæpiùs exposuimus, & omnibus alijs omissis, hoc in consideratione habuimus. Quòd eligendo Regē de Domo Austriaca, molem belli Turcici traxissemus; & quòd *absq;* dubio exnunc bellum indiceret nobis, maximè; quia pacta & fœdera cum illis habuimus, in quo Cæsar Turcarum, per Czausum & Taranovium nos aliquoties monuit: & Nobilitas Terrarum Russiæ, assiduis precibus nos fatigavit. super quibus multum temporis à nobis consumptum est, credendo, quòd difficulter ad hanc concordiam perveniri posset, nam & per scriptum, & per Episcopum Płocensem (nolendo ipsi os ad os loqui, respectu cuius multoties requisiti, fueramus) vt nominaremus personam hanc ex Indigenis, quoniam & pars adversa nominaverat Candidatos suos. Jtaq; vltra spem nostram, gratiâ Divinâ adiuvante, intra paucas horas in duas personas, hoc est Palatinum Sandomiriensem, & Palatinum Bełzensem concorditer consensimus. Et propter citiorem expeditionem & concordiam, cum hac nominatione nostra Candidatorū, misim⁹ vnum ex illis, vt quem magis proficuum Reipub: intelligerent, in Regem eligerent. Sed hæc nominatio nostra, minùs grato animo à parte adversa accepta fuit, sed pertinaciter Candidatum suum Imperatorem deserere noluerunt: & Nos invitos interpellârunt, & adduxerunt, vt ob bonum Reipub: ad conservandam mutuam concordiam, pro finali Candidatum nostrum deserere debuerimus: cùm nullus Candidatus, in diviso *Regno*, possit Rempub: optimè & pacificè rerere. Itaq; ad partem adversam misimus, vt etiam illa præter Candidatum ex Domo Austriaca nominaret, cum declaratione, quòd & Nos parati erimus cum suffragijs nostris ad electionem illius accedere. Verùm hæc omnia pars adversa surdis auribus audiebat, siquidem & *12. Decembris*, ex loco à jure designato pro electione *Regis*, & in quo Oratores Candidatorum & *Principum* externorum solent audiri, & alia negotia publica tractari, missis ad Nos Dominis Palatinis Sandomiriensi & Podoliæ, vnà cum Domino Mareschalco Regni, & nonnullis Castellanis Russiæ ad locum dissitum à nobis se interea contulerunt, militibusq; externis se muniverunt. Jllustrissimus quoq; Archiepiscopus Gnesnensis, eo tempore, quo Dominus Mareschalcus *Regni* cum alijs advenit, & conferentiam cum Nobis habuit, Maximilianum Imperatorem Romanorum, post horam & tempus in Comitijs electionis descriptum in pauco numero factionis suæ, in Regem nostrum nominavit. Cui nominationi, ibidem in instanti multi se se opposuerunt. Ex quo dolore & temerario pro-

gressu, qui nobis Equestri Ordini, & DD. Senatoribus Regni illatus est, qui in eadem sententia in nullam personam ex Domo Austriaca consentiebant, sed nobiscum concordes fuerunt, considerando, quòd eiusmodi factum sit contrarium libertati, factâ protestatione coram DEO & vniverso mundo, quòd hæc discordia non ex Nobis oriatur, initis salubrioribus consilijs ne liberam electionem Regis Nobis & Posteris nostris amitteremus, misimus ex eodem loco privilegiato è medio Nostri ad partem adversam, vt memores sint conscientiæ, & cùm videant privilegia libertatis rumpi, sese opponere velint; & quòd de aliqua nominatione *Regis* scire nolimus, vti contra Statuta, leges, privilegia libertatis, & in detrimentum Reipub: facta, nec eam agnoscere & comprobare velimus. Misimus etiam ad Oratores *Cæsaris*, ne distractum & divisum Regnum, cum detrimento libertatum nostrarum, ad conservationem totius Reipub: & totius Christianitatis pacem manutenendam, deferant. Sed & hoc medium apud partem aduersam in tanta calamitate nihil profecit. Vnde denuo recursum fecimus ad Candidatos nostros, vt vocem Dei, quæ per ora hominum concorditer exivit audiant, & vnus illorum diadema Regni sibi imponi patiatur, nec vocationem ex Spiritu Sancto provenientem contemnant. Quæ vota & desideria nostra nullus illorum acceptare voluit, offerendo vitam suam in alijs negotijs Reipub: Jtaq; Nos volendo libertates nostras conservare, elegimus in *Reginam* Serenissimam Annam, ex Progenitoribus de Repub: nostra bene meritis natam: addito ipsi pro marito Stephano Bathorio Palatino Transylvaniæ, & non alio, quem exnunc in *Regem* Poloniæ & M. D. L. & Provinciarum annexarum eligimus & nominamus, hominem (qui vt ex relatione gentis suæ habemus, domi, forisq; strenuus est) & multa cum illo accedere *Regno* possunt, siquidem Russicæ Terræ ex illa parte securæ remanebunt; & aliquis alius à proposito suo supersedebit, si aliquid contra hoc Regnum nostrum moliri velit: & sic ordo & negotia Reipub: per eiusmodi personam magnis donis à DEo qualificatam absq; dubio reflorescēt. Quæ studia nostra Serenissima Anna, & voluntatem tam Senatorum multorum, quàm & Nobilitatis grato animo accipiens, se & omnia sua in manus Dei, & tutelam Senatorum reddidit. Jam itaq; omnia ex ordinatione Divina fieri videndo, misimus Legatos nostros ad Dominum Palatinum Transylvaniæ, vt labenti Reipub: nostræ in tempore succurrat; & ad Regnum absq; mora veniat, conditionibusq; omnibus satisfaciat, jura omnia in genere & articulos, in electione

prima

Prima sub Varsavia conscriptos juramento confirmet, & si in Comitijs Coronationis suæ opus esset, idem præstet. Penes quem Regem nostrum concorditer electum & vnctum Dei stare, obedientiam juxta jura & libertates nostras eidem præstare, sub vita, honore, juramento & fide nostris promittimus; dignitatem & securitatem eius, vt decet Polonos erga Regem suum, tueri spondemus. Et pro maiori & firmiori effectu & executione præmissorum omnium Conventum *pro die 18. Ianuarij Anno proximo sub Andreovia constituimus*; pro quo omnes & singuli ex singulis Terris & Provincijs more bellico & militari venire tenebimur: declarando, quòd omnes & singuli firmiter stabimus contra illos, qui detrimentum & jacturam libertatis nostræ procurare voluerint, & vnum cum nobis sentire noluerint: aut aliquis Princeps externus, sub aliquo prætextu, coronam aut Regnum occupare, nobis vim inferre auderet. Hoc etiam addito, vt hunc Conventum nostrum sub Andreovia destinatum, Comitiola in locis consvetis præcedant, idq; ad eum finem, vt de tanto præiudicio & violentia Legibus & Privilegijs nostris ab Jllustrissimo Archiepiscopo Gnesnensi facta, sufficientem informationem omnes habeant, & de hoc Conventu nostro Andreoviensi omnibus innotescat. Jtaq; per Deum rogamus, & ex officio nostro Fraterno omnes hortamur, vt quilibet Nobilium, in persona sua sentiendo talem violentiam libertatibus nostris illatã ad eundem Conventum sub pœna in ijsdem Comitiolis statuenda veniat, exceptis Palatinatibus Podoliæ, Volyniæ & Bracłaviæ, qui ob pericula ibidem imminentia per Nuntios & Deputatos suos compareant. Tempus horum Comitiorum particularium in ijsdem literis significatorijs vnicuiq; Palatinatui & Terræ præfixum est. Et quoniam in tanta multitudine Senatorum & Equestris Ordinis in longum tempus iret, si singuli has literas significatorias subscriberent, & sigilla apponerent, deputati sunt, tam ex Senatu, quàm & ex Equestri Ordine, concredendo fidei illorum, vt illi nomine cuiusq; Palatinatûs sui easdem literas subscriberent, sigilloq; proprio munirẽt, quod & factum est. Quæ literæ significatoriæ electionis Annæ in Reginam & STEPHANI BATHOREI in Regem Poloniæ, tum & Confæderationis generalis Ordinum Varsaviensis, *die 15. Decembris Anni 1575.* in loco solito electionis sub Varsavia per Senatores & Equestrem Ordinem seu alias totam Rempub: Regni Poloniæ celebratæ, manibus Deputatorum proprijs subscriptæ & sigillis munitæ, ad Officium & Acta Castrensia Capitaneatûs Cracoviensis oblatæ & inscriptæ sunt, vt videre est in

 volu-

volumine Constitutionum, *à fol: 230. cum sequentibus.*

Tandem in Conventu prædicto generali Andreoviensi literæ vniversales, respectu defensionis & pacis publicæ *die 28.* Mensis Ianuarij conscriptæ sunt, & manibus Deputatorum vt supra subscriptæ & sigillatæ, ad Acta Castrensia Cracoviensia feriâ quartâ post Festū S. Dorotheæ Virginis proxima *Anno Domini 1576.* per Generosum Dominum Andream Firley de Dambrowica, Capitaneum Sandomiriensem Deputatum oblatæ sunt, & ad instantiam eius nomine totius Conventûs Andreoviensis in Actis Officij eiusdem Cracoviensis inscriptæ sunt, vt videre est in volumine Constitutionum. *fol: 235. cum sequ:*

Literæ Constitutionis Conventûs generalis Regni sub Andrzeiovo respectu defensionis communis.

NOs Proceres Regni tam Spirituales quàm Sæculares, & vniversus Equester Ordo, ex Palatinatibus omnibus huc sub Andrzeiowo congregati, ex assignatione temporis & loci in electione Varsaviæ Serenissimi D. Stephani Bathorei Palatini Transylvaniæ in Regem Poloniæ & Magni Ducatûs Lithuaniæ; similiter & Serenissimæ Annæ in Reginam Poloniæ & Vxorem prænominati Serenissimi Stephani: Volentes exemplo Maiorum nostrorum conservare libertates nostras, & maximè hanc, quæ est fons omnium libertatum nostrarum, hoc est liberam electionem Regis; contra quam inventi sunt, qui eam sibi solis & officijs nonnullis suis, contra jus scriptum evidens, & contra voluntatem maioris partis Senatorum Spiritualium & Sæcularium, tum quasi totius Nobilitatis appropriare voluerunt. Hinc nolentes esse degeneres Maiorum nostrorum, scientes quoq; officium nostrum Nobilium, & volentes posteris nostris, sanguine, labore, immensis sumptibus acquisitas libertates relinquere, defensionem communem tali modo constituere, necessitate stimulati debuimus. Et hoc considerando pericula tam ab externis, quàm internis hostibus Reipub: nostræ, quibus sub hoc tempus aliter certiùs & securiùs prospicere, & illis pro necessitate, alio modo occurrere non potuimus, nisi generali expeditione bellicâ totius Nobilitatis, quam juxta consuetudinem & jus commune, benevolè suscipimus, & decernimus pro hoc solo tempore. Et quoniam tempori & necessitati accomodare nos debemus, à consvetudine & jure scripto pro hac vice recedimus, id est quia has literas nostras, & constitutionem concorditer à nobis factam, pro duabus literis Restium aliàs **Wici/** habere

bere volumus, expectando jam parati, tertias à Dominis *Palatinis*, & vbi Palatini desunt, à Dominis Castellanis. Quodsi in aliquo Palatinatu præfati Dignitarij, *Regi* legitimè & liberè electo, contrarios se demonstraverint, & consequenter muneri & officio suo satisfacere noluerint: tunc Nobilitas illius Palatinatûs, congregata in vnũ locum, vigore huius Constitutionis & ordinationis nostræ, liberam facultatem habebit eligendi è medio sui vnam personam dignam, & ad exequendum munus illius Dignitarii idoneam.

Quilibet itaq; Dignitarius seu Officialis, qui vel iam hoc officium antea gessit, vel illi hâc constitutione & ordinatione, impositum fuit, tenebitur, vt ad denuntiationem Dominorum Ducum Exercitûs infra specificatorum, per vniversales literas suas, quæ more literarũ *Restium* debent transmitti & publicari, tempus Palatinatui suo competens statuat, quod sufficeret ad sistendum se in illo loco, in quo necessitas *Reipub*: exigeret.

Quam expeditionem generalem bellicam omnes, prout quisq; tenetur, in bello servire, obeat, sub pœnis in Statutis de expeditione bellica latis.

Nunc autem, quilibet Palatinus vnum è medio sui ad latus Dominorum Ducum exercitûs constituat, per quem Domini Duces, de periculis omnibus, certiores facere possint prænominatos Dignitarios & Officiales. Quæ tamen expeditio generalis bellica Nobilitatis non debet fieri, nisi in extrema necessitate Reipub: siquidem milites, tam pedites, quàm Equestres maiore ex parte iam conducti sunt & conducentur, adventusq; Serenissimi Regis electi brevi tempore speratur.

Et cùm videamus *Rempub*: nostram in tam magno periculo esse positam, quòd habeat hostes non tantùm externos, sed etiam internos & domesticos, contra quos (si à malevolentia sua non resilient, nec inclinabunt in partes nostras) tantò magis invigilandum Nobis est. Tum ideo; quia expeditio hæc generalis bellica Nobilitatis requirit, vt milites conducantur ad custodiam & securitatem Exercitûs; tum si aliqua necessitas accidat, quæ absq; expeditione generali bellica Nobilitatis non posset expediri, hâc Constitutione nostrâ ordinamus, vt ex quolibet Palatinatu, tam ex contributionibus, quàm ex pecunia, quam Serenissimus Rex electus in necessitatem Reipub: juxta promissionem Oratorum suorum quàm primùm mittere debet, milites in servitium Reipub: conscribantur, prout iam eiusmodi servitium susceperunt & suscipiunt. Et modò exnunc qui-

libet Palatinatus nominare debet personas, & numerum, qui hoc servitium bellicum statim suscipere velint, et si in defectu pecuniæ promissæ, necessitatem Domini Duces viderent, debent procurare, vt ex hac pecunia conducantur milites. Lustrum itaq; horum militum qui iam sunt parati, statim hic Cracoviæ coram Dominis Ducibus fiat. Palatinatus autem isti, qui milites suos conductos non possunt nunc præsentare, intra tres septimanas præsentent, & in loco per Dominos Duces assignato eosdem statuant, Ad quod lustrum Domini Duces debent Præfectos suos assignare & constituere. Nos autem omnes, qui ad hunc locum convenimus, spondemus nobis, exnunc versus Cracoviam ire, ad obviandum periculis illius loci, cuius maxima consideratio debet esse; ita tamen, vt homines minùs necessarij non diù ibi morentur. Domini autem Duces DEO Adiutore, tenentur securitatem Reipub: ex omnibus partibus juxta prudentiam & dexteritatem suam prospicere, ne hostis tam internus, quàm externus Rempub: corrodat; præter hos homines, & loca, qui & quæ sunt, aut erunt, sub regimine, & directione Domini Ducis Campestris.

Ad quod quidem officium pro hac vice sola, in tali necessitate Reipub: virtute totius Reipub: vnanimiter constituimus Dominum Stanislaum Grabia de Gorka, & Dominum Stanislaum Cikowski Succamerarium Cracoviensem, quorum prudentia dexteritas, generis nobilitas omnibus & singulis nota est, spem bonam habendo, quòd illi ex munere hoc sibi concredito, pro amore erga Patriam, curam & solicitudinem subire, imò si necessitas postulaverit, etiam sanguinem suum effundere non detrectabunt. Pro quo à nobis omnibus gratitudinem, à Serenissimo Rege electo præmium, promoventibus, Senatu & Nuntijs Terrestribus, in Comitijs proximis Coronationis referent. Similiter & isti, qui nunc pro amore Patriæ, vitæ & bonis suis non parcunt, in manus & fidem Reipub: quæ illos non fraudabit, accedente curâ Dominorum Senatorum, & commendatione DD. Nuntiorum Terrestrium, indubitatum præmium recipient.

Salarium militi Regni, pro quolibet quartuali anni, pro vno equo, viginti florenos Polonicales; militi pedestri pro quolibet quartuali anni, decem florenos assignamus. Qui autem haberet longam bombardam, Domini Duces Exercitûs determinabunt quale stipendiū habere debeat, Dominis autem Ducibus ad hoc negotium electis, pro salario, cuilibet illorum quatuor millia florenorum tam ex Thesauro Regni, quàm ex pecunia à Serenissimo Rege electo promissa, assignamus.

Et quia

Et quia multi reperiuntur, qui pecuniam respectu servitij bellici accipiunt, ideo ex officio suo, sub tempus expeditionis generalis bellicæ totius Nobilitatis, quilibet illorum tenebitur **przy poczcie swoim/ drugi poczet stawić/** & id Dominis Ducibus denuntiare.

Nolendo quoq; homines difficultare, & ad damna adducere, aut in judicijs procrastinationem & moram facere, constituimus hoc, vt contra milites servitium bellicum Reipub: subeuntes, citatio cum termino sex septimanarum ante terminum ponatur, pro quacunq; injuria ad judicium competens, præter, si respectu debiti ad inscriptionem seu chirographum citaretur: pro quo Dominus Dux ex *Præfecto*, Præfectus ex Cōmilitone administret justitiam.

Item, ad quem locum milites, pro necessitate Reipub: ex dispositione Dominorum Ducum, venient, in illo loco victualia, & aliæ res, non maiori pretio, quàm ante adventum illorum vendebātur, vendantur, Dominus Palatinus vel Castellanus illius loci prospiciat. Jsti autem milites, juxta pretium & valorem constitutum tam victualia, quàm alias res emant, neminem compellando, vt hoc illis respectu stationis detur. Domini quoq; Duces stationes militibus assignent, nullo discrimine personarum servato.

Pro conditione autem istius militis, & solutione stipendij (prout superiùs præmissum est) non parcendo sumptibus nostris, ob bonū commune & conservationem integritatis Reipub: & Patriæ nostræ charissimæ, tum libertatum nostrarum, consensimus omnes in contributionem, quæ in Comitijs electionis *Regis Varsaviæ* fuit constituta (quam præsenti nostro Conventu confirmamus & approbamus) qualis Lublini in Comitijs generalibus *Anno 1569.* fuit constituta, eiusmodiq; Constitutionis literas vniversales in omnibus approbando, volumus; vt Exactores à Nobis deputati, juxta tenorem illarum se gerant, tam in exactione, quàm in alijs ibidem expressis. Nihilominus, habendo respectum justum in Fratres nostros, qui hisce temporibus in Terra *Russiæ*, Podoliæ, Wołyniæ, & Bełzensi sunt depopulati; omnes tales, quorum bona notabiliter sunt depopulata & devastata; à contributione præsenti liberamus.

Exactio autem harum contributionum debet inchoari feriâ secundâ proximâ in quatuor septimanis: solutio autem debet fieri in spatio duarum septimanarum; quoniam pro solvendo stipendio militibus id necessitas expostulet, vt quàm primùm pecunia congregetur.

Ducillarum proventum liberum erit Exactoribus, locare in Civitati-

vitatibus juxta antiquas quietationes. Justum enim est, vt Civitates videndo tantam necessitatem Reipub: quàm primùm, juxta antiquas quietationes persolvant, & postea paulatim exigant. Quod vt fiat, Domini Exactores omnem diligentiam adhibeant; & eandem contributionem eo modo & ordine (vt supra specificatus est) fideliter & justè ab omnibus exigant, & non in aliud, nisi pro necessitate moderna Reipub: convertatur.

Calculum eiusmodi exactionis, Domini Exactores, vel eorum Successores in Comitijs proximis, coram Senatoribus & Nuntijs Terrestribus deputatis, tenebuntur facere. Excipiendo hos Palatinatus, qui sibi harum contributionum distributionem liberam, & electionem Exactorum in Comitiolis suis (prout Palatinatus Ravensis, Brestensis, Inovladislaviensis, Terra Dobrinensis, Palatinatus Lanciciensis, Belcensis & Podlachiæ) reservârunt.

Insuper ordinamus, vt retenta omnium contributionum præteritarum, quæ pro necessitate Reipub: tam vivente SIGISMVNDO AVGVSTO defuncto Rege nostro, incipiendo *ab Anno 1569*. Lublini in Comitijs generalibus, quàm post mortem illius tempore Interregni laudatæ; à tempore moderno, ad proxima Comitia Coronationis Regis Nostri electi omnes retentores, in toto, juxta præscriptum literarum vniversalium præteritarum, ad manus Domini Thesaurarij Regni, reddere, & effectualiter exsolvere sub pœnis in ijsdem literis vniversalibus expressis & descriptis, tenebuntur. Et hoc ideo; vt in vna Repub: omnes viventes contribuamus, & eidem serviam⁹. Exactores autem, qui ad hoc usq; tempus neglexerunt reddere, ad Iudicia Castrensia hæc, sub quibus manent, absq; vlla mora, & post publicationem harum literarum nostrarum vniversalium, ad manus Dominorum Capitaneorum, tenebuntur reddere, vt intra hoc tempus Coronationis Regiæ, juxta tenorem in literis vniversalibus, super illis executio fiat.

Jidem Exactores & successores illorum, cum restis, & numero contributionum, non expectando adcitationem, sed satisfaciendo ordinationi huic modernæ vnanimiter factæ, tenebuntur in Comitijs Coronationis futuræ comparere, & calculum coram Domino Thesaurario & Deputatis tam ex Senatu, quàm & ex Equestri Ordine facere. Et ad maiorem fidem & certitudinem horum omnium, sigilla horum, qui ex quolibet Palatinatu deputati erant, apposita sunt cum subscriptione uniuscuiusq; Deputati manu propria. *Actum & datum in Conventu generali Andreioviensi die 28. Mensis Ianuarij, Anno Do-*

no Domini 1576. Quæ literæ ad Acta Capitanealia Cracoviensia erant oblatæ, feriâ quartâ post Festum S. Dorotheæ Virginis proximâ Anno Domini 1576.

Tandem subsecuta est Confœderatio Electionis STEPHANI in Regem Poloniæ, prout in volumine Constitutionum fol. 239. videre licet, tenoris sequentis:

NOs Proceres Regni tam Spirituales quàm Sæculares, qui in personis nostris huc convenimus, nostro & Collegarum nostrorum, qui per literas, suam absentiam excusando, Ordinationem Varsaviensem circa electionem Regis approbando, & consilium respectu ulterioris progressûs denuntiando, & omnibus constituendis per Nos assentiendo, miserunt, & totus Equester Ordo ex omnibus Palatinatibus Regni; ordinem quem in hac difficultate Reipub: fecimus, omnibus & singulis ad notitiam deducimus per articulos infrascriptos. Jmprimis agnovimus hoc & agnoscimus Fratribus nostris charissimis, qui Varsaviæ de libertate omnium nostrorum communi **zá pátli/** quòd Conventus iste noster Andreoviæ per literas vniversales indictus fuit & est ex magna & repentina necessitate constitutus, sicut idem in omnibus Conventibus particularibus Palatinatuum laudatum & approbatum est. Per quam indictionem Conventûs, non solùm nihil juribus, libertatibus nostris derogatum est, sed quoq; pro validitate & corroboratione illarum multum additum est. Existimando & fatendo id esse legitimum, quod pro salute Reipub: fit, quæ ipsa hominibus & temporibus mandat, & regulam facit, quibus Fratres nostri, qui huc ex justis causis & rationibus non venerunt, non solùm non offendentur aut ægrè ferent; sed etiam nobis & posteris nostris gratias agent, dum libertas communis conservabitur. Et nos qui huc convenimus, non tantùm agnovimus iustum & necessarium, sed Deo gratijs actis, qui hoc cordibus illorum infudit, vt ad nos se referrent laudamus, gratias agimus, & posteris nostris id mandabimus, vt Dominationibus illarum, pro hac gratia, cura, labore, quem in conservatione liberæ electionis Regis subierunt, omnẽ gratitudinem exhibeant.

Agnoscimus, quòd DEVS Omnipotens Nos diversis interpretationibus punivit, & justè pro peccatis nostris, nihilominus quòd in gratia sua, non in iracundia nos visitat, inde signum sumimus, quòd tantam multitudinem nostram ad sananda nociva vulnera repentè &

cum tanto ſtudio provt videmus, per hoc medium, quo nobis melius & voluntati eius accomodatius adinveniri non poterat, convocavit. Et optabamus hoc, vt Domini Frares noſtri nonnulli diverſum ſentientes ad Nos venirent, & cum Nobis fraternè convenirent, remanendo penes jura & libertates, & præcipuè, quia ipſi in ſcriptis ſuis, in judicium omnium prudentum, & quorum intereſt, notitiam omnium habere retulerunt & acclamârunt, hinc ſperabatur adventus illorum; quandoquidem omnes alij ſtando circa libertatem communem, in quorum conſortio & Nos ſumus, qui in domibus noſtris reſidendo, electioni Regis non adfuimus, ad nos recurſum fecerunt pro confirmatione libertatis communis, animadvertendo iuſtum progreſſum ſuum. Sed quia id non eſt factum, Nos debuimus in hoc negotio procedere vlteriùs. Accommodando nos itaq; neceſſitatibus *R*eipub: periculis imminentibus,& deſiderijs omnium, quòd tam diù abſq;Rege,ſine defēſione effectuali & adminiſtratione iuſtitiæ, nihil agendo vel aliquid novi ſtatuendo, ſed ſolùm circa literas vniverſales à Fratribus noſtris Varſaviæ conſcriptas, in bonum ordinem reducendo & præ oculis habendo, mandavimus omnes tollere literas Comitiorum particularium, omnium Palatinatuum & Terrarum, ex quibus compertum eſt, quòd in omnibus Palatinatibus, omnes progreſſum Fratrum noſtrorum, qui Sereniſſimam Annam,(volendo omnem gratitudinem præbere & exhibere Regibus Poloniæ feliciter nobis regnantibus,) pro Regina, & Dominum Stephanum Bathori Palatinum Tranſylvaniæ, pro Rege elegerant, laudant; & contrarium progreſſum damnârunt, nec illi velle (vti contra leges & libertates factum) parere.

Propterea Nos authoritate Conventûs iſtius, ſciendo, quòd iſtis temporibus, Deus *R*eges non dat per manifeſtam vocationem, prout antea, per inſpirationem ſuam, corda & mentes hominum inclinando, vidēdo etiam omnium Fratrum vnanimia vota & ſuffragia, credēdo quòd vox populi, vox Dei eſt: conſiderando & hoc, quòd non poteſt nominatio, aut publicatio alicuius dare nobis, ſed conſenſus omnium in quo conſenſu, tanquam in fundamento, nominatio & publicatio conſiſtit, ridendo & hoc, quod inordinatè, non in loco privilegiato & præſcripto, nec tempore competenti hæc publicatio & nominatio facta ſit contra diſſenſum maximæ multitudinis Ordinum. Ex his & alijs rationibus ſimilibus progreſſum electionis Regis à parte adverſa factum non agnoſcimus, nec acceptamus vti contrarium juribus & libertatibus communibus. Electionem autem

Domini

Domini Palatini Transylvaniæ, quem pro marito addidimus Serenissimæ Annæ (quod felix faustumq; sit) approbamus. Hoc addendo: quòd Serenissima Anna, post benedictionem matrimonialem in Ecclesia, ante coronationem, cum consensu Serenissimi Regis mariti sui, debet facere recognitionem, resignando Reipub: omnem successionem suam, quæ intercedere, vel aliquam controversiam in posterum possit facere. Penes quem Regem nostrum à nobis legitimè & concorditer electum, & vnctum Dei stare, obedientiam iuxta præscriptum juris & libertatum nostrarum præstare, sub vita nostra, honore, fide, & juramento nostro promittimus; dignitatem eius & securitatem prout decet Polonos fideles, & virtuosos tueri. Et si aliquis cuiuscunq; conditionis inveniretur contrarius, jam deberemus existimare illum vim Reipub: adferre velle, & contemnendo omniũ consensum, sensũ suum sequi, & solum sapere: cùm nec charitas Christiana, nec justitia Divina hoc patitur, vt nos omnes, propter decimam aut centesimam partem debeamus perire. Et qui contra hũc sensum nostrum homines externos, aut domesticos conscriberet, tumultus, seditiones, factiones, conventicula faceret, pecuniam ab istis ad eum effectum acciperet, dum esset Incola Regni, rumpendo hunc consensum nostrum communem, contra talem omnes & singuli vti contra turbatorem pacis publicæ & hostem Patriæ consurgere promittimus & spondemus. Pro quo instigare tenebuntur Domini Nuntij Terrestres Palatinatuum ad Comitia Coronationis electi, vt in ijsdem Comitijs ante omnia executio cõtra tales fiat, per decretum S. R. M. & Ordinum Reipub: juxta præscriptum juris contra perduelles Patriæ, & juxta modum laudatum à Palatinatibus: vt adversarij intelligant, quòd ad istam austeritatem & acritudinem cauteriorum non libenter devenimus, & ideo propter bonum pacis authoritate istius Conventûs, moderavimus & distulimus rigorem judiciorum Capturalium, quem Palatinatus & Terræ constituerunt contra hos qui se absentarent à Conventu isto. Hoc tamen ita declarando: si aliquis admonitus & avisatus ex hoc Conventu omnium Civium Reipub: à proposito suo malevolo noluerit recedere, & supersedere, sed Rempub: turbare, nec cum nobis sentire voluerit, executio, contra tales authoritate & virtute moderni consessûs fiat, cuius consessûs authoritate præsentis nostri, monemus, & fraternè rogamus. Protestando coram Deo, quòd parati eramus omnia facere ad communem concordiam & consensum prout decet Fratres cum Fratribus, & sanguine iunctis procedere.

Et quoniam iam ex Dei gratia, ex unanimi consensu, & concordia nostra habemus Regem, vt electio effectum sortiatur, constituimus Comitia Coronationis eiusdem Serenissimi Regis nostri *die 4. Martij*, quo die & matrimonium inter Serenissimum Regem electum Palatinum Transylvaniæ, & Serenissimam Annam celebrabitur. Nec alio modo coronatio debet fieri, nisi præmisso & celebrato dicto matrimonio, & satisfactione Pactorum Conventorum cum Legatis & Oratoribus Domini Palatini Transylvaniæ & confirmatione eorundem Pactorum Conventorum, mediante juramento.

Et ne aliqua difficultas vel dubium oriatur, curavimus vt ex parte Serenissimæ *Reginæ* de consensu omnium Ordinum detur plenipotentia ab eadem Serenissima *Regina* Legatis, (qui Serenissimum Regem in limitibus Regni salutabunt) ad contrahendum matrimonium, vt ibidem sponsalia de præsenti expediantur.

Ad Comitia autem hæc Coronationis Domini Senatores & Officiales Regni, & aliæ personæ ad hunc Actum pertinentes tenebuntur omnes venire, prout rogamus & hortamur, vt consulendo bono Reipub: & obviando casui eiusdem, absq; mora officio suo debito satisfaciant. *Respectu* cuius, omnes hâc ordinatione nostrâ certiores facimus; non referendo nos ad aliam denuntiationem & intimationem.

Similiter Nuntios Terrestres, quos Palatinatus hîc præsentes exnunc elegerunt; illis autem Palatinatibus, qui per Nuntios negotia hîc tractant, Comitiola ad eligendos Nuntios constituimus, in quibus non poterunt quidquam statuere contra hanc ordinationem nostram, & processum circa nominationem & electionem *Regis* à nobis factã, sed solùm Nuntios & Deputatos eligere & mittere, & necessitates, quas in commodum Reipub: deberent committere, & illis recommendare. Principes Feudatarios, & Civitates ad hunc actũ pertinentes certiores facimus, & ijsdem denuntiamus literis vniversalibus authoritate totius Reipub: Conventûs moderni, ut tempestivè conveniant pro hoc Actu Coronationis.

Quantum attinet ad securitatẽ publicam tam internã quàm externã, eidem jam ex possibilitate nostra & necessitate *Reipub*: prospeximus, & literis vniversalibus nostris descripsimus.

Visum nobis quoq; est, propter dignitatem Regni & Serenissimæ *Reginæ*, mittere ad eandem: quandoquidem & alij Palatinatus in Comitiolis suis statuerunt idem, denuntiando suæ Serenitati voluntatem & ordinationem nostram in Conventu generali Varsaviensi,

vt Cracoviam discedat, & ibi coronationem suam & mariti sui ab omnibus nobis electi expectare dignetur,& ad hanc deductionem Serenissimæ Reginæ elegimus Dominũ Joannem de Sienno Castellanum Zarnoviensem (promittẽdo, quòd omnes apud Serenissimum Regem instabimus, vt ipsi conferat Castellaniam Sandomiriensem, ob merita præstita ab illo Reipub:) Dominum Castellanum Racinensem, Dominum Cancellarium Supremum Regni, & Dńum Mareschalcum Curiæ Regni. Ad salutationem Serenissimi Regis in limitibus Regni, nominamus & rogamus Episcopum Cracoviensem & Episcopum Præmisliensem, Dominum Palatinum Sandomiriensem, Dominum Palatinum Russiæ &alios Senatores, & Officiales vtriusq; Gentis, vt quàm honorificentissimè Serenissimum Regem electum recipiant & deducant: non habito respectu absentiæ vnius vel plurium, sumptà tamen informatione à Legatis Regni ad Serenissimum Regẽ electum missis, an omnibus punctis Conventis porrectis satisfecit, & juramento corporali eadem confirmavit? ne in Comitijs Coronationis aliqua difficultas oriatur.

Pervenerunt ad Nos literæ & Legatio Serenissimi Electi nostri Palatini Transylvaniæ, per Dominum Hieronymum Philipowski, in quibus grato animo accepit voluntatem nostram, quam erga Serenitatem suam præstitimus, & demonstravimus, eligendo eum in Regem nostrũ, offerendo Reipub: Polonæ omnia studia, & conatus suos in bonum commune & augmentum Nominis Poloni, volendo omnibus conditionibus sibi porrectis, & ab illo oblatis satisfacere, & adventum suum promittendo, postquam Legati nostri ad Eum pervenerint. Ad quas literas Serenissimi rescripsimus per Legatum Serenissimæ Majestatis, denuntiando constantiam nostram, quòd circa propositum nostrum, firmiter vsq; ad finem perseverabimus, dummodo Serenitas sua quamprimùm adventum accelerare velit. diem autem Coronationis per Nos hic constitutum, denuntiamus per Legatum nostrum, Dominum Paulum Orzechowski ex Terra Chelmensi. Ad literas Sacræ Imperatoriæ Majestatis, quas in hoc loco jam invenimus & ad legationem eiusdem Sacræ Imperatoriæ Majestatis per personas dignas ad hunc Conventum Andreoviensem missas, in quib⁹ requirit Nos, vt in electionem eius consentiamus, siquidem præcipua pars Senatorum & maior pars Equestris Ordinis in eam consenserit, & per Legatos Nostros Coronam deferamus, & per vniversũ Orbem publicemus; ad quas respondimus, quod Sacra Imperatoria Majestas super hac electione sua malè sit informata, cùm nominatio

à paucis, cæteris reclamantibus, facta sit Sacræ Imperatoriæ Majestatis: contra quem & nunc omnes & singuli ad hunc Conventum Andreoviensem tam ex Senatoribus, quàm Equestri Ordine in magna numerositate congregati protestati sunt. rogando vt Sacra Imperatoria Majestas hanc nominationem Sui in Regem nostrum Poloniæ non habeat in consideratione, tam propter bonum Regni Poloniæ, quàm totius Christianitatis. Respectu quorum omnium ad innòtescentiam totius Christianitatis per Legatos nostros vtpote Jllustrissimum & Reverendissimum Dominum Episcopum Chełmensem, & per Dominum Castellanum Małogostensem, & per Succammerarium Bełzensem, ad Comitia Regensia dabimus informationem.

Quæ omnes actiones nostræ, vt ad notitiam Dominorum Senatorum & Equestris Ordinis M. D. L. perveniant, mittimus è medio nostri ad Magnum Ducatum Lithuaniæ Magnificum Dominum Raphaëlem Sladkowski Castellanum Conarscensem, & Magnificum Dominum Stanislaum Karniscium, Subiudicem Siradiensem, rogando & hortando illos; vt ex officio suo in omnibus auxilium præbeant, siquidē absq; illis, noluimus quidquam facere. Similiter & ad Ducatū Prussiæ mittimus Dominum Castellanum Dobrinensem, & Dominum Albertum Grzybowski. Et quoniam ad notitiam nostram pervenit, quòd proventus Reipub: ad Thesaurum Regni non reddantur, ideo omnes Retentores monemus, & rogamus, vt pro Comitijs Coronationis Regis futuræ, omnes proventus retentos comportent, non expectando aliam monitionem, idq; sub pœna in Statuto expressa; quòd Nuntij Terrestres in ijsdem Comitijs urgebunt & promovebunt.

Administratio justitiæ, quæ est in Palatinatibus constituta, debebat hîc constitui & determinari; vt Tribunal ad omnes actiones terminandas & concludendas inveniretur & publicaretur: sed quia negotia alia Reipub: id non permiserunt, remittimus ad Comitia, quæ Serenissimus Rex noster electus in Comitijs Coronationis suæ constituet & determinabit, in quibus Comitijs nihil aliud tractabitur de ordine administrationis istius justitiæ & de modo electionis Regis liberæ in perpetuum, & tunc, nec ipse Serenissimus Rex, neq; alius quispiam cuiuscunq; status & conditionis poterit contravenire, imò omnes & singuli sub vinculis supra appositis tenebimur promovere. quæ si in ijsdem non fuerint finitæ, dummodò Tribunal fuerit constitutum, tum omnes Provinciæ debebunt remanere penes antiquam constitutionem Iudicij vltimæ instantiæ à Palatinatibus cō-

scri-

ſcriptam & ordinatam. Concedendo ex communi conſenſu Palati-natui *Ravenſi liberam* ordinationem, & conſtitutionem reſpectu eiuſmodi judiciorum, ſiquidem illius ordinatio jam pridem ob juſtas cauſas ceſſavit.

Compoſitio inter ſtatum Spiritualem & Sæcularem vel in Comitijs *Coronationis*, vel in proximis poſt eam debebit fieri, & ſi propter diſſentientes voluntates inter hos ſtatus effectum ſuum non ſortiatur, tunc Sereniſſimus Rex ex officio ſuo, procurabit indilatè effectum illius.

Expoſitum Nobis eſt, quòd hiſce temporibus poſt diſceſſum ex Electione Varſavienſi multæ invaſiones & damna in bonis tam Spiritualium, quàm Sæcularium ab hominibus ſeditioſis & licentioſis ſint facta; & propterea forſan nonnulli ſtatûs Spiritualis homines, vindicando injurias ſuas, bona & fundos Nobilium Sæcularium invadebant. Providendo nè ex hac ſcintilla incendium in Repub: exoriatur, rogamus & hortamur omnes & ſingulos, vt à talibus abſtineant, & damna illata iniuriatis refundant. Quodſi aliquis contumax fuerit, talem injuriatus in Comitijs Coronationis futuræ Regis deferat, & ipſi peremptoriè adminiſtratio juſtitiæ fiat: quod Nuntij Terreſtres tenebuntur promovere. Judicia Terreſtria & Caſtrenſia & Officij, & alia omnia generaliter, propter difficultatem Cauſarum & brevitatem temporis, ad finem Comitiorum Coronationis differimus, exceptâ executione reſpectu contributionum, quæ debet expediri.

Vniverſa Nobilitas Terrarum Palatinatûs *Ruſſiæ* per incurſiones hoſtium, partim depopulatione bonorum, partim captivitate hominum penitus extenuata, licèt multoties huic hoſti, etiam expeditione generali bellicâ reſiſtere tentaverit, ſemper tamen inani conatu, idq; maximè ex hac cauſa: quia Palatinum ſuum, poſt mortem dignæ memoriæ Domini Georgij azłowiecki Palatini ſui & Supremi Ducis Exercitûs *Regni*, non habebant, qui illam convocaret, dirigeret, & tempore generalis expeditionis bellicæ ſub regimine ſuo haberet, & præcipuè cùm in Comitijs Electionis Regis Varſaviæ expeditio generalis bellica conſtituta ſit, & aliæ neceſsitates Reipub: premant: advertendo, quòd præmiſſa omnia abſq; Palatino Duce ſuo non poſſent debitè expedire, neceſsitate tantâ cogēte, in Conventu ſuo generali Viſnenſi, communi conſenſu rogârunt Magnificum Dominum Hieronymum Sieniawſki Caſtellanum Camenecenſem, vt officium Palatinatûs & omnem authoritatem eius ſuſcipere velit: promittendo ipſi omnem reverentiam & obedientiam præſtare; & omnibus Ordinibus

Regni in hoc Conventu generali Andreovienſi, hanc electionem Eius & poſtulationem ſuam denuntiare.

Similiter Palatinatus Lublinenſis, habendo Palatinum ſuum in Legatione extra *R*egnum, Caſtellania verò poſt mortem dignæ memoriæ Domini Stanislai Słupecki vnica in toto hoc Palatinatu, vacet; neceſſitate quæ non patitur moram, coactus, in Conventu ſuo particulari, Magnificum Dominum Andream Firleum de Dambrowice, Capitaneum Sandomirienſem rogârunt, vt hoc munus Caſtellani acceptare dignaretur.

Quod ne mutatum & irritum ſit; Nobilitas Terrarum *R*uſſiæ, & Palatinatûs Lublinenſis, ab omnibus Ordinibus Regni, congregatis obnixè poſtulavit, vt hanc nominationem & poſtulationem, publico ſuo conſenſu approbare dignaretur; & apud Sereniſſimum Regem noſtrum electum efficiat, vt hoc ratum & firmum habeat, cùm fiat ex maxima neceſſitate Reipub: non ex aliquo affectu privato, *P*erſonæq; nominatæ ſint eximiæ, dignæ, & pridem ex Anteceſſoribus ſuis de Repub: bene meritæ, ejuſmodiq; muneribus & officijs pares.

Nos itaq; omnes tam Proceres, quàm vniverſus Ordo Equeſter, ad hunc Conventum generalē congregati, videndo rem juſtam & proficuam, libenter conſenſimus & Magnificos Dominos Nominatos, illum pro *P*alatino Ruſſiæ; hunc pro Caſtellano Lublinenſi agnoſcimus; & in Coronatione *R*egis noſtri omnem curam & ſolicitudinem adhibebimus, vt inter alios articulos porrectos ſibi, vel adhuc porrigendos, & hunc articulum electionis Dominorum Dignitariorum approbare & confirmare dignetur.

Quæ omnia à nobis ſtatuta & ordinata, concorditer aſſecurando, & ad notitiam omnium deducendo, ſubſcribimus, & ſigilla noſtra gentilitia apponere parati fuimus. Sed quia hoc difficile & longum eſſet, in tanta multitudine, conſenſimus vnanimiter; vt imprimis Domini Senatores, & poſtea ex quolibet Palatinatu tres *P*erſonæ, nomine omnium ſubſcriberent,& ſigillarent. Quòd omnes ritum firmum habere promittimus & ſpondemus. Tempus quoq; Comitiorum in Palatinatibus, qui Nuntios Terreſtres non elegerunt aſſignatum eſt.

Datum & Actum Andreoviæ in Conventu generali Regni *die* 1. *Februarij Anno Domini* 1576. Et cùm Sereniſſimus Rex Electus ob difficultates itineris tardâſſet adventum ſuum, emanata eſt denuntiatio tenoris ſequentis: vt in volumine Conſtitutionum Regni. *f.* 247.

Denun-

Denuntiatio Adventûs Regij.

NOs Proceres, Spirituales & Sæculares, vnà cum Nuntijs Terrestribus, in virtute literarum vniversalium ex Electione Varsaviensi & Conventûs Andreoviensis, Cracoviam in personis nostris & nomine Confratrum Nostrorum, cum sufficienti mandato ad Actũ Coronationis Serenissimi Regis Nostri STEPHANI BATHOREI Palatini Transylvaniæ, & Serenissimæ Annæ (prout fusiùs & sufficientiùs literæ vniversales obloquûtur, circa quas literas vniversales juxta obligationes & vincula nostra, quæ accepimus in conscientias nostras, & honorem nostrum, firmiter stamus, nihil recedendo ab illis,) huc Cracoviam *pro die 4ta Martij* congregati omnes, singulariterq; singuli concorditer, vnanimiter, nemine contradicente Dominationibus Vestris, denuntiamus.

Videndo, quòd non in tempore literæ nostræ & negotia in illis expressa ad manus Serenissimi Regis electi nostri pervenerint, & propterea Serenissimus Rex electus nullâ ratione pro actu Coronationis suæ assignato potuit venire, ne libertatibus & literis vniversalibus nostris, & Electioni noceat per Nos factæ: considerando & hoc, quòd Serenissimus Rex Electus Pacta Conventa juramento suo corporali confirmata transmiserit, quæ per totum Regnum cum subscriptione, & sigillis obfirmatione à Magnificis DD. Cancellarijs in lucem publicam etiam typis mandanda per Deputatos nostros cum alijs articulis á Nobis Serenissimo Regi electo porrectis commisimus, quibus omnibus satisfactum est, & Serenissimus Rex Electus, Oratorem suum ad concludenda cætera juxta literas nostras, occurrendo libertatibus nostris mittere dignatus est. Animadvertendo itaq; ex parte Pactorum Conventorum esse securitatem omnem, & sperando pro certò adventum Serenissimi Regis Electi *pro die 8. Mensis Aprilis.* Quem juxta Officia nostra, & Commissionem expectamus, firmiter & non mutabiliter stando penes literas vniversales superiùs nominatas, tam Varsaviæ, quàm in Conventu generali Andreoviensi. Et si aliquis qualicunq; modo voluerit hisce contravenire, & alio modo interpretari contenta in literis vniversalibus, tam respectu Coronationis Serenissimi Regis Electi, quàm & Serenissimæ Annæ & aliarum rerum in ijsdem literis vniversalibus expressarum, non poterimus illos judicare, nisi perjuros & immemores honoris sui. Actum & Datum Cracoviæ in Conventu omnium Ordinum generali Convocationis *die 5. Martij Anno Domini 1576.*

Subſcripſerunt autem Stanislaus Kárnkowſki Epiſcopus Cuiavienſis, Petrus Zborowſki, Palatinus & Capitaneus Generalis Cracovienſis, Andreas Firley Capitan: Sandomirienſis nomine, & ex commiſſione omnium Nuntiorum Regni, mpp. & alij plures.

Supervenit tandem aſſignatio temporis pro Coronatione Sereniſsimi Regis Electi tenoris ſequentis: vt videre licet in volumine Conſtitutionum Regni, *fol: 248.*

Aſſignatio Coronationis Regiæ.

NOs Proceres Regni Spirituales & Sæculares, nec non Nuntij Terreſtres, in virtute literarum vniverſalium Noſtrarum, ad Actum præſentem Coronationis Regis noviter electi Domini STEPHANI BATHOREI Palatini Tranſylvaniæ huc Cracoviam congregati, omnibus & ſingulis Dominationibus Veſtris denuntiamus.

Cùm Sereniſsimum Regem Electum Dominum noſtrum iam in Regno habeamus, & ſua Sereniſsima Majeſtas, futurâ feriâ quartâ magnâ (quod felix fauſtum ſit) juxta literas ſuas ſignificatorias ventura ſit: exiſtimando ſub hoc tempus nihil magis opportunum, & vtilius eſſe, niſi vt quàm citiſsimè coronetur. Ad quam Coronationem abſq; mora voluimus accedere, ſed conſulendo Dominis Proceribus Regni, & Equeſtri Ordini Magni Ducatûs Lithuaniæ, vt ad hunc Actum Coronationis venire poſſint, & vt iſte Actus ſolennis Coronationis ad notitiam omnium Incolarum Regni pervenire poſſit, viſum nobis eſt neceſſarium, poſt præteritas prorogationes, tempus & diem certum Coronationis determinare & aſſignare, prout determinamus & aſſignamus Dominicam Conductûs proximâ. Quo die, Divinâ ſuffragante gratiâ iſtum Actum, tam reſpectu Coronationis Sereniſſimi Regis, quàm reſpectu Coronationis Sereniſſimæ Reginæ, & omnium aliarum rerum in prædictis literis vniverſalibus expreſſarum, & nominatarum, nihil ab illis recedendo; imò penes illas firmiter ſtando, expediemus. Quas literas vniverſales noſtras præſentes, commiſimus Dominis Cancellarijs Regni, vt cum ſubſcriptione & ſigillis extradantur & tranſmittantur. Datum Cracoviæ *die 10. Menſis Aprilis, Anno Domini 1576.* Subſcriptio autem talis ex Commiſsione Senatûs & Nuntiorum Terreſtrium Regni, videatur in volumine Conſtitutionum Regni. *fol: 248.*

Et quia poſt Electionem Regis concorditer factam Pacta Conventa ſolent conſcribi, & ab Oratoribus Sereniſſimi Regis Electi juramen-

ramen·

ramento confirmari; ideo Pacta conventa cum Serenissimo Rege STEPHANO fuerunt facta, ex volumine Constit: Regni. *fol:* 251.

LITERÆ PACTORVM CONVENTORVM Cum Serenissimo STEPHANO BATHORI.

STEPHANUS Dei gratiâ Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæq́; &c. necnon Transylvaniæ Princeps.

SIgnificamus hisce literis nostris, quorum interest vniversis & singulis. Quòd post discessum, & susceptionem Regni Galliarum per Serenissimum Principem Dominum HENRICVM Dei gratiâ Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Lithuaniæ &c. vigore juris & libertatum Regni Poloniæ, conditionumq; à prædicto Serenissimo HENRICO Rege susceptarum & promissarum vacante Poloniæ Regno, & Magno Ducatu Lithuaniæ, miseramus ad Status & Ordines Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithuaniæ, fideles Nostros Magnificos Georgium Blandratam Doctorem Physicum, & Martinum Berzeviceium Equitem auratum, Procancellarium, Consiliarios Oratores & Commissarios Nostros, qui de Nobis in Regem assumendis, cum Ordinibus agerent. Diviniq; Numinis instinctu, in Comitijs generalibus Electionis Regis sub Varsavia habitis, Ordines Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ, Nos Regem creasse, conditionibus & articulis inter eosdem Ordines ac Oratores Nostros ibidem conclusis intervenientibus. *Quorum quidem tenor de verbo ad verbũ sequitur & est talis.*

Conditiones propositæ à Legatis Jllustrissimi Transylvaniæ Principis &c. in Comitijs Varsaviensibus novi eligendi Regis gratiâ indicti, Ordinibus & Statibus Regni Poloniæ.

PRincipio: promittit Jllustrissimus Princeps se libertates, leges, consuetudines, integrè in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithuaniæ conservaturum & comprobaturum.

Secundò, se debita omnia Regni, quæ ad ipsum pertinere meritò poterunt soluturum.

Tertiò, Si ita Ordinibus Regni visum fuerit, pollicetur se confestim recuperaturum esse, quidquid Moschus occupavit. Quòdsi veteranis suis copijs opus erit, illas minimè recusaturum.

Quartè, Perpetuum fœdus illud, quòd iam olim initum cum Imperatore Turcarum fuerat, confirmaturum: cum Tartaris verò sempiternam quietem & pacificationem habiturum.

Quintò, limites Regni omnes ita muniturum, nè hostis quispiam accedere facilè posit.

Sextò, dum adventum suum, si Deo ita visum fuerit, parat, neinterim ex aliqua parte hostis quispiam negotiũ Regno facessere possit, ducenta millia florenorum præmissurum se pollicetur, quibus judicio Senatûs & Ordinum, finibus & alijs necesitatibus prospiciatur. Vbi verò ipse advenerit, non per Legatos, sed per semetipsum cum hostibus Regni bellum geret, paratus etiam pro salute Reipub: vitam profundere.

Septimò, tum favore, tum proprijs sumptibus, vinctos & captivos Rusiæ Nobiles, non ita pridem à Tartaris obductos redempturum esse.

Conditiones autem ex communi Ordinum Regni consensu, Jllustrisimi Palatini Transylvaniæ &c. &c. Legatis propositæ & ab ijs susceptæ Varsaviæ 14. Decembr: Anno Domini 1575.

JNprimis; cùm inclytæ Jagellonicæ Familiæ (quæ hìc diù & felicisimè regnavit) tot extent erga Rempub: Polonam incomparabilia merita, Ordines Regni id maximè curant, vt suorum Regum Posteritati, cum summa dignitate & honestate prospiciatur. Itaq; ex communi Ordinum decreto ante omnia sanciunt, vt Jllustrisimus Transylvaniæ Palatinus &c. Serenisimam Poloniæ Infantem in matrimonium ducat, si verò contigerit (quod Deus avertat) Serenisimâ Infantem, vel fatis cedere, vel ab hoc matrimoni omnino se alienam præbere, nihilominus dignitas Regia suæ Celsitudini, salva sit. Omnia jura Libertates, Privilegia, Immunitates à Serenissimis Regibus Reipub: legitimè concessas, necnon articulos, in Electione Serenissimi HENRICI Regis conscriptos, & ab Ordinibus oblatos primùm hìc Varsaviæ ab ipsis Legatis, deinde Parisijs ab vtroq; Rege, publico juramento approbatos, confirmabit.

Si quid præterea circa Coronationem Regni Ordines, ad augẽdas

das libertates postulaverint, publico privilegio approbabit.

Ad repentina Regni præsidia, mille Equitum, & quingentorum peditum stipendia, Legati quamprimùm expedient.

Auxilia externa nequaquam in Regnum adducet, nisi cum consensu Senatûs & Ordinum.

Stipendiarios milites extra Regnum, inscijs Ordinibus non emittet.

Cùm sibi invicem Ordines Regni, *pro die 18. Mensis Ianuarij* Andreoviæ generalem Conventum indixerint, curabit, vt in eodem Conventu has omnes conditiones, tam sibi ab Ordinibus propositas, quàm Nobis suo nomine à Legatis oblatas, publicò juramento, vel in persona, vel per suos solennes Legatos confirmet.

His supradictis conditionibus vtrinq; oblatis, ipsi Legati nomine sui Principalis se subscripserunt.& eas sigillis suis muniverunt. Gregorius Blandrata, manu propria, Martinus Berzevicius Procancellarius & Orator manu propriâ, sigillis eorundem subimpressis. Quarum præinsertarum conditionum, illa qua cavetur, vt has conditiones ab vtrinq; propositas in Conventu Andreoviensi juramento, vel in persona sua, vel per solennes Legatos confirmemus, juramentoq; hîc à Nobis de mandato Ordinum per Oratores suscepto mutatâ, reliquis omnibus stare, ac easdem adimplere volentes, postquam recitatas coram Nobis sigillatim expendimus, & consideravimus eas ratas & gratas habentes, approbavimus, & confirmavimus, approbamusq; & confirmamus hisce literis Nostris. Promittentes bonâ fide ac sub juramento, Nos omnes conditiones prædictas ac omnia & singula in ijs expressa, inviolabiliter observaturos & adimpleturos cum effectu, sine ulla exceptione, nec ijs unquam directè, vel indirectè contraventuros.

Dantes potestatem insuper Cancellario & Vice-cancellario Regni Poloniæ, pro tempore existentibus, ut postquam in Regnum Poloniæ, Deo favente venerimus, eosdem articulos, eorumq; confirmationem, sub sigillo Regni Poloniæ, si id Ordines Regni requirêt, non expectato alio mandato Nostro, uterq; vel alter eorum extradat, non obstante vllâ exceptione, seu quovis in contrarium mandato. Datum in summo Templo Civitatis nostræ Meggyes sub ipsis Comitijs generalibus *die 8. Mensis Februarij, Anno Domini* 1576. Subscriptio: STEPHANVS Electus Rex. Martinus Berzeviceius *Pro*cancellarius.

Quæ omnia videre licet in volumine Constitutionum Regni nostri, *à fol: 251.*

Obtulerunt quoq; Oratores ab Ordinibus Regni Poloniæ, & M. D. Lithuaniæ in Transylvaniam ad invitandum Serenissimum STEPHANVM missi, publico nomine articulos seu leges ab Ordinibus in Electione HENRICI Regis de Repub: sancitos. Quos Serenissimus BATHORI per literas suas confirmavit, tenoris sequentis, vt videre est in volumine Constitutionum Regni. *fol: 253.*

STEPHANVS Dei gratiâ Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. necnon Transylvaniæ Princeps.

SIgnificamus vniversis & singulis præsentibus & futuris, per Spectabilem & Magnificum Joannem Tarło de Sczekarzowice, Palatinum Lublinensem, & Capitaneum Pilznensem, tum Magnificos ac Generosos Georgium Mniszek de Magna Kunczyce Incisorem Regni, ac Sanocensem & Socaliensem Capitaneum &c. Oratores ab Ordinibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithuaniæ in Transylvaniam ad invitandum Nos ad Regem missos, oblatos Nobis esse publico nomine articulos seu leges ab Ordinibus in Electione HENRICI Regis de Repub: sancitos, quarum exemplum linguâ Polonicâ conscriptum, nunc in Latinum conscriptum, sequitur.

Proceres Regni, Equester Ordo & omnes Status Civium Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvâniæ, & aliarum Provinciarum omnium ad Regnum Poloniæ spectantium id sibi apud Nos caverunt, & Nos constituimus & pro lege perpetua habere volumus:

Quòd durante vitâ nostrâ, Nos & Posteri Nostri, Reges Poloniæ Magni Ducatûs Lithuaniæ, Russiæ, & Prussiæ &c. non nominabimus, nec eligemus, nec Conventum aliquem ad effectum eum indicemus, aut aliquo modo Successorem in Regnum procurabimus. Et hoc ideo, vt perpetuis temporibus, post decessum Nostrum & Posterorum Nostrorum libera Electio Regis remaneat omnibus Statibus Regni, propter quod & titulo Hæredis vti non debemus, neq; Successores Nostri Reges Regni Poloniæ.

Et quia in Regno multi dissidentes in Religione sunt, præcustodiendo, ne in posterum aliquæ seditiones & tumultus, scissiones & discordiæ fiant, caverunt sibi nonnulli Incolæ Regni confœderatione speciali, quòd in hoc negotio & causa Religionis, pace fruentur, quod & Nos promittimus illis in perpetuum servare.

In causis & negotijs Reipub: spectantibus ad personam & dignita-

gnitatem Nostram legationes ad externos Principes non mittemus, & è contra ab exteris Principibus legationes non admittemus, non audiemus, exercitum aut milites non colligemus vel conscribemus Nos & Posteri Nostri, absq; scitu Procerum Regni vtriusq; Gẽtis, causas ad Comitia spectantes non avocabimus, nec cursum illarum impediemus. Legationes tamen quæ Rempub: non tangerẽt & possent juxta exigentiam temporis & necessitatis expediri, licitum Nobis erit cum scitu Senatorum vtriusq; Gentis penes latus Nostrũ residentium, expedire.

Expeditionem generalem bellicam totius Nobilitatis, aut bellum indicere absq; consensu omnium Ordinum in Comitijs generalibus; aut extra limites Regni Equestrem Ordinem vtriusq; gentis, modo bellico aliquo, nec per petitionem, nec per solutionem quinq; marcarum super hastam, Nos & Successores Nostri Reges Poloniæ debebunt; quod verbo Regio Nostro promittimus. Quodsi, ex consensu Ordinum in Comitijs generalibus Regni, expeditionem generalem bellicam totius Nobilitatis indiceremus, non diutiùs poterimus illam detinere in loco, ad quem vigore Literarum vltimarum Restium esset convocata, quàm per duas septimanas. Si quoq; de consensu omnium Ordinum Regni, vltra limites Regni Incolas Nostros illis consentientibus educere voluerimus, tunc tenebimur vnicuiq; illorum, antequam extra limites educantur, quinq; marcas dare, & non debebimus illos plus sub hoc stipendio 5. marcarũ, tenere quàm per quartuale: nullam divisionem faciendo illorum ad exercitum majorem vel minorem. Et si intra spatium duarum septimanarum non educeremus illos extra limites Regni, poterunt discedere. sub hoc tempus belli omnia necessaria sumptu Nostro procurabimus, prout tormenta magna bellica, pulverem tormentarium, explosores tormentorum, scalas, & omnem custodiam.

Limites Regni vtriusq; Gentis, & omnium Provinciarum ad Regnum Poloniæ spectantium, ne hostis irrumpat, sumptu Nostro providere, & defensionem procurare Nos & Successores Nostri tenebimur; conservando quartam juxta Statutum Regni.

Sæpe accidit, quòd Senatores in dandis sententijs non conveniant; ideo Nos & Successores Nostri authoritate suâ non poterunt quidquam statuere & concludere, sed danda opera; vt omnes ad vnum sentiendum inducamus, considerando omnia documenta & rationes illorum, an non sint Iuribus, Privilegijs & libertatibus contrariæ, vel cum majori commodo Reipub: fiant: quodsi ad vnanimẽ

ſenſum non poterimus illos inducere, tunc illorum ſententias ſequi debebimus, quæ juribus, Privilegijs Libertatibus & conſuetudinibus uniuſcuiuſq; Terræ, & vtilitati Reipub: ſeſe magis conformarēt: exceptis cauſis Comitiorum, quæ juxta antiquam conſuetudinem cum ſcitu & conſenſu omnium Ordinum debēt expediri. Cùm ſit hoc certum & experientiâ deductum, quòd ſola Perſona *R*egia in tam amplo Regno, omnibus cauſis & negotijs non poſſet ſufficere, conſequenter Regnum aliquem diſordinem vel periculum poſſet ſubire: quocirca ſtatuimus, & pro lege æviterna habere volumus, vt in ſingulis Comitijs generalibus ſexdecem *P*erſonæ tam ex Incolis Regni, quàm Magni Ducatûs Lithvaniæ, & aliarum Provinciarum cum ſcitu & vnanimi conſenſu omnium Ordinum eligantur, ad alios Officiales Regni & M.D,L. qui penes latus Noſtrū continuè reſideāt, curam habendo Perſonæ & Majeſtatis Noſtræ, libertatis communis, ſine quorum conſilio Nos & Succeſſores Noſtri *in* negotijs & cauſis occurrentibus (exceptis cauſis Comitialibus) nihil poterimus facere. Qui Domini tenebuntur diligenter animadvertere, vt in omnibus cauſis nihil fiat contra dignitatem Noſtram, & contra jus commune. Jn Comitijs autem generalibus proximis omnium conſiliorū ſuorum rationem tenebuntur reddere. Nihilominus vnicuiq; Dominorum Senatorum licitum erit toties quoties voluerint ad Nos venire, & penes nos reſidere, & ad omnia conſilia venire, nec illi Domini Senatores pro reſidentia ad latus Noſtrum in *C*omitijs generalibus deputati, ullam prærogativam poterunt prætendere, ſed quòd ſolùm ad tempus deſignatum tenentur penes Nos reſidere. Non omittendo antiquum morem ſcribendi literas, ad Conſiliarios abſentes, in occurrentia alicuius negotij magni momenti.

Ex Deputatis autem prænominatis ſexdecem Senatoribus, in ijſdem Comitijs generalibus debent determinari quatuor pro quolibet ſemeſtri anni, vnus ex Epiſcopis, vnus ex Palatinis, & duo ex Caſtellanjs, idq; eo ordine, prout ſedent in Senatu. Et ſi aliquis illorum illam reſidentiam acceptare nollet, vel aliquod legale impedimentum haberet, debet ſtatim in ijſdem Comitijs excuſationem dare, vt in locum illius alius deputetur. Reſpectu autem iſtius reſidentiæ, Senatores *R*uſſiæ tam Spirituales, quàm Sæculares, ex Theſauro Regio pro ſemeſtri vno quingentos florenos ſinguli accipiunt: Senatoribus autem Spiritualibus *R*egni nihil ſolvitur, cùm ſufficientes proventus habeant.

Comitia generalia ſingulis biennijs fiant, niſi neceſſitas Reipub: maxi-

maxima, aliud postulet, tunc de consilio Senatorum vtriusq; Gentis possunt fieri, vltra autem sex septimanas non possunt prorogari. Ante autem hæc Comitia generalia in Regno juxta antiquum morem, in Magno Ducatu Lithuaniæ juxta Statutum suum, Conventus particulares Palatinatuum præmittantur, prout in Oppido **Kolo**, & Corcinensi Conventus generalis: in Magno autem Ducatu Lithuaniæ Volcoviensi debent fieri, ad quos Conventus seu Comitiola per Legatos Nostros instructionem respectu negotiorum tractandorum moribus antiquis mittere obligati erimus.

Promittimus etiam nomine Nostro Regio, quòd nec Nos nec Successores Nostri sigillo privato in negotijs ad Rempub: spectantibus, tam in Regno, quàm extra Regnum vtemur, nisi sigillis Regni, quæ penes Cancellarios & Procancellarios Regni & Magni Ducatûs Lithuaniæ sunt.

Officia Regni vtriusq; Gentis integrè conservabuntur, similiter atq; officia Curiæ non diminuemus; imo personis dignis, bene meritis & adultis vtriusq; Gentis, & non externis, occurente vacatione conferemus.

Ne aliquod dubium oriatur respectu fundorum Nobilium, liberis in perpetuum cum omnibus proventibus, & vtilitatibus, quæ in illis fundis emergerent. Similiter & metallorum fodinas, salis fodinas & similes conservabimus, & Successores Nostri conservabũt.

Similiter promittimus, quòd explicationes, & probationes ex jure exotico non admittemus, nec dationes ab Antecessoribus Nostris bonis jure hæreditario factas in jus feudi commutabimus, nisi manifestè constaret jure feudali fuisse & esse concessas.

Capitanei Arcium limitanearum & Iudicialium & Civitatum capitalium, similiter & Civitates capitales, quæ Capitaneos non habent, juramentum coram Rege præstare tenebuntur, quòd tempore Interregni Arces & Civitates in damnum Reipub: nulli alteri nisi Regi concorditer electo & coronato, dimittent, sub jactura honoris, colli & bonorum.

Corona Regni Poloniæ in Thesauro Regni, Cracoviæ conservetur à Domino Thesaurario Regni, sub sigillis & clavibus Dominorum Senatorum, hoc est Castellani Cracoviensis, Palatinorum, Cracoviensis, Posnaniensis, Vilnensis, Sandomiriensis, Calissiensis & Trocensis, neq; illam aperire debent, nisi de consensu communi omnium Ordinum Regni. absentia tamen alicuius illorum ob infirmitatem, vel legale impedimentum, non potest nocere & impedire con-

ſenſum communem; imò abſens ad requiſitionem & notitiam aliorum Senatorum tenebitur clavem ſuam ad illos tranſmittere: in caſu autem mortis alicuius, alij Collegæ præſentes habent facultatem, ſeram illius aperire, & ſigillum amovere.

Adminiſtrationem juſtitiæ communem nonnullæ Provinciæ *R*egni ſibi conſtituerunt, eximendo ſe à jurisdictione Noſtra *R*egia, quam ipſis permittimus, cum hoc additamento: quòd etiam alijs, qui vellent id conſtituere, liberum ſit idem facere: correctio autem de conſenſu omnium illorum debet fieri. Si autem videretur in Perſonam Noſtram Regiam hanc juriſdictionem totaliter transferre, tunc Nos & Succeſſores Noſtri tenebimur eandem acceptare. Similiter Domini Senatores, & alij Ordines & Status Magni Ducatûs Lithuaniæ, & Terrarum Wołynenſis, Kijovienſis, Bracłavienſis, quæ jure Lithvanico judicia ſua exercent, idem ſtatuerunt inter ſe, quòd in proximis Comitijs generalibus correctionem jurium ſuorum volunt habere, & modum adminiſtrandæ juſtitiæ conſtituere. Et prout ipſi inter ſe conſtituent, accedente majoris partis conſenſu, id totum in Comitijs Coronationis Noſtræ juramento confirmare tenebimur, & in poſterum cauſarum & judiciorum ſuorum correctio libera illis relinquitur.

Specialiter hoc cavemus; quòd nullas contributiones in bona Noſtra Regalia & Conſiliariorum Spiritualium, nec telonea nova in Civitatibus Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ & omnium Provinciarum ad Regnum ſpectantium conſtituemus & imponemus, abſq; conſenſu omnium Ordinum in Comitijs generalibus, neq; monopolia rerum iſtarum, quæ ex Regno, & Magno Ducatu Lithvaniæ proveniunt, conſtitui permittemus.

Et quia matrimonium Noſtrum plurimum ſpectat ad intereſſe *R*eipubl: ideo promittimus & ſpondemus pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris Regibus Poloniæ, quòd nil unquam reſpectu iſtius matrimonij faciemus, abſq; notitia & conſenſu Conſiliariorum Regni vtriuſq; Gentis. Et præter cauſas & rationes in ſcriptura ſacra expreſſas, nunquam divortium procurabimus & quæremus.

Conditiones omnes per Legatos Noſtros nomine Noſtro porrectas & firmatas explere tenebimur, & verbo Regio Noſtro ſpondemus totum id, & quidquid adhuc reſpectu Libertatum & *jurium* ſuorum Ordines *R*egni utriuſq; Gentis ſub tempus *Coronationis* Noſtræ Nobis porrigent, acceptamus & acceptabimus, juramento confir-

onfirmabimus & perpetuis temporibus firmiter tenere, explere tenemur & promittimus, sub fide, iuramento *Nostris*, verbo *Nostro* pollicemur, confirmamus in perpetuum. Et si aliquid (quod absit) contra jura, Libertates, articulos, & conditiones faceremus, vel aliquid non impleremus, tunc Incolæ *Regni* vtriusq; Gentis liberi erunt ab obedientia & fidelitate debita *Nobis* præstanda.

Statutum & scriptum hoc totum est per Ordines *Regni* vtriusq; Gentis, & Status Provinciarum ad *Regnum* spectantium, in Comitijs generalibus Electionis sub Varsavia penes Villam **Kamionka** dictam *die vigesimâ Maij Anno Domini*, 1573.

Quos quidem articulos seu leges, in omnibus earum punctis, & conditionibus approbandas, roborandas, & confirmandas duximus, approbamusq;, roboramus, & confirmamus per præsentes Literas Nostras: decernentes, eas perpetuæ, indubiæ, ac inviolabilis firmitatis robur obtinere debere, promittentesq; sub juramento illas in prædictis omnibus earum punctis & conditionibus, sine vlla excusatione & exceptione, firmiter, inconcussè, & inviolabiliter tenere, observare, adimplere & exequi, & teneri & observari, adimpleri, & exequi facere. Præterea promittimus, si ultra has leges seu articulos supraścriptos, Ordines aliquas alias de *Repub:* in Conventu Regni Andreoviæ vel Cracoviæ circa Coronationem Nostram sancient, & Nobis offerent, approbare, roborare, confirmare, exequiq; & adimplere, sine vlla exceptione. Dantes potestatem insuper Cancellario & Vice-cancellario Regni, pro tempore existentibus, vt postquam Deo favente, feliciter in Regnum Poloniæ venerimus, hanc eorundem articulorum seu legum confirmationem, de facto articulorum & legum, quæ ante Coronationem Nostram Andreioviæ vel Cracoviæ sancientur, sub sigillo *Regni* Poloniæ, Ordinibus, Terris ac subditis Nostris, qui eam requirent, non expectato alio mandato Nostro, vterq; vel alter eorum extradat, non obstante vllâ exceptione, seu quovis in contrarium mandato. Quod vero ad articulum inter cæteros in Conventu Electionis HENRICI Regis latum, de matrimonijs Regum attinet, cùm iam sit constitutum postulantibus Oratoribus Nostris, de matrimonio Nostro cum Serenissima Principe Anna, Serenissimi olim Principis Domini SIGISMVNDI AVGVSTI Sorore, id quod hac de re jam constitutum est, & inter cæteras conditiones oblati Regni propositum, voluntariè & libenter, bonâ fide adimplere pollicemur. In cuius rei fidem, literas hasce, manu Nostrâ subscripsimus, sigillumq; *Nostrum*, quo ad

præsens in Tranſylvania vtimur, jis appendi juſſimus. Actum & Datum in ſummo Templo Civitatis Noſtræ Meggyes, ſub ipſis Comitijs generalibus, *octavâ Menſis Februarij, Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto.* Præſentibus Spectabilibus, Magnificis, Generoſis & Egregijs *Ioanne Tarło de Sczekárżowice, Palatino Lublinenſi, & Capitaneo Pilznenſi, Georgio Mniſzek de Magna Kunczyce Inciſore Regni, ac Sanocenſi & Socalienſi Capitaneo, Alberto Starzechowſki de Starzechowice, Succamerario Leopolienſi, Palatinidâ Podoliæ, Nicolao Iázłowiecki de Buczácz, Palatinidâ Ruſſiæ, & Capitaneo Lubaczovienſi, Ioanne de Oſtrorog, Martino Lwowſki, ab Oſtrorog, Ioanne Płaza de Mſtyczow, Georgio Niemſtá de Krzczencce, Adamo de Goray Gorayſki, Stanislao de Strzemielec Łaſcz, Stanislao Pſtrokońſki, Ioanne Bełdowſki, Ioanne Rádżieiowſki, Oratoribus Regni Poloniæ.* Item *Spectabilibus, Magnificis, Generoſis, Domino Chriſtophoro de Sumlio Bathori, Comite perpetuo Comitatûs Biorienſis, Fratre Noſtro obſervan: Chriſtophoro Hagemas de Beregzo Comite perpetuo Comitatûs Zolnok mediocris &c. &c.* Proceribus Dignitarijs, Officialibus ac Nobilibus *Poloniæ* & Tranſylvaniæ, & alijs quàm plurimis omnium Statuum & Ordinum Regni Noſtri Tranſylvaniæ & partium Vngariæ ſibi annexarum Legatis.

STEPHANVS Electus Rex

Martinus Berzeviceius Procancellarius.

LITERÆ CONFIRMATIONIS GENERALIS.

STEPHANUS Dei gratiâ Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæq; &c. necnon Tranſylvaniæ Princeps.

SIgnificamus hiſce literis Noſtris, quorum intereſt vniverſis & ſingulis præſentibus & futuris. Quia Nos conſiderantes erga Nos ſingularem propenſionem, ac ſingularia ſtudia Conſiliariorum, Dignitariorum, Officialium, Nobilium, omniumq; Statuum ac Ordinum Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ, Terrarumq; ac Dominiorum ijs annexorum, quòd Nos potiſſimum inter cæteros Principes Chriſtianos, ad faſtigium Regium voluntatibus & ſuffragijs ſuis extulerint, Regemq; ſuum, ac eundem Magnum Ducem, jure Electionis ipſorum, liberè creaverint: cum bona & matura delibe-

ratio-

ratione, ac ex debito officio Nostro, secutiq; vestigia Antecessorum Nostrorum Divorum Poloniæ Regum, & Magnorum Ducum Lithvaniæ, omnia privilegia donationes, inscriptiones, aduitalitates, Libertates, Prærogativas, immunitates, tam Regni & Magni Ducatûs Lithuaniæ, quàm Terrarum earundem communes, ipsis coniunctim aut separatim concessas, quàm privatarum Personarum, cuiuscunq; statûs, conditionis, sexûs existentium, civitatum, oppidorum & locorũ quorumcunq; privatas, Ecclesiasticas & sæculares cuiuscũq; generis per Antecessores Nostros Regni Poloniæ & M. D. L. Terrarumq; ijs coniunctarum, Reges, Principes, Duces ac Dominos, tam in toto, quàm in parte: præsertim autem CASIMIRVM Magnum, LVDOVICVM LOI nuncupatum, VLADISLAVM II. JAGELLONEM dictum; Fratresq; ejus, VITHOLDVM & SIGISMVNDVM Magnos Duces Lithvaniæ, VLADISLAVM III, CASIMIRVM III. JAGELLONIS Filios, JOANNEM, ALBERTVM, ALEXANDRVM, SIGISMVNDVM I. SIGISMVNDVM II. AVGVSTVM, ac HENRICVM, Reges Poloniæ, & Magnos Duces Lithvaniæ, ac etiam per Magistros Prussiæ, Archiepiscopos, Episcopos, Magistros, Præceptores Livoniæ, Duces, Principes ac Dominos Terrarum Russiæ, justè & legitimè emanatas & concessas, ac juri communi vtriusq; Gentis non contrarias, ac item jura, leges, statuta, constitutiones, ordinationes, Libertates, ac immunitates in Conventibus Regni quibuslibet legitimè sancitas, nominatim autem libertates & leges in Conventu Electionis HENRICI Regis latas, ac quæ in Conventu Andreioviensi, vel Coronationis Nostræ ferentur & Nobis exhibebuntur, ita tamen, vt hæc specialitas generalitati, nec generalitas specialitati deroget. Tum etiam conditiones per Oratores Nostros cum Ordinibus pactas & conventas, & à Nobis approbatas. Quorũ omnium præmissorum tenores tanti esse volumus, acsi hisce literis de verbo ad verbum insertæ sint, in omnibus earum articulis, punctis, clausulis, conditionibus approbandas, roborandas & confirmandas duximus, approbamusq; roboramus & confirmamus per præsentes literas Nostras, decernentes illas, perpetuæ, indubiæ, ac inviolabilis firmitatis robur obtinere debere. Recipimusq; spondemus, & Regio verbo Nostro pollicemur, illas in prædictis earum punctis, articulis, clausulis, conditionibus, firmiter, inconcussè, inviolabiliter tenere observare, implere, & exequi, ac omnibus & singulis ex ijs satisfacere cum effectu, & teneri, observari & exequi facere. Item pollicemur, recipimus ac spondemus, quòd omnia per hostes finitimos injustè à Regno Magnoq; Ducatu Lithuaniæ & Dominijs eorundem,

quocunq; modo occupata, vel bello, vel quovis alio modo distracta, ad proprietatem & vnionem ejusdem *Regni* Poloniæ, Magniq; Ducatûs Lithvaniæ aggregabimus; neq; fines *Regni*, & M.D. L. minuemus, sed pro viribus Nostris proferemus, & dilatabimus. Quodsi aliquid contra libertates & immunitates, jura, *Privilegia* prædicta Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ, ac cæterarum Provinciarum ijs annexarum fecerimus, non servantes (quod absit) aliquid illorū in toto vel in parte: id totum irritum & inane, nulliusq; momenti fore decernimus & pronunciamus.

Quòd verò supra hisce literis, Privilegia, libertates Ecclesiasticas cum cæteris confirmavimus, id nihil articulo juramenti derogare volumus, videlicet pacem & tranquillitatem inter dissidentes de *Religione* tuebimur & manutenebimus &c. quam inconcussè, firmiter & inviolabiliter ac cum effectu, Nos observaturos promittimus & spondemus.

Dantes insuper potestatem Cancellario & Vice-cancellario Regni Poloniæ pro tempore existentibus, vt postquam Deo favente feliciter in Regnum Poloniæ venerimus, has literas confirmationis generalis jurium, Privilegiorum & Libertatum Regni, ac Magni Ducatûs, & Terrarum ijs annexarum, cum confirmatione defacto articulorum & legum, quæ ante Coronationem Nostram Andreioviæ, vel Cracoviæ sancientur, sub sigillo Regni Poloniæ, Ordinibus, Terris ac subditis Nostris, qui eam requirent, non expectato alio mandato Nostro, vterq; vel alter eorum extradat, non obstante vllâ exceptione, seu quovis in contrarium mandato. In cuius rei fidem literas hasce manu Nostrâ subscripsimus, sigillumq; Nostrum quo ad præsens in Transylvania vtimur ijs appendi, jussimus. Datum in summo Templo Civitatis Nostræ Meggyes, sub ipsis Comitijs generalibus *die octavâ Mensis Februarij. Anno Domini Millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.*

STEPHANVS Electus Rex.

Martinus Berzeviceius Procancellarius

ET sic Nos omnes memorati Proceres Regni, cum prædictis Statibus Regni, existimantes id necessarium esse, vt hoc juramentum Serenissimi Regis Nostri Electi, quàm primùm ad notitiam omnium perveniat, requisivimus Dominum Valentinū de Dembian Dębinski Cancellarium *Regni* Poloniæ, vt omnes literas istas, quarum o-

rigina-

riginalia penes se habet, in lucem publicam edat, & postea exemplaria illarum propter maiorem fidem, manu propria subscribat, & sigillo suo muniri, ac ad omnes Terras, Palatinatus, Districtus Regni, & ad Dominia ad Regnum spectantia transmitti, mandet. Simul omnes & singulos Dominos Capitaneos, & illorum Vice-capitaneos, tam in Regno, quàm in Provincijs eidem annexis, existentibus hortamur; ut prædictas literas, aut similes Serenissimi Regis electi, jurium libertatum juramento confirmatas, non solùm Actis Castrensibus ingrossari & extracta requirentibus extradi, sed etiam vbiq; per Ministeriales Regni in locis publicis solitis publicari, & ad notitiam omnium deduci, pro munere Officiorum suorum non negligant, imò omnibus ad quos id spectat, absq; vlla mora mandent. Datum Cracoviæ, *tertiâ die Mensis Martij Anno Domini 1576.* Vide in volumine Constit: Regni *à fol. 258.* Et cùm paulò longiùs digressi sumus, redeundum est ad Nostra.

Itaq; sciendum est, quòd postquam Rex vnanimiter ab omnibus Ordinibus Regni fuerit electus, ante publicationem eius, solent Ordines cum Oratoribus & Legatis eiusdem super pactis & conditionibus convenire, & illa conscribere; & postquam conscriptæ fuerint, ijdem Legati, & Oratores eius specialem plenipotentiam & mandatum habentes, juramento illas nomine sui Principalis confirmant. Quæ autem pacta & conditiones fuerint, cum diversis Regibus conscriptæ, per ordinem, placet recensere, & inprimis.

ARTICULI PACTORUM CONVENTORUM

Inter Illustrissimum Senatum & Amplissimos Status & Ordines Inclyti Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithuaniæ, ex vna, & Reverendissimum ac Magnificum Dominum Ioannem Monlucium Episcopum & Comitem Valentiæ, Ægidium de Noailles Abbatem Insulæ, & Guidonem Sangelasium Dominum à Lansac, Equitem Ordinis S. Michaëlis Serenissimorum Principum Dominorum, Caroli Dei gratiâ Regis Galliarum Christianissimi, Fratrisq; sui Henrici Andium, Borboniorum & Alvernorum Ducis, nunc verò Electi Poloniæ Regis ad eosdem Status & Ordines Regni missos, parte ab altera.

QVandoquidem ita placuit Deo, qui ſolus hominum corda movet & diſponit, vt de unanimi ſententia, atq; libero aſſenſu omnium Statuum atq; Ordinum Inclyti huius *Poloniæ* Regni, Magniq; Ducatûs Lithvaniæ, ac cæterarum Provinciarum ad ipſum Regnum pertinentium, memoratus Jlluſtriſſimus Princeps, Dominus HENRICVS Andium, Borboniorum, & Alvernorum Dux, eſſet in Poloniæ Regem, atq; eundem Magnum Ducem Lithuaniæ, & cæterarum *R*egni Provinciarum *P*rincipem & Dominum, liberè electus & publicè declaratus, adeſſent autem ipſius Jlluſtriſſimi Principis & Fratris ſui Chriſtianiſſimi Galliarum Regis Nuntij ſupra nominati, cum plena & ſufficienti poteſtate, ab ijſdem Principibus ſuis huc ad Status & Ordines in optionem Regni miſſi, cum quibus pro ſalute & incolumitate huius *R*egni ac totius Reipub: Chriſtianæ, certa pacta ſeu conditiones ipſis Sereniſſimis Principibus per dictos Oratores eas ſponte offerentibus, cæteris autem à Statibus Regni expeditis, ſunt vtrinq; inita & ſancita, *in hunc qui ſequitur modum.*

Primò. Fœdus perpetuum inter Galliæ & Poloniæ Regna, atq; eorum Provincias omneſq; homines in eis degentes, conſtare debet, procurantibus & promoventibus illud ſupranominatis Principibus Galliarum & Poloniæ Regibus. Verùm quoniam de tanto negotio quatenus ex re vtriuſq; Provinciæ fieret, nihil nunc abſq; Principibus ipſis tranſigi poteſt, cùm multa hic proponenda eſſent, quæ magnâ deliberatione indigerent. Ideo tractatu iſto de fœdere ſanciendo in aliud tempus rejecto, Oratores ſupra deſcripti, ex conceſſa ſibi ab ipſis Principibus ſuis facultate, hæc omnia in præſentia *R*egno huic Polonico, & eius Statibus, clarè & apertè nomine Sereniſſimi *R*egis Galliarum detulerunt, vt ſi aliquando quiſpiam hoſtium, & quævis alia gens inimica, hoc *R*egnum, ſive eius *P*rovincias non levibus excurſionibus, ſed juſto exercitu adoriri vellet, *R*egem Chriſtianiſſimû curaturum eſſe amicè agere cum illis hoſtib⁹, vt à bello abſtineant inferendo. Quodſi obtinere nequiverit, peditatu Regnû hoc juvabit, ſi ita Status *R*egni optaverint, qui ad fines Regni tranſmittatur, ac ſi pro peditatu Vaſconico, Equitatum Germanum Status *R*egni optaverint, id ipſum etiam Rex Chriſtianiſſimus præſtabit; aut ſi ita Statibus ex re magis videbitur, pecunijs eos juvabit; quemadmodum etiam viciſſim Galli, ſi Polonico Equitatu egeant, illo à Polonis adiuvabuntur, ſtipendijs ab illis acceptis.

Jtem offerunt ac ſpondent ijdem Oratores Statibus & Ordinibus Regni, nomine Chriſtianiſſimi Regis, in vſum belli contra Moſcho-

ſchorum Principem, quatuor millia Vaſconum peditum electiſſimorum, quibus etiam ſtipendia in ſex menſes Chriſtianiſſimus Rex perſolvere debebit. Quodſi poſt ſex menſes eorum opera ſit neceſſaria, ad ſex alios menſes in illud tempus Regem Chriſtianiſſimum, Fratri chariſſimo ſtipendia quæ requiruntur non denegaturum exiſtimat. Et tamen quidquid ſit, ad ea perſolvenda reditibus Polonicis Sereniſſimum Regem Poloniæ Electum, non eſſe vſurum. Interim tamen de ratione iſtius belli contra Moſchum ſuſcipiendi, in cuius vſum Vaſcones iſti adhibendi ſunt, deq; ratione victûs & alimoniæ in illis Regionibus, quò adduci debent, Status Regni Sereniſſimum ſuum Regem electum tempeſtivè præmonere debent, vt cum illis etiam quid certi, pro ratione annonæ, de ſtipendijs conſtitui poſſit.

Item promittunt Oratores prædicti nomine ipſius Regis Sereniſſimi Electi, quàmprimum Deo volente, ad Regnum ſuum venerit, claſſem neceſſariam, & ſufficientem ad tuendos portus & dominium maris ditionis Regni, & Provinciarum adiacentium, quatenus ſe porrigit omnis illi tractus Polonicæ ditionis, ſuo ſumptu alere, quã etiam ita inſtituet, vt res & neceſſitas ſvadebit, & Status Regni cenſebunt. Cuius claſſis magnum vſum fore animadvertunt, ad impediendam Narvicam navigationem, ſive etiam illum portum Regno acquirendum.

Item, pollicentur nomine ipſius Sereniſſimi Regis Electi, curaturum primo quoq; tempore, Emporium aliquod nobile, in portu aliquo Gallico mercatoribus & mercimonijs Polonicis inſtituere; ſimiliter & commerciorum mutuum vſum ordinare, adhibitis ad eam rem peritis rei mercatoriæ atq; nauticæ, abſq; quorum conſilio huiuſmodi navigationes rectè inſtitui non poſſunt. Iam autem nunc offerunt ipſi Oratores, nomine Sereniſſimi Regis Galliarum liberam poteſtatem commeandi, & quævis commercia faciendi Noſtris hominibus in Galliam & Alexandriam, & terras novas, eo jure atq; libertate quâ Galli vtuntur.

Item, promittunt & ſpondent ijdem Oratores, nomine Sereniſſimi Regis electi ſingulis annis quoad vivet, & Rex Poloniæ erit, ex reditibus ſuarum Provinciarum, quas in Regno Galliæ habet, quadringenta quinquaginta millia flor: pecuniæ ſe huc in Regnum illaturum, & in uſus Reipublicæ impenſurum pro arbitrio ſuo.

Item conſulendo honori atq; exiſtimationi huius Regni, cùm intellexerint illud eſſe gravi ære alieno oppreſſum, pollicentur dicti

Oratores, eiuſdem Sereniſſimi Regis Electi nomine, nomina ſeu debita Reipublicæ, cum aſſenſu Senatûs per defunctum olim piæ memoriæ Regem facta, aut etiam à morte illius, vſq; ad adventum ipſius Sereniſſimi Regis Electi *R*eipub: causâ contracta, quorum ipſimet Senatores & Status Regni rationes ſuæ Majeſtati indicabunt, ac in ſcriptis proferent, quòd ſua Majeſtas pecunijs ſuis perſolvet dimidiam partem, cùm primùm huc ad Regnum appulerit: *R*eliquum autem intra decurſum duorum annorum proximè ſequentium: hoc autem nomine, ſine quibuſvis alijs, quæcunq; in commodum ac beneficiũ iſtius Reipub: faciet, & præſtabit nihil ſibi eſſe cautum atq; repoſitum volet à *R*epublica *R*egni huius, ſed gratis & libenter illis reſignabit omnia, quæcunq; illi aut cuiuis alteri donaverit.

Item ſpondent ijdem Oratores memorati Sereniſſimum Regem Electum, Academiam Cracovienſem ad meliorem frugem rei literariæ reducturum, evocatis & eductis eò vndecunq; doctiſsimis Viris, in qualibet profeſsione & facultate literaria excellentiſsimis Profeſſoribus, quos ibidem in Academia Cracovienſi, ſtipendijs ſuis alet, ac retinebit perpetuò.

Item promittunt & ſpondent ſupradicti Oratores eundem Sereniſsimum *R*egem Electum ad minus centum ex Nobilium Familia filios in eadem Cracovienſi, ſive etiam Pariſienſi Academia, ad tempus profectûs illorum in re literaria, ſuo ſumptu alere. Quodſi autem Status *R*egni maluerint dimidiam eorum partem in literis, & aliam in armis, ſive etiam in aulis Principum externorum exercere, id in eorum arbitrio eſſe futurum.

Item, Recipiunt & ſpondent ijdem Oratores, nomine Sereniſſimi Regis Electi, eum huc ſecum ad inhabitandum nullos peregrinos homines adducturum, præter paucos, quorum operâ in miniſterio domeſtico vteretur, quos tamen poſtea brevi remittet, perſolutis illis ſtipendijs de ſuo: nullas etiam poſſeſſiones aut dignitates vel officia illis concedet, ſed tantùm Indigenis Polonis juxta Statutum Regni.

Deinde verò, quæ ſupra memorati Oratores in Oratione ſua ad Status *R*egni initio iſtius Conventûs habita, & typis per eoſdem evulgata comprehenderunt, ac Statibus *R*egni obtulerunt, ſpondẽt ac recipiunt pro Dominis ſuis Sereniſſimis Principibus, facturos eſſe ipſos *P*rincipes omnia illa, & fideliter impleturos, quæ memorati eorum Oratores promiſerunt.

Item recipiunt & ſpondent ijdem Oratores, nomine dicti Sereniſſi-

nissimi Regis Electi, Eum omnia jura, Privilegia, libertates, immunitates, prærogativas, vnicuiq; statui & homini ex Incolis Regni, Magniq; Ducatûs Lithvaniæ, & omnium Provinciarum illi adiunctarum, sive generaliter omnibus, sive specialiter singulis per Serenissimos Reges, & alios Principes, & Antecessores, justè & legitimè concessas, vel alio quovis nomine quæsitas, ac diuturno vsu approbatas, sive etiam nunc circa Electionē Regis sui ex vnanimi & concordi omnium Ordinū consensu sancitas, integrè & inviolabiliter servaturum, atq; etiam juramento corporali, juxta sibi traditam formā, ante inaugurationem, sive Coronationem sui confirmaturum, & literis ad id necessarijs muniturum. Quæ etiam suprascripta omnia & inde cætera consequentia, in robur certisimæ atq; perpetuæ firmitatis, supradicti Oratores nomine & loco Suarum Majestatum jurârunt in debita forma. Et in evidentius testimonium, ac robur firmisimum omniū suprascriptorum, sigilla vtriusq; partis, tam Statuum Regni, quàm ipsorum Oratorū hisce literis sunt adhibita, cum subscriptione eorundem manuum. Actum & Datum sub Varsavia, in campo villæ Kamien) in Comitijs magnis Electionis novi Regis *die 16. Maij Anno Domini 1573, vide in volumine Constitutionum Regni. fol: 224. cum seqq.*

LITERÆ PACTORVM CONVENTORVM Cum STEPHANO Rege.

STEPHANUS Dei gratiâ Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kyjoviæ, Volhyniæ, Livoniæq; &c. necnon Transylvaniæ Princeps.

Significamus hisce literis Nostris, quorum interest vniversis & singulis. Quòd post discessum & susceptionem Regni Galliarum per Serenissimum Principem Dominum HENRICVM, Dei gratiâ Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Lithvaniæ &c. vigore juris ac libertatum Regni Poloniæ, conditionumq; à prædicto Serenisimo HENRICO Rege susceptarum & promissarum, vacante Poloniæ Regno & Magno Ducatu Lithuaniæ, miseramus ad Status & Ordines Regni Poloniæ, Magniq; Ducatûs Lithvaniæ, fideles Nostros Magnificos, Georgium Blandratam Doctorem Physicum, & Martinum Berzeviceium, Equitem Auratum Procancellarium, Consiliarios, Oratores, &

& Commissarios Nostros, qui de Nobis in Regem assumendis cum Ordinibus agerent. Diviniq; Numinis instinctu, in Comitijs generalibus Electionis Regis, sub Varsavia habitis, Ordines Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ Nos Regem creâsse conditionib9 & articulis inter eosdem Ordines, ac Oratores Nostros ibidem conclusis intervenientibus. *Quorum quidem tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis.*

Conditiones propositæ à Legatis Jllustrissimi Transylvaniæ Principis &c. in Comitijs Varsaviensibus novi eligendi Regis gratiâ indictis Ordinibus & Statibus Regni Poloniæ.

P*Rincipio*, Promittit Jllustrissimus Princeps, se libertates, leges, cõsuetudines integrè in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lithvaniæ, conseruaturum, atq; iureiurando, prout Senatus & Ordines statuent, quidquid erit è re Regni observaturum, & comprobaturum.

Secundò, se debita omnia Regni, quæ ad ipsum pertinere meritò poterunt, soluturum.

Tertiò, si ita Ordinibus Regni visum fuerit, pollicetur se confestim recuperaturum esse, quidquid Moschus occupavit. Quodsi veteranis suis copijs opus erit, illas minimè recusaturum.

Quartò; Perpetuum fœdus illud, quod jam olim initum cum Imperatore Turcarum fuerat, confirmaturũ. Cum Tartaris verò sempiternam quietem & pacificationem habiturum.

Quintò; Limites Regni omnes ita muniturum, ne hostis quispiam accedere facilè posit.

Sextò, dum adventum suum, si Deo ita visum fuerit, parat, ne interim aliqua ex parte hostis quispiam negotiũ facessere posit, ducenta millia florenorum præmissurum se pollicetur, quibus judicio Senatûs & Ordinum, finibus & alijs necessitatibus prospiciatur, vbi verò ipse advenerit, non per Legatos, sed per semetipsũ cum hostibus Regni bellum geret, paratus etiam pro salute Reipub: vitam profundere.

Septimò; Tum favore, tum proprijs sumptibus, vinctos & captivos Rusiæ Nobiles, non ita pridem à Tartaris abductos redempturum esse.

Condi-

Conditiones ex communi Ordinum Regni consensu Jllustrissimi Palatini Transylvaniæ &c. Legatis propositæ, & ab ijs susceptæ, Varsaviæ die 14. Decembris Anno Domini 1575.

JNprimis, cùm Inclytæ Iagellonicæ Familiæ (quæ hîc diu & felicissime regnavit) tot exstent erga Rempub: Polonam incomparabilia merita, Ordines Regni id maximè curant, vt suorum Regum Posteritati, cum summa dignitate & honestate prospiciatur. Itaq; ex communi Ordinum decreto, ante omnia sanciunt, vt Illustrissimus Transylvaniæ Palatinatus &c. Serenissimam Poloniæ Infantem in matrimonium ducat. Si verò contigerit (quod Deus avertat) Serenissimam Infantem vel fatis cõcedere; vel ab hoc matrimonio omnino alienã se præbere, nihilominus dignitas Regiæ Suæ Celsitudinis salva sit.

Omnia jura, libertates, Privilegia, immunitates à Serenissimis Poloniæ Regibus Reipublicæ legitimè concessas; necnon articulos in Electione HENRICI Regis conscriptos, & ab Ordinibus oblatos, primùm hîc Varsaviæ ab ipsis Legatis; deinde Parisijs ab vtroq; Rege publico juramento approbatos, confirmabit.

Si quid præterea, circa Coronationem Ordines Regni ad augendas Libertates postulaverint, publico Privilegio approbabit.

Ad repentina Regni præsidia mille equitum & quingentorum peditum stipendia, Legati quàmprimùm expedient.

Auxilia externa nequaquam in Regnum adducet, nisi cum consensu Senatûs & Ordinum.

Stipendiarios milites extra Regnum inscijs Ordinibus non emittet.

Cùm sibi invicem Ordines Regni, *pro decima octava die Ianuarij* Andreouiæ Generalem Conventum indixerint, curabit, vt in eo Conventu has omnes conditiones, tam sibi ab Ordinibus propositas, quàm Nobis suo nomine à Legatis oblatas, publico juramento, vel in persona sua, vel per suos solennes Legatos confirmet.

His supradictis conditionibus ab vtrinq; oblatis, ipsi Legati nomine sui Principis se subscripserunt, & eas sigillis munierunt.

Georgius Blandrata, manu propriâ.

Martinus Berzeviceius Procancellarius & Orator manu propriâ.

Sigillis eorundem, subimpressis.

QVarum præinſertarum conditionum, illâ quâ cavetur, vt has conditiones vtrinq; propoſitas in Conventu Andreiovienſi, juramento, vel in perſona, vel per Legatos ſolennes confirmemus, juramento hic á Nobis de mandato Ordinum per Oratores ſuſcepto, mutatâ, reliquis omnibus ſtare ac eaſdem adimplere volen: poſtquam recitatas coram Nobis ſigillatim expendimus & conſideravimus, eas gratas & ratas haben: approbavimus, & confirmavimus, approbamuſq; & confirmamus hiſce literis Noſtris. Promittentes bonâ fide ac ſub juramento, Nos omnes conditiones prædictas, ac omnia & ſingula in ijs expreſſa inviolabiliter obſervaturos & adimpleturos cum effectu, ſine vlla exceptione, nec ijs vnquam directè, vel indirectè contraventuros. Dantes poteſtatem inſuper Cancellario & Vicecancellario Regni Poloniæ pro tempore exiſtentibus, vt poſtquam in Regnum Poloniæ (Deo favente) venerimus, eoſdem articulos eorumq; confirmationem, ſub ſigillo Regni Poloniæ (ſi id Ordines Regni requirent) non expectatô alio mandato Noſtro, uterq; vel alter eorum extradat, non obſtante vllâ exceptione, ſeu quovis in contrarium mandato. Datum in ſummo Templo Civitatis Noſtræ Meggyes, ſub ipſis Comitijs generalibus, *die octavâ Menſis Februarij Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto.*

STEPHANVS Electus Rex.

Martinus Berzeviceius Procancellarius.

Vide in volumine Conſtitutionum Regni, *fol: 251. cum ſequ:*

Literæ confirmationis articulorum HENRICO Regi antea oblatorum à STEPHANO Rege factæ. *Vide in volumine Conſtitutionum Regni fol: 253. cum ſequ:*

STEPHANVS Dei gratiâ Rex Electus Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, &c. necnon Tranſylvaniæ Princeps.

SIgnificamus vniverſis & ſingulis præſentibus & futuris, per Spectabilem & Magnificum *Ioannem Tarlo de Sczekarzowice, Palatinũ Lublinenſem, & Capitaneum Pilznenſem, ac Magnifico, ac Generoſos Georgium Mniſzek, de magna Kunczyce, Inciſorem Regni, ac Sanocen-*

ſem & Socalienſem Capitaneum, Albertum de Starzechowice Starzechowſki Succamerarium Leopolienſem, Palatinidam Ruſſiæ, & Capitaneum Lubaczovienſem, Ioannem de Oſtrorog, Martinum Lwowſki, ab Oſtrorog, Ioannem Płaza de Mſtyczow, Georgium de Krzeczenczyce Niemſta, Adamum de Goray Gorayſki, Stanislaum de Strzemienice Łáſcz, Stanislaum Pſtrokonſki, Ioannem Bełdowſki, Ioannem Radzieiowſki, Oratores ab Ordinibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithuaniæ, in Tranſylvaniam ad invitandum Nos ad Regem, miſſos, oblatos Nobis eſſe publico nomine articulos, ſeu leges ab Ordinib9 in Electione HENRICI Regis de Republica ſancitas. *Quarum exemplum linguâ Polonicâ quâ ſunt perlatæ ſequitur. Sed nunc in Latinum converſæ modo & idiomate Latino infraſcripto.*

Conſiliarij Regni, Equeſter Ordo, & Status omnes Regni & nationis Lithvaniæ, necnon aliarum Provinciarum Regno annexarũ, & ad illud pertinentiũ, hoc ſibi apud Nos caverunt, & Nos conſtituimus, & pro lege perpetua volumus haberi, quòd Nos, nec in vita Noſtra; nec Succeſſores Noſtri Reges Poloniæ & Magni Ducatûs Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, & aliarum Provinciarum, nominabimus, nec eligemus, nec ad Electionem Conventum convocabimus, aliquo modo, vel prætextu excogitato Regem Succeſſorem promovebimus. Et hoc ideo, vt perpetuis temporibus poſt deceſſum *Noſtrum*, vel *Poſterorum* Noſtrorum libera Electio remaneat omnibus Ordinibus & Statibus Regni. Et propterea titulo Hæredis non vtemur, neq; Poſteri *Noſtri Reges* Poloniæ.

Et quia in hac Corona Gentis *Polonæ*, Lithuanicæ, *Ruſſicæ*, Livonienſis, & aliarum, multi reperiuntur diſſidentes in Religione; obviando in poſterum, ne ob ſeditiones & tumultus ex iſta cauſa ad ſciſſuram aut diſcordiam deſcendatur, caverunt ſibi nonnulli Incolæ Regni Confœderatione ſpeciali, quòd in hac cauſa & negotio *Religionis* debent pacificè conſervari, promittimus & Nos id conſervaturos perpetuis temporibus.

Jn cauſis & negotijs *Regni*, quæ pertinebunt ad perſonam Noſtram & Majeſtatis Noſtræ, legationes ad externos Principes mittere, vel legationes exterorum Principum audire, vel expedire, exercitum aliquem, aut milites conſcribere vel conducere *Nos* & Poſteri Noſtri abſq; ſcitu & conſilio Ordinum Regni vtriuſq; Gentis non poterunt; negotia ad Comitia ſpectantia non intervertemus. Quamvis legationes iſtas, quæ Rempublicam non tangerent, & poſſent

juxta exigentiam temporis & necessitatis expediri, poterimus semper cun scitu Consiliariorum vtriusq; Gentis lateri Nostro adhærentium expedire.

Bellum inferre, aut commotionem bellicam generalem Nobilitatis absq; consensu omnium Ordinum in Comitijs generalibus indicere, aut extra limites Regni, Nobilitatem vtriusq; Gentis, modo militari, educere sive per preces, sive per solutionem 5. marcar: super hastas, Nos & Successores Nostri Reges Pol: non debebunt, sub verbo Regio spondemus. Quodsi ex consensu Ordinum in Comitijs generalibus *R*egni commotionem generalem bellicam totius Nobilitatis intimaremus, non poterimus in loco per literas *R*estium assignato vltra duas septimanas retinere. Et si ex consensu omnium Ordinum ultra limites *R*egni Nobilitatem educere voluerimus, & Nobilitas in idem consenserit, tunc pro quolibet Equite, nemine excepto, similiter & Nobili pediti ad servitium bellicum obligato, tenebimur illi antequam extra limites discederemus quinq; marcas persolvere, & non tenebimur illos diutiùs sub hoc stipendio tenere ultra vnum semestre, non faciendo divisionem inter illos in partes majoris vel minoris exercitûs. Quodsi intra duas septimanas extra limites Regni illos non educeremus, tunc penes latus Nostrum non tenebuntur permanere. Et tempore belli tenebimur omnia sumptu Nostro providere, prout tormenta majora, pulverem tormentarium, scalas, custodiam omnem, **Pustarze.**

Reliquos articulos vide superiùs hic folio 268. & sequ:

PACTA CONVENTA.

Inter Illustrissimum Senatum, & amplissimos Status & Ordines Inclyti Regni Poloniæ ac Magni Ducatus Lithvaniæ ab vna, & Magnificos ac Generosos Dominos Oratores, ad eosdem Status & Ordines Regni missos parte ex altera, & eorundem Pactorum Conventorum per SIGISMVNDVM III. Regem Electum Poloniæ confirmatio, in volumine Constitutionum Regni, fol: 451. cum sequ:

SIGISMVNDVS III. Dei gratiâ Rex Poloniæ, ac Magni Ducatûs Lithvaniæ &c. necnon eâdem gratiâ Succorum, Gottorum, Vandalorumq; proximus Princeps hæreditarius, & futurus Rex Magni Principatûs Flandriæ &c. Hæres.

Signi-

SIgnificamus præsentibus literis Nostris, quorum interest vniversis & singulis. Quòd sublato ex hac vita Serenissimo olim piæ memoriæ, STEPHANO Dei gratiâ Rege Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithuaniæ, cùm Serenissimus Dominus JOANNES III. Dei gratiâ Rex Suecorum, Magnus Dux Finlandiæ &c. Dominus Parens Noster obseruandissimus, Nosq; etiam unà misissemus ad Status & Ordines Regni Poloniæ, & M. D. L. Magnificos, Ericum Spar de Sundby Regni Sueciæ Consiliarium & Procancellarium, Gubernatorem & Legiferum Ducatuum Vesmanniæ &c. & Ericum Brache Còmitem Visingosburgensem, & Baronem Lintholmen: Aulæ Magistrū Oratores & Commissarios Nostros, qui inter alia mandata sibi commissa de Nobis in Regem assumen: cum Ordinibus agerent, prosperèq; successisset, vt Divini Numinis instinctu, in Comitijs generalibus Electionis Regis ad Varsaviam habitis, Ordines Regni Poloniæ, & M. D. L. Nos Regem creâssent, certis conditionibus & articulis inter eosdem Ordines & Oratores Serenissimi Parentis Nostri, Nostrosq; ibidem constitutis, interuenientibus. Quorum quidem tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

Articuli Pactorum Conventorum inter Illustrissimum Senatum & Amplissimos Status & Ordines Inclyti Regni Poloniæ, ac M. D. L. ab vna, ac Magnificos ac Generosos Dominum Ericum Spar &c. Serenissimorum Principū Dominorum IOANNIS III. Dei gratiâ Regis Sueciæ &c. eiusq; Majestatis Filij charissimi SIGISMVNDI eâdem gratiâ eiusdem Regni cæterorumq; Principatuum Successoris, nunc verò Electi Poloniæ Regis &c. ad eosdem Status & Ordines missos Oratores parte ab altera.

CVm voluntate Divinâ Reges & Regna constituente, de vnanimi sententia atq; libero assensu omnium Statuum & Ordinum Inclyti huius Poloniæ Regni Magniq; Ducatûs Lithvaniæ, ac cæterarum Prouinciarum ad ipsum Regnum pertinentium memoratus Serenissimus Princeps Dominus SIGISMVNDVS esset in Regem Poloniæ, atq; eundem Magnum Ducem Lithuaniæ, ac cæterarum Regni Provinciarum Principem & Dominum liberè electus, & publicè declaratus, adessent autem cùm ipsius dicti Sueciæ Regis, tum

quoq; commemorati Electi *Poloniæ* Regis SIGISMVNDI Nuntij ſupranominati, cum plena & ſufficienti poteſtate, ab ipſarum Majeſtatibus huc ad Status & Ordines in optionem *Regni* miſſi, cum ijs pro ſalute & incolumitate huius *Regni*, ac totius Reipub: Chriſtianæ, certa Pacta, ſeu conditiones ipſis Sereniſſimis Principibus per dictos Oratores eas ſponte offerentibus, cæteris autem à Statibus Regni expeditis, vtrinq; inita & ſancita ſunt, in hunc qui ſequitur modum.

Primò & ante omnia, vt dum Sereniſſimus Dominus JOANNES III. Sueciæ Rex vivet, ſocietas ſit contra finitimos vtriuſq; Regni hoſtes, eademq; jurejurando confirmetur: mortuo verò, (quod diutiſſimè DEVS differat) eodem Sereniſſimo Sueciæ *Rege*, hæc confœderatio & ſocietas maneat: SIGI*S*MVNDV*S* verò electus *Poloniæ* Rex, jure ſucceſſionis *Regno Sueciæ* potiatur. Deincepſq; omnes liberi eius maſculi primògeniti, quos Deo volente ſuſceperit.

Secundò verò genitis, ſortes in *Suecia*, juxta Conſtitutiones *Regni Sueciæ* aſsignabuntur, Filiabus autem, dotes ab vtriuſq; *Regni* Ordinibus more inſtitutoq; priſtino *Regni Poloniæ* conferentur. Eo caſu verò, *S*ereniſsimus *R*ex Polonicas res non negliget: ac ſi fortè res *S*ueciæ præſentiam eius aliquando deſiderarent, vt eò ſeſe conferre liberum ſit, cum conſenſu omnium Ordinum *R*egni, & M. D. Lithvan:

Item, Livoniæ partem, quam *S*ereniſsimus *S*ueciæ *R*ex nunc poſsidet, ad reliquum corpus Livoniæ Regnum Poloniæ, & Magnū Ducatum Lithuaniæ adiungere, & incorporare tenebitur. *P*ro quo vt Sereniſsimi Regis Legati ſpoponderunt, ita *S*ereniſsima etiam Anna *R*egina Poloniæ cavit, cavetq; omnibus bonis ſuis, tam in Regno Neapolitano ac Ducatu Barenſi, & *R*oſanenſi Duoanaq; Foggia conſtitutis, tum in dote ac contradote, ſummiſq; atq; in vniverſum bonis omnibus, tam mobilibus, quàm immobilibus, intra & extra Regnū conſtitutis.

Item, Claſſem è rebus omnibus inſtructam, vſibus Regni Poloniæ, & M.D. L. ſuâ impenſâ adhibebit: nec pro neceſsitate Regni Poloniæ, & M.D.L. rem mari gerere intermittet.

Item, Tormentorum bellicorum vim non exiguam, neceſſitatibus Regni *P*oloniæ & M.D.L. exigentibus; maximè autem, ſi aliquando vel Novogardiam, vel *P*leſcoviam, vel Smolenſciam oppugnare viſum fuerit, omnia ad eam rem tormenta, tum pulveres,

atq;

atq; globos necessarios, è Regno Sueciæ suis sumptibus suppeditabit.

Pecuniam anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo, Divo SIGISMVNDO AVGVSTO Regi, mutuo datam, condonabit. Similiter omnia jura, debita, atq; actiones, si quæ, quocunq; modo, aut nomine, adversus Regnum Poloniæ, vel M. D. L. ad se pertinent, remittet, tollet, & ijs renuntiabit. Extra Regnum etiam, de certis bonis ac summis, pensionibus Neapolitanis, è Barensi ac Rosanensi Ducatu, necnon Duoana Foggia, pro rata sua portione, cum Regno Poloniæ, & M. D. L. cedet.

Tormenta bellica Moscho, ad Vendam communibus copijs erepta, quæ eorum ad se pertinent, Regno & Magno Ducatui condonabit.

Quinq; arces in finibus, locis opportunis, ex arbitrio Ordinum extruet rebusq; necessarijs omnibus suo sumptu providebit.

Recipiunt etiam & spondent ijdem Oratores, nomine Serenissimi Regis Electi, eum huc secum ad inhabitandum nullos peregrinos homines adducturum, præter paucos, quorum operâ in ministerio domestico vteretur, quos tamen postea brevi remittet, persolutis illis stipendijs de suo. Cùm verò successionem Sueciæ Regni adierit, Consiliarios & Officiales ejus Regni, qui ad eum venient nullis Regni Poloniæ, & M. D. L. consilijs, negotijs, intercessionibus, promotionibus adhibebit, aut ijs se immisceri patietur.

Custodiam etiam corporis sui, nonnisi ex Indigenis Regni, & M. D. L. habebit, eodem modo, Præfectum satellitij sui. Nullas etiam possessiones & dignitates vel Officia illis concedet; sed tantùm Indigenis Regni Poloniæ, & M. D. L. juxta Statuta Regni. In eos verò, qui contra præmissa venerint, aut se aliquibus earum rerum immiscuerint, secundum processum, qui circa Coronationem exhibebitur procedere licebit.

Curabit Serenissimus Rex, vt debita stipendia Livoniæ, militibus præsidiarijs & Cohorti Volscianæ in Arce Camenecensi, tempore Regis STEPHANI conflata solvantur: deq; ea re cum Ordinibus Regni, & M. D. L. in Conventu Coronationis deliberabit.

Confœderationem inter dissidentes de Religione, non solùm juramento, vt à Serenissimis HENRICO & STEPHANO Regibus Poloniæ & Prædecessoribus suis factũ est, conservabit, verùm etiam processum & executionem vtriq; parti servientem contra violatores eius oblatam, sub iuramento observabit, & vt ab Ordinibus Regni quàm primùm instituatur, sedulò curabit.

Debita, quæ Jllustris & Magnificus Dominus Andreas Comes in Tęnczyn &c. in milites contraxit: tum quoq; quæ Magnificus Dominus Georgius Mniszek &c. Generosi etiam Nicolaus Zebrzydowski, &c. Gaspar Maciejowski in præsidiarios Cracoviensis & Scepusiensis Arcium, contraxerunt, persolvet. Ac item ad defensionem Regni quavis ex parte, interim dum Cracoviam adventat, faciendam, sumptum omnem necessarium suppeditabit: & si quæ debita pro comparando & retinendo in eum vsum milite, ac apparatu bellico contrahentur, bonâ fide in Coronatione persolvet.

Jura omnia, libertates, immunitates, Privilegia, Statuta Regni, & speciatim articulos in Coronatione HENRICI Regis sancitos: tum quæcunq; ad correcturam libertatum, jurium pertinentia, Ejus Majestati in Coronatione exhibebuntur, manutenebit, ac firmiter observabit & adimplebit.

Quæ quidem omnia suprascripta, Nos Oratores supradicti, nomine & loco Majestatum suarum juravimus in forma debita: Ipsiusq; Majestas, simulac ad littus Regni appulerit, jurare debebit: Serenissimus quoq; Sueciæ Rex, quæ ad ipsius Majestatem pertinent, cõfirmabit & adimplebit.

Jn cuius rei evidentius testimonium ac robur firmissimum omnium suprascriptorum, sigilla vtriusq; partis, hisce literis sunt adhibita cum subscriptione eorundem manuum. Actum & Datum in campo ad Varsaviam, inter pagum Wola/ in Comitijs magnis Electionis novi Regis *die* 19. *Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo quingentesimo octuagesimo septimo.*

Subscriptiones.

Ericus Spare, Dominus de Sundby Procancellarius, mpp. Ericus Comes, Stanislaus Karnkowski Archiepiscopus Gnesnensis, exceptâ conditione de Religione. Albertus Báránowski Episcopus Præmisliensis. R. P. Vicecancellarius, exceptâ conditione de Confœderatione. Laurentius Goslicki Episcopus Camenecensis, exceptâ conditione Confœderationis. Andreas Comes in Tęnczyn Palatinus Cracoviensis, Petrus de Potilice Palatinus Calissiensis, Gregorius Zielenski Palatinus Plocensis, &c. Ioannes Dulski Mareschalcus Equestris Ordinis, Stanislaus Gárwáski Nuntius Palatinatûs Plocensis, Ioannes Iłowski Palatinus Plocensis, Deputatus Plocensis.

Quas quidem conditiones, eosdemq; articulos, interveniente vltimâ resolutione, de conditione, de ea parte Livoniæ, quam *Se-*

renissimus *Suecia Rex*, Parens *Noster* charissimus nunc possidet; de qua ita inter Nos & Ordines Regni Magniq; *Ducatûs* Lithuaniæ, cùm diu illam vrsissent, conventum est, vt hoc negotium integrũ differatur, ad id tempus, cùm *Regnum* Nostrum hæreditarium Sueciæ, successione ad Nos devolvetur, Nos ratos & gratos habentes, approbavimus & confirmavimus, approbamusq; & confirmamus hisce literis nostris. Promittentes bonâ fide, sub juramento, per Nos, singula in ijs expressa, inviolabiliter observaturos, & adimpleturos realiter & in effectu, nec ijs unquam directè, vel indirectè contraventuros. In cuius rei indubitatam fidem, præsentes subscriptas sigillo Nostro signavimus. Datum Cracoviæ in Conventu Coronationis Nostræ *die 28. Mensis Decembris, Anno Domini Millesimo quingentesimo, octuagesimo septimo.*

Subscriptio

SIGISMUNDVS Rex Poloniæ.

Libet hic adnectere ex historijs, quæ circa electionem SIGISMVNDI III. interuenerunt, vt benevolus Lector majori cum alacritatę legat, cùm varietas (vt commune dicterium est) delectet.

Mortuo itaq; STEPHANO Rege Grodnæ *die 12. Decembris Anno Domini 1586.* ex inopinato epilepsiæ morbo, imprudentiâ Medici neglecto. Zamoyscius Cancellarius triduo post, Regis morte cognitâ, eam per literas, & Stanislaum Zołkievium, filium Palatini Bełzensis, Archiepiscopo Leopoliensi nuntiat. Vacabant *Palatinatus* Russiæ & *Podoliæ*; quorum ille jam antehac Stanislao Zołkievio Patri Palatino Bełzensi à *Rege* missus fuerat, sed is eum nondum receperat, neq; tamen literas dimiserat. Igitur Regis morte subolefactâ, necdum Archiepiscopo Leopoliensi patefactâ, se *Palatinum* Russiæ profiteri cæpit: Archiepiscopo Leopoliensi primo omnium ei hunc honorem habente, & apud Nobilitatem tuente. Stanislaus Karnkovius Archiepiscopus Gnesnensis pro munere suo, *Regis* mortem literis suis Senatoribus denuntiat: Convocationem de more Varsaviam, ad illud idem tempus, quo Comitia Regni, si *Rex* vixisset, habenda fuerant, nempe ad proximam Quadragesimam indicit (hoc est ad Mensem Martium *Anno Domini 1587. vt scripsit Piasecius in Annalibus, fol: 65.*) Quam præcessit Leopoli Convocatio à Palatino novo *Russiæ* indicta. Cui cùm Cancellarius & numerosa Nobilitas adfuit: in qua variè tum de Palatinatu Zołkievij, tum de potentia Cancellarij, & periculis Reipub:, Duce Nobilitatis Nicolao

Jaſſoviecio Capitaneo Sniatinenſi diſceptatum fuit. Poſtremò tamen, omnia moderante Archiepiſcopo Leopolienſi, Cancellarius à ſe omnem ſuſpicionem Hungaricarum practicarum amovit; & ipſe Zolkievius, conſenſu, & favore Nobilitatis, in Palatinatu Ruſſiæ confirmatus eſt; & Tribunal Iudiciorum in Interregno inſtitutum fuit. Sed tamen ad Convocationem Varſavienſem ab Archiepiſcopo Gneſnenſi indictam non pacatis animis itum eſt. Erant inter Opalinium Mareſchalcum Regni, & Stanislaum Gorcanum Palatinum Poſnanienſem, aliquot annorum inimicitiæ; eas in hoc ſtatu periculoſo Reipub: tentabant aliquoties Senatores per Archiepiſcopum Leopolienſem, ac Epiſcopos Vladislavienſem, Hieronymum Rozdrazewſki Plocenſem, & Camenecenſem Laurentium Goslicki, item per Palatinos, Tęncinium Cracovienſem, Szafranecium Sandomirienſem, Mniſcium Caſtellanum Radomienſem tollere, ipſoſq; reconciliare; præſertim cùm Opalinius judicium & arbitrium amicorum admitteret. Sed cùm Palatinus Poſnanienſis duriorem ſe ad omnia, & inexorabilem præberet, res ad optatum exitum perduci non potuit.

Jn hac Convocatione Sulicovius Archiepiſcopus Leopolienſis Rosam Avream à Summo Pontifice benedictam, Dominicâ primâ Quadrageſimæ in Templo auguſtiore Sancti Joannis, in maxima hominum frequentia, Reginæ Annæ, ante maius Altare genua flectenti, ac præſente Legato Apoſtolico, Hieronymo Bovio, Epiſcopo Camerini; & Epiſcopis aliquot, ſolenni ritu & cæremoniâ tradidit, ac Reginæ eiuſq; Familiæ benedixit. Quam Regina, poſtea, eidem Varſavienſi Eccleſiæ donavit.

In ea Convocatione, propoſitio, abſente (ob valetudinem adverſam) Archiepiſcopo, ex ſcripto, nomine ipſius recitata eſt, omnes ad concordiam mutuam & ſuccurrendum Patriæ orbatæ admoniti. Lithuani ab initio non aderant, & de brevitate temporis quæſti, dies decem ſe expectari voluerunt. Quibus cùm & Sandomirienſes adſtipularentur, & moram hanc Opalinius Regni Mareſchalcus impatientiùs ferret; audiens etiam Zborovios tempus adeſſe ratos, quo ſuas injurias acceptas vindicarent, cum magnis irarum ſpiritibus ad futuros, receſſit. Archiepiſcopus Primas identidem langvidus Senatum accedebat. Andreas Zborovius Curiæ Mareſchalcus in Senatum ingreſſus, memoriam dolorum paucis refricans, quæſivit à Senatu, cū ſit paratus ad citationem ſibi datam, jure reſpondere, & innocentiam ſuam probare; annuente Gneſnenſi & Leopolienſi Archiepiſcopis, cæteris ſilentibus, aſſedit, & baccillum è manu ſervi accepit. Vt

igitur Mareſchalcum Regni Opalinſcium diſceſſiſſe, Cancellarium Zamoyſcium abeſſe viderunt, & abſuturum credebant. Zborovij (qui præcipuum conſiliorum ſuorum moderatorem habebant Stanislaum Comitem à Gorka Palatinum Poſnanienſem, gibbo quidem deformem, ſed magnanimum, & mirè ſolertem in aucupando favore populi, quem non tantùm humanitate, comitateq; morum, ſed & profusâ liberalitate demerebatur, præſertim epularum continuo & luxurioſo apparatu, vt vulgò, publica convivantium officina, & magiſtra ſymphoſiorum aula ipſius reputaretur: *vt ſcripſit Piaſecius fol: 66.*) in hoc nervos ſuos intenderunt, vt quàm plurimos fautores ſuæ adversùs Cancellarium cauſæ conclinarent, ipſumq; apud omnes, quàm maximâ invidiâ onerarent. Et cùm primis militari Præfecturâ eum (ut quâ maximè formidoloſus erat) ſub tempus illud exauthorari, vireſq; ipſius eâ ratione imminui, & authoritatem deprimi volebant. *Piaſecius vt ſupra.* Vnde ſi quis Senatorum moderatiùs ſententiam dixiſſet, quâ vel STEPHANI Regis nomen, & merita commemoraret, vel læſos, ac iniuriâ alios ab alijs affectos ad condonandas, hoc tam periculoſo Reipub: ſtatu iniurias, moneret, tanquam ſibi eadem iniuria diceretur, ſiniſtrè interpretabantur, & comitijs ac dicterijs, quaſi voces adulatorum petebant. Quod nihil moratus Archiepiſcopus Leopolienſis, cùm Regis STEPHANI nomen, ob bellicas virtutes, & animum ad gloriam natum, apud omnes Chriſtianos Principes, Domum ipſam Auſtriacam celeberrimam, poſtremò ipſum Summum Pontificem, illuſtrem eſſe diceret, non obſcurè etiam ejus acta ſtudia, & conſilia, tanquam Reipub: Noſtræ, & Nomini Polonico glorioſa comprobavit. Et cùm Legationem ipſam ſe Rege mortuo, jam referre non poſſe diceret, ipſis Ordinibus omnibus, qui Rempub: Noſtram repræſentarent, referens dixit, ſe cum obedientia Regis & Regni ad Summum Pontificem JESV Chriſti in terris Vicarium, & Petri Apoſtoli legitimum Succeſſorem profectum fuiſſe, eius mirificam erga Regem & Regnum hoc benevolentiam comperiſſe, morte talis & tanti Regis, orbitate huius tam nobilis Regni, quod vallum eſſet ab hoſtibus totius Orbis Chriſtiani, ac totius Europæ, maximè dolentem, & quod ſtudium in STEPHANVM Regem ſi vixiſſet, declarare erat paratus, idem in Regnum ipſum, hoc jam neceſſario Reipublicæ tempore, non dubitaret animo prompto & paterno eſſe declaraturum, modò, vt ij concordiam ſervent mutuam, Reipub: ſaluti invigilent, de Sancta Apoſtolica Sede, quæ Mater & Magiſtra eſſet omnis Chriſtianæ Profeſſi-

Professionis rectè & humaniter sentiant.

Et quoniam subolefecerat à multis se vulgò traduci, quasi apud Summum Pontificem, adversus Hæreticos Poloniæ Regi subsidia conciliaret, & cum Regina divortium procuraret, ad ea obiter respondit: Neq; Regi sapienti & considerato aliquid ejusmodi in mentem venisse, neq; sibi quidquam hoc nomine mandatum fuisse, & si aliquâ imprudentiâ, vel malâ aliquâ suggestione, quid eiusmodi sibi injunctum fuisset; non se adeo servili animo esse, vt quod ipsi non probaretur, procurandum susciperet. Pontificem etiam ipsum abundè ostendisse, misso munere sacrato Reginæ, quòd eam potiùs florere, quàm mærere, honoratam, quàm exauthoratam esse cuperet. de persequendis vi Hæreticis, nihil etiam actum esse, sed vim totã, hanc in docendo, persuadendo, monendo, ac Deum pro illis orando sitam esse, quæ si vis appellanda est, ipsi judicarent. His dictis, consuluit, vt in Dei nomine, tempus & locum Electionis Regis, cõcordibus suffragijs designent, & Primati indicenda permittant, pacem tàm publicam externam, quàm internam tueantur, & more Majorum suorum, secundùm antiquas considerationes manuteneant; à privatis injurijs, vel judicandis, vel inferendis, cùm nullus Rex sit, cùm omnes æquali jure se gaudere existiment, cùm facilè ansæ maximo Reipub: malo, vel ex levi initio dari possint, abstineant; condolendum potiùs & compatiendũ esse bonis filijs, positæq; in doloribus Matri.

Zboroviorum fautores, non satis æquis animis, & hanc, & similes aliorum Senatorum sententias accipiebant, & in favorem Cancellarij, (cui vt Samuelis mortem, ita & infamiam Christophori, & vniversam calamitatem Domûs suæ imputabant,) fieri interpretabantur. Vnde plerumq; obstrepere & clamoribus interrumpere tales sententias solebant. Et cùm Statũ Spiritualem moderatiorum consiliorum suasorem esse viderent, hoc totâ illâ Convocatione laboratum est, vt & causæ Spiritualium deteriorem conditionem efficerent; & Cancellarij potentiam, quam sibi infestam videbant, in arctum redigerent. Igitur non pauca, quibus tota Senatûs authoritas subruebatur, conscripserant, quibus & Confœderationem de Religione acriorem, & pacis publicæ conditiones tales inseruerunt, vt quidem ipsis liceret omnia in adversarium, illi autem contra eos nihil: multa interim alijs de publico largiebantur, & sibi vsurpabant, quæ vt quis Senatorum subscribere renuebat, magis vocibus & impetu in eum insurgebant. Summâ fere potestate in omnibus rebus vti voluerunt.

Scri-

Scriptum etiam quoddam ab ijs, qui mediatores sese inter Cancellarium & Zborovios, authoritate Senatûs fecerant, confectum, cùm vtriq; parti æquo jure servire potuisset, si Cancellarius adfuisset, detortis quibusdam in suam partem verbis, quibus Cancellarium capi posse putabant, subscribendum Archiepiscopis & Episcopis, ac reliquis offerebant. Quod dum illi, ne causam Cancellarij inauditâ iniquiorem redderent, facere recusarent; magnis Zboroviorum querelis & populari invidiæ exponebant. Vrgentibus igitur illis, Archiepiscopus Leopoliensis, quòd Archiepiscopum Primatem, & quidem, jam vt crederet invitum & debilem in lecto subscripsisse videret, etiam subscripturum esse dixit, sed memores eos esse jussit, illud nec apud Cancellarium, neq; apud homines alios, quidquid absente parte constituatur, quidquam roboris habiturum esse. Eodem modo & ordinationes quasdam violentas, approbandas proposuerunt.

Jnterea Archiepiscopus Gnesnensis in dies majore morbo conflictabatur, & jam etiam prope de ejus vita desperabatur. Et Plocensis ac Præmisliensis Episcopi, adversam valetudinem causati, Senatū ampliùs ingredi noluerunt. Vladislaviensis, impetus laxioris linguæ hominum non ferens, relictâ Convocatione, domum est profectus. Archiepiscopus Leopoliensis cum Episcopo Camenecensi erant residui, quibus Concilium illud non satis sobrium instabat, vt scriptum illud Convocationis quod Recessum appellabant, cui & Confœderatio Religionis inerat, subscriberent. Quibus ipsi respondebant, Convocationem istarum rerum causâ non esse indictam, sed tantummodò vt pace generali procuratâ locus & tempus eligendi Regis designaretur. Jnterea per Bernardum Macieiovium, jam ex Aulæ Vexillifero Sæculari Sacerdotem factum; & qui tandem etiam amborum Episcoporum favore, post mortem Victorini Wierzbicij Episcopi Luceoriensis, paulò post Episcopus fuit designatus, ad Archiepiscopū Gnesnensem mittunt & obtinent; quòd Archiepiscopus Primas Regni, tumultuante & omnia innovante Convocatione, Electionis futuri Regis diem, & locum edixit, *Varsaviæ ad diem 19. Mensis Augusti.* Quod vbi Concilium illud audivit, tantò vehementiùs Archiepiscopo Leopoliensi & Episcopo Camenecensi instare cœpit, vt Recessui extremam apponeret manum. Certamine illo totus fuit extractus dies, & ita vehementer in illo factum fuit, vt Sæculares illis minitarentur, eos Convocationis dissipatæ fore reos, nisi subscriberent.

Archiepiscopus Leopoliensis contra, post multas à se datas responsi-

ſponſiones, poſtremò caputium è collo ſuo abreptum abjecerit, & pectus nudatum oſtenderit: ſe priùs & Archiepiſcopatu, & vitâ ipsâ ceſſurum, quàm his talibus Conſtitutionibus, contra DEVM, leges Patriæ honeſtas, vtiles, & ſalutares, ac rectum ordinem Reipub: invertendum, eſſe ſubſcripturum. Idem poſt eum Epiſcopus Camenecenſis dixit.

Jlli dum ſuos conatus in caſſum abire cernerent, rem cum illis moderatiùs agere incipiunt; & quandam verbis tegentem virus formulam illis præſcribunt: quâ lectâ, cùm ſe de ea deliberaturos, reſpondiſſent, reliquorum tractatione, dies abſumptus eſt.

Die ſequenti, Archiepiſcopus Gneſnenſis jam, uti videbatur omnibus corporis deſtitutus viribus, Varſaviâ evectus eſt. Et Leopolienſis cum tantis certandum ſibi non ratus ampliùs, idem ſecundo die fecit commendans omnia Deo.

Re intellectâ, coactus eſt Senatus etiam die feſto, & de diſceſſu Archiepiſcopi Leopolienſis, variæ querelæ habitæ; & Kaſimirſcius publicè, quòd literas Recessûs ei in hoſpitio ſuo ſubſcribendas non exhibuerit, obiurgatus. Et cùm jam de Camenecenſi Epiſcopo plus ſibi pollicerentur, is etiam ſe cibo ſumpto ad eos affuturum præſeferens, ſubitò exceſſit, & ad pagum ſuum Decanovium ſe contulit.

Decreta fuit fere poſt Leopolienſem miſſio cum literis Recessûs, vt ſubſcriberet, ſed vnus tantùm rem diſſuaſit, commemorans eius duram in Senatu conſtantiam, & vehementiam. Gneſnenſem non putârunt hoc nomine compellandum; quòd vel mortuum in via crederent; vel ita languidum, vt nihil cum eo agi poſſet. Ad Camenecenſem igitur mittunt & rogant, vt miſertus Patriæ periclitantis redeat, & ſaltim aliquo conſilio ei ſuccurat; ne Convocatio, ne Electio deniq; ipſa apprimè Reipub: neceſſaria, hoc diſceſſu Epiſcoporum in dubium, ac in incertum recidat, & Reſpub: in medijs tempeſtatibus relinquatur.

Spargebatur jam rumor, Archiepiſcopum Gneſnenſem eſſe mortuum, anxius Camenecenſis vtrum eligendum ſit, vicit ſeipſum, & ad illos reverſus, tanquam Pater Patriæ ſalutatus, ægrè quidem primò, poſtea tamen Receſſui ſubſcripſit: adjectâ conditione, Propter Bonvm Pacis. Quam rem, poſtea in Electione & Archiepiſcopus Gneſnenſis, & reliqui omnes Epiſcopi in eo graviſſimè reprehendebant: ſolo Leopolienſi Archiepiſcopo, eum vt ſuum Epiſcopum, & qui jam vnus fere omnium, cum ſe ſolo omnem adverſa-

riorum impetum, absentibus cæteris sustinuit, excusante, & in meliorem partem interpretante. Jllam autem clausulam: propter bonum pacis, *ita Piasecius fol: 67. explicat*: nempe quòd aliter pax communis eo tempore constare non posset, & nullos magis, quàm Ecclesiasticos Status Reipub: distracto Conventu, eo confusus affecisset: contradictione enim sua prorsus excidissent à beneficio pacis provisæ illo edicto, in quo apponi solent *hæc verba*: quæ omnia, sub fide, honore, & conscientijs servanda invicem promittimus; & si quis istis contravenire, & pacem publicam turbare ausus fuerit, contra talem omnes consurgemus in eius destructionem. Non deërant tamen, qui prudens illud in necessitate consilium carperent, & ipsũ Goslicium Episcopum Camenecensem, alioquin Virum in Religione Catholica propugnanda (vt sæpiùs doctrinâ & eloquentiâ potens impugnatores Ecclesiasticorum fortiter in Conventibus publicis represserat) probatissimum, etiam apud Sedem Apostolicam traducere, & conniventiæ cum Hæreticis insimulare non vererentur, quo postea in assequendo majori Episcopatu, Romæ non parum ipsi tui negotij facessitum. *hucusq; Piasecki.*

Talem & tam bellum finem illa Convocatio habuit, indubitata species Electionis futuræ.

Dies autem electionis Regis novi, ad finem proximi Mensis Iunij concordibus suffragijs fuit indicta. Tum temporis Regina Anna Nepotem suum ex Sorore SIGISMVNDVM Sueciæ Regis Filium JOANNIS III. omnibus fere Senatoribus recommendare cæperat, verita, ne ab alijs externis Principibus Regni ambitu præveniretur. Jnde accingere se omnes ad Electionem Regis. Et Russia tota fuit pro Regis Sueciæ Filio.

Archiepiscopus Leopoliensis, quòd Russiæ præcipuas Familias inimicitias agere videbat, multos reconciliabat. vt ante Sienienium cum Mieleccio Palatino, Sieniavium cùm Lesnovijs: ita tunc Ioannem Herburtum Vexilliferum Leopoliensem, cum Zołkievio.

Et quoniam turbulentam fore electionem omnes pronuntiabant, nisi Zamoyscius Cancellarius cum Zborovijs reconciliaretur, aut saltem ad aliquos moderationis terminos reduceretur: Stanislaus Szafranecius Palatinus Sandomiriensis, cum Nicolao Firleio Castellano Biecensi, cum scripto illo, quod in Convocatione authoritate & nomine Senatûs confectum fuit, Cancellarium adjerunt, rogantes, vt subscriberet; sed ille renuit, quòd videret in eo speciem magnam inæqualitatis contineri, diu & multùm inter vtrasq; partes labora-

tum est, neq; tamen quidquam profectum. Duobus milliaribus à loco Electionis partes ambæ abesse, & ad Concilium, nisi tùm, cum vocatæ fuissent, adesse debuerunt. Electionem etiam ipsam absq; eorum præsentia non debuisse fieri illis promittebatur.

Sed vt duæ factiones fuerunt, ita ex omnibus Regni partibus diversis cum animis homines ad electionem conveniebant.

Electionis tempus Zamoyscius Cancellarius, aliquot diebus prævenit numero militum fere inferior, sed eò fortior advenerat, quòd totum robur militiæ Regni aderat in eius comitatu: omnes enim veterani, qui cum STEPHANO Rege militârant, eum sequebantur, atq; vnà peditatus STEPHANI Regis Vngaricus selectissimus. Et cùm primis artis & disciplinæ militaris exercitus Zamoyscij gnarus, stationem suam in modum castrorum munierat, ducto circùm vallo & fossà apud villas **Powąſki & Solwarki**/ duobus à Varsavia passuum millibus distantes, vbi in proximo quoq; fuit designatus circus sessionis, seu locus consessûs Comitiorum celebrandorum.

Gorcanorum autem factio cùm Zborovijs, eorumq; asseclis coniuncti, prope decem millia armatorum habebant, inter quos non paucæ cohortes externo constabant milite. Solus Christophorus Zborovius quingentos adduxerat Gallos Germanis permixtos stipendiarios, eosq; exercitatissimos.

Convenit & Senatus vtriusq; Statûs & frequens Nobilitas. Adfuerant Oratores externorum Principum, Cæsaris, omnium Principum Austriæ, Magni Ducis Moschoviæ. Adfuit & Summi Pontificis Sixti V. Legatus Annibal de Capua, Archiepiscopus Neapolitanus Domui Austriacæ addictissimus.

Jnchoatis Comitijs Electionis Regis, ante omnia laborârunt Senatores neutrarum partium, vt Zboroviani cum Zamoyscio aliquâ ratione reconciliarentur: sed cùm elatiores illorum animi nullũ concordiæ modum admitterent, ita statuerunt; vt nullus eorum armatus ad consessum publicum veniret, & ne vterq; eodem tempore, sed alternis vicibus venirent. Quod aliquandiu ab eis, idq; ægrè admodùm, præsertim á Palatino Posnaniensi (nam Cancellarius sese in potestate Senatûs esse profitebatur) impetratum & observatum fuit..

Modum inchoandi à pace publica edicenda Senatus sumere volebat, sed Nobilitas in duas partes divisa; altera, è præscripto ordinationis in Convocatione factæ, id fieri debere contendebat: altera, contra, perperam multa in Convocatione facta causans, aliam

ratio-

rationem, eamq; hactenus vsitatam vrgebat. Vnde excitatâ contentione (*vt Piasecki fol: 68. scripsit*) de Acti Convocationis præteritæ circa Præfecturam militarem & modum colligendi regendiq; milites, quæ non tantùm Zamoysciani, sed & Senatus vniversus ac maturior quisq; abrogari volebat, nempe Comitis Gorcani eiusq; assectatorum arbitrio composita, plurimaq; mori antiquo contraria, Zboroviani ea ferociùs propugnantes, multitudine armatorum stipati, Comitia frequentare cæperunt.

Jn hac divisione sententiarum, succeßit & alia major. Nam cùm tumultuantes ferri non poßent à mansuetioribus, quorum ij Cancellario non obscurè favebant; illi contra Zborovios: pars moderatior seceßit in aliam partem, & separatum conseßum sibi fecerunt. Quod cùm vehementiores viderent, & dicterijs eos inceßabant, & illis Nigri Concilii nomen, sibi verò generalis titulũ imposuerunt, in quo generali conseßu carpebatur Cancellarius, & hostis fere Patriæ, ac bonorum omnium declarabatur. In illo quod Nigrum vocitabant, in quo erant Officiales, Dignitarij, & Capitanei plures, & licèt paucior Nobilitas, tamen omnes moderatiora sequentes consilia; & majore etiam erga Senatum in omnibus sermonibus suis vtentes reverentiâ, defendebatur & patrocinium eius fiebat.

Multi in ea Electione ex populo studebant Moscho; & Archiepiscopus idem diu præferebat, si de Religione Catholica suscipienda aliquod indicium daret. Frustratus tandem opinione eius, postea cogitationem eandem deposuit. Senatus altercationis & disceptationis aßiduæ de Convocationis authoritate, quam alij summam, alij nullam, alij aliquam esse volebant, pertæsus: tum quòd Lithuani ad Concilium ratione nullâ adduci poterant, & si nullo fere die ad Concilium conveniebant, tamen aliâ sibi viâ ad removenda electionis impedimenta progrediendùm esse putavit. Igitur & maior eius pars, & cuius integritati fidebatur, à Mareschalco Regni Opalinscio, ad Karnkovium Episcopum Primatem convocabatur: vbi penitiore & secretiore consilio vsi, cùm per tumultus ad ordiendam & prosequendam Electionem accedi non poßit, de Persona in Regem nominanda prope modum inter omnes convenit. Zboroviorum factio vt id animadvertit, & Nobilitas Concilij illius Generalis (vti se appellabat) diem certum eidem Campestri, quod Rokosz dicebant, instituerunt, ad quod, quemq; è Senatu, vt in medio eorum adesset, evocabant. Hoc verbum Rokosz varij variè interpreta-

pretantur. *Piasecki dicto fol: 68.* dicit esse gentis tesseram, quâ auditâ qui censetur juris & Statûs Nobilis, licet sit alligatus obsequio alicuius Principis, vel Nobilis, relicto eo, ad communem concurrentis Nobilitatis cætum venire pœnis gravioribus obligatur. *Sed Lubienscius lib: 2. de motu Civili in Polonia, fol: 68.* aliter hoc verbum Kokosz interpretatur, quòd Rocos, petito ab Hungaris nomine, generalis quidam & vniversalis Conventus appellatus est.

Qui satis animi habebant, adfuturos se, non solùm Concilio Senatûs & Nobilitatis vniversæ libenter, & quod è salute & vsu Reipub: sentirent, liberè se, vti in loco libero, dicturos respondebant, sed se hanc tam impotentem, & sine ratione Ostracismi institutionem, quam toti Reipub: exitiosam viderent, probare non posse. Igitur etiam ad hunc consessum privatim de Rege, vel Ernesto Austriæ Archiduce, vel SIGISMVNDO Sueciæ Regis Filio, faciendo, ita Opalinscio Duce animati fuerunt Senatores; vt cum apparatu armorum, die proximo Lunæ à Nobilitate designato, ad Senatum adessent, & rei eventum expectarent. Mittebat etiam Senatus ad Lithvanos, vt ad se accederent, & se in hoc periculo Reipub: ab eis non segregarent, sed ij res suas agebant, & post principia stare malebant. Attulerant Zborovij jam animis designatum Maximilianum Archiducem Austriæ, sed eum Moscho tectum fovebant, nullam Maximiliani, frequenter verò Moschi mentionem facientes, quâ re multi inter eos decepti, vti finis postea declaravit, fuerunt.

Die ROKOSI, seu Ostracismi adsunt frequentes in Senatu, adsunt etiam NIGRVM, & Generale (vt jam eo nomine ea vocemus) Concilium; tractantur alia, quæ tantùm ad rem præsentem pertinebant; præsertim obsequium Cancellarij, per Joannem Dulscium Thesaurarium Regni erga Senatum declaratur: eum silere, cùm sciat adversarios, quos in Senatu adfuturos, si mandet Senatus, vel adfuturum vel absuturû, & omnia sua instituta ad tranquillitatem Reipub: accomodaturum. Nondum eo finiente sermonem, apparuerunt copiæ Zboroviorum cum Gorcano, bellica tormenta in campo versùs Senatum disposita, monente Joanne Solikovio Archiepiscopo Leopoliensi fere publicè iam suos premi: Opalinscius assurgit: & equum inclamat. Idem Archiepiscopus Gnesnensis, & reliquus Senatus facit. Vix equos, vt quisq: poterat in re subita ac tumultuaria scandunt: Senatorum autem Equites in suis ordinibus stabant, qui neutram partem respiciebant, ascenderant: Cancellarij etiam exercitus è castris egressus appropinquare cæpit. Jam & Ducis Ostrogiæ, Palati-

Palatini Kijoviensis, ac filiorum eius copiæ ab occidente in ordine stabant; & Opalinscij milites, ab eadem parte *Palatinus* Sandomiriensis, Stanislaus Safraniecius cum Nobilitate *Sandomiriensi* etiam medium tenebant. Quos inter Archiepiscopus Gnesnensis, tum per submissos, tum per se obequitans, consistere jubet: rogans & cum lachrymis obtestans ne Rempub: in discrimen adducant.

Multis igitur, tam Zboroviorum, quàm Zamoyscij, mitigantibus, & ne se spectaculo Orbi vniverso exhibeant, adnitentibus, occidente sole, infestæ acies morâ interjectâ tepefactæ, ad suas stationes redierunt, & hoc modo Rocosum illud furentis Nobilitatis, seu generalis Concilij in nihilum recidit.

In hoc diei illius tumultu, Brzezinius Vladislaviensis Canonicus, Episcopi Cancellarius interfectus, dedit occasionem, vt Archiepiscopus Gnesnensis noctu submissis quibusdam suorum, facibus admotis illud tectum Concilij exuri jusserit, & alium deinde locum, tanquam feliciorem consilijs continuandis, delegerit; qui tamen postea fuit mutatus. Nam Stanislaus Czarnkovius, Casimirscius, & alij quidam ita molesti Senatui fuêre, vt Archiepiscopus cum alijs Senatoribus ad Lithvanos, qui jam propiùs castra admoverant, ac in eodem campo constiterant, conciliandæ sententiæ causâ, Beati Laurentij sacro die accesserit, ac si res illic maturiores invenisset, in eorum Castris, Regem edere in animo habuerit. In tanto enim furore ac tumultu populari; vbi nec initium, nec finem invenire licebat, quâcunq; tamen vnitatis servandæ arte, vtendum sibi putabat. *Sed* cùm neq; tunc id successerat, & in Zboroviorum partibus nulla etiam spes rerum tranquilliorum apparebat, qui etiam nec Reginæ precibus, nec Senatûs authoritate movebantur: Archiepiscopus Gnesnensis cùm in Castra Cancellarij, aut saltem eum locum, qui Concilio habendo delectus fuit, maiorem partem Nobilitatis confluxisse, & imploratâ gratiâ *Spiritûs* Sancti jam præfato honore Ernesti Archiducis, quem ob studium popularitatis à SIGISMVNDO Regis Sueciæ Filio, Nepote Iagellonum, erga domesticũ *R*egem affectæ, hac in parte sententiarum pluralitate vinci constabat, in *S*IGISMVNDVM dici sentẽtias intelligeret, sequenti die manè eò profectus, *S*IGISMVNDVM III. Regẽ Poloniæ in Dei nomine renuntiavit, & in vrbem ad laudes Deo cantandas sese recepit. Expeditus etiam fuit statim Martinus Lesniowolski Castellanus Podlachiæ cum Joanne Boianowski in Sueciam, vt *S*IGI*S*MV*N*DVM inde adduceret, & plures Proceres vtpote Hieronymus *R*ozdrazevivs Vladislavien: Albertus Baranovius Præmislien: & Laurentius Go-

slicius Camenecen: Episcopi cum alijs *S*æcularibus *S*enatoribus sunt designati, qui illum Dantisci exciperent, die pro eo coronando Cracoviæ 17. *Octobris* proximi assignatâ. *R*e intellectâ Zboroviani (sicut ante nominationem *S*IGI*S*MVNDI in Regē Archiepiscopo Gnesnensi erant infensi, quòd Maximiliano apertiùs adversaretur,) eum invitum ad partes suas traducere conati, subornaverant navim, quâ demissâ secundis Vistulæ aquis prope Cænobium Bernardinorum, vbi ipse degebat, eum abducerent. *S*ed Zamoyscius, vt erat sagacissimus explorator consiliorum adversariorum, re cognitâ, misso properè cum *S*tanislao *P*ękosławski Præfecto *S*andomiriensi, firmo præsidio, munivit illud Monasterium, & deinde transire fecit Archiepiscopum, ad tutius in Arce *R*egia hospitium. Lithuani autē vix sibi constabant: *C*ardinalis enim Radziwił cum sua *P*rosapia (quæ ab Austriacis insigne Principatûs Imperij obtinuerat, & illis obstrictior propterea fuit) Maximilianum volebat: Chodkievicij Zborovijs coniunctiores erant, & cæteri dubij quem sequerentur, petebāt dissolvi Comitia, & alia indici omine feliciore celebranda: magis tamen nempe *S*enatores inclinabant ad *S*IGI*S*MVNDVM ducentem genus Maternum ex stirpe Lithuanica Jagellonica, & Equestres Lithvani ad Theodorum Moschoviæ Ducem, Maximilianum prorsus recusantes. Et tandem cùm in conciliandis istis dissentientibus voluntatibus nihil intentatum superesset, & trahi diutiùs Electio absq; periculo *R*eipub: non posset, indignumq; videretur, si paucorum obstinatio consensum universorum deberet remorari, suffragiorum collatione rem determinandam decernunt, dieq; nonâ Mensis Augusti convenerunt omnes in Circo, quem Nigrum vocitabant, inde quòd eò convenire soliti, atrati omnes ob mortem *S*TEPHANI Regis incederent. *S*enatus aderat frequens, nam & à *Z*borovianis redierant pleriq; contumeliosiùs à Gorcanis habiti. Equestris autem Ordinis per campos in Tribus & Palatinatus distincta agmina stabant numerosa, ac præmisso sententiarum calculo Archiepiscopus Gnesnensis Primas, pauca præfatus in laudem *S*IGI*S*MVNDI eum *R*egem Poloniæ & M. D. L. nominaverat, legitimèq; electum denunciaverat. Qui eovsq; compotationibus vacârant, maturare inceperunt & consessus suos frequentare, & quidem ad locum illum quem secundum Archiepiscopus Gnesnensis insederat Concilio suorum convocato, quem etiam non solùm Archiepiscopi designatione sacrum, sed etiam exterorum Principum Legationibus auditis, validum, & à Repub: approbatum esse censuerunt, contra electionem

nem SIGISMVNDI, quasi minis extortam & libertati Nobilis Status adversantem declamauerunt: Christophorum Zborowski ab infamiæ & proscriptionis pæna, quâ à STEPHANO Rege fuerat damnatus, immunem à novo Rege habendum fore decreverunt, & multa statuerunt, in forma publici edicti, quibus Electionem SIGISMVNDI infirmarent, populosq; ab eius partibus, deterrentes, ad Maximilianum avocarent. Et quamvis Lithuani misso, ad eos Joanne Lebowicz, Palatino Trocensi, & Leone Sapieha Vice-cancellario Lithuaniæ anxiè hortarentur, ne nominarent Regem, quin potiùs Electionem ad aliud tempus differrent, quod & alteri parti se persuasuros promittebant; tamen ipsi nominationem Regis Maximiliani *12. die eiusdem Augusti* per Iacobum Woroniecki Episcopum Kijoviensem promulgari fecerunt; insequentiq; die, in Templo Bernardinorum in Suburbio Varsaviæ (ad Templum maius Civitatis non admissi) laudes Deo pro sua Electione solennes reddebant, Cardinale Radziwiło sacra gratiarum celebrante.

Conscripserant etiam conditiones quas Maximilianus iuraret; destinâruntq; ad eum cũ decreto Electionis & Pactis per Legatos ipsius stabilitis, Episcopum Kijoviensem, Joannem Zborowski Castellanum Gnesnensem, & Alexandrum Prunski. Sed statim Ordines Regni divulgato edicto hanc Maximiliani Electionem illegitimam, & irritam esse declarârunt, & nonnisi ad Electionem SIGISMVNDI vitâ & facultatibus omnibus suis defendendam fide sibi invicem datâ sese mutuò obligârunt. Lithvani verò vtramq; Electionem reijciebant, & oppressam potentiorum armis suffragiorum libertatem, novâ ac legitimâ Electione se vindicaturos comminantes, ad propria sunt dilapsi.

Non latebat autem Ordines, quòd Maximilianistæ suffragiorum numero & favore populi inferiores, omnem spem excludendi SIGISMVNDVM, in Austriaca potentia & celeritate ad præripiendam Coronam Regiam reponerent; & facilè sibi omnia ex animo successura crederent: cùm viderent SIGISMVNDVM ex Suecia longinqua accersendum esse, ac eius adventum navigatione maris Baltici autumnali (vt proximè instabat) tempore, sæpe dubiâ retardandum fore: Maximilianum autem in Moravia Olumucij desidentem, intra paucos dies Cracoviam pervenire, occupareq; posse. Vnde illi, priusquàm dissolverentur Comitia, inito consilio, commiserunt Zamoyscio Cancellario, vt interim donec veniret SIGISMVNDVS Rex Electus curaret, ne quid detrimenti Respub: pa-

teretur, injunxeruntq; ipsi, vt conscriberet exercitum, quantum necessitas præsens postularet, fide datâ, de exolvendis publico ære militi quem conduceret stipendijs, refundendisq; omnibus in bellicos apparatus impensis. Quam provinciam ille vti promptè suscepit, ita & naviter fortiterq; administravit. *S*tatim enim Varsaviâ Cracoviam versùs movens, per medias Zboroviorum stationes (in villa **Pcursin**, quà iter erat Zamoyscio, morabantur) instructo exercitu primo diluculo transivit, & cùm somno adhuc post nocturna convivia reperisset sepultos, vt illis socordiam, & in re militari inertiam exprobraret, apprehensos ipsorum excubitores, flagris excipi fecit.

Jn ipso procinctu defecerat ab eo ad Maximilianistas, *S*pytek Iordan (promissâ sibi Præfecturâ *S*cepusiensium in confinijs Vngariæ Civitatum corruptus) sed non caruit propterea proditionis notâ, siquidem jam acceperat à Zamoyscio stipendia militaria, & non multum de illa fraude inultus exultavit; nam mox velites Zamoyscij celeri cursu deprehensos illius manipulos dissiparunt, licèt ipse elapsus adhæserit nihilominus Maximilianistis. Et absente Gasparo Maciejovio, arcem Lubovlam *S*cepusiensem intercepit, eamq; nomine Maximiliani occupavit. Et quidem exercitus Zamoyscij rectà Cracoviam contendit, ipsemet verò cùm deflexisset Zamoysciam (fidâ operâ interim vsus Nicolai Zebrzydowski Præfecti Arcis Cracoviensis, & Andreæ Comitis de Tęczyn Cracoviensis Palatini in munienda, & in fide Reipublicæ contra Maximilianum retinenda Civitate Cracovia) non multò post eò quoq; advolavit, vt operi instaret.

Accidit autem Cracoviam versùs è domo sua egressuro, quòd Iuventus studiosa Academiæ Zamoyscensis, dum eo die ludicra puerilia exerceret, in campo proximo cepit Aquilam serpentis vivi nexu colligatam, quæ bonum omen dedit liberandæ Aquilæ Polonæ ab astu serpentino, vt in brevi feliciter successit.

Dum expectatur Electus Rex *SIGISMVNDVS* ex *S*uecia, Conventus Ordinum Regni indictus Visliciæ, in quo frequens Procerũ & Nobilium concursus Electionem *SIGISMVNDI* approbavit, & contra Maximilianum injustum Regni competitorem, vt omnes, qui jure nobili censentur arma sumerent, sub pœnis de expeditione bellica, constituit.

Erant inter Maximilianistas non pauci, qui eorum societati renuntiârant, & se ibidem in eodem loco in quo Archidux renuntiatus erat neutralitatem sunt professi. Quorum caput erat Ioannes

Herbur-

Herburtus Vexillifer Leopoliensis, qui cùm vtramq; hanc Electionem, tanquam nec suo modo, nec jure bono, factam improbarent, & id contrario scripto suo confirmantes, & inter homines variarum Provinciarum Regni dimisso, occasionem variè sentiendi dederunt, & populorum studia variè distraxerunt. Nicolaus quoq; Jassovecius Capitaneus Sniatinensis, qui priùs pro partibus SIGISMVNDI, antequam Rex renuntiaretur, in gratiam Reginæ stetisset, postea ob suas cum Cancellario simultates partes Maximiliani secutus est, & milites in ejus vsum conscripsit, & cum Stanislao Pstroconio vniversam Russiam & omnem eius Nobilitatem devinxit. Quæ cum Statutis Visliciensibus, quibus è domo evocabantur, & pro SIGISMVNDO contra Maximilianum sub pœnis bellicis bellum movere juberentur, quod barbaris vicinis, vxores, liberos ac domos suas expositum iri, se alio avocatis judicabant. Wisniam primò, deinde ad Rzesoviam vnà cum Archiepiscopo Leopoliensi & Dignitarijs Russiæ frequentes admodùm postremò ad Leopolim Comitijs habitis neutram Electionem approbârunt. Et si eius, qui priùs permissione Dei peccata populi punientis diadema Regium receperit, agnoscendum esset imperium, non priùs id fieret, quàm vt pœnæ Visliccenses relaxarentur, & alia gravamina sua, Constitutione publicâ tollerentur. Sicq; per Poloniam & Prussiam totam, de Candidatis & Regibus electis, vbiq; hominum digladiationibus omnia plena fuerunt. Et Zborovij cum suis fautoribus Stanislaum Comitem Tarnoviensem, Castellanum Sandomiriensem Brzezniciæ ceperant, & Visliciam occupaverant, & multas domos Nobilium dispoliaverant. Lithvani in incerto relicti, domos quisq; suas animis perturbatis abierunt.

Missæ fuerunt literæ ad Romanum Pontificem, ad Imperatorē Rudolphum, ad Electores Imperij, nomine publico à Senatoribus excubantibus Cracoviæ pro Repub: cum Zamoyscio, in quibus repræsentatâ Electionis serie, implorabant, vt paci publicæ Christianitatis consulerent, & Maximilianum nonnisi à seditiosorum, potissimumq; decoctorum ac proscriptorum exigua manu, Regem acclamatum, à proposito consequendi Regni averterent. Et ad Maximilianum datæ quoq; erant literæ, quibus eum ijdem Senatores ab ingressu confinium Regni dehortabantur, & Silesiæ Duces admonebant pactorum mutuorum, nè quid hostile per suas ditiones in Poloniam transire permitterent.

Sed his nihil permotus Maximilianus, cum exercitu valido, ma-

chinis, & omni bellico apparatu inſtructo in Poloniam ingreſſus *die 17. Menſis Octobris.* viciniores Cracoviæ pagos occupavit, & ipſemet in Monaſterio Claræ Tumbæ, vno milliari germanico à Civitate Cracovia diſtante conſedit. Et mox datis literis ad Senatores, qui Cracoviæ aderant, ad Collegium Pontificialis Eccleſiæ Cracovienſis, ad Magiſtratum Vrbanum, ad Academiam Cracovienſem, requirebat, vt ſibi Electo Regi Vrbem & Coronam Regiam traderent, niſi vim armorum ſuorum experiri mallent. Sed reſponſum accepit, SIGISMVNDO legitimè electo Regi, inſignia Regni ſervari, & ſi quid ille hoſtile tentaret, pari armorum vi repellendum fore.

Significabatur interim SIGISMVNDO Regi, vt adventum acceleraret, jam enim dies Comitiorum ad Eum coronandum aſſignatus præterierat, & percrebuerat rumor JOANNEM Sueciæ Regem Eius Patrem, circa pacta ab Eius Legatis in Electione concluſa, dubia multa, præſertim circa reſtitutionem Eſtoniæ movere: ac propterea tardiùs ex Suecia dimiſſum SIGISMVNDVM, & demum ſub finem menſis Septembris in portum Gedanenſem invectum adhuc in navi ſeſe continere, dum quæſtiones quas JOANNES Rex opponebat, cum Polonis, qui Eum præſtolabantur Gedani, diſputarentur. Venit autem Gedanum per mare navibus cum Sorore Virgine. Aderat autem ibi Hieronymus Rozdrazewſki Epiſcopus Vladislavienſis, Albertus Baranowſki Epiſcopus Præmislienſis, Cancellarius Regni Minor, & pleriq; Palatini & Caſtellani, & ex Equeſtri Ordine complures, ex præteritis Comitijs Electionis deſtinati, ad excipiendum in illo portu novum Regem. Sed hi cùm reſponderent ſe in cõmiſſis nihil habere, de tractando ſuper decretis & ſtabilitis in Comitijs Electionis Regis, vt quæ in dubium vocari nullus ſuſpicaretur, totum negotium reſtituendæ Eſtoniæ ad Ordines & Comitia proxima eſt rejectum, & poſt longiores altercationes, præſtitum fuit à SIGISMVNDO Rege juſjurandum ex formula ab Ordinibus præſcripta, redditumq; ipſi diploma Electionis *Calendis Octobris 1587.* in Templo Monaſterij Olivenſis prope Gedanum.

Ac poſt dies octo itineri terreſtri neceſſarijs comparandis datos, Cracoviam verſùs Rex contendit, Comitijs Coronæ ſuſcipiendæ ad diem quindecimam Novembris proximi per literas prorogatis. Lenciciæ exceptus ab Archiepiſcopo Gneſnenſi.

Et cùm adventus ejus Cracoviam verſùs annuntiatus eſt, tanto majori alacritate à mænibus Civitatis Cracoviæ propulſabatur Maximilianus. Ipſe etiam intellecto Regis SIGISMVNDI adventu, &

tu, &

tu, & desperatâ deditione, toto conatu oppugnationem promovebat, potissimam causæ suæ spem in eo reponens, si priùsquam SIGISMVNDVS advenisset, Vrbe potiretur. Et primùm excursionibus tantùm levibus certabatur; & cùm Zamoyscius contineret suos in castris, quæ præ suburbio Clepardia posuerat, ac ducto vallo munierat, præcluseratq; hosti aditum ab illa parte ad Civitatem, Castra hæc fortiter oppugnârunt Maximilianistæ Et quâdam die vallum illorum penè occupârant, sed ipsemet Zamoyscius (castra prope Clepardiæ in domo Kráczek stationem sibi sumpserat, provido satis consilio, vt ad omne periculum vbiq; præsens adesset) accurrens, pugnâ instauratâ, eos repressit.

Cùmq; nihil proficerent in illis oppugnationibus, in quibus quotidie succumbebant & cadebant plures, ad dolos conversi, suburbanos Garbary dictos (quà procul à statione Zamoyscij facilior ad mœnia Vrbis aditus patebat, & remotiùs à Castris Maximilianicis, suspicio fraudis minor erat) ad proditionem solicitârunt, nec alienos ab ea invenerunt, nempe Germanos Germanis addictiores, Germani enim omnes artis coriariæ incolebant illud suburbium, ac impetrârant insidijs locum, in domibus illorum Suburbanorum Germanorum, vt in eas introducerent duas legiones peditum, qui portam Civitatis dictam **Swiecka** ab exiguo præsidio tunc custoditam, intempestâ nocte occuparent, & signo dato reliquus exercitus perficiendo tanto operi subveniret. Sed Zamoyscius re cognita & dissimulatâ tantisper, donec hostiles manipuli, ad locum insidiarum, in illas domos Garbariorum introducerentur, postquã eò sunt ingressi, intercluso omni reditu & aditu, ac supposito igne, totum illud suburbium incendit, & vnà insidiatores illos flammis absumpsit.

Arsit & Monasterium Carmelitarum Calceatorum S. Mariæ in Arena (locus est ubi Imago colitur Deiparæ Virginis in numeris cõmendatissima miraculis, quibus inter grassantes belli Suetici insultꝰ, ipsis etiam hostibus fidei Acatholicæ innotuerat) vocitatum, situm in illo suburbio, cùm ingentes incendij impetus pulvere sulphureo, quem Maximilianistæ in magna copia eò conduxerant, nimiùm aucti à proximis innocuis ædibus cohiberi non possent.

Præcedebant Regem SIGISMVNDVM Cracoviam venientem milites Opalinscij & aliorum, quibus Christophorus Zborovius cum Stanislao Stadnicio ad Prædiboriam occurrens, consertis manibus in eis magnam stragem ediderunt, cuius rei ad Regem nuntio allato, Pe-

to, Petricoviâ (vbi cum ſorore ſua Anna tanti itineris comite pervenerat, Amitam Annam Reginam ibidem obviam habuit, & primùm ſalutavit) Ravam cum ſuis receſſerat; & ibi collectis majoribus copijs, quas plures Proceres accurrentes ad famam adventûs eius intra paucos dies auxerant, per deflexa, & vſq; Corcinum prope traiectâ Viſtulá (quo progreſſum cum Maximilianiſtis evitaret) progrediebatur. Maximilianus deſtitutus omni remedio capiendæ Cracoviæ, & judicans, quòd Zamoyſcius, auctis ſuis viribus adventu Regis, difficiliùs vinci poſſet, prævenire, vltimamq; belli aleam prælio experiri decrevit. Atq; *die 25. Menſis Novembris*, in campo, qui inter Villam **Pramnik/** & Suburbium Cracoviæ **Biſkupie** latè patet, aciem inſtruxit. Zamoyſcius quoq; non detrectavit pugnã, ſed emiſſo equitatu haſtato, in cataphractos robur præcipuum hoſtis, eos ſtatim fudit, reliquæ etiam turmæ Zamoyſcij pugnâ initâ, vbiq; ſuperiores intra duas horas eo campo hoſtem fugârunt. Machinæ majores bellicæ octo, minores magno numero & omne inſtrumentum bellicum in poteſtatem victorum venit, cum ſignis militaribus viginti.

Nec diutiùs morandum ſibi ratus Maximilianus, eâ clade acceptâ, reliquit Cracoviam, converſo itinere Częſtochoviam, vbi novas ex Germania copias expectaret. Zamoyſcius verò Cracoviæ mãſit, operiens adventum SIGISMVNDI Regis, nec perſequendum tunc putavit Maximilianum, cùm crederet ſopiendas eſſe omnes difficultates coronato SIGISMVNDO, qui ſecurior jam Regni depulſo æmulo, viâ Vielicenſi *ad Kalendas Decembris* venit Cracoviam, & in campo Viſtulæ proximo infra Caſimiriam à Proceribus & Nobilibus obvijs, Laurentio Goslicki Epiſcopo Camenecenſi, Viro erudito & facundo perorante ſalutatus fuit: reſponditq; ipſemet lingua Polonicá, quam à Matre Polona edoctus, probè callebat: Inde tranſivit pontem inſtratum Viſtulæ, quæ in Arcu Triumphali, ad caput pontis erecto repræſentata gratulabatur Regi, & ipſi ſoli, & non alteri aditum ad Vrbem concedi teſtabatur.

Et prætergreſsus Caſimiriam ac Stradomiam Oppida ſuburbana Cracoviæ, vbi pervenit ad portam Civitatis Grodzka nominatam deflexit in circuitum mœnium Vrbis, eâq; tranſijt ad campum ſubvrbio Clepardiæ adiacentem; vbi explicatas acies ſpectavit, & ab eis ſpectabatur, ſalutabatur, Zamoyſcio Duce copiarum, ſingulorum militum merita recenſente, & ſua ſigna ſemper victricia, ac periculorum conſcia, indeq; nimiùm lacera præſentante.

Ad in-

Ad ingressum, Clepardiæ stabat congeries armorum, & machinarum bellicarum Maximiliano ademptarum, cum præfixo titulo, *vt apud Piasecki fol: 78.*

Ibidem ab Academia & à Magistratu Vrbis salutatus Rex prope S. Floriani Templum, arcum tapetibus & picturis ornatum subijt, in cuius summitate effigies STEPHANI Regis ad vivum expressa, epigrammate novum Regem excipiente, *vt Piasecki ibidem.*

Ac inde per portam S. Floriani Vrbem ipsam ingressus, arcus plures insigni artificio & ornatu in via ad Arcem ducente, instructos transivit; in quibus Iagellonum Regum effigies expositæ, cum adscriptis eruditis epigrammatibus visebantur: *vt apud Piasecki ibidem. vbi plura de apparatu Civitatis Cracoviensis in excipiendo hoc Rege.*

Licèt autem dies quindecima Novembris, Comitijs celebrandis assignata prӕterierat; tamen Ordines Regni Conventu non soluto, adventum Regis expectabant, & postquàm advenerat, salutationi, & congratulationi aliquo tempore concesso, ad Comitiales consultationes conversi, non priùs eum coronari volebant, nisi dubia Pactorum Conventotum, præsertim de Estonia restituenda cōponerentur. Difficilis fuit illa controversia, & propter eam pene excidisset Regno SIGISMVNDVS, nisi consilia Ordinum Regni de eligendo Rege alio, nondum pacata Maximilianistarum secessio distraxisset. Eò enim processerat ista disceptatio, vt fuerit responsum Regi: quandoquidem nollet stare Pactis Conventis, non deberet iniquè ferre, si Ordines ipsius Electione eò ipso irritâ factâ, ad aliam transirent. Et pro Rege vice versa replicatum fuit, eum potiùs Regnum istud relicturum, quàm conditioni tali assensurum. Est autem Estonia pars Livoniæ, ab origine à gente Sarmatica habitatæ, quam cùm milites Teutonici Cruciferi denominati invasissent, multoq; tempore tenuissent, tandem incolæ nativi libertatis avidæ cupidi, ipsorum jugum excusserunt, & Regno Poloniæ ac Lithuaniæ Ducatui, cùm quo à primævo statu erant, sese adjunxerunt. Occupatâ verò postea Livoniâ à Moscho, cùm eam vt propriam Poloni repeterent, & ad eam sibi restituendam Moschum compulissent, interim dum restitutio paratur, Moscho omnia Livoniæ vti Poloniæ debitæ negligente, & Polonis à Sueco fœdere pacis sibi tunc juncto, nihil tale suspicantibus, iste ex ea detraxit Estoniam. Et quidem STEPHANVS Rex bello vindicandam decreverat, cùm Suecus reddendam differret, missis vltro, citroq; Legationibus, *vt vi-*

dere est apud Piasecki fol: 11. & sequ: Jam autem electo in Regem Poloniæ hærede *S*ueciæ, quo Regna hæc in perpetuum amicitiæ nexum coire deberent, talem (Actionem repetundarum) occasionem justi belli tollere æquum erat, ne Poloni amissæ Provinciæ jacturam paterentur, inde; quòd gratuitò Regnum *S*IGISMVNDO detulerunt, vnde accessionem aliquam potiùs insignem meritò expectabant. Nec aliam Sueci Legati, qui aderant cum Erico Sparre Procancellario Sueciæ, usurpatæ Estoniæ causam adferebant, nisi quòd CAROLV*S* V. & MAXIMILIANVS II. Imperatores tutelam Livoniæ Regibus Sueciæ aliquando commiserant; cùm tamen Imperatores, nullum vnquam jus in Liuoniam, quemadmodùm neq; in Prussiam ac Curlandiam habuerint, & nonnisi recepto inter Christianos Principes more, amicè restitutionem eius requirendam, vel denuntiato legitimè bello repetendam ipsimet judicaturi fuissent, & cùm tuendam commendarent, non invadendam jubebant.

Nitebantur etiam Suetici Legati (risu magis digna interpretatione) dubium facere de Estonia restituenda pactorum articulũ, quasi esset indifferens,conditione appositâ circumscriptus, vt cui esset adiectum Annæ *R*eginæ vadimonium censûs in *R*egno Neapolis ipsi debiti, ex hæreditate Bonæ *R*eginæ, eâq; conditione non impletâ, vadimonij tantùm talis esset facienda jactura sponsori, cùm tamen vadimonium appositum magis obliget stringendo æquè sponsorem, non debitorem liberando. Et in eo tandem res stetit, vt quæstio hæc integra maneret, quousq; *S*IGI*S*MVNDVS defuncto Patre JOANNE Rege Sueciæ, possessionem Regni *S*ueciæ adiret.

*S*ed terruit nimiùm Ordines illa tam repens in ipsis initijs promissorum conversio: jamq; inde omnes taciti licèt de reliquis illis pactis addubitare cæperant, & Regem novum in implendis munijs suis obfirmatiorem futurum ominabantur, non vanâ conjecturâ, vt postea eventus docuit. Non parùm etiam fuit ibi decertatum cum dissidentibus in Religione, qui flagitabant, vt in formula jurisjurandi *R*egij apponerentur hæc verba: Pacem dissidentibus in Religione tuebor. Et cùm Catholici *S*æculares, Ecclesiasticos acriùs resistentes non juvarent, pervicerunt illi, vt clausula talis apponeretur, Hæretici enim, cùm ab initijs introductæ in Poloniam Religionis Catholicæ, legibus vetarentur consistere in hoc Regno, & postea lege Comitiorum Corcinensium damnarentur ad pœnas severiores, nempe publicationis bonorum, mortis, notæ infamiæ & exilij perpetui: aucti numero & potentiâ, ac vsi dissolutè sub Interregnis di-

ſciplinæ occaſione, illas leges antiquari, & impunitatem hæreſim in Regno profitentibus concedi, non prece, ſed minis, ac armorum ſeditioſorum oſtentatione, vrgebant, primùm ſub Interregno poſt obitum SIGISMVNDI AVGVSTI Regis, vbi multitudine prævalentes, cùm inſuper Catholicos Sæculares conſanguinitatibus, neceſſitudinibuſq; diverſis ſibi devinctos, & (vt natura fert ſæcularium) infenſiores Eccleſiaſticis in ſuas partes traxiſſent, facilè libertatem Religionis ſuæ (Fæderationem vulgò vocant) huiuſmodi edicto pacis Interregni approbare fecerunt, repugnantibus Eccleſiaſticis, præter Franciſcum Kraśinſki Epiſcopum Cracovienſem, qui ſolus illi fæderationi ſubſcripſerat, inductus precibus & perſuaſionibus Catholicorum Sæcularium, vt ipſius Apologia ad Legationem acerbiorem Collegij Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ, quòd reſpectu iſtius facti noluit ipſum agnoſcere, excuſat, adferendo cauſam, quòd id fecerit, nè Conventus Electionis Regis ob contumaciam illius diſſolveretur, & quòd non libenter id fecerit, ſed ob armatas preces diſſidentium cum ſuis fautoribus. Facit hoc libellus parvus intitulatus **Braterſkie nápomnienie** ad diſſidentes in Religione ab Anonymo Equite Polono conſcriptus: *videatur & Piaſecki in Annalibus, fol: 65. cum ſequ:*Hæc intra parentheſim, redeo ad incæpta.

Ac ita demum decretum fuit, vt coronaretur Rex SIGISMVNDVS *die vigeſimâ ſeptimâ Menſis Decembris*, feſto Divi Joannis Evangeliſtæ, quâ die, ritu ſolenni, adhibitâ vnctione ſacrâ coronavit Eum Stanislaus Karnkowſki Archiepiſcopus Gneſnenſis, frequenti Senatorum & Equeſtris Ordinis numero Procerum adſtante. Deinde tractabantur negotia publica Comitiorum generalium propria.

Intra hoc tempus miſſi erant à Rzeſovienſi Conventu Nuntij, tam ad SIGISMVNDVM, quàm Maximilianum, ij qui ad SIGISMVNDVM erant deſtinati, Eum jam Cracoviæ invenerunt, qui ad Archiducem, Częſtochoviam vſq;, ſed præter mentem ſuorum pervenerunt. Redierunt autem vtriq; Leopolim ad Conventum ſub id tempus deſignatum, quòd edicto Maximiliani, omnium coram ſe ſiſtendi ad Claram Tumbam, & obedientiam profitendi, ſub pœnis capitalibus præſtitutū fuit. A SIGISMVNDO omnia plana & pacata, bonæq; fidei plena allata ſunt. A Maximiliano ſplendidiora multò & magis ſpecioſiora propoſita. Advenerunt etiam à SIGISMVNDO Procopius Sieniavius, & Joannes Płaza de Mſtyczow ad Conventum illum cum literis ab Electo, quem tamen jam coronâ Regiâ redimitum aſſeverabant. Sed cùm ab ijs, quæ apud Ordines

dines *Russiæ* agenda, aut dicenda erant imparati essent; à Leopoliensi Archiepiscopo informatione habitâ, in medium ingressi, omnia sunt nomine Regis jam coronati, polliciti, quæ in rem eorum essent. Protulerunt etiam Nuntij Russici, Senatorum qui ad latus Regis erant, scriptum, in quo cavebatur rebus eorum, neutiquam verò acquiescentibus *Russi*, nam & Iasloviecius potenti manu advenerat, causamq; Maximiliani fortiter tuebatur, & Archiepiscopi conatum ad concordiam tendentis subruebat, quin & intercipiendus Leopolis agitare consilia videbatur, nam & tormenta bellica secum adduxerat, quæ contra portam Halicensem disposuerat; & militem denuò conscribebat, & Nisovios milites, qui è prælijs Moldavicis evaserant ad se evocabat, & Leopolis hâc de causâ non parvo tempore & semper clausa, & custodijs ac vigilijs diurnis ac nocturnis, suscepto etiam præsidio equestri, tum à Magistratu, tum à loci Capitaneo manebat. In quo periculo positum se & Vrbem Archiepiscopus videns, duo hæc fecit, præsertim, cùm Jasłoviecium in partes Regis coronati traducere non posset. Alterum, quòd ex Vrbe ad Concilij locum, qui ante Vrbem erat, misit, & ex eius medio aliquos ad se mitti postulavit, nam tunc ægrotabat, qui cùm ad eum quindecem venissent, sententiam suam illis aperuit, quâ eorum omnia acta hucusq; collaudavit. Verùm cùm jam controversiæ finem factũ esse, & Deus, quem regnare voluit, abundè ostenderit; altero jam à Regno abeunte; altero diademate Regio insignito, modò pœnæ Vislicenses, & alia eorum gravamina tollantur, jam illos ad agnoscendum Regem illum, & pacem cælitùs oblatam, adhortatus est. Quàm sententiam Archiepiscopi cùm aliqui collaudâssent, aliqui in sua neutralitate persistere temerè velle viderentur, die sequenti in eorum consessum per fratrem suum Sigismundum *Solicovium*, & alios familiares in scripto vltimam sententiam suam misit: quâ missâ ampliùs quid illis consilijs dare debeat, se non invenire significavit. Ita & Joannes Herburtus Vexillifer Leopoliensis, qui Conventûs illius Director sanè moderatus, cum Capitaneo Leopoliensi, Nicolao Herburto Castellano Haliciensi, Andrea Sieniavio aliam sententiam sequente, qui & ipse cum his duobus Rzesoviæ *Senior* eius Neutralistarum partis fuit institutus, scripto vltimo cùm Archiepiscopo caventes rebus *Russiæ* apud Regem coronatum, finem negotio fecerunt. Alterum; quòd Nisovios milites cùm Herburto Leopoliensi Capitaneo, & Constantino Duce Ostrogio, ad quos solicitandos in partem Maximiliani Iasłoviecius erat profectus, ad se, sic etiam innuente

nuente Rege pertraxerũt; & poſtea pannis ac ſericis in eos partitis, eos in fide Regis Coronati retinuerunt. Lithvani priùs varijs Convẽtibus ſuis variè actis & inter electos Reges, vtri ſe adiungerent hærentes, diutiùs Cracoviæ expectabantur, tandem tamen ſuos Oratores Cracoviam mittunt, & de inducijs cum Moſcho, qui decem annorum, quas illi pacti erant, deq; Livonia cum Polonis medium partienda, ſcriptum quoddam à Rege conſequuntur.

Trahebantur Comitia Coronationis Cracoviæ, & cùm adhuc Maximilianus intra fines Regni hæreret, ac licèt monitus, alio diſcedere nollet; imò in dies maioribus viribus & copijs ex Germania ad eum confluentibus augeretur, armis reprimendum vt hoſtem, Ordines cenſuerunt. Undè ſtatim poſtquam Rex coronatus fuerat initio *Anni Domini 1588.* Zamóyſcius Cancellarius iuſſus eum inſequi. Intra paucos dies collecto milite ex *S*tativis, magnis itineribus versùs hoſtem promovit caſtra. Animos addebant Polonis victoriæ jam de eodem hoſte obtentæ. Tum & ſubſidia (erant tria millia Equitum) quæ adduxerat Baltazar Bathoreus ex Boromiſſa Ungarica. Itaq; alacres rigidâ licèt hyeme, noctibus non parcentes, Vieluniam, vbi Maximilianus Joannem Zborovium & Iaſſoviecium, novaſq; copias cum ipſis expectabat intra paucos dies, *ad 15. Ianuarij.* pervenerunt. Cùmq; Maximilianus audito hoc Zamoyſcij præter ſuam ſpem celeri inceſſu, relictâ Vieluniâ, in Sileſiam feſtinanter conceſſiſſet, ratus Zamoyſcium vltra fines Poloniæ, in alienam ditionem infeſta arma non prolaturum; vel ſi tranſiret limites facilè profligãdum fore majori potentiâ; nempe Sileſicis copijs, quas Melchior Rederus adducebat, ac Vngaricis cum quibus Præpoſuarius Vngarus in Sileſia aderat. Zamoyſcius tamen nihil cunctatus perrexit, in Sileſiâ quoq; veſtigijs abeuntis inſiſtens hoſtis, qui jam ſecurior ſui in lo proprio, & penes Oppidum Byczyna bene munitum, ad omnem belli caſum opportunum caſtra metaverat, Nec tantùm periculum evaſiſſe, ſed & rei bene gerendæ occaſionem jam ibi habuiſſe Maximilianiſtæ videbantur; niſi elatioribus ipſorum animis contemptus periculi, conſilium ademiſſet. Longè enim erant ſuperiores numero ac robore copiarum, quæ magnâ parte cataphractis, & ſelectiore peditatu germanico conſtabant; machinis majoribus, & omni bellico apparatu ſatis inſtructæ: cùm Zamoyſcius tormenta bellica nulla haberet, præter minores bombardas paucas, quæ properante curſu vehi peterant: Peditatus tam feſtinanter incedentem conſequi non poterat, præter paucas cohortes: Equites verò aderant juſto nu-

mero & fortes quidem, veterani omnes exercitatiſſimi; ſed habebant equos in inopia pabulorum, continuò itineris & vigiliarum ſemper ſub dio gelido toleratarum labore fatigatos. Ac facilè poterat prohiberi tranſitus Zamoyſcio; præſertim cùm Byczynæ appropinquaret, & tranſeundum eſſet illi per aggerem anguſtum, quà nonniſi duo, vel tres Equites ſimul incedere valebant; paludibus vaſtis & limoſis hinc inde aggerem illum alluentibus. *S*ed Maximilianiſtæ viribus ſuis confiſi, cùm ad locum aptum pugnæ educere & à tergo includere voluerunt. Et cùm jam partem meliorem exercitûs traduxiſſet illam etiam adoriri, & delere haud difficile fuiſſet, priuſquam reliquæ turmæ ſubſequerentur, fatali autem errore hoc quoq; neglecto tempus datum fuit ipſi omnes copias congregandi, & inſtruendi: nẽpe integram victoriam Maximilianiſtæ volebant, vt quâ ſumma rerum conſtaret, & eâ partâ, rectà inde reditus ipſis Cracoviam ad ſepeliendum SIGI*S*MVNDVM tutus patuiſſet. Alioquin in arte confligendi nihil illis inſcitiæ imputari poterat, cùm bene ordinatam aciem conſtituerint, & ſatis fortiter dimicaverint, niſi quòd compendia nimiùm præſumptæ victoriæ quærentes, hoſtem contempſerant. Primus autem *die 25. Ianuarij Anni Domini 1588.* Zamoyſcius ad pugnam promovit, & vt tentaret, ſi ordinem cataphractorum Germanorum, qui in fronte hoſtili ſtabant turbare poſſet, Coſacorum turmas eò introire juſſit; ſed iſtis repulſis, & cæſo ictu bombardæ Hołubek illorum Duce, Stanislaus Stadnicius partium Maximiliani cum legione haſtatorum Polonica cui præerat, invectus in alam dextram Zamoyſcij, acre prælium excitavit, & dubium Martem aliquantùm ſuſtinens, fortiter adnitente *S*tanislao Zołkievio illius alæ Tribuno, victus tandem & in fugam eſt compulſus.

Verùm læva ala atq; frons Zamoyſcij graviùs laboravit contra Germanicas Legiones, quæ bombardarum frequentibus jaculis, Polonos levi armaturâ tectos, facilè ſubmovebant, & diutiùs anceps prælium protrahebant, donec à Tribunis Stanislao Pękosławio *S*andomiriæ, & ab Alexandro Koniecpolſcio Wieluniæ Præfectis, iterato haſtatorum impetu loco moti, & in ordine ſuo confuſi, ope bombardarum ſuarum ſunt deſtituti: tunc enim manu conſertâ pugnare minùs aſſueti, à *P*olonis in eos promptis, armiſq; ad talem pugnam inſtructis, acerrimè conficiebantur, ac armaturâ gravi onuſti, cùm fuga evadere non poſſent, penè omnes in eo loco ſunt cæſi; ex Zamoyſcianis paucis deſideratis, ſoluſq; ex inſignioribus Tribunis mili-

taribus

taribus, Stanislaus Zołkiewſki in genu dextro grave vulnus accepit.

Ungari à Præpoſuario in auxilium Maximiliani conducti, ſub initium pugnæ venerant, & dubij quo loco ipſis conſiſtendum eſſet, dum imperium Præfecti Maximilianici expectant, profligatoſq; interim alios in fugam alios Maximilianiſtas vident, rati ſe eſſe impares inſtaurando prælio, immoti ſteterant, & demum à Zamoyſcio ad eam partem ſubmiſsâ validâ Equitatûs manu ad pugnam provocati, eâ detractatâ, nullo facinore in Vngariam abierant.

Maximilianus autem cùm ex proximo ſpectâſſet pugnantes, debellatum videns, ac fugæ locum non inveniens, Zamoyſcij velitibus circumquaq; campeſtria omnia obſeſſa tenentibus. Byczynam ſe recepit; quò Zamoyſcius quoq; rectà à prælio omnes copias duxit, & circùm ſepto Oppido, machinas majores bellicas, Maximilianiſtis ereptas admovit. Statim etiam occupari fecit proximas mænibus illius Oppidi domus, ex quibus facilè incendium tectis intro Oppidū ligneis inijcere valuiſſet. Vnde Maximilianus omni ope reſiſtendi deſtitutus, miſſo caduceatore, quærebatur quòd Pacta Imperatori cum Poloniæ Regno communia, ingreſſu illo in Sileſiam hoſtili fuiſſent violata, & talem injuriam ab Imperatore vindicandam fore minabatur. Sed ſtatim reſponſum tulit, vt ſaniora remedia quæreret alioquin vim oppugnationis experturus: & celeriùs comportabantur ſcalæ, ſarmenta, ac omnia oppugnationi, excitandoq; incendio neceſſaria. Quod ille videns petijt inducias ad triduum, & eis negatis, cùm petijſſet alias ad proximum manè, offenſus eâ cunctatione Zamoyſcius, machinas promoveri, & muros Oppidi quati juſſit, omnibus qui intrò erant, acriori nece denuntiatâ, niſi ſponte ſeſe dederent.

Ac cùm demum Maximilianus petito colloquio, emiſit duos ex Conſiliarijs ſuis, qui tractarent liberationem ipſius, proponebantur varij modi ſponſionis, quibus ipſe obligaretur ſiſtere ſe ad condictū locum, quantumvis tunc abiret, vel etiam vt Byczynæ ſub cuſtodijs permaneret, ſed Zamoyſcius omnia componi ad eludendam neceſſitatem præſentem cogitans, nullis conditionibus aſſentiri voluit, niſi vt ſe captivum daret Maximilianus, cùm toto ſuo Comitatu.

Duravitq; concertatio illa ad tertiam noctis horam, & eâ primùm prodijt Maximilianus ex Oppido, eumq; exeuntem in ponte portæ Oppidi coniuncto, obvius Zamoyſcius, modeſtâ oratione affatus, manu ſuâ honoris causâ ſubnixum ad locū ſuæ ſtationis deduxit.

Comprehenſi fuerunt ſimul, qui cum eo erant Proceres Poloni,

ni, Jacobus Woroniecius Kijoviensis Episcopus, Comes Gorcanus, Andreas Zborowski Mareschalcus minor Regni, Alexander Prunski Dux, Stanislaus Ciołek Zelechowski, & nonnulli alij insigniores: Stanislaus Stadnicki rectà ex prælio fugâ se salvavit. Germani omnes sunt dimissi, præter paucos obsequio Maximiliani necessarios.

Proximo manè, præda collecta inter milites dividebatur: omnia enim, quæ in Castris & in Oppido Maximilianistæ habuerunt, interceperant victores. Zamoyscio ipsi tormenta bellica cessêre; supellectilem autem argenteam & auream Maximiliani, solutâ eius æstimatione, à militibus Zamoyscius redemit, & Maximiliano nonnullam ad vsum concessit. Istis autem non contenti milites donativũ à Maximiliano postulabant, pro quo ille mutuò accepta à Zamoyscio triginta millia nummorum aureorum, seu florenorum communium, dedit. Et convasatis impedimentis omnibus, post dies tres reficiendis equis datos, collecto exercitu in Poloniam redijt Zamoyscius (Cracoviam non ivit, parcendo Maximiliano, ne spectaculo esset populo ibi ex omni gente frequentiori) deflectens rectà Crasnostaviam, ubi Proceres Polonos captivos (vehebantur curru & habitu vili, cùm omnem apparatum equorum & supellectilium ipsis miles discerpsisset, donec ab amicis, & domesticis de necessarijs fuerunt provisi) sponsione acceptâ, quòd sisterent se in Iudicio, volentes abire ad propria permisit. Maximilianum verò in arce illius loci firmo præsidio munita, diligentiùs custodiri fecit, præsertim post cõpertum dolum; parum enim abfuit, quin elaberetur curâ Zborowiorum, qui post alterum detentionis eius mensem subordinaverant, quomodo ex arce, pariete cubiculi ipsius ad hoc fracto demitteretur, & celeribus equis ab hoc itinere, quâ transeundum erat, dispositis, ad confinia Silesiæ, vel Ungariæ, viginti tantùm milliaribus Polonicis inde distantia abduceretur, quem tamen dolum cum jam, jamq; perficeretur, depræhenderat Marcus Sobieski Vexillifer Regni, illius custodiæ Præfectus, de cætero in honore & splendidè fuit habitus, & à Zamoyscio ad levandum ex fonte Baptismi filium ex Griselide Bathorea Cæsium ipsi suscèptum, ac quandoq; ad convivia festiva Zamoyscium inde vicinum invitabatur. Quamvis *Sulicovius fol: 205.* scripsit, præter Regis & Senatûs voluntatem in Russiam fuisse ductum in Arce Crasnostaviensi detentum.

Sparsâ famâ de profligato atq; capto Maximiliano cum suis assectatoribus, reliqui earum partium, qui adhuc in Polonia latebant, palàm SIGISMVNDO adhærere cæperunt, Russiæq; *illi* motus facilè

le conquieverunt, & vt primùm literæ Regiæ cum Constitutionibus Coronationis, quibus etiam Russiæ Incolis cautum abundè fuit, ad officia Capitaneorum, atq; præcipuè Leopolim venerunt; & subselia judiciorum aperta & promulgata sunt; & Officiales Terrarum jureiurando fidem suam Regi obstringebant; non paucis erubescentibus, quòd ante tempus, Archiepiscopi sui monitui non obtemperaverint. Lithuani quoq; nihil morati cum obsequio advolàrunt, ac omne illud commotionis illius murmur mox conquievit.

Czausius quoq; è Turcia interea in Poloniam missus apud Petrum Mołdaviæ Palatinum substitit, ambigens ad quam se partem conferret, adhuc enim quid actum fuerit cum Maximiliano nesciverat. Palatinus Archiepiscopum Leopoliensem, missa ad eum secretâ legatione, consuluit, quorsum sibi Czausius dirigendus esset, se eius consilio pariturum. Archiepiscopus rectà eum Cracoviam ire suasit, vbi jam Rex electus adesset, & sine dubio coronatus. Ita Czausius à Cæsare Turcarum Cracoviam, necquicquam paratis sibi periculis pervenit, & Regi SIGISMVNDO Regnum gratulatus, amicitiam sui Principis ei detulit.

Jasłoviecius etiam Archiepiscopum Leopoliensem, vt suæ fortunæ rationem habeat, orat. Itaq; Archiepiscopus Leopoliensis Cracoviam ad Regem SIGISMVNDVM venit, apud quem, etsi à multis se tanquam factionum per Russiam authorem traduci intellexisset, tamen sine ulla justificatione, obsequium suum Regi detulit; Russiæ Senatores, Clerum, Ordinem Equestrem, & populum vniversum, ac ipsam Vrbem Leopoliensem commendavit. Si quà fide hactenus in obsequijs Regum ac Reipub: integritatis iniqua versatus sit, deinceps etiam erga Regem SIGISMVNDVM esse futurum, & dicturum, & facturum omnia, quæ Regi & Regno expedire judicaverit.

Austriaci quoq; non jam de Regno, sed magis de liberando Maximiliano soliciti, Sixtum V. induxerunt prece, vt miserit in Poloniam Legatum à Latere Hyppolitum Aldobrandinum Cardinalem (postea electus fuit Papa Clemens VIII. denominatus) qui de eo eliberando ageret; quod tamen proponendis & disponendis tunc inde conditionibus ad annum sequentem, & ad Comitia Regni proxima generalia fuit protractum.

Itaq; initio *Anni 1589.* tractatus de liberando Maximiliano inchoati continuabantur, & tandem in Comitijs generalibus Varsaviæ

coaluerunt non infeliciter, adnitentibus Legatis Summi Pontificis, Imperatoris Rudolphi, & præcipuorum in Europa Principum Catholicorum istis pactis præcipuè.

1. Quòd Maximilianus juri, si quod prætenderet, & titulo Regis Poloniæ renuntiaret, ac tam ipse, quàm Imperator jurejurando verbis conceptis præstito caveret, quòd eo vti non deberet.
2. Amnestia perpetua, injuriæ omnes vtrinq; sopirentur.
3. Arx Lubovlensis cùm Comitatu *S*cepusiensi in confinijs Vngariæ, nomine Maximiliani intercepta restitueretur.
4. Lytro exigendo abstinuerunt Poloni, cuius tamen exemplum clarum habebant à CAROLO V. Imperatore, qui FRANCISCVM Regem Galliæ captivum, nonnisi ære gravi nomine impensarũ belli, mulctatum dimisit. *S*ed hic impensæ impensis, & damna damnis vtrinq; fuerunt compensata. Nimirum Rex SIGISMVNDV*S* omni lucri specie postposit*â*, solidam pacem cùm Domo Austriaca quærebat: quare inter primos concordiæ articulos, etiam fæderum Polonis cum *R*egno Vngariæ, & Boëmiæ jam ante communium renovatio & confirmatio, mutuò fuit stabilita.
5. Adddita quoq; erant nonnulla minutiora, quæ *S*IGI*S*MVNDVS Rex in Polonia, Imperator verò ac Domûs Austriacæ Legati Pragæ jurare, & omnes obligationes, articulos adimplere debebant, ad proximum mensem Iulium, quo demum adimpletis conditionibus Maximilianus dimitteretur.

Præcipuus moderator fuit istius concordiæ, cùm tractaretur Będzini in Comitijs Silesiæ per Commissarios vtriusq; partis (inter quos ex parte Polona fuit etiam Hieronymus Rozdrazevius Episcopus Vladislaviensis) Laurentius Goslicki Episcopus tunc Camenecensis, non solùm disertus, sed & omni politic*â* scientia instructissimus.

Rex SIGI*S*MVNDVS Varsaviâ, Maximilianum Crasnostaviæ sub custodijs hærentem invisit, quò offensam omnem familiari cum ipso consuetudine aboleret. Nec ibi tamen defuit, quo offenderet Maximilianus Polonos: volebat enim eam, quam parem Regibus Archiduces gratiam præseferunt retinere, nec descendebat ad infimos gradus obviam Regi: sed Archimareschalcus Andreas Opalinski non permisit progredi Regem; nisi *M*aximilianus processisset obviam vlteriùs. De cætero humanissimè, à *R*ege salutatus celerioris liberationis obtinuit responsum, licèt hoc aliquantùm fuit retardatum ob non adimpletas, vti Będzini condictum fuerat, conditiones. Et quidem Imperator *R*udolphus stato tempore pacta illius concordiæ subscri-

subscripserat, & firmaverat jurejurando, hàc formulâ concepto.

EGo Rudolphus II. Dei gratiâ Electus Imperator Romanorum semper Augustus & Cæsar, juro spondeoq́ ac promitto per hæc sancta Dei Evangelia, quòd omnia ea, quæ S. D. N. & Legati eius de latere Reverendissimi Cardinalis Aldobrandini interventu, inter Delegatos meos, cæterosq́ Serenissimorum Principum Patruorum & Fratrum meorum ex vna, & Serenissimi Principis D.D. SIGISMVNDI III. Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithvaniæ &c. parte ex altera, Bithomiæ & Będzini congregatos, pacta sunt, in omnibus eorum clausulis firmè inviolatèq́ observabo, ijsq́ satisfaciam: Pacem & amicitiam cum eodem Serenissimo Principe, Regnoq́ Poloniæ, Magno Ducatu Lithuaniæ &c. cæterisq́ coniunctis Provincijs & ditionibus juxta eandem compositionẽ pacta perpetua, & fædus perpetuò constanterq́ colam. Sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Simili formâ jurârunt Legati Boëmiæ, & Archiducum Austriæ, in præsentia Legatorum Regis *Poloniæ*, qui etiam nomine Regis sui jurârunt ea, quæ à Maximiliano & Regnis Boëmiæ ac Vngariæ, Domuiq; Austriacæ erant servanda à Regno Poloniæ.

*S*ed cùm Legati Regni Vngariæ non advenissent, nec ab illo Regno confirmationis pactorum satisfactum fuisset, Poloni quibus negotium dimittendi Maximilianum commissum fuit, tali dubio non adimpletarum conditionum opposito, Maximilianum iterum ex itinere retraxerant. *N*on multâ tamen morâ interpositâ, processerunt ad confinia Silesiæ, vadimonio recepto, quòd Vngari in Comitijs suis proximis, quæ eousq; celebrari non poterant, & non nisi illorum authoritate, similes obligationes inire liceret, pacta illa rata haberent ac iurarent.

Laurentius Goslicki Episcopus Camenecensis, & Nicolaus Zebrzydowski *Præfectus* Arcis Cracoviensis præcipui erant, qui nomine *Regis* & Ordinum deducerent Maximilianum, ab ipso in ingressu *Silesiæ* recepturi jusjurandum confirmationis Pactorum. Qui nihil jam adversum suspicantes, cum exiguo & inermi comitatu, nempe pacati pacato, vti vtrinq; convenerant, assistebant eunti Maximiliano. Trangressi autem Poloniæ fines, in primo Silesiæ confinio, vbi ipse jusiurandum reddere debebat, invenerunt validum exercitum Germanorum, cum Duce Melchiore Redero operientem ejusdem adventum. Ac statim audiunt ibi Maximilianum jurare nolle, omniaq; ipso in detentione invito transacta in dubium vocare. Nullus supererat modus retinendi abire volentem jam armatum,

ſed tamen eum Bithomiam ſecuti, graviùs ipſi exprobraverunt deceptionem hanc Principe indignam, violatam fidem ipſius verbo Summi Pontificis, Imperatoris, & tot Principum ſponſione firmatam, & omnino ſervandam, quantumvis ipſe fallere vellet leviorū tunc conſilio perſuaſus. Zebrzydovius verò, vt erat excelſo & forti animo, ſe & Collegas ſuos, ſtulto illo dolo deluſos fuiſſe indignatus, & nonniſi ſibi, qui pro præſidio delegatis additus fuerat, errorem circa hæc omnem à Repub: imputandum fore recogitans, vitam propriam devoverat, vt Maximilianum in colloquio privato occideret, niſi Goslicius obſtitiſſet, vanam illam colluſionem nulli uſui, ſatiùſq; dedecori Maximiliano, non autem damno futuram reputans Reipub: quæ jam pacem ab Imperatore juratam in ſecuro teneret, vt poſtea evenit. Nam & Imperator illam cunctationem Maximiliani improbavit, pacemq; perpetuam cum Polonis coluit, & ipſe Maximilianus jurare demum à ſponſoribus coactus fuit.

Hæc ex Piaſecio à fol: 78. cum ſequentibus. videatur & Sulicovius in Commentario ſuo rerum Polonicarum, à fol: 172. cum ſequentibus ad folium 210.

His allatis ex Hiſtoricis, nunc veniamus, quæ reperiuntur in volumine Conſtitutionum Regni de electione SIGISMVNDI III & primò ad Receſſum Varſavienſem, de quo ſupra mentio facta eſt Et in volumine Conſtitutionum Regni *à fol: 430.* connotatus eſt, tenoris ſequentis.

RECESSVS VARSAVIENSIS
Circa electionem novam Sereniſſimi Sigiſmundi III. *Anno Domini 1587.*

NOs Proceres Regni tam Spirituales, quàm Sæculares, Equiteſq; ex omnibus Palatinatibus ad electionem hîc ſub Varſavia deſtinatam congregati, omnibus quorum intereſt notum facimus. Quia ſicut Nos huc conveneramus ad hunc ſolennem Actum electionis novi Regnantis, vt in illo redderemus officia noſtra orbatæ Patriæ; ita nihil defuit hac in parte, quod ad bonum illius & commodum augendum, conſervationem quoq; jurium, libertatum, & immunitatum noſtrarum pertineret. Ante omnia Nos Status Equeſtris, qui huc conveneramus, quàm primùm poſt adventum Noſtrum in Satrapias diviſi ſumus, ſubitò conſilijs Noſtris ad id collimaveramus, idq; ante oculos mentis propoſueramus, vt publicam pacem in hoc Con-

Conventu firmaremus, vti in hac parte Constitutione *Anni 1573.* ante electionem Henrici facta, addidisq; ad id ex Constitutione Varsaviensi ijs, quæ necessaria videbantur, & quæ ratio moderni temporis requirebat. Quòd dum agimus, remq; jam fermè in condicto habuimus, quidam Fratrum nostrorum congregati in vnum consessum, intulerant nobis quæstionem de Actionibus & Constitutione coronationis præteritæ, eam stabilire omni ex parte & corroborare volentes. Nos videntes à multis Palatinatibus & multis Fratribus in Conventibus ante electionem celebratis repudiatas præfatas Actiones & Constitutiones (exceptis quibusdam articulis) de illis consultare noluimus, ne Fratribus domi commorantibus, qui hisce de rebus in Conventibus per Districtus suos celebratis jam consultaverunt, hac in parte aliquod præjudicium faceremus, eoq; quòd illi nominatim in Conventibus repudiârunt Fratres Nostros aggravaremus. Promittentes nihilominus nos tam de his actionibus convocationalibus, quàm de alijs in instructione positis, si commodo Reipub: esse videbuntur, libenter consultaturos. Qua in scissione animorum Nostrorum, dum illi, qui acta convocationis præteritæ in omnibus taliter corroborare volebant hoc ex loco, in quo simul congregati fueramus, in alium se transtulerunt. Nos nihilominus per Internuntios vltrò, citroq; conferre in omnibus & res componere non neglеximus. Insuper sperantes Nos citiùs ad vnionem animorum deventuros ductu Jllustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Gnesnensis, iterum in vnum congregati, rationes nostras, & Fratrum domi se retinentium, circa negotia istius Convocationis, in fraterna charitate inducebamus. Ad quas dum responsorias quoq; in fraterna charitate expectabamus libenter, & sperabamus pro certo, projectum erat postridie ab adversa parte scriptum quoddam perstringens in medium nostri, responsioni rationum à Nobis illatarum nullatenus serviens, sed magis in id collimans, vt amplius intentiones nostras disuniret, & vinculum concordiæ ad quod comparandum jam facilis parabatur accessus dissolveret & interrumperet. Considerantes nos ea quæ agebantur, quia ejusmodi scripto magis exasperabantur animi hominum, quia præ strepitu & clamore, nunquam ad efficacia colloquia, & mutuam sermonis susceptionem, tum ad formandam determinatam conclusionem devenire poteramus, divisi in loca Nobis consueta per certas personas è medio Nostri deputatas agere non neglеximus. Ac inprimis apud Jllustrissimum & Reverendissimum Dominum Archiepiscopum, deinde

inde sub Tentorijs in præsentia ejusdem Domini Archiepiscopi, & Jllustrissimi Domini Palatini Sandomiriensis circa compositionem huiusmodi disunionis nostræ, tractare, & consulere studuimus. Atq; dum bonis annuentibus Superis,Deputati vtrarumq; partium (exceptis quibusdam articulis huius Convocationis) in alios omnes consenserunt, quibus & nos sine omni correctione assensum Nostrum præbuimus: Jlli nihilominus spretâ hâc æquè suorum ac nostrorum Deputatorum concordiâ, nedum id, quod ab illis erat conclusum non acceptârunt, sed etiam ea, quorum in actu Convocationis ne mentio quidem fuerat, inferebant. Vtpote ex parte stationum Senatorum quorundam prope fossam constitutarum, deinde Dominorum Mareschalcorum jurisdictioni privilegiatæ derogando, illos Deputatos novis juramentis adstringendos, non verò Officiales Regni ad disjudicandos excessus faciendas executiones Conventûs præsentis habere volebant. Quæ omnia licèt videbamus magis consilia istius præsentis Conventûs impedivisse, quàm corroborâsse; tamen non desistimus per mutuos Nuntios in hac materia cum illis conferre, & ad concordiam stabiliendamq; securitatem Conventûs deducere. Sed cùm solicitudines nostras nullius frui esse cognovimus, nec exoptatum felicioris eventûs terminum attingere potuimus, commisimus huiusce negotij onus & munus Proceribus Regni, qui concordiâ Deputatorum vtriusq; partis, & declaratione de actibus convocatialibus, per illos apprimè institutâ diligenter perpensâ, vnanimi voce & voto decreverunt, vt alta pax subitò publicaretur, alij quoq; huius declarationis articuli placuerunt Dominis Proceribus; ideoq; conabantur partem adversam adducere, quatenus huic declarationi adhærerēt.Sed dum cùm his ad illos miserint suos Internuntios,& per illos denuntiaverunt sensum suum circa promulgationem pacis istius, illi contrariebantur huic maximè, declarando: quod si fieret, id non posse passuros, imò extrema tentaturos: quò effecerunt, quòd id ad effectum non fuerit deductum: & interea dum de istis rebus & Actibus Convocatialibus disceptamus; exnunc alia pars ad majores tumultus & seditiones res ducendo, ad quandam conspirationem seu **Rokoß** excitando, & hinc magis ac magis arma invalescebant. Siquidem non tantùm quòd Senatores & illorum famulos ab illis avocabant; sed etiam sic se ad hanc confæderationem dictam **Rokoß** accingebant, in campum more solito, ad Fossam cum exercitu & tormentis bellicis majoribus, omni conatu progredientes, vt nihil aliud, nisi ex miserrima rerum facie, quam & externi aspiciebant, extre-

extremus interitus hominum specialiorum, & personarum selectarum & floris Reipub: sperandus esset. Siquidem & pars alia similiter in campo armata stetit, & alij neutri parti addicti nolendo se in periculum vitæ temerè conijcere, summa cum cautela stabant. Quem furentium impetum sola singularis gratia Divina, & quarundam insignium personarum interpositio cohibuit. Et dum causam tam funesti eventûs ab illis exposcebamus, hunc solùm prætextum opponebant, quòd huic loco proximæ stationes nonnullorum Dominorum Senatorum fuerant, & ideo periculum aliquod brevi eventurum metuere deberent. Nos quamvis publicas declarationes horum Senatorum sæpiùs audivimus, se omnia, quæ ad pacem publicam spectarent, libentissimè absq; quibusvis excusationibus ferre volebamus, & nihil contrarij ab illis, contra hæc per totum hoc tempus exhibitum fuit. Nihilominus ne aliquis occasionem ad vlteriores dissensiones nancisceretur, consilijs & authoritate totius Senatûs adducti, ex fossa ista transtulimus Conventum Nostrum ad locum Vrbi vicinum, eo apposito; vt de exorbitantijs, quæ tantisper vrgebant, & quarum causâ confœderationem dictam Rokoß paucos ante dies instaurare volebant, taliter consuleretur, qualiter vulnera Reipub: sanari, excessus comprimi, exorbitantiæ suo rigori restitui possint, & ne vlla occasio tumultibus & seditionibus subministretur, quæ procuidubio exorirentur, si aliquo constituto modo, incerto authore & judice, in publicum ejusmodi res, quæ ex natura sua mortalium exasperare solent animos, promanarent & ad effectum exoptatum res venire non possent. Quod vt citius suo potiatur eventu, literas à Palatinatu Sandomiriensi traditas legi jussimus, quarum contenta transactionibus nostris commodè servientia perpendimus, penetravimus, & certis Deputatis à Proceribus Nostris in defectu Deputatorum alterius partis, commisimus, vt literas præfatas iterum perpenderent, contenta diligentiùs considerarent, & quæ necessaria illis viderentur, corrigerent. De his omnibus ampliùs consultare, eaq; ad effectum perducere volentes, dum convenimus in vnum Senatores & Equites, qui eramus vniformis sensûs; & tandem accesserunt ad Nos, Ordines Magni Ducatûs Lithvaniæ, censuimus vniformiter, vt Fratres quoq; nostri nescio quo fato à Nobis divisi, vniti iterum vnà Nobiscum consultarent de omnibus. Quo quidem sat post diuturnum temporis intervallum obtento, dum jam præcluso omni eo, quod periculosum nobis arbitrabamur per translationem consessûs nostri in locum vrbi viciniorem, spem conceperamus bo-

nam; putabamuſq; Nos poſt abſolutas exorbitantias, correcturam jurium expeditam, acceſſuros ad electionem; & ecce loco illius, quod ſperabamus, aliquid aliud nobis evenit. Nam primò, dum jam concluſum eſſet, vt cum illis mutuò conferremus ad inchoandas exorbitantias, tum ad excipiendam legationem Nuntij Summi Pontificis; illi hanc actionem diſſolverunt, illam non admittendo. Igitur præfatus Legatus vocatus à nobis, jamq; itineri accinctus reverti cum indignitate ſua debuerat, ſed integro die expectati à Nobis & Magno Ducatu Lithvaniæ, noluerunt conferre Nobiſcum ſub prætextu maximæ anguſtiæ loci, licèt Equeſter Ordo illis loco ſuo cederent. Poſtridie plura acceſſerunt; venerunt tumultuatim cum armis, loricâ & caſſide onuſti in medium Conſeſſûs Senatorij irruperunt nulla habitâ ratione dignitatis Senatoriæ. Hinc contentio, fremitus, acclamationes, vlulationes in pacem publicam, quam Deputati Noſtri concordibus votis approbaverant, acceptare & admittere recusârunt. Primarios Senatores verbis velut aculeis pungebant: inſuper alios ad duellum provocabant. Interea phalanges Equitum, peditumq; vario bombardarum genere munitorum accedebant. Quod Nos conſiderantes, & videntes, quòd conſultò tempus protrahebant, quia dum aliqui ex noſtris commemorabant tempus hoc præfixum eſſe Comitijs, manifeſtè demonſtrabant, id non eſſe præſentis loci, volentes hoc tempus protrahere in longum, & ſuâ protractione hac ſuperare alios, debuimus itaq; iterum inire conſilium transferendi ſeſſionem Noſtram in alium locum, non procul tamen ab illis, qui res noſtras conſultò protrahebant, & confundebant. Semoti nihilominus non deſijmus iterum adæquata media ad res continuandas, & actum hunc peragendum ſuppeditare, & lachrymis fere voluimus efficere, vt correctionibus præcipuis expeditis vlterius procederemus: neq; tamen id ſuccedere Nobis potuit; ſed iterum de ſtabilienda pace (dum jam potiùs iter arripiendum erat) deliberationem cum tali illius cautione, quæ omnia Acta Convocationis ſecum traheret, intulerant, & moram rebus pridem fortè clam conſtitutam impoſuerant. Quâ ſtante morâ proſcripti & infames, ij ſcilicet: qui locum ſtandi inter Nos non habēt abſq; conſenſu Reipub: in hunc locum venerant, populus extraneus, in cuius conſortio proſcripti ex alijs Dominijs inveniebantur perplures, turmatim inductus eſt: adeoq; libertati noſtræ ferme inſidiabantur, eam conculcare volentes, & poſt diſceſſum hominum, Dominum ad jacturam libertatis noſtræ dare & conſtituere volu-

erunt.

erunt. Nos ea, quæ agebantur, considerantes, & diligenter perpen-
dentes, in pacem ab illis constitutam consensimus, cum tali tamen
conditione, vt hoc, quod trahebat, & confirmabat Convocationem
præteritam, præscinderetur; & homines externi, & illi, qui ad actū
electionis non pertinerent, procul amoverentur, partes verò inter
quas erant odia, alternatim ad consultationes publicas venirent.
considerando in eo periculum dissensionum & tumultuum aliquo-
rum, non tam ex parte illorum, quàm magis ex parte hominū
inferioris cōditionis. Quod dum evincere non potuim⁹: nam & cauti-
onem pacis in omnibus contrariam intentionibus Nostris, sine sci-
tu nostro publicari voluerunt, extraneos, infames, & bannitos juxta
præfixionem nostram non proscripserunt, quinimo ab illis literas
missas publicè recipiebant, illisq; responsum fovorabile præbebant.
Quod vt illorum memoriæ etiam adhæreat, Nobis verò apud Fra-
tres domi manentes testimonio sit; quia ejusmodi actionum autho-
res & fautores non fuimus, dedimus de hac re scriptum nostrum,
Actis Castrensibus Varsaviensibus ingrossandum, cum solenni pro-
testatione per certas personas ad id deputatas, nempe Magnificos
ac Generosos Dominos Joannem Jłowski Tribunum Płocensem,
Nicolaum Podoski Pocillatorem Ciecanoviensem, mediante sub-
scriptione multorum Procerum & Equitum è consessu nostro, exe-
quendo huic negotio deputandorum. Et ideo vlterius ad id, quod
necessitas, imò ipsa violentia à Nobis extorquebat accedere debue-
ramus. Vidimus siquidem apertissimè protractiones illicitas ex par-
te Domûs Austriacæ, quæ licèt magnæ æstimationis sit, semper ta-
men id experiebamur, quòd nobis & rebus nostris minimè expe-
diebat eligere Dominum de Domo ista oriundum, & propter do-
minium Domûs istius, molem ingentis belli & periculi à nationib⁹
Paganis imminentis, vti in confinio illarum manendo, in Nos con-
vertere; sedem belli apud nos constituere, Nos & bona nostra tra-
dere sub jugum grave externi militis, qui ideo omnino induci de-
beret, & pœne ad extremum interitum Nos, Libertatem, & Bona no-
stra deducere. Jtaq; diu manentes, & nihil stabile tam diuturnâ ex-
pectatione sortientes, exceptâ ipsâ morâ, quam de die in diem vide-
re erat, ne tandem in absentia Nostra, (si pertæsi famem & incommo-
ditates, Conventum per discessum Nostrum solveremus,) eligeret no-
bis Dominum quempiam in pernitiem nostram, juxta velle & cō-
modum rerum suarum, prout id tentatum erat; iterum atq; iterum
contra moram istam solenni protestatione factâ, accessimus ad con-

ſeſſum multorum Procerum & Equeſtris Ordinis ad conſultandum circa ſubjectum, non removendo tamen exorbitantias, tum & correcturam jurium, cui peragendæ deſtinavimus Deputatos Noſtros. Et dum noſtras expediebamus ſententias; miſimus ad partem adverſam Senatores aliquot, qui illic conveniebant ſignificantes illis ſenſus Noſtros circa futurum Dominum, hoc eſt, quia Nobis videbatur Dominum eligere, avt ex gente noſtra, quem nobis Deus in cordibus noſtris per noſtram concordiam monſtraret, aut Sereniſſimi Regis Sueciæ Filium, aut Magni Ducis Moſchoviæ, conſentientes in id, quia quemcunq; horum noſtæ Reipub: vtiliorem exiſtimarent, eundem libenter concordibus votis acceptaremus. Nonnulli Domini ex Equeſtri Ordine ibidem præſentes, & inprimis Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus Gneſnenſis, grato animo id acceptârunt, volueruntq; Nobis fraternum reſponſum dari, verùm alij id præpediebant, omnimodè jam Nos hoſtes Patriæ ſentiendo, quia libera vota noſtra pro eo dederamus, pro quo actus iſte impoſitus fuerat, & abſentes (quaſi aliquot decadibus milliarium ab illo actu diſtaremus,) reputando, id ſæpe ſæpiùs addentes, quia nobiſcum neq; per Internuntios, neq; per literas conferre vellent. Aliquot poſtea diebus in magna caritate, in ſumma omnium rerum inopia avidè expectabamus reſponſum pro noſtra inſtructione, continuò requirentes illud per Internuntios noſtros, quod nedū recepimus, verùm etiam id ſubaudivimus, quòd, dum Illuſtriſſimus Dnus Archiepiſcopus in illo conſeſſu videns ſupra modum, menſurā, tempus prolongatum, propoſitionem & intentionem ſuam publicè in Senatu propoſuit, ſcommaticis verbis, & probroſis moribus exceptus: vnde conijciebamus, conſultò factam in negotio hoc prolongationem. Hoc etiam reſcivimus, quòd loco dandorum pro Candidato votorum, introducta fuit deliberatio circa ſublevationem aliquot decretorum, præteritorum Comitiorum, & reſtitutionem Chriſtophori Zborowſki, quod videbamus rem eſſe novam, inſolitam, legibus contrariam, & mali exempli, quâ conceſsâ, via quodammodo aperiri videbatur omnibus præjudicatis, reſpectu quorumvis criminum, evaſionis pœnarum jure communi circumſcriptarum, vnde licentia magna ſublato legum metu creſceret. Nihilominus in his, annuendo negotijs Reipub: quæ propoſita habuimus, ijſq; majoris momenti; & perferendo ex fraterna charitate hunc contemptum & velicationes quibus Nos crebrò afficiebant, non deſijmus petitionem & monitionem ad eoſdem tranſmittere: ne Nos eo con-

contemptu afficiant, vtq; ad promendos sensus, circa Candidatum accedant, & sentimento nostro ratione subjecti, literali responso satisfaciant. Et si apud illos tanti momenti restitutio hæc esset, vt negotia *Reipub:* magna & gravia antecedere deberet, tunc consentiebamus, quatenus salvus conductus cum præscripto tempore ad actionem huic personæ, de qna agebatur, daretur, cuius vigore in Coronatione futuri Regnantis posset innocentiam & processum contra se iniustum monstrare. Protestantes insuper coram Deo, & ijs quod in restitutionem talem, quæ sine cognitione judiciaria, tumultuariè cum strepitu absolvi deberet, consentire sicut non potuimus absq; Fratribus domi manentibus, ita & noluimus, nec consensimus, prout protestatio super hoc ad Acta Castrensia Varsaviensia ex delegatione nostra, per Magnificos Dominos supra nominatos Joannem Jłowski Tribunum, Płocensem, & Nicolaum Podoski Pincernam Ciecanoviensem est in scripto data. Quarta jam dies erat Nobis hocce responsum expectantibus, jamq; ad occasum sol vergere videbatur, cùm venerunt Nuntij illorum vocantes Nos ad consessum suum, prævia veneratione magnæ authoritatis loci illius, in quo sedebant, hoc addito, vt votum id, quod sibi statueretur justè, pro rato & grato ab omnibus Ordinibus Regni susciperetur. Huius verò quod fuit gravioris momenti, scilicet conditionum tam suarum, quàm nostrarum, vlteriorisq; in illis progressûs atq; institutionis ejusmodi, minimam mentionem fecerunt. Dolendum Nobis fuit, tam apertũ contemptum, & tam frequenter, non tantùm personarum nostrarum, sed gravium deliberationum Reipub: videre & audire. Vsi nihilominus sumus in respondendo modestià tali, scilicet: non exaggerando contemptum nostrum, quo Nos affecerant, rationes sæpenumero allatas, propter quas convenire cum illis in vnum locũ non potuimus, commemoravimus: hoc addito; quòd loci solummodo distantiâ idq; satis exiguâ ab illis divisi, in deliberationibus & decernendis consilijs circa actiones Reipub: esse illis maximè vicini semper volueramus: monstrantes & id: quòd vlteriori tractu tẽporis, fame, inopiâ, tædio hominum ab obsequio debito Patriæ nequaquam abstrahi Nos permitteremus. Ex parte loci & authoritatis illius id sentientes, quòd locus quilibet ejusmodi privilegio legitimatur, & authoritatem suam habet, dum in illo de actionibus *Reipub:* proprijs homines ad id pertinentes, numeroso *Senatu* & Equestri Ordine conspicui concorditer, servatâ cuiusq; dignitate, pacificè, sine tumultu & strepitu armorum consultant. Quæ quidem

omnia mediante gratiâ Divinâ inter Nos toto tempore huius Conventûs palam eminebant: in illo autem & homines Equeſtris Ordinis pauci, & Senatores non multi erant, exceptis duobus, aut tribus tantùm: ac proinde jam non habendo ampliùs quidquam expectare; & cavendo, ne ſi infectis rebus diſcederemus, aliquis inconſultis Nobis Dominum conſtituat, poſt acceſſum & vnionem inter Nos factam, Dominorum Senatorum noſtrorum tam Spiritualium, quàm Sæcularium, ac etiam ex Equeſtri Ordine perplurium fecimus quod officij noſtri & muneris erat, quod neceſſitas Reipublicæ à Nobis exigebat. Nimirum: elegimus in Regem Noſtrum & omnium Dominiorum huius Reipublicæ, Sereniſſimum Principem Sueciæ SIGISMVNDVM Nepotem poſt Filiam piæ memoriæ SIGISMVNDI I. Regis Noſtri, quo ſubiectum vtilius, & Throno Regio dignius nequaquam invenire poteramus. nam & ſumma dignitas in perſona eius invenitur, & de ſtirpe Gentis Noſtræ, & Dominorum noſtrorum procedit. Eſt Dominus ſpectatæ fidei, educationis à juventute ſua Polonæ, linguam callet noſtram, moribus ingenuis, ac Regijs virtutibus claret; conſtantiâ mentis & alijs ſingularibus donis a Deo præditus eſt, ſummas corporis & animi dotes in ſe comprehendit; nullas cum quopiam inimicitias poſt ſe trahet, imò potiùs acceſſiones bonorum non exiguas, & amicitias. Nam & vltra adjacentiam Patrij ejus Dominij, veniet nobis cum illo pacificatio Livoniæ, pacificatio controverſiæ non exigua reſpectu dotis debitorum, & ſucceſſionis in rebus mobilium & ſummis pecuniarijs, quæ omnia à Nobis inde requirebantur. Ad hæc navigatio maritima in bonum ordinem reducetur, ac conſequenter commodorum noſtrorum domeſticorum, & aliarum acceſſionũ multum accedet nobis ex perſona illius, vt vix cum alio poſſit accedere. Idcirco à nobis vnanimi voce electus eſt in Regem noſtrum Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ, & Dominiorum aliorum. Similiter ab Jlluſtriſſimo Domino Archiepiſcopo Gneſnenſi idem in Regem Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ nominatus eſt, quod felix fauſtumq; ſit noſtræ Reipublicæ. Spem exinde concipientes non vanam & inanem, quòd omnes Dominationes Veſtræ, Cives huius Reipub: grato animo, cum debito honore & gratitudine acceptabitis à Nobis hoc opus perfectum. Cui electo Regi Noſtro ſpondemus ſacroſanctè fidem, obedientiam, juxta præſcriptum legum noſtrarum: volendo & promittendo Majeſtatem, ſecuritatem, & dignitatem eius, vt decet Polonos, defendere, & pro illis ſe opponere.

Tem-

Tempus Coronationis illius juxta morem istius Reipub: assignamus Cracoviæ ipso die Sancti Lucæ Evangelistæ, quæ erit decima octava Octobris. Et vt res & actiones istæ eo solidiùs à nobis peragi & ad effectum deduci possint exemplo quod præcessit circa electionem Regis Nostri nuper defuncti, constituimus Nobis Cōventus particulares per totum Regnum & Magnum Ducatum Lithvaniæ in Terris & Districtibus in locis præscriptis, pro die decima nona Septembris, in quibus Conventibus particularibus licitum erit Equestri Ordini pœnas decernere contra absentes à Conventu Visliciensi. Omnes autem discedere debent ritu bellico tanquam ad actum Martis. Generalem verò Conventum toti Regno & Magno Ducatui Lithvaniæ statuimus & indicimus Visliciæ pro die 5ta Octobris: ad quem Conventum generalem omnes ex singulis Regni nostri Terris & partibus & Magni Ducatûs Lithvaniæ, vt compareamus more bellico sub pœna præscripta, summo cum studio monemus & rogamus omnes Dominationes Vestras. Faciente hac in parte levamen Palatinatui Podoliæ, Volynensi, Braclaviensi & Kijoviensi, qui propter pericula, per Nuntios suos, hocce negotium absolvere poterunt. Hoc est: si quispiam vltra electionem hanc liberam Serenissimi Principis Sueciæ, Regis jam nostri electi, alium Dominum de Domo Austriaca nominare & promovere auderet in contemptum legum & libertatis, tum in pernitiem Patriæ nostræ, hanc proferendo declarationem; quòd omnes hocce negotium nostrum promittimus Nos strenuè defensuros, & constanter promoturos.

Jn quo Conventu, confirmando in omnibus Confœderationem inter dissidentes de Religione, processum juris & executionē contra violatores illius decernere vtriq; parti servientem, tum correctionem exorbitantiarum & jurium promittimus Nos facturos, & ad actum futuræ Coronationis prolaturos; quæ omnia Rex Electus juramento comprobare tenebitur: quod inter conditiones illi porrigendum erit.

Et propter conservationem integritatis Reipub: ex omni parte, monuimus Jllustrem Dominum Joannem Zamoyski, Cancellarium & Supremum Ducem Exercitûs Regni, quatenus cum scitu Dominorum Procerum, tam ex quarta parte proventuum Regis, quàm ex alijs proventibus Regni, satisfaciendo officio suo, securitatem omnibus partibus Russiæ & alijs locis Regni provideat ab omnibus exterarum nationum insultibus, vsq; ad felicem Coronationem Regis

gis novi. Cui muneri peragendo etiam *S*erenissima *R*egina ex singulari gratia & benevolentia sua, quâ fertur erga *R*empub: Polonā manum apponere, & centum millia florenorum ad manus Jllustris Domini *S*upremi Thesaurarij Regni ad eum effectum repositorum addere liberaliter dignata est. Igitur ex nunc Jllustri Domino Ioanni Dulski Supremo Regni Thesaurario, & Dominis Deputatis ijs, qui Quartas proventûs Regis receperunt, tum etiam Capitaneo loci illius mandamus, ne vllum impedimentum hac in re Jllustrissimus Dux Exercitûs Regni habeat, sub pœnis in Constitutione expressis. Et quia inter tantam multitudinem hominum tam *S*enatorij, quàm Equestris Ordinis multum temporis consūmeret subscriptio, & sigillatio vniuscuiusq; viritim accedentis, ideò deputati sunt à Nobis qui scriptum hoc subscribi, & proprijs sigillis communiri fecerunt. Actum Varsaviæ in loco electioni huic destinato *die 19. Mensis Augusti Anno 1587.* Sequūtur subscriptiones Senatorum Officialium, tam Regni quàm *P*alatinatuum. Inter quos plurimi reperiuntur, qui subscripserunt excepto articulo confœderationis inter dissidentes de *R*eligione, vt quisq; curiosus videre & legere poterit. Tandem subscriptum. *Ex Actis Castrensibus Varsaviensibus extractū*

STABILIMENTUM, Polonicè POPARCIE Liberæ Electionis, SIGISMVNDI III. Regis Poloniæ & Sueciæ, In Conventu Visliciensi factum.

NOs Proceres & Status Regni cum Equestri Ordine omniū Palatinatuum qui Visliciam juxta recessū Varsavień: convenimus vniversis & singulis quorū interest significam⁹. Quod exequēdo ea omnia, quæ Varsaviæ primò, tandē in Convētibus particularibus præteritis per omnes Palatinatus concordibus votis, statuta sunt respectu electionis in *R*egem Poloniæ & Magni Duc: Lith: *SIGISMVNDI* Filij Regis Sueciæ, quamvis jam *S*ereníssimum Regem DEVS Optimo Maximus, ad *R*egnum nostrum perduxerit, nihilominus durantibus hisce motibus, videntes sub hoc tempus difficile esse, vt circa negotia, quæ in recessu Varsaviensi specificata sunt consultare possimus; ideò cum resciverimus periculum ab Archiduce Maximiliano, quem nonnulli dissidentes, qui in anteactis electionibus summum duxerant esse periculum Regni, si quispiam è Domo Austriaca electus foret Dominus, eum hactenùs cum exercitu exterorum

in viscera Regni introducunt, commodiùs censemus, vt curam istius habeamus, quomodo hanc à Patria violentiam reprimamus, libertateiq; nostras ad adventum Serenissimi Regis in Prussia, tam Vrbem Metropolim Cracoviam Regniq; limites illæse retineamus. Neglectis igitur præsentibus consultationibus nostris, commisimus Nuntijs, quos in Palatinatibus nostris pro hoc Conventu, & pro Coronatione elegimus, qui verò non elegimus, in particularibus Conventibus seu Comitiolis nunc eosdem eligamus, vt inde quantociùs Cracoviam discedant, & in omnibus roborando Confœdorationem inter dissidentes de Religione, processum judiciarium, & Executionem contra violatores ejusdem compilent, vtriq; parti servientem, ibidem mutuò correctionem jurium, perpendentes statuant, præsertim introspectà instructione, quæ erat à Palatinatu Sandomiriensi Varsaviæ in Electione, discutiendo hæc juxta exigentiam Reipub: & ad concordiam omnes adducendo, circa quoq; articulum de Interregno, & Electione Regis, vt quàm optimos modos quærant, qualiter hic actus si Regno contigerit, in bono ordine & pacatissime expediri possit. Tunc quoq; inter Exorbitantias si aliquid inveniretur, quod animarverterent necessarium Patriæ, & Reipub: Nostræ, quatenùs Serenissimus Rex porrigat Nobis & confirmet juramento circa Immunitates & libertates Nostras, omnia diligentissimè decernant. Coronatio postquam Serenissimus Rex Cracoviam venerit, juxta consuetudinem cum confirmatione jurium ac libertatum Nostrarum, nec non Pactorum Conventorum, tùm eorum, quæ in bonum Reipub: instituerentur, quantociùs expediri debet.

Misimus quoq; Literas ad Archiducem Maximilianum, petentes, & hortantes eundem, ne limites Regni transgredi præsumat; nec immunitates & libertates Nostras, reductis sibi in memoriam pactis & fœderibus, quæ Imperium Augustissimi Cæsaris cum Polonia antiquitùs retinet, violet. Denuntiantes ipsi, si id exequi voluerit, & Patriam Nostram impetierit, quòd nos quoq; jure gentium agemus, prout antea Fratri Augustissimi Cæsaris denuntiavimus, & commisimus hoc negotium Jllustri Domino Ioanni Zamoyski, Supremo Exercitûs Regni Duci, vt cum Exercitu, quem penes se habet, agat omnia quodcunq; docuerit ars militaris, & jus gentium, & contra domesticos Nostros, qui eundem Archiducem Maximilianum introducere auderent, & violentiam Regno, Regniq; Incolis inferre, si in pertinacia sua perseveraverint, illos o-

mnino hostes Patriæ declarabimus juxta Constitutionem Andreoviensem. Itaq; occurrendo tam magnæ violentiæ, constituimus, prout & modò statuimus & indicimus vigore Conventûs præsentis expeditionem generalem bellicam omnibus Palatinatibus Regni, sub pœnis de expeditione bellica sanatis, in locum & tempus per Jllustrem Ducem Supremum Exercitûs Regni præfixum. Palatinatus verò Cracoviensis, Sandomiriensis, & Lublinensis, qui præsentes hîc sunt, exnunc Cracoviam sine omni mora discedant, illi autem, qui domi se continuerunt, ibidem quantocius conveniant, qui poterunt; illi verò qui remotiùs habitant ad maximum in spatio duarum septimanarum. Omnes insuper Nobiles Districtûs Pilsnensis qui adsunt præsentes, & qui se domi retinuerunt in Civitate **Nowe Miásto** comparere debent, ibiq; residere propter illius defensionem sub directione Domini Castellani Becensis. Propter autem meliorem fidem & certitudinem eorundem omnium, aliquorum Dominorum Procerum & Dominorum ex Equestri Ordine à nobis deputatorũ sigilla sunt apposita, cum subscriptione manuum propriarum. Actum & Datum in Conventu generali ad Vislicíam in agro Villæ Corcinensis *die 8. Mensis Octobris Anno Domini 1587.* Tandem sequitur subscriptio Senatorum & Officialium ac ex Equestri Ordine Deputatorum. *Tandem oblata literarum sequitur.*

Oblatæ sunt ad Officium & Acta præsentia Castrensia Capitaneatûs Cracoviensis literæ supraſcriptæ Conventûs generalis Vislicíensis per Senatores, ac Equestrem Ordinem, seu aliàs totam Rempublicam Regni Poloniæ celebrati, manibusq; supraſcriptorum Deputatorum subſcriptæ, & sigillis sigillatæ, in Actaq; Officij præsentis inscriptæ & acticatæ per Generosos Dominum Felicem Czerski Cracoviensem & Ioannem Gaiewski de Błociszewo Posnaniensem Iudices Terrestres. Actum in Castro Cracoviensi feriâ quartâ ante festum S. Heduigis proximâ, *Anno Domini 1587.*

LITERÆ VNIVERSALES De Motione generali.

NOs Proceres Nuntij Terrestres & Equites, ad præsens juxta institutum inprimis in Conventibus particularibus, tandem in Conventu Vislicensi generali congregati omnibus Dominis Fratribus Nostris significamus. Quod Archidux Maximilianus à quibusdam personis intra limites Regni introductus est cum Exercitu Germanico,

nico, in Civitatibus non bene munitis Incolas ad præstandum juramentum compellendo contra legem & vsitatam *Regni* praxim. Siquidem demum post peractam Coronationem, & legum postea confirmationem, *Regibus* juramenta præstantur. Insuper viam ei præbendo, vt & Nuntios à Nobis ad illum ex Conventu Vislicienſi missos detineat, vt tali modo consensus ab illis extorqueri possit, Cùm itaq; hic violentus progressus, jam ipsa pene viscera Regni occupavit, juxta Constitutionem Vislicensem simul cum Domino Supremo Duce Exercitûs Regni rogamus & hortamur singulas Dominationes Vestras, vt Dominationes Vestræ Fratres Nostri charissimi intra duas septimanas post transmissionem & publicationem, in Officijs Castrensibus generalibus istarum literarum Nostrarum, in Districtibus suis conveniât, & inde Cracoviam quasi ad extinguendum incendium, quàm citissimè properent, hanc publicationem pro tribus literis Restium habendo. Non dubitamus, quòd Dominationes Vestræ hoc facient, tum propter amorem *Patriæ*, tum propter obseruationem Constitutionis prædictæ Interea studia Nostra fraterna Dominationibus Vestris cômendam⁹ Datum Crac: *die decimâ tertiâ Mensis Octobris Anno Domini* 1547. Tandem subscripserunt se Senatores & Officiales, ac Deputati ex Palatinatibus.

Postea oblata earundem literarum talis sequitur.

Oblatæ sunt ad Officium & Acta præsentia Castrensia Capitanealia Cracoviensia per Generosos Felicem Czerski de Czersk Terræ Cracoviensis, & Ioannem Gáiewski de Błociszewo Iudices Terrestres, literæ subscriptæ vniversales de motione eadem generali per Senatores ac Equestrem Ordinem Regni Poloniæ, necnon Regni eiusdem Exercituum generalem Capitaneum laudata, manibus proprijs suprascriptorum Senatorũ & Deputatorum, subscriptæ & sigillatæ. Quas literas Officium præsens ad postulationem suprascriptorum Iudicum & Deputatorum, suo, & nomine totius Senatûs & Nobilium factâ in Acta præsentia Castrensia Capitanealia Cracoviensia acticare demandavit. Actum in Castro Cracoviensi *Feriâ 4tâ ante Festum S. Heduigis proximâ, Anno Domini* 1587.

LITERÆ PRÆSTITI IURAMENTI A Serenissimo SIGISMVNDO III. Rege *Poloniæ* coram Legatis ad eum missis.

NOs Proceres & Equites hîc *Cracoviæ* congregati vniversis & singulis

gulis significamus. Quòd die hesternâ à Serenissimo Domino Nostro liberis votis, & concordibus vocibus electo Rege SIGISMVNDO, tum quoq; à Dominis Legatis ex Varsáviensi electione ad introducendum eundem Serenissimum Regem missis, venerunt Magnifici Domini Stanislaus Orzelski Iudex Terrestris Calissiensis, & Stanislaus Garwaski, reddideruntq; Nobis authenticè iuramentum & confirmationem Legum ac Pactorum à Serenissimo Rege, tum quoq; literas, in quibus Serenissima Majestas exponit desiderium suum, vt designetur tempus Coronationis pro die S. Martini, cùm pro die citiùs Varsaviæ destinata, hoc est: pro die S. Lucæ, comparere Serenissima Majestas, propter infestos navigationi ventos non possit. Nos itaq; misimus denuo Legatos Nostros ad Sacram Regiam Majestatem, precantes, vt quantocius properare dignetur, prout notum habemus Sacram Regiam Majestatem accelerare adventū suum, atq; sic annuentes affectationi Sacræ Regiæ Majestatis. Adhæc, vt Magnifici Domini Ducatûs Lithvaniæ adesse possint, statuimus tempus Coronationis *diem decimam quintam Mensis Novembris*, petendo & monendo omnes Officiales, vt id promulgetur, & ad notitiam omnium deducatur, quod etiam tempus Dominis Magni Ducatûs Lithvaniæ denuntiavimus. Et quia adhuc hîc Maximilianum Archiducem commorari faciunt illi, qui eundem vltra mentem & voluntatem Ordinum introduxerunt, inhærendo Constitutioni Vislicensi, & anterioribus literis vniversalibus à Nobis & Jllustri Domino Supremo Duce Exercitûs editis, omnes Dominationes Vestras hortamur, vt Dominationes Vestræ quantocius ex omnibus Palatinatibus generali expeditione bellica se moveant, & huc iuxta anteriores literas vniversales editas, absq; mora venire non negligant. in quorum meliorem fidem & testimonium nonnullæ personæ ad id à Nobis deputatæ, sigilla sua apposuerunt, & manibus proprijs cum expresione nominum & cognominum suorum subscripserunt. Datum Cracoviæ *die 29. Octobris Anno Domini 1587.* Sequitur subscriptio Deputatorum tam ex Senatu, quàm ex Equestri Ordine. Tandem oblata harum literarum tenoris sequentis. Oblatæ sunt ad Officium & ad Acta præsentia Castrensia Capitanealia Cracoviensia per N. N. Literæ suprascriptæ, Senatorum Regni ac Deputatorum Nobilitatis, manibus ipsorum subscriptæ, sigillis obsignatæ. Quas Officium præsens ad affectationem offerentium, Actis præsentibus inserere, & in locis publicis publicare, vt est moris, admisit. Datum in Castro Cracoviensi feriâ sextâ post festum Sanctorum Simonis & Iudæ.

Iudæ Apostolorum proximâ *Anno Domini Millesimo quingentesimo, octuagesimo, septimo.*

Ultra hæc adjungo Constitutiones *Anni* 1588. *fol.* 471. *sub tit: Processus contra Rebelles* & Constitutionem *Anni* 1589. *fol:* 512. *sub tit:* **Adherentowie Arcyxiażęciá Máximilianá/** in quibus Serenissimus Rex SIGISMVNDVS III. de benignitate & clementia sua cōdonat ijsdem, & in amnistiam mittit omnia, ad honoremq́; vitam, & bona terrestria admittit, his conditionibus; vt in facie totius *Reipublicæ* juramentum præstent super fidelitatem & obedientiam, & quòd in posterum pacificè se gerent. Item quòd nullas practicationes & tumultus in *Republica* facient. Item simultates & inimicitias quas habēt cum *Senatorib⁹*, Magistratibus & *Civibus Regni* deponēt, obligando se sub juramento, quod illas, neq́; per se, neq́; per subordinatas personas excitabunt, sed semper, pacem & tranquillitatem cum *Civibus Regni* colent, & servabunt, vtq́; hoc juramentum illorum in Actis Terrestribus Varsaviensibus acticetur, inter autem eos inter quos simultates erant, vadium ducentorum millium florenorum Polonicalium, authoritate Conventûs illius generalis Varsaviensis, ex consensu omnium Ordinum statutum est. Forū vel post Curiam, vel in Tribunali *Regni* assignatum est. Citatus vt in primo termino peremptoriè respondeat, & alia plura statuta sunt, quæ videre licet. Et hæc sufficiant de gestis circa Electionem *Serenissimi SIGISMVNDI III.* Regis Poloniæ, sed quia post electionē ejusdem *Regis* intercessit **Rokoß/** ideo de illo placuit adferre. *tenoris sequentis.*

Piasecki in Chronica sua fol: 280. *tria exempla in Regno Nostro Rocossorum adfert.*

Primvm circa *Annum Domini* 1380. contra LUDOVICVM *Regem* Poloniæ, & simul Ungariæ, perpetuò in Vngaria degentem, & per Administratores extraneos Regnum administrantem, & regentem; Arces Russiæ Ungaris committentem, respectu vectigalis (quod Regium, id est in recognitionem dominij Regij **Podrádlne** quasi Rastrale vocitabatur) duodenos grossos latos, & singulos modios siliginis, & avenæ totidem, in jugera, seu laneos, quemadmodum antiquitus pendi solebat, requirentem; (quod Proceres sacri, pariter & profani Ordinis negabant, asserentes, liberalitate CASIMIRI Regis Poloniarum, ab hoc vectigali immunes fuisse factos) Tum quòd in Ungaria, Comitia indiceret. Itaq́; Equester Ordo vniversus cum Proceribus, duobus Conventibus, vno Visliciæ, altero Gne-

ro Gnesnæ habitis, à Raphaële Gronovio incitati, huius tesseræ Kokoß. comminatione seu iniecto metu novandarum rerum, & gravioribus querelis, eundem Regem adegerunt, vt ipsorum libertates (quas in Ungaria perpetuò degens, & per Administratores plerūq; extraneos Regnum administrans, Præfecturas Arcium Russiæ Vngaris committens labefactare incipiebat) confirmaverit, administratores alienigenas, præsertim, Opoliensem Ducem ab administratione Regni amoverit, & in locum ejus, Proceres Polonos, Zavisium de Kurozwanki Episcopum Cracoviensem, Dobeslaum ejus Fratrem Castellanum Cracoviensem & Sendivovium de Subino, Palatinum Calissiensem, Præfectum Cracoviensem suffecerit, decretumq; suum, de avellendis à Regno Poloniæ, & adjungendis Regno Ungariæ Provincijs Haliciæ & Sanociæ cassaverit. *Hæc Cromerus.lib. 13. Chronicæ suæ.*

SECVNDVM exemplum accidisse sub SIGISMVNDO Rege Poloniæ circa *Annum 1537.* Cùm coacta totius Equestris Ordinis manus Moldaviam petens, Castra vltra Leopolim, prope Oppidum Gliniany posuisset; tunc enim acclamatâ hac tesserâ Kokoß Nobiles omnes, Rege & Proceribus relictis, invicem conjuncti, severiorem rationem administratæ Reipub: ab ipsis requirebant, ac Senatores quosdam, malorum consiliorum authores, seu tali suspicione notatos, tumultu populari, pene oppresserunt.

TERTIVM exemplum, sub SIGISMVNDO III. Rege Poloniæ accidisse, ejusq; seriem, *his formalibus verbis refert.* Indixerat Rex Comitia generalia Varsaviæ ad Mensem Februarium, propter diversas necessitates, quæ Rempub: binis Comitijs præteritis solutis irritis neglectam, & nullâ parte contra hostiles injurias munitam premebant. In vno itaq; Conventuum Provincialium, qui in singulis Palatinatibus præcedere solent, nempe in Prosovicensi, Palatinatûs Cracoviensis Nobiles congregati, omnia, quæ Rempub: & libertates Ordinis Equestris afficere videbantur, conscripserunt. Vtq; omnino corrigerentur, in Comitijs quæ imminebant, procurandum statuerunt, non per Nuntios, vt consueverant, sed vt ipsimet omnes irent ad Comitia, negotiumq; promoverent, ac locum Varsaviæ vicinum suæ stationi ad hoc designârant Oppidum Stężycá, (quindecem milliaribus Varsavia distans) unde faciliùs ad Comitia commeare, & responsa recipere, de responsisq; consultare, & etiam alios in suam societatem trahere valerent. Inchoatis itaq; Comitijs Varsaviæ, illi quoq; Stezyciam convenerant, & inde omnia, quibus gravari

Rempub:

Rempub: ajebant, miserant ad Comitia scripto concepta per suos Legatos. Capita eorum præcipua erant: Quòd Rex Pacta Conventa, & jurata, intra annos viginti à sua electione præterlapsos adimplere, ne quidem incæperat, quæ singula nominatim ab illis Legatis coram Rege, in consessu Senatûs legebantur; Vxorem secundam dissentiente Senatu acceperat germanam defunctæ, iteratâ affinitate cum Austriacis, quorum amicitia Ordinibus Regni semper fuerat suspecta: aliquas Præfecturas Arcium & possessionū Reipub: distribuerat Personis, quæ lege publicâ similia beneficia obtinere vetabātur. Ac nonnullas sub titulo Oeconomiarū, contra jura Regni, proprijs commodis adscripserat: alienigenas plures in aula tenebat. Addita etiam fuerunt complura, in quibus Politici, libertates Ecclesiasticorū restringi volebāt, & Hæretici eâ occasione usi, suis sectis, majores immunitates quærebant. Cōmoverant ista vniversorum Comitiorū consessum, & studia Equestris Ordinis adeo distraxerant; vt jam inde appareret multos ad eas partes secessuros fuisse. Vnde Rex & Senatus expedierat Albertum Baránowski Episcopum Płocensem cum alijs duobus ex Senatu, hoc est Stanislao Krásinski Palatino Płocensi, & Andrea Przyiemski Castellano Gnesnensi ad illam congregationem, Stęzyciam, qui suaderent, vt ordinatim, Comitiorum viâ, illa proposita tot offensarum capita promoverentur, ne Respub: divideretur.

Miserat etiam Rex privatim, Concionatorem suum Petrum Skargá, vt Nicolaum Zebrzydowski Palatinum, Cracoviensis illius secessionis præcipuum authorem (qui alienatum animum à Rege habebat ob causas antiquas), mitigaret, sed publicam agi, eamq; in tot Comitijs præteritis introductam, ac oscitanter tractatā, ampliùs negligi non posse, nisi plenâ satisfactione componatur, æquè Zebrzydovius atq; ille Conventus respondebat, Comitiorum quoq; sententiæ malè cohærebant, plurimis præsertim qui Regis gratiam tali occasione demereri cupiebant, postulata illorum dissidentium tortuosâ interpretatione elevantibus. Occasionem autem primævam alienati animi Zebrzydovij à Rege is idem *Piasecius fol: 272. ad finem eum sequenti folio refert, & Łubienscius de motu civili in Polonia fol: 34.*

Acciderat, quòd sub tempus nuptiarum Constantiæ Renatæ Reginæ, domum in arce Palatio Regio contiguam, juris quidem Regij, sed quam Præfectus Arcis Cracoviensis inhabitare ab antiquo solebat, & tunc Nicolaus Zebrzydowski Palatinus Cracoviensis, ejusdem ar-

cis protunc Præfectus tenebat, pro recipiendis nuptialibus hoſpitibus Rex occupari fecerat, excluſo Palatino & Arcis Præfecto, quod iſte adeo acerbè tulit, vt injuriæ propriæ, etiam publicas toties in Comitijs agitatas conjunxerit, omnibus Regni Ordinibus, ad eas vindicandas concitatis, ex more gentis pene inveterato, quod vix vnquam cauſam *Reipub:* contra Regem defendendam quis ſuſcepit, niſi & propriâ offensâ ſtimuletur. Hæc intra parentheſim de occaſione primæva alienati animi Zebrzydovij à Rege. Redeo ad ſeriem *Rokoſianæ* conſpirationis contra Regem à Piaſecio *folio* 281. continuatam.

Augebantur in dies & privatorum mutua odia quæ non minùs publica negotia turbârunt, præcipuè, quòd defuncto Palatino Vilnenſi Chriſtophoro *Radzivilio*, Præfecturam Dudenſem, Rex Carolo Chodkiewicz contulerat Filio defuncti *Palatini* Januſſio Radzivilio Pincernæ Lithvaniæ prætererito: quam ille repulſam moleſtiùs ferens, Lithuaniæ Nuntios pene omnes ad partes *Stęzycianæ* ſeceſſionis avocârat, & ipſemet medijs Comitijs abierat Stęzyciam. Acciuerat etiam, quòd Archimareſchalco Marchioni Myſzkowſki ex officio ſuo, turbas à Senatûs conſeſſu ſubmoventi, famulus eiuſdem Radzivilj; Zienievicius dictus, eductâ frameâ ſeſe oppoſuerat, quem à ſtipatoribus armatis Archimareſchalci comprehenſum, & ad pœnam capitis damnatum, vt liberaret Radzivilius, tota Comitia commovit, vſq; dum veniam obtinuit intercedente Senatu: ſed nihilominus abierat Varſaviâ ſtatim, & cum ſuis aſſeclis Palatini Cracovienſis partibus exinde ſe conjunxit. Idem *Lubienſcius de motu Civili in Polonia fol:* 62. *refert.* Comitia autem cùm eorum tempus inter contradictiones effluxiſſet, nullo poſtulatorum Equeſtris Ordinis & ſeceſſionis *Stęzycianæ* definito, nec aliquo negotio publico ſtabilito, fuerunt ſoluta. Unde majores querelæ in populis excitabantur, quaſi Rex ortam tempeſtatem, ſedare tempeſtivè negligeret, petitioneſq; *Stęzyciani* Conventûs iuſtas poſtponeret: ac pro libertate Patriæ ſolicitis, metûs novas ſuſpiciones ſuggerebat, quaſi Rex deſiderijs Ordinum reſpondere non curaret, ſed fretus affinitatum Auſtriacarum adminiculis, abſolutè dominari, vellet. Et cùm alij ob reverentiam tantæ Majeſtatis ipſum Regem in iſtis excuſare erubeſcerent, fidelioribus *Regi* Senatoribus & Conſiliarijs, quicquid offenderet imputabant, in crimen & pœnam vocantes omnes illos, qui gratiâ aut familiaritate aliquâ apud eum præſtarent. Cæterùm in illis Comitijs Archicancellariatus *Regni*, qui defuncto Joanne Za-

ne Zamoyſcio vacàrat, Minori Cancellario Matthiæ Pſtrokonſki Epiſcopo Præmisliensi fuit collatus: Cancellariatus autem minor Stanislao Minſki, Palatino Lanciciensi Viro humanioribus literis ſingulariùs exculto, & cùm primis animo & moribus ſuaviſſimus, vt magiſtratum illum tanquam ipſi ſoli tunc debitum nullus inviderit. Deſignaverat etiam Rex Cracovienſem Epiſcopatum Petro Tylicki, ægrè ferente Cardinale Macieiowſki, qui eum vnà cum Gneſnensi retinere deſiderabat. Vladislavienſis ceſſit Alberto Baranowſki, cui in Płocenſi ſuffectus fuit Martinus Szyſzkowſki, pro navata opera in adducenda Græcio Regina, iſti autem in Luceoriensi ſucceſſit Paulus Wołucki, relicto Camenecenſi Andreæ Pruchnicki, Internuntij tunc Neapoli munus obeunti, pro exigendis cenſibus in vectigali paſcuorum Apuliæ, & ſerici ſafaraniq; Aprucij, Regiæ ſtirpi obligatis, ex hæreditate Bonæ Sfortiæ SIGISMVNDI I. Regis Poloniæ Vxoris.

Jlla enim *Anno Chriſti* 1556. Rege, Filio, ac Filiabus duabus nubilibus neglectis, imò & omni mundo muliebri pretioſiore ſpoliatis, fruſtra reclamante Senatu Polono in Italiam profecta, præter Ducatum Barenſem & Roſſanenſem, quem poſt Patrem Joannem Galeacium Sfortia & Iſabellam Aragoniam Matrem jure ſucceſſionis naturalis poſſidebat, coëmerat ibi multa Caſtella, & iſtos cenſus pro quadringentis triginta millibus ducatorum Neapolitanorum, ſed etiam amplo opulentiq; peculio, ad hæredes ipſius nonniſi hi cenſus (triginta octo millia octuaginta ſex ducati Neapolitani nunc ſolvũtur in annis ſingulis) pervenerunt, fraude Ioannis Laurentij Papagoda vnici illius Reginæ conſiliorum ſequeſtri, qui ea *Anno Chriſti* 1558. 17 *Novembris* moriente Bary jam linguæ memoriæq; vſu deſtituta, ſublevato ad nutum faciendum eius capite conſcribi fecit teſtamentum, & in eo legari Regi Hiſpaniæ Barium, Roſſanumq; ſibi Caſtrum Capurci, ac multa alia magni pretij dona, hæredibus verò illius Reginæ pauca ſupellex & cenſus prædicti obtigerant, hæc extra Rocoſſum, qui continuatur. Conventus autem *Stężycenſis*, vt vidit in Comitijs nihil ſe obtinuiſſe literis ad omnes *Provincias* Regni M.D.L. datis, promulgavit rationes eorum, quæ & Stężyciæ, & in Comitijs acta fuerant, & adjunctis querelis, quod à Rege in Comitijs nihil obtinere potuerit, indixerat Conventum Lublini ad Menſem Maium proximum, in quo Ordo Equeſtris, ex toto Regno conveniens, collatis conſilijs remedia meliora vindicandis libertatibus ſuis provideret. Nec multùm cunctati convenerant eo ſta-

to tempore non ex Equestri tantùm, sed ex *Senatorio* Ordine frequentes, ac positis castris, seu statione Conventûs in prato infra Lublinense suburbium **Słomiány Rynek** dictum, versùs Villam **Jákubowice** patente, consultationes agebant. *Lubienscius vt supra, fol: 63.*

Primus Palatinatus Cracoviensis, nempe dignitatis Senatoriæ gradu omnes alios in illo Conventu præcedens, sermone instituto obtestabatur, quòd nihil aliud intenderet, nisi vt *Rex* Pactis jurejurando firmatis staret, & privilegia ac leges Regni illibatas servaret. Tunc recensuit omnia, quæ Conventus *Stęzycensis* in Comitijs Varsaviensibus requisierat, & quæ responsa acceperat: concludens, frustra jam à Comitijs instaurationem Reipub: legibus eius violatis labefactatæ expectari, de eaq; actum esse, nisi securiori compendio procuraretur. Alij liberiùs, nec convitijs parcentes, in facta Regis & *Senatorũ* qui Regi familiariores erant, invehebantur.

Aderat ibidem & *Stanislaus Zołkiewski Præfectus* Exercitûs *Regni* & non pauci alij partium Regiarum, qui ad media pacatiora, illum Conventum flectere nitebantur: sed eorum consilia erant suspecta, eo; quòd beneficijs recens acceptis, Regi devincti fuisse viderentur: vnde prævaluit sententia, vt **Rokoß** institueretur ad Mensem Augustum proximum, ad quem promulgato nomine Conventûs illius edicto, omnes genere Nobiles apud Oppidum **Pokrzywnicá** convenire, fide, honore, & bonorum omnium jactura obligabantur. Aliquis etiam industriolus, quo majori suspicionum specie cõcitaret *Statum* Equestrem, sparserat famam, quòd Palatinus Cracoviensis in Conventu illo **Rokoß** generali, revelaturus esset (**Coś**) hoc est Quiddã, innuendo eum singularius quid Rempub: afficiens ibi dicturum, ac certatim ex omnibus *Provincijs*, ad illum *Pokrzywnicensem* Conventum concurrebant Nobiles, vt illa arcana audirent, & simul opprimerent, sed commentum hoc recidit in authorem: Palatinus enim nihil usquam aliud in consessibus illis intulit, præter ea, quæ à principio, in publico scripto ad Comitia Varsaviensia misso expresserat.

Rex verò tunc morabatur Cracoviæ: & cùm vereretur, ne à Conventu illo Rocossiano, nonnisi violenta omnia expectanda sibi essent, si consilia expedire permitteretur: eum exemplo Eugenij *Papæ* IV. qui Concilium Basiliense, convocato Ferrariam alio Concilio feliciter dissipaverat, distrahendum decrevit: aliumq; Conventum Visliciæ Ordinibus Regni indixit, *Lubienscius fol: 63.* admonito militiæ

Præfe-

Præfecto Campestri Zołkievio plurimisq; primarijs sibi obstrictioribus, vt ibidem cum numerosis militaribus turmis præstò adessent. *Vide Lubienſcium de motu civili in Polonia libro secundo fol: 65.*

Jnchoato itaq; apud Pokrzywniciam Rokossiano Conventu, cùm eò ex omnibus Palatinatibus magno numero Nobiles & præcipui Senatores non pauci convenissent, ac electo Mareschalco totius illius Conventûs moderatore Ianussio Radziwił Pincernâ Lithuaniæ, deliberationes suas auspicarentur, Rex ex suo Visliciensi Conventu, Stanislaum Minski Vicecancellarium Regni ad eos misit, monens, vt à cætu illo præter Ordinem collecto, abstinerent, & si quæ haberent requirenda à Rege, ad Conventum Visliciensem ritè congregatum venirent, liberèq; referrent.

Habebat & alia pacificationis media Vicecancellarius ille, sed in medio suæ Legationis cursu, inopinatâ catarrhi fluxione vsum auditûs planè amisit, & negotiorum illorum curam relinquere debuit suis Collegis, qui longioribus concertationibus magis Rokossianos exasperârunt. Hoc enim offenderat illos magis, quòd legitimo Patriæ asserendarum libertatum Rokossij remedio, in dubium vocarentur, nihil salvum ex libertatibus Equestris Ordinis mansurum asserentes, si iste vnicus earum retinendarum nervus convelleretur. Imò & in Conventu Visliciensi congregati pro hac libertate pertinaciùs decertabant; sed Regiarum partium promotores numero suffragiorum & armatorum prævaluerât. Mareschalcus Equestris Ordinis in illo Conventu Visliciensi erat Hieronymus Sieniawski Pincerna Regni, nuper à Rege Præfecturâ Iavoroviensi honoratus, qui duo millia armatorum in suo comitatu habebat, & omnibus acceptus, multos in suam sententiam trahebat. Addictior fuit partibus Regis & Ioannes Potocki, Præfectus Camenecensis, Vir acer, & rebus præclarè in Moldavia gestis conspicuus, qui vnà cum germanis suis Iacobo & Stephano Potoccijs, præcipuum robur hastatorum ducebat, isti Rex sub id tempus Præfecturam Ravensem (vt eam vendiderit Stanislao Wołucki) contulerat. Ex Proceribus quoq; potentior quisq; à Rege stabat, & si qui contradicere vellent, cùm viderent, quòd contra plures ac potentiores nil prævalerent, sententiam simulârunt. Aliqua etiam à Rokossianis proposita ex Pactis Cōventis, & de libera Regis Electione Rex in Comitijs proximis lege publicâ stabiliturum se promiserat.

Atq; ita Conventu illo Visliciensi in partes Regis reducto, Rokossianus Conventus diffluere cæpit, alijs ad Regem, pluribus domos proprias redeuntibus.

Continuabant tamen præcipui illius Conventûs præsides delibe rationes suas, donec iterum per Castellanum Bidgostiensem Grzy mułtowski ad concordiam Conventûs Vislicienfis invitati, cùm ni hilominus in proposito suo persisterent, & alium Conventum ad Mensem Octobrem, Sandomiriæ, pro concludendis consilijs Rokossianis indixissent, Rex publicato edicto, quod pro seditiosis habendi essent, & armis comprimendi, nisi Conventum intermitterent, armaq; deponerent, ipsemet cum Exercitu contra ipsos ivit, ac summâ celeritate cedentes persequens, ad Ianovium Oppidum retardatos tractu Vistulæ offendit die 4. Octobris. Solus Stanislaus Stadnicki cum quingentis ferè suis flumen transierat, Palatinus autem Cracoviensis, & Ianussius Radziwił ab accurrente Stanislao Golski Palatino Russiæ, cum mille Cosacorum manu, moxq; alijs Regis legionibus succedentibus remorati, subsistere maluerunt potiùs, quàm in transitu fluvij iniquâ sorte confligere, aciemq; instruxerant non plùs tribus millibus armatorum constantem, promptam tamen ad omne discrimen; nisi Dux Ianussius Zbaraski Palatinus Bracłaviensis, cui Rex imperium militare tunc commiserat, aciem continuisset Regiam, exoratus à veteranis Equitum Ductoribus, ne pugnare cogerentur contra concives & affines suos.

Tunc accurrens Zbigneus Ossolinski Palatinus Podlachiæ, cum aliquot Primarijs partium Regiarum, inter medias acies obviam sibi facto Palatino Cracoviensi, ac Radzivilio Pincernæ Lithvaniæ, per multas per salutem Patriæ obtestationes persuasit, vt relictis armis ad Regem venirent, & pacatè controversias de Republica suas dirimi permitterent: & cùm adhuc Palatinus Cracoviensis cunctaretur, ne pedes insidentem equo (præter morem ajebat) Regem salutaret, Palatino Podlachiæ, ejusq; exemplo Alexandro Chodkievicio Trocense, & Adamo Sendivoio Czarnkovio Łenciciæ Palatinis descendentibus ex equis, ille quoq; fide securitatis acceptâ, ita ab eis associatus, vnà cum Radzivilo pedes venit ad Regem equo insidentem, eiusq; dexteram osculatus, paucis verbis (nocte iam ingruente) salutationem & testificationē studij sui æquè in Rempub: in Regiam dignitatem propensi expedivit, manserantq; ambo in castris Regijs, hospitio à Palatino Łencicensi ad stationem suam recepti.

Turmæ autem eorum militares postquam totâ nocte, vti & Regiæ instructâ acie steterant, insequenti mane, accepto ab eis signo transmiserant ad adversam Vistulæ ripam, complures vexillis explicatis: complicare enim ea nolebant, licèt nomine monerentur. Ac duo-

duobus subsequentibus diebus Senatorum, qui ibi cum Rege aderant Ordo (in consessu Senatûs vehementiori epilogo Palatinus Podlachiæ exagitauit Palatinum Cracoviæ, quòd ad arma concitârit totum Regnnm pro causa Civili, quæ civiliter componi potuisset) tractavit apud Regem reconciliationem Palatini & Radzivilij conclusione tali: quòd omnia à Rokossianis & Ordinibus Regni contra Regem opposita in Comitijs generalibus proximis definiri deberent.

Interim autem Palatinatus cum Radzivilio scripto suo caverunt, quòd milite dimisso quietè Comitia proxima expectarent, nec Conventus Nobilium convocarent. Alio quoq; scripto Palatinatus Craconviensis requisitus à Senatu, si quid aliud sciret contra Regem (uti vulgò jactabatur dicturus **Coś** seu Quiddam) repetitis singularibus suis circa hoc declarationibus, primum Stęzyciensi, postea Lublinensi, ac novissima Pokrzywnicensi illis contineri quidquid sciret, nec plura se manifestavit, præter dicta Supremi Mareschalci & Stephani Kazmierski ac Martiani Chełmski Aulicorum Regiorum, ex quibus jam introductæ ab ipso Palatino suspiciones, de novis consilijs Regis confirmari videbantur. Atq; ita Rex compositis rebus, exercitu dimisso Cracoviam redièrat. *Plura vide in eodem Piasecki de hac secessione Rokossianorum fol: 294. & sequ: vide & Stanislaum Łubienski Episcopum Płocensem, qui fusè seriem quoq; huius Rokossianæ conspirationis descripsit in libris suis quatuor de motu Civili in Polonia.* Sat est quòd SIGISMVNDVS Rex cælo ipso favente dispersis Rokossianis sub pago **Guzowo** tertio vltra Radomiam milliari Polonico distante, eos compulit, vt clementiam à Rege peterent. Sicq; Nicolaus Zebrzydowski author istius conspirationis à Stanislao Zołkiewski Præfecto militiæ Regni concordiæ istius sequestro associatus, vtq; erat condictum rectà, in consessum Regis & Senatûs introductus, Regem ipsum accedens voce submissâ salutavit, offensamq; remitti sibi (aliquis irrisor festivus subordinatum puerum, vt in conserta turba Regi proximè adstantium sublatus sublimis in humeros, perorante Zebrzydovio exclamârit altâ voce, AVE RABBI ociusq; se subtraxit) petijt: hocq; facto, cùm locum suum in Senatu accepisset Archiepiscopus Leopoliensis Zamoyski (tunc Princeps Senatûs) nomine Senatûs concordiam illam laudabat, initio sumpto à verbis: *Hæc dies, quam fecit Dominus,* Regi minùs grato, quòd non humiliùs Palatinum tractâsset, & solam tranquillitatem Reip: hoc modo restitutam prædicâsset. Nullæq; reconciliationis conditiones sunt interpositæ, præter illam simplicem deprecationem; sed amnistia

præteritorum, tam Palatino, quàm alijs qui cum eo advenerant, & omnibus alijs, qui postea eâdem ratione deprecarentur fuit concessa: & quidem ita; vt etiam stabilienda esset eadem amnistia, lege publicâ, in proximis generalibus Comitijs, in quibus & ea quæ in Rokossianis Conventibus á Rege requirebantur, Ordines examinarent, ac omnes vniversali consensu definirent, taliq; definitioni, Rocossiani stare tenerentur. Præfectura quoq; Lanckoronæ Palatino (hoc est Zebrzydouio) erat restituta, cauto insuper, quòd & alias Præfecturas tutò retineret, quamvis justæ causæ subessent, propter quas, nempe ob non solutam ex eis, juxta præscriptum legum pensionem Reipub: (Quartam dictam) jure privari illis potuisset.

Felix Herburtus & Procopius Pękosławski, qui Cracoviam captivi fuerant ducti, & ad pœnam criminis læsæ Majestatis vocati capite mulctari ex jussu Regis debebantur, Sigismundo Marchione Myszkowski Archimareschalco Regni, penes quem est in Aula Regia jus gladij, studio exequi talem sententiam, quousq; Rex placaretur, differente, ne sibi imputaretur huiusmodi severitas, eoq; in se odia popularia cumularet, quæ eum maximè vti Regi proximum, seu magis ipsum Regem, per eius latus petebant, ex benignitate Regis liberati sunt. *Piasecki fol: 299.* datâ sponsione, quòd à Conventibus publicis deberent se abstinere. *Piasecki fol: 301.*

Sed Gabriel Leznicius, ex milite Quartiano (qui miles Regi assistebat.) quia ad Rocossianos procurrerat, ne sibi à milite Quartiano timerent & sic in fraude contra Regem esset, supplicio affectus est. *Piasecki fol: 297.*

Calumniæ autem in mores Regis jactatæ imputabantur Stanislao Stadnicki Łanczucensi, *Diabolo* ob morum malitiam denominato, pro quo vt causam diceret, vel se purgaret, ad Comitia proxima Regni generalia dies illi fuit dictus: vbi die adveniente, verbis conceptis ex scripto, ea quæ de Rege dixisse ferebatur, in publico Comitiorum consessu inficiari & Regem deprecari est coäctus.

Intercesserant etiam jurgia acerbiora inter dictum Palatinum & Marchionem Sigismundum Myszkowski Archimarschalcum Regni, circa quæ convitijs, vsq; & scripto divulgatis, impotentiùs mutuò certârunt, & ne novarum turbarum ansa essent, condictum fuit, vt ea scripta quoq; legenda abrogarentur in Comitijs proximis, juxta formulam abrogationis in illa Cracoviensi Convocatione probatam. Reliqvum illius Convocationis progressum abrupit morbus Regis, quò graviore, nempe febri ardentiore, pluribus diebus, non sine periculo

riculo vitæ laboravit, tunc decumbens, Archiepiscopatum Gnesnensem, qui nuper extincto Cracoviæ Cardinali Macieiowski vacabat, Alberto Báránowski detulit, in Vladislaviensi Episcopatu Matthiâ Pstrokonski Archicancellario Successore ipsius designato. *Piasecki fol: 301. cum sequ.* Sed ego ad materiam meam redeo.

ARTICVLI PACTORVM CONVENTORVM Ordinum Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ, & Dominiorum annexorum.

EX VNA

Et inter Illustrissimos, Perillustres & Magnificos Dominos Legatos & Oratores Serenissimi Regis VLADISLAI IV. hoc est, Henricũ de Dąmbrovice Firley Episcopum Præmisliensem, Alexandrum de Nieswiez & Olyka Ducem Rádziwił Palatinum Brestensem. Georgium de Tęczyn Ossolinski Thesaurarium Curiæ Regni, Casimirum Sapieha Notarium Magni Ducatûs Lithuaniæ, Ianussovium Korybuth Ducem in Zbaraz, Sigismundum Kazánowski Mareschalcum Aulæ Serenissimæ Majestatis Sueciæ, Nicolaum de Pilca Korycinski partibus.

EX ALTERA.

In præsentia Serenissimorum Fratrum germanorum Sacræ Regiæ Majestatis Ioannis Casimiri, Ioannis Alberti Episcopi Varmiensis Nominati Cracoviensis, Caroli Ferdinandi Episcopi Vratislaviensis, Alexandri Caroli.

1. QVod Nos & Successores Nostri Reges stante vitâ, non nominabimus, eligemus, aut electionem indicemus, aut aliquomodo in Thronum Regium introducemus, sed perpetuis temporibus libera electio Regum remaneat. Respectuq; istius liberæ electionis constitutiones Annorum 1607, 1609, 1631. tum privilegium speciale 1607. datum & postea à SIGISMVNDO III. in Anno 1631. in Comitijs generalibus Reipub: concessum, & in volumine Constitutionum Regni ingrossatum, & propterea nec Nos, nec Successores Regis titulo Hæredis poterimus vti.

2. Pacem inter dissidentes in Religione exemplo Antecessorum Nostrorum tuebimur, & ne in posterum aliquæ seditiones & tu-

multus ex ista causa fiant, non obstantibus quibuscunq; protestationibus contra Confœderationem Varsaviensem proximè præteritam, salvis tamen juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.

3. Pacificationem inter homines Religionis Græcæ juxta puncta in electione præsenti ad affectationem Reipublicæ per Nos in præsentia Deputatorum ex vtroq; Ordine data quàm citissimè procurabimus.

4. Oëconomiam bellicam, in bono ordine tenebimus, scholam militarem instituere juxta initia piæ memoriæ Serenissimi Regis incæpta ædificare promittimus.

5. Pacta & fædera cum externis Principibus & Dominijs renovabimus & conservationem pacis cum illis omni possibili modo procurabimus. Avulsa itidem ab hac Repub: recuperare; & omni ex parte pacificationem ejusdem procurare promittimus, & præcipuè ex occasione Regni Sueciæ belli imminentis & vt in hoc vlterior mora non intercedat, assignabimus Commissarios nostros ex vtraq; gente in Comitijs Coronationis nostræ ex vtroq; Ordine Senatorio & Equestri, quibus dabimus ex consensu totius Reip: plenariam facultatem, ad concludendam pacem, juxta instructionem & informationem à Nobis & Republica illis datam. Cum Moschis quoq; licèt fluxam fidem gentis istius contra Rempub: manifestè agnoscimus, qui non servatis inducijs ante tempus in pactis expressum, bellum contra Dominia istius Reipublicæ excitant, ne tamen ex Nobis aliqua causa sit effusionis sanguinis Christiani, deputabimus Commissarios Nostros ex vtraq; gente, ex vtroq; Ordine in Comitijs Coronationis nostræ, qui cum Ducibus Exercitûs Reipublicæ, animadversâ proclinatione ad pacem istius gentis, ex re & commodo Reipub: tractatus de pace juxta instructionem & informationem à Nobis & à Republica datam cōcludere possint.

6. Serenissimos Principes Fratres nostros, qui à Republica provisiones habent, in Comitijs Coronationis nostræ Deo adiuvante proximè imminentis inducemus, vt juramentum fidelitatis Nobis & Reipub: præstent, quo vinculo juramenti tam diu erunt adstricti, quousq; provisione à Repub: assignatâ vtentur, & in Regno domicilium fixum habebunt. Et si aliqua causa contra illos, personas ipsorum tangens & afficiens interveniret, tunc cognitio causæ istius ad Nos cum Senatu, in Comitijs proximè venientibus spectabit. Similiter vt Serenissimus Princeps Joannes Albertus Episcopus

pus Varmiensis, Nominatus Episcopus Cracoviensis in Comitijs Coronationis Nostræ juramento Senatorio facto, locum occupet, & conditionibus in diplomate & postea in consessu *Reipub:* respectu Episcopatûs expresso satisfaciat.

7. Proventum ex re monetaria tam in Regno, quàm in Magno Ducatu, neq; Nos, neq; Successores Nostri Reges perpetuis temporibus percipiemus, neq; vllam monetam juxta Constitutionem *Anni* 1632. cudemus, sed tota ordinatio ad Rempublicam spectabit.

8. Militem externum, sine scitu & consensu *Reipub:* in viscera *Regni* & M. D. L. non inducemus, neq; bella offensiva inferemus, neq; augebimus, militem tam Quartuarium, quàm alium; neq; aliquem colligemus, & extra limites *Regni* sine scitu, & consensu *Reipub:* educemus.

9. Munitionem Arcis Camenecensis, à piæ memoriæ Serenissimo *Rege* incæptam sumptibus nostris continuabimus, & quatuor fortalicia in Vkraijna & in M. D. L. prout necessitas postulabit, factâ conferentiâ cum Senatu & Ducibus Exercitûs erigemus, & in Prussia **Pucko** fortificabimus.

10. Exteros cuiuscunq; conditionis ad consilia Nostra, neq; ad Magistratus admittemus, neq; dignitates, Capitaneatus, & Tenutas, ac officia illos conferemus juxta præscriptum Constitutionis 1607.

11. Aulam propriam ex gente Polonica & Lithvanica, annexarumq; Provinciarum exemplo antiquo fovebimus & illis salaria solvem⁹. Similiter milites custodes Personæ Nostræ ex gẽte Polona & Lithvanica & *Provinciarum* annexarum fovebimus, Præfectus autem illorum Nobilis Polonus vel Lithuanus aut ex *Palatinatibus* ad illos spectantes erit, & non tantùm Nobis, sed & toti Reipub: juramentum præstabit, coram Jllustribus Dominis Officialibus Regni & M. D. L. & *Senatoribus* residentibus, & sub jurisdictione Mareschalcali prout & alij aulici nostri erunt.

12. *Respectu* Matrimonij contrahendi sensum Senatûs in Comitijs more antiquo exquiremus & sequemur, & si Vxorem ex Dominijs exterorum conducere contigerit, personas exteras penes illam non fovebimus, vltra tempus, & numerum juxta declarationem Senatûs.

13 Sigillo privato ad negotia Reipub: non vtemur.

14. Officia Regni & M. D. L, penes antiquam potestatem conservabimus, & ne personæ privatæ in illa se ingerant animadvertemus.

 Simi-

Similiter omnia officia Aulæ Terreſtria Regni & M. D. L. quæ ad præſens ſunt, & antea in vſu fuerunt, abſq; vlla diminutione illorum d ſtribuemus, & cuilibet Officiali Aulæ locum aſſignabimus, & officia omnia Terreſtria penes jura conſervabimus.

15. Jn judicijs juxta Pacta Conventa cum Henrico Valeſio inita procedemus, hoc eſt: ex ſententia Dominorum Senatorum & Officialium ad latus Noſtrum reſidentium, & deliberationes tertiâ die expediemus, & omnes cauſas, quæ vivente olim Sereniſſimo Rege in deliberatione remanſerunt, decidemus.

16. Oëconomias menſæ noſtræ Regiæ ſine conſenſu ſpeciali Ordinum non augebimus. Oëconomias autem antiquas juxta jura & Privilegia antiqua ordinabimus.

17. Incompatibilia iuxta præſcriptum jus antiquum nemini ſub nullitate privilegiorum conferemus.

18. Vacantes Dignitates & Officia extra tempus Comitiorum, ad maximum intra ſex ſeptimanas conferemus à prima notitia. Sub tempus autem Comitiorum ante omnia vacantia conferre, & cui ſint collata ad inſtantiam Nuntiorum Terreſtrium per Cancellarios publicari faciemus; & juxta jura & ſtatuta antiqua Terrigenis, paritate juris gaudentibus, bene meritis, ætate & diſcretione vigentibus, conferemus.

19. Militiam tam Equeſtrem, quàm pedeſtrem, factâ conferentiâ cum Ordinibus in Comitijs Coronationis noſtræ in ordinem redigemus; vt non habeamus neceſſitatem, militem externum magno cum ſumptu conducendi, & ab oppreſſione militari, quæ ad præſens viget, populus liberetur, & miles ſuis ſtipendijs ſit contentus.

20. Clenodia à piæ memoriæ Sereniſſimo Parente Noſtro in vſum ex Theſauro Regni accepta, juxta regeſtrum ejuſdem Theſauri reddemus, & in poſterum non diminuere, ſed augere ex affectu Noſtro eundem promittimus.

21. Debita omnia, quæ in Comitijs Coronationis liquidabuntur factâ conferentiâ cum Ordinibus Regni, vt perſolvantur, curabimus.

22. Inibimus rationes cum Ordinibus Regni, vt claſſis maritima iuxta neceſſitatem Reipub: ordinetur.

23. Contributionem agrariam & fumalem, quam Incolæ Regni, & omnes Palatinatus Ruſſiæ Anteceſſoribus Noſtris, quotannis perſolvebant, perpetuis temporibus remittimus, & ſuper quæ luſtratio interceſſit, volendo ex Nobili Statu hoc onus tollere, ratione

iſtius

istius summæ Capitanei & Tenutarii Quartam reddere tenebuntur.

24. Et quoniam Ordines Regni & M. D. L. propter multitudinem negotiorum Reipub: ad cognitionem exorbitantiarum non poterant in Comitijs electionis pervenire, similiter de modo distributivæ justitiæ; de ordine sub tempus Interregni, de correctura jurium, de compositione inter Status, de pacificatione Academiæ Cracoviensis, caverunt, sibi apud Nos Status Regni & M. D. L. omnia in quibus tempore Antecessorum Nostrorum Regum Poloniæ exorbitatum est contra jus commune, in bonum ordinem redigere & ad executionem deducere, ita; vt in nullo juri communi derogetur, non permittendo interpretationem jurium, nisi prout in se sonant, neq; ad exempla contraria juri communi respecturos.

25. Summas, quas in Capitaneatibus Krzepicensi & Solecensi habemus Reipub: cedimus & donamus. Respectu autem summæ Neapolitanæ, conferemus Deo adiuvante cum Ordinibus Regni, in futura Coronatione nostra.

26. Adextremum, omnia jura, libertates, immunitates, Privilegia, Statuta Regni & M. D. L. omnibus Statibus Spiritualium & Sæcularium & incorporatis provincijs, Similiter Civitatibus justè & legitimè data omnibus & singulis, tum & articulos omnes in Coronationibus Serenissimorum Regum HENRICI, STEPHANI, SIGISMVNDI III. constitutos, in Comitijs electionis concorditer conscriptos & Nobis datos, sicut & hos, qui Deo juvante in futura Coronatione Nostra, & in alijs Comitijs de vnanimi consensu Ordinum constituentur, tenere & in integro servare, in omnibus eorum punctis & clausulis, tum & literas confirmationis jurium & Pactorum dare, exemplo Divorum Prædecessorum Nostrorum & piæ memoriæ Serenissimi olim Regis Parentis Nostri promittimus. Et si (quod Deus avertat) aliquid contra jura, libertates, articulos, & conditiones fecerimus, aut non adimpleverimus, Incolas Regni vtriusq; gentis, ab obedientia & fidelitate Nobis debita, liberos facimus iuxta Constitutionem *Anni 1609.* Tandem subscripserunt se Oratores, & Legati Regij, & postea Archiepiscopus Gnesnensis, & alij Senatores, Officiales & Nobiles, quorum plurimi apposuerunt clausulas, salvis juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, salvis juribus & protestationibus Palatinatûs Mazoviensis, vel etiam salvis protestationibus Nostris, & in Convocati-

one iteratis respectu jnrium Ecclesiæ Catholicæ Romanæ; vel excepto articulo inter dissidentes de Religione.

ARTICVLI PACTORVM CONVENTORVM Cum Serenissimo JOANNE CASIMIRO.

Similes sunt, (imò de verbo descripti) Articulis cum Serenissimo VLADISLAO IV. excepto articulo de juramento fidelitatis Serenissimorum Principum Fratrum VLADISLAI IV. & excepto articulo 23. de Contributione Agraria & Fumali, tum articulo 25. respectu summarum in Capitaneatibus Krzepicensi & Solecensi. prout videre est sub Anno 1648. fol: 14. in volumine Constitutionum.

ARTICVLI PACTORVM CONVENTORVM Cum Serenissimo Rege MICHAELE.

1. NEq; Nos neq; Successores Nostri Reges, stante vitâ aliquem ad Regnum promovebimus, neq; electiones indicemus, idq; ideo; vt post fata nostra libera sit Electio Regum juxta Constitutiones *Anni 1607. 1609. 1631. 1662.1677.* & juxta Privilegium speciale in Comitijs generalibus *Anno Domini 1637.* à piæ memoriæ SIGISMVNDO III. Reipub: & inter Constitutiones Regni ingrossatum; ac proinde titulo hæredis non vtemur, neq; Successores nostri Reges, neq; Domus Nostra vllam successionem & prætextum proximitatis ad Regnum prætendet, sed æqualitati per omnia cum Statu Nobilitatis subjacebit.
2. Licèt juribus antiquis indubitatis cautum sit, vt Rex Catholicus sit, propter tamen valorem perpetuum nunc & in posterum lege cavemus pro Nobis & Successoribus Nostris Regibus; quòd sicut Nos Catholicam fidem Romanam profitemur, sic & in posterum in Regem alterius Religionis non eligatur, & nominetur, tantùm ille, qui actu Romanæ Orthodoxæ Religionis Catholicæ sit.
3. Regno Poloniæ nunquam abdicabimus.
4. Pacem inter dissidentes tuebimur exemplo Antecessorum Nostrorum.
5. Pacificationem inter diversitatem Religionis Græcæ procurabimus.
6. Similiter pacificationem inter Episcopum Chelmensem ritûs Græci &

ci & Venerabile Capitulum, & totum Clerum Diœcesis Chełmensis apud Sedem Apostolicam authoritatem Nostram interponemus, vt non subsequatur executio decreti lati, quoùsq; hæc causa per Commissarios in Regno non fuerit decisa.

7. Ne justitia distributiva occasionem ambitui Civium subijciat, à nemine circa distributionem honorum & Beneficiorum juramenta privata & submissiones subscriptas exigemus, & si aliquid alicui respectu promotionis ad Coronam Regiam promissum & assecuratum fuerit, id nullitatis sit, neq; promissum implere tenebimur.

8. Ex Oëconomijs Regalibus vt nihil decedat procurabimus.

9. Futura Regina, in negotia Status Reipublicæ non se immiscebit.

10. Bellicam Oëconomiam, juxta jura Antecessorum Nostrorum Regum conservabimus, ad quam juxta Constitutionem *Anni 1659.* Palatinatus duos ex primis vacantibus, quorum proventus ad summam triginta millium florenorum ascendat providebimus & incorporabimus. Et vt Magister Artileriæ & bene possessionatus sit, & vt Quarta simplæ Magni Ducatûs Lithvaniæ per medietatem solvatur juxta Constitutionem *Anni 1667.* ordinamus. Magister autem Artileriæ rationem perceptorum & expensorum, in Comitijs singulis circa rationem thesauri reddere tenebitur.

11. Pacta & fœdera cum externis Principibus renovabimus.

12. Proventus ex Monetarijs Regni & M.D.L. cùm ad Rempublicã spectent, nec Nos, nec Successores Nostri Reges jus cudendæ monetæ usurpabimus, nec monetam etiam ex consensu Senatûs cudemus iuxta Constitutionem *Anni 1632.* Sed ordinatio monetariæ tam Regni, quàm M.D.L. non alibi, nisi in Comitiis generalibus tractabitur. Sed quia per occlusionem monetariarum cudendæ pecuniæ argenteæ magnum damnum Respub: sensit, dabimus operam (factâ conferentiâ in Comitijs cum Ordinibus Reipublicæ) vt monetariæ aperiantur, & juxta ligam Imperij & viciniorum Principum moneta, tam argentea, quàm aurea cudatur.

13. Militem externum sine scitu, & speciali consensu Reipub: in viscera Regni non inducemus, neq; auctionem tam militis Quartuarii, quàm alterius vtriusq; gentis faciemus, neq; privatim milites ad quosvis (quod absit) motus Civiles conscribere permittemus. Et si aliquis sub titulo & nomine Nostro absq; literis di-

ctis **Przyppowiednych** conscribere auderet, talem pro infami & perduelle declaramus, & quemlibet captivare & tollere vti violatorem juris communis facultatem damus, & talium capita invindicabilia declaramus.

14. Legiones & squadrones sub nomine Nostro non habebimus.
15. Legatos ad Principes exteros, nonnisi Nobiles bene possessionatos mittemus, quibus instructiones datæ inter *S*enatûs-consulta conscribentur, & in Comitijs à Dominis Cancellarijs legentur, & post functionem suam expeditam relationem in Comitijs in scripto tenebuntur reddere, quæ relatio illorum in Metricis acticabitur, & hoc totum ad requisitionem Ordinum Reipub: juramento confirment, quòd vltra instructionem sibi datam nihil processerunt.
16. Exteros & alios ad Indigenatus & Nobilitates ex persona Nostra Regia non promovebimus, sed juxta jura antiqua, vt ibidem obtineant.
17. *C*lenodijs *R*eipublicæ non vtemur, neq; thesaurum Regni ex solo consensu Senatûs absq; consensu speciali totius Reipublicæ aperiemns, aut aperiri permittemus; & si aliquam supellectilem ex Thesauro ad vsum Nostrum, prævià assecuratione Nostrâ, acceperimus, post fata Nostra, Successores Domûs nostræ tenebuntur reddere juxta inventarium Thesauri, neq; prænominatum thesaurum in posterum diminuemus, quinimo augebimus.
18. Duo Officia insimul, vel duobus Privilegia ad vnum Vacans Terrestre in Regno & M. D. L. nemini dabimus, prout Marschalcatus, Cancellariatus, Thesaurariatus cum Clava Ducis exercitûs, super quo Cancellarij Nostri tenebuntur attendere sub pœnis legū, salvis modernis possessoribus. Et in Comitijs generalibus (dignitatem vel officium obtinens) tenebitur in facie totius *R*eipublicæ juramentum præstare.
19. *C*ausas omnes in Comitijs & post Curiam, & alias omnes juxta cadentiam ex Regestro judicabimus, cûm hoc esset in præjudicium injuriatorum.
20. Provisio Serenissimo Regi Antecessori Nostro vt extradatur, procurabimus.
21. Arcem Camenecensem in Podolia, sumptu Nostro Regio reparabimus.
22. Aulam ex gente Polona & Lithuana fovebimus.
23. Respectu matrimonij contrahendi, antiqua jura observabimus.

24. *Si-*

24. Sigillo privato in negotijs Reipublicæ non vtemur.
25. Dignitates & Officia vtriusq; gentis, penes antiquam potestatem & authoritatem conservabimus.
26. Officiales Majores Regni, hoc est Cancellarij, Mareschalci, Duces exercituum, vt præstent juramenta, operam dabimus.
27. In judicijs post Curiam, juxta Pacta conscripta cum Henrico Valesio Rege Poloniæ,& sententia D.D. Senatorum & Officialium ad latus Nostrum residentium decreta feremus, & tertia die deliberationem expediemus, & omnes deliberationes super ferendis decretis ab Antecessore Nostro factas expediemus, & causas decidemus.
28. Pacificationem Vkrainæ, & vt miles Zaporoviensis in suis prætensionibus sit satis-factus, & sub obsequio Reipub: remaneat, procurabimus.
29. Oëconomias Mensæ Nostræ Regiæ, sine speciali consensu Reip: non augebimus, & eas administrabimus juxta præscriptum juris, & alia plura, quæ in alijs sunt conscripta.
30. Vacantes dignitates extra tempus Comitiorum, ad maximum in spatio sex septimanarum à prima notitia conferemus, & tempore Comitiorum vacantias ante omnia conferemus, & statim publicè cui contulerimus ad requisitionem Nuntiorum Terrestrium per Cancellarios Regni publicabimus, & illas juxta jura & Statuta antiqua conferemus.
31. Militiam Equestrem & pedestrem in ordinem redigi procurabimus &c. in alijs comparatis supra.
32. Debita omnia, quæ in Comitijs Coronationis Nostræ liquidabuntur persolvere curabimus.
33. Disciplina militaris vt ad ordinē debitum redigatur, procurabimus.
34. Sal Quartuale, vt quibus debetur extradatur, mandabimus.
35. De eliberatione Capitaneatûs Draijmensis, cum Domino Principe Brandeburgensi conferemus.
36. Fodinas omnes tam salis, quàm aliorum metallorum liberum vnicuiq; erit in fundo suo fodere.
37. Privilegia, jura, libertates & immunitates approbabimus.
38. Jura Majestatis, Reipub. & Supremi Dominij in integrum restituemus, & omnia Regalia in toto conservabimus. Quibus si per privilegia indebitè sine scitu & consensu Reipub: obtenta in aliquo esset derogatum, id nullius valoris sit, neq; Nos poterit obligare, & confirmationem super ejusmodi Privilegia non dabimus.

39. Consanguineos Nostros Collaterales eodem jure censebimus, prout Nobiles Polonos, & vltra horum jura & libertates plùs juris, & prærogativæ non adscribemus & concedemus, imo intra æqualitatem juris, vt omnes remaneant, animadvertemus.

40. Exorbitantiæ omnes cum ob multitudinem negotiorum Reipub: in præsenti electione non poterant ventilari, ad futura Comitia Coronationis remittuntur.

41. Omnia jura, privilegia, libertates, immunitates omnium & singulorum approbare permittimus.

Et in quantum (quod DEUS avertat) aliquid contra jura, privilegia, libertates, articulos, & conditiones fecerimus, aut aliquid non expleverimus, tunc Incolas & Cives Regni vtriusq; gentis ab obedientia & fidelitate Nobis debita liberos facimus, juxta Constitutiones latas.

ARTICVLI PACTORVM CONVENTORVM

Inter Ordines Regni, & Magni Ducatus Lithv: Provinciarumq; annexarum,

&

Legatos seu Oratores Serenissimi JOANNIS III. Regis Poloniæ.

Anno Domini 1674. *in Constit: fol:* 13.

1. STante vitâ nostrâ Nos & Successores Nostri, Reges non nominabimus, nec promovebimus aliquem in Regem, vt perpetuis temporibus libera electio Regis sit juxta jura & Constitutiones de libera electione latas, tam antiquas quàm recentiores *Annorum 1607. 1609.* & juxta speciale privilegium *Anno Domini .1637.* à *Serenissimo* SIGISMVNDO III. Rege datum, & Constitutionibus Regni ingrossatum: & Constitutiones 1662. 1667. & 1670. reassumemꝰ. & ideo titulo Hæredis non vtemur, nec successores Nostri Reges vtentur. Reassumendoq; omnes Constitutiones de libera electione cauemus, quòd Domus Nostra nullam Successionem, & prætextum proximitatis ad Regnum præsumet, sed æqualitati per omnia cum statu Nobilitatis subiacebit.

2. Licet jura antiqua sint indubitata, vt Rex Catholicus sit, nihilominus ad majorem cautelam nunc in posterum lege cavemus pro

Nobis

Nobis & Successoribus Nostris Regibus, quòd sicut Nos Catholicæ fidei Romanæ sumus, ita & in posterum nullus eligatur & nominetur in Regem, qui alterius Religionis fuerit, sed tantùm ille, qui actu esset (prout esse debet) Romanæ Orthodoxæ Religionis Catholicæ. Similiter & Regina sive natione, sive vocatione.

3. Inter dissidentes in Religione Christiana vt pax sit, exemplo Antecessorum Nostrorum Regum procurabimus, non obstâtibus quibuscunq; protestationibus contra Confœderationem generalem Varsaviensem factis, salvis juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ.

4. Inter homines Græcæ Religionis in Comitijs futuræ Coronationis Nostræ, juxta jura antiqua vtriusq; partis in præsentia Deputatorum ex vtroq; Ordine, absq; omnibus disquisitionibus & dilationibus pacificare, & ad executionem per Commissarios vtriusq; gentis deputatos deducere promittimus. Similiter bona dignitatum Spiritualium Religionis Græcæ, personis incapacibus, juxta præscriptum juris antiqui non dabimus, neq; per cessionem tenere permittemus.

5. Ad Summum Pontificem interpositionem faciemus, ne decretum in Curia Romona contra Constitutionem *Anni 1635.* latum, exequatur, in causa Episcopi Chełmensis Ritus Græci & Capituli illius, ad quam totus Clerus Diœcesis Chełmensis in judicijs Rotæ Romanæ tractus est; donec per Commissarios in Regno decisa fuerit.

6. Juramentum Nostrum & Pacta Conventa summariè collecta, vt in quibusuis Comitijs generalibus legatur, loco articulorum Mareschalcalium in præsentia omnium Ordinum.

7. Justitia distributiva, ne occasionem det ambitui Civium, in collatione honorum & beneficiorum juramentum non recipiemus, nec submissiones aliquas subscriptas exigemus, Et si alicui respectu promotionis ad Coronam Regiam aliquid promiserimus, & assecuraverimus, id nullitatis sit, promissum implere non tenebimur.

8. Cavemus etiam pro Consorte Nostra Regina, quod negotijs Statûs Reipub: non se immiscebit, nec promotiones per fœminas & personas externas acceptabimus. Super quo Domini Cancellarij & Succamerarij vtriusq; gentis invigilent, & Reipublicæ deferant.

9. Bellicam Oëconomiam juxta jura VLADISLAI IV. JOANNIS CASIMIRI conservabimus, ad quam juxta Constitutionem *Anni 1659.* duos Capitaneatus, ex primis vacantibus valoris triginta millium florenorum incorporabimus. Et vt Magister Artileriæ pa-

tritius & bene possessionatus sit, tam in Regno, quàm & in M. D. L. dabimus operam. Et vt Quarta simplæ M. D. L. per medietatem solvatur, juxta Constitutionem *Anni 1667.* ordinabimus. Et isti Magistri seu Præfecti Artileriæ tenebuntur rationem perceptorum & expensorum in Comitijs generalibus, circa calculum thesauri, facere.

10. Pacta & fædera cum externis Principibus renovabimus. Auulsa à Dominijs istius Reipub: præcipue Vkrainam & Podoliam recuperare & pacificare, curam dabimus. Et præsertim, ad tractandum respectu perpetuæ pacis, cum Duce Moschoviæ, Commissarij Nostri vtriusq; Gentis & ex vtroq; Ordine Senatorio, quàm Equestri deputabuntur.

11. Cùm Proventus rei monetariæ tam Regni, quàm M. D. L. juxta jura antiqua ad dispositionem Reipub: spectent. Nos & Successores Nostri Reges perpetuis temporibus non applicabimus Nobis: nec vllam monetam etiam ex Senatûs-consulto cudere mandabimus, juxta Constitutionem *Anni 1632.* sed Ordinatio Rei monetariæ tam in Regno, quàm in M. D. L. in Comitijs generalibus fiet, factâ conferentiâ cum his, qui jus cudendæ monetæ habent, dabimus operam factâ conferentiâ in Comitijs cum Ordinibus Regni, vt monetariæ quàm primùm aperiantur, & pecunia juxta ligam Imperij & vicinorum Principum, tam argentea, quàm aurea cudatur.

12. Militē exterum sine speciali consensu & scitu Reipub: in viscera Regni & M. D. L. necnon Provinciarum annexarum non inducemus: neq; militem Quartuarium & alios augebimus, neq; conscribere ad quosvis (quod DEVS avertat) casus permittemus. Et si aliquis sub titulo Nostro absq; literis Przypowiednych vulgò dictis conscribere auderet, talem pro infami & perduelle declaramus, & capere & tollere, prout violatorem juris communis permittimus, & talium capita invindicabilia declaramus.

13. Legatos ad exteros Principes, Nobiles tantùm, & bene possessionatos vtriusq; Gentis mittemus; quorum instructiones inter Senatûs-consulta conscribentur, & in Comitijs generalibus à Cancellarijs Regni legentur, qui Legati redeundo relationes in scripto in Comitijs generalibus producere & in metricam inserere, ad requisitionem Ordinum Reipub: juramentoq; confirmare tenebuntur, quod vltra instructionem sibi ex Cancellaria datam nihil tractaverunt cum Principibus ad quos missi erant.

14. Neq;

14. Neq; exteros neq; quempiam alium ex Persona Nostra ad Indigenatus promovebimus, sed tantùm illos, quos Domini Duces vtriusq; Gentis, vel Ordines Regni & M. D. L. Nobis recommendabunt, & solùm tales, qui in expeditionibus bellicis sanguine suo promeruerunt, vel quorum virtutes & merita in Rempub: probata erunt. Et istis qui creabuntur, Officia & Beneficia ad tertiam generationem non dabimus, neq; functiones Legationum committemus, exceptis in exercitu bene meritis, & qui tam vitâ, quàm substantiâ suâ, integritatem & bonum Reipub: procurabant, & defendebant.

Bona Nostra, Oëconomias, Capitaneatus, salisfodinas, Regentias Regni & M.D. L. Secretariatus, Notariatus Cameræ & Thesauri, & in genere omnes administrationes Thesauri, Lustrationes non dabimus, neq; telonea, Cameras arendare permittemus, cuius Domini Thesaurarij vtriusq; Gentis curam & animadversionem habebunt, sed solùm Nobilibus bene possessionatis, tam in Regno, quàm in M. D. L. & annexis Provincijs. Qui extranei, neq; administrare, neq; tenere bona Reipublicæ poterunt sub nullitate contractûs & pœna duorum millium marcarum, ad instantiam cuiusvis Nobilis in judicijs Tribunalis ex Regestro Causarum Fisci vindicanda. In Magno autem Ducatu Lithvaniæ ex quocunq; regestro. Similiter Commendas in bonis Nostris in Civitatibus, Arcibus, fortalitijs in Regno & in M, D. L. & annexis Provincijs, extraneis, & personis plebeijs non dabimus, nisi Nobilibus, bene possessionatis, & bene meritis à Dominis Ducibus Exercitûs vtriusq; gentis commendatis, similiter & ex annexis Provincijs.

15. Clenodijs Reipub: non vtemur, nec Thesaurum aperire ex solo Senatûs-consulto alicui permittemus, nisi cum speciali consensu totius Reipub: supellectilem, quæ penes Dominum Thesaurarium remanet illam ad vsum Nostrum prævià assecuratione Nostrâ accipiemus, eandemq; post fata Nostra Successores Domûs Nostræ reddere tenebuntur iuxta inventarium Thesauri. Et prænominatum Thesaurum in posterum non diminuere, sed augere promittimus.

16. Similiter spondemus omnibus Ordinibus & Statibus Reipublicæ quòd sub regimine Nostro, Officia duo insimul, neq; Privilegia duobus ad aliquod vacans Officij Terrestris in Regno & M. D. L. dabimus, prout ad Officia Mareschalcatûs, Cancellariatûs Thesau-

rariatûs, cum Officio Ducis Exercitus: ſuper quo Cancellarij vtriuſq; Gentis animadverſionem habebunt ſub pœnis Legum, ſalvis modernis Poſſeſſoribus. Et in Comitijs generalibus reſpectu Dignitatum & Officiorum ſibi datorum in facie Reipub: jurare tenebuntur.

17. In judicijs Comitialibus poſt curialibus & alijs, cauſæ omnes, prout ex regeſtro incident expediemus; neq; decreta ejuſmodi ad Cameram Noſtram portabuntur ſub pœnis in legibus deſcriptis: ſed ſtatim decreta lata, Officium Terreſtre in Protocollum inſcribet. Et in cauſis Fiſci, & Civilibus Notarius Decretorum in Regno, in Magno autem Ducatu Lithuaniæ juxta morem illius Ducatûs decreta lata in facie Iudiciorum leget, nec amplius poterit corrigere, ſed ſtatim Referendarius manu propriâ in Protocollo ſubſcribet, & partibus in triduo talia decreta ſine depactatione extradi debent.

18. Summam ducentorum millium florenorum monetæ in Regno currentis, Sereniſſimæ Reginæ Eleonoræ ſingulis annis per Ratas ſolvendam promittimus, non includendo donum Nuptiale, quòd ſingulis annis pro prima Ianuarij, juxta Conſtitutionem *Anni 1670.* debet perſolvi per quatuor rathas perſolvetur, de quo vide latiùs. *Ibidem.*

19. Summam in Capitaneatu Gnievcovienſi mille quinquaginta florenorum Conſtitutione *Anni 1673.* Nobis aſſecuratam, Reipub: in perpetuum donamus, & ab onere ſolvendi ejuſmodi ſummā dictum Capitaneum liberum facimus.

20. Clenodia Reipub: in ſumma trecentorum triginta & octo millium invadiata, de proprio eliberabimus, & ad Theſaurum Regni reddere promittimus. Ex qua ſumma mutuò damus centum millia florenorum currentis monetæ pro Exercitu M. D. L. Theſaurus autem M. D. L. refundere Nobis tenebitur.

21. Scholam militarem pro exercitio juvenum in Mathematica militari Varſaviæ proprio ſumptu erigemus, & homines in hac arte peritos, propter inſtructionem Iuventutis Nobilis Regni & M. D. L. tenere promittimus.

22. Fortalitia duo, vnum in Regno, & aliud in M. D. L. vbi locum commodum Reſp: determinabit, erigemus,

23. Aulam Noſtram ex Gente Polona & M. D. L. annexarumq; Provinciarum exemplo moris antiqui fovebimus & illi ſolvemus: Similiter militem, cuſtodientem Perſonam Noſtram, & Præfectum

ctum ejus: qui non tantùm Nobis, sed & Reipub: jurabit coram Officialibus Regni & M. D. L. & Senatoribus penes Nos residentibus, & sub jurisdictione Mareschalci, prout omnes alij homines Aulæ nostræ cum militibus suis, remanebit.

24. Sigillo privato in causis & expeditionibus Reipub: juxta jura antiqua non vtemur. Literas omnes negotia & Legationes publicas, linguâ tantùm Polonicâ vel Latina expedire promittimus, atq; Privilegia aut Literas vniversales sub sigillo Cameræ ex Senatu-consulto extradere mandabimus, præterquam ex Cancellaria vtriusq; Gentis.

25. Dignitates & Officia vtriusq; Gentis penes jura antiqua & jurisdictiones, & juxta vsum legum & formæ Reipub: conservabimus, similiter omnia Officia Aulæ & Terestria Regni & M. D, L. quæ ad præsens sunt, & antea in vsu fuerant, & sic quemadmodum vtrumq; Statum, in possessione invenimus conservare pacificè promittimus.

26. Juramentum Officialium Majorum Regni, hoc est: Cancellariorum, Mareschalcorum, Ducum Exercitus, vt ad executionem deducantur cavemus.

27. In judicijs post Curiam juxta Pacta Conventa cum HENRICO Rege procedemus ex sententia, & votis Dominorum Senatorum & Officialium penes Nos residentium deliberationem tertia die expediemus; & omnes causas, quæ in deliberatione Antecessoris Nostri Regis pendent, decidemus.

28. Pacificationem Vkrainæ procurabimus, & vt miles Zaporovianus in suis prætensionibus satis-factus, in obsequio Reipub: remaneat.

29. Oëconomias ad mensam Regiam spectantes sine speciali consensu Ordinum non augebimus, & has Oeconomias juxta præscriptum jus administrare promittimus, nullis pensionibus & alijs oneribus aggravabimus, neq; avulsionibus, vel minimis diminuere permittemus; imò sine consensu Reipub: avulsa, ordinariâ viâ juris recuperare tenebimur. Et has Oëconomias in administrationem vel Arendam Nobilibus tantum Polonis in Regno, in Magno autem Ducatu Lithvaniæ Incolis ejusdem Ducatûs & Annexarum Provinciarum possessionatis, & non extraneis dabimus, & quietationem, nisi post realem solutionem summæ juxta contractus, & antiquum vsum, extradere mandabimus, omniaq; Privilegia, quæ ad diminutionem proventûs mensæ Nostræ ab Ante-

cessoribus Nostris Regibus, sine consensu Reipub: intervenerunt, & non in fundamento concessa sunt, cassabuntur, & in posterum ne dentur cavemus. Et si aliquis auderet contraveniendo huic juri illa petere, ipso facto infamis, & incapax Tenutæ pronuntiatur, ac pœna sessionis in Turri per spatium medij anni assignatur, ad instantiam cuiusvis Nobilis, in Tribunali Regni, ex regestro speciali Fisci: in Magno autem Ducatu Lithvaniæ, ex quocunq; Regestro peremptoriè vindicanda. Ex bonis Oëconomiarum summis per Constitutiones oneratis, nullas exactiones tam ex proventibus, quàm ex subditis ad Thesaurum Nostrum prætendemus. Summæ tamen ex Oëconomijs Novodworscensi & Savelensi à Republica Antecessoribus Nostris assecuratæ Thesaurus Regni & M. D. L. extra jus solvere Nobis annuatim tenebitur.

30. Vacantia extra tempus Comitiorum, ad maximum in sex septimanis à prima notitia distribuemus. In Comitijs autem vacantia ante omnia conferemus & statim ad instantiam Cameræ Nuntiorum Terrestrium per Cancellarium cui sunt collata, publicè denuntiabimus, & illa juxta jura & Statuta conferemus.

31. Inito consilio cum Ordinibus in Comitijs Coronationis Nostræ, dabimus operam, vt militia Equestris & pedestris in bonum ordinem redigatur, vt non habeamus necessitatem, militem externum, magnis stipendijs conducendi. Tum vt contentus stipendijs & hybernis, quæ in Comitijs Coronationis statuentur, sit, sicq; populus ab oppressionibus & gravaminibus liber remaneat.

32, Promittimus etiam, quòd disciplina militaris in rigore suo conservabitur, vt bona Ecclesiastica juxta jura antiqua in immunitate conserventur, Bona quoq; Nostra Regalia ab oppressione libera remaneant, per sufficientem contentationem militis, qui in futuris Comitijs Coronationis constituetur, & quidquid constitutum fuerit, non differendo ad alia Comitia effectum sortiatur conabimur.

33. Quoniam huius Reipublicæ sal Quartualis Statui Equestris Ordinis, ad bona hæreditaria illorum, ex salis-fodinis Bohensibus, & Vielicensibus, & ex Oëconomia Samboriensi extradebatur; promittimus quòd juxta Regestra antiqua singulis annis extradetur, pro quo Palatinatus viciniores mittent, remotioribus autem ad locum solitum sumptu Regio, juxta taxam antiquam devehetur. Cuius curam habebunt Domini Thesaurarij Regni, Admi-

nistra-

nistratores verò salisfodinarum tenebuntur illum extradere sub amissione contractûs, & sub pœnis in legibus descriptis, ad instantiam Palatinatuum &Districtuum in Tribunali Regni inter causas Fisci ex speciali regestro vindicandis. Respectu autem defluctuationis salis Nobilium & eius venditionis, ad felicem Coronationem Nostram differimus; hoc præcavendo, ne privatæ personæ hunc salem in Comitiolis postulent; cùm hoc beneficium vnicuiq; Nobili serviat.

Respectu eliberationis Capitaneatûs Draimensis; respectu transvectionis per fluvium sub Nova, expeditione militis, & respectu aliarum prætensionum cum Principe Brandeburgico conferemus, & per commissiones ex vi Pactorum pacificationem illarum curabimus. Et præcipuè jura, Privilegia, immunitates Districtûs Lemburgensis & Bitomensis, tam Ecclesiasticorum, quàm Nobiliũ, prout ante sub immediato dominio Regni iisdem utebantur, ita & nunc in suo robore conserventur. Tum ne Incolæ Nobiles vltra consensum in Comitiolis suis, contributionibus aggraveventur, authoritatem Nostram interponemus.

Fodinas tam salis; quàm aliorum metallorum, sulphuris, & quascunq; alias, liberum erit vnicuiq; in fundo suo fodere, juxta jura istius Reipub: nec quemquam impediemus per Nos, vel per Personas subordinatas salisfodinæ in Villa Swiercz, Dominorum Lubomirsciorum hæreditaria, Cunegundis dictæ, liberum vsum illis & Successoribus illorum, divenditionem salis, (absq; vlla præpeditione per Dominum Administratorem, & Officiales salis-fodinarum Nostrarum) perpetuis temporibus concedimus; neq; Nos neq; Successores Nostri Reges, præpediemus. Salvo jure Reformatorio Dominæ Domicillæ de Sczawin Grudzinska, Capitaneæ Golubensis, ad bona eadem Cunegundis, à priori Marito Domino Lubomirski (in quantum ei competit) reservato.

34. Privilegia & jura antiqua, omnibus Palatinatibus & Terris vtriusq; Gentis & annexis incorporatis Provincijs servientia: similiter & jus de tertijs Comitijs generalibus in Magno Ducatu Lithvaniæ in Comitijs *Anni 1671.* constitutum, totaliter confirmamus, & tertio anno in Magno Ducatu Lithvaniæ residere promittimus. Vacantia in his Palatinatibus, Terris M. D. L. Terrigenis possessionatis & bene meritis conferemus. Similiter etiam Bona Reipub: tam Oëconomica, quàm ad Quartam spectantia jure hæreditario nemini dabimus, aut alienabimus, sed omnia juxta jura & Statuta, vtriusq; Gentis faciemus.

35. Jura Majestatis Reipublicæ & Supremi Dominij in integrum restituemus, & omnia Regalia inviolabiliter conservabimus. Quibus, si per Privilegia indebitè absq; scitu, & consensu Reipub: obtenta, derogatum in aliquo fuerit, id nullius valoris sit, neq; Nos ligare poterit, confirmationemq; talium Privilegiorum extradere non mandabimus, & extradita pro nullis censebimus. Similiter jura patronatûs Nostri ad Episcopatus, Abbatias & alia omnia Beneficia manutenebimus; & contra hos, qui absq; Nominatione Regia qualicunq; modo, ad prædicta Beneficia audebunt se intrudere, oppositionem exemplo Antecessorum Regum Poloniæ faciemus.

36. Consanguineos Nostros omnes Collaterales, eodem jure censebimus, prout Nobiles alios, neq; plus prærogativæ & juris illis adscribemus, imò intra æqualitatem juris vt omnes remaneant, observabimus. Linea autem è lumbis Nostris descendens, his omnibus prærogativis vtetur, qualibus Proles Antecessorum Nostrorum Regum vtebatur. Salvis juribus circa hoc Reipub:

37. Cavemus & hoc, respectu bonorum hæreditariorum Nostrorum Regalium, in possessione Nostra existentium, quòd omnibus, qui sibi illatam iniuriam à bonis Nostris prætendent, Oëconomi Nostri (quibus Nobilibus Polonis Patricijs, & bene possessionatis, ejusdem Palatinatûs vbi bona existunt, administrationem eorundem bonorum dabimus) respondere tenebuntur in judicijs quibusvis Regni, juxta præscriptum Legum & præjudicata, & qualitate facti aut causæ prolata, satisfacient, sub executione de Bonis & Personis eorundem, quam executionem Nos non impediemus.

38. Et quoniam propter multitudinem causarum & negotiorum Reipub: exorbitantias Statuum Regni, & M. D. L. in moderna electione ordinare, & in rigorem reducere non potuimus, hoc est: de modo distributivæ justitiæ, de ordine sub tempus Interregni, de correctura jurium, de compositione inter Status, de Academiæ Cracoviensis justis postulatis; præcaverunt sibi Ordines Regni, & M. D. L. quòd si aliquid tempore Antecessorum Nostrorum Regum Poloniæ, contra jus commune exorbitatum est, in ordinem redigere, & ad executionem deducere, taliter; ac si in nullo, juri communi esset derogatum non permissuros, neq; jura aliter interpretaturos, nisi prout sonant, nullum habendo respectum ad exempla contraria. Similiter exorbitantias dissidentium in Reli-

gione

gione in futuris Comitijs Coronationis Nostræ pacificaturos.

39. Adextremum, omnia jura, Libertates, Privilegia Regni, Magniq; Ducatûs Lithvaniæ, omnibus Statibus Spiritualibus & Sæcularib9. incorporatisq; Provincijs, necnon Academiæ Cracoviensi, Civitatibus omnibus, justè & legitimè obtenta & concessa, in omnibus & singulis punctis & clausulis. Tum Constitutiones omnes in Coronationibus Regum, HENRICI, STEPHANI, SIGISMVNDI III. VLADISLAI IV. JOANNIS CASIMIRI & MICHAELIS Antecessoris Nostri, latas, in Comitijs electionis concorditer approbatas; sicut & has quæ in futura Coronatione nostra, & in alijs Comitijs de communi consensu Ordinum omnium conscriptas, manutenere,& in omnibus punctis, & clausulis earundem servare promittimus. Similiter & Literas confirmationis jurium & Pactorum Conventorum, exemplo Divorum Prædecessorum Nostrorum, & exemplo Serenissimi Regis immediati Antecessoris Nostri extradere promittimus. Et si (quod Deus avertat) contra jura, libertates, articulos & conditiones excederemus, vel non adimpleremus, Incolas vtriusq; Gentis ab obedientia & fidelitate Nobis debita, liberos facimus juxta Constitutionem *Anni* 1609. Quibus finitis, more solito, Senatores, Officiales, Nuntijq; Terrestres, & præcipuè Deputati ad conscribenda hæcce Pacta Conventa, necnon Deputati à Civitatibus, Cracoviensi, Vilnensi, Leopoliensi & Posnaniensi subscripserunt se, vt cuiq; videre licet in volumine Constitutionum Regni.

ARTICVLI PACTORVM CONVENTORVM

Inter

Status Serenissimæ Reipublicæ Polonæ ab vnâ, & Serenissimum Principem FRIDERICVM AVGVSTVM Ducem Saxoniæ &c. nunc vero Electum Dei gratiâ Regem Polonorum &c. conclusi & conscripti.

atq;

Perillustrem & Magnificum Dominum Iacobum Henricum Baronem de Flemming &c. ad præsentem Actum Electionis Ablegatum extraordinarium Oratorem, & Commissarium præsentaneâ sponsione, ac personali juramento ratificati & comprobati.

I. Licèt jura antiqua sint indubitata, quòd *Rex* sit Catholicus Romanæ Orthodoxæ fidei & *Religionis*, tamen propter æternum

num valorem, nunc & in posterum cavemus lege perpetuâ pro Nobis & Successoribus Nostris, quòd publicè ante Coronationem tàm Nos, quàm Consors Nostra, Catholicam Romanam fidem, cum omnibus solennitatibus profiteri, & illam fidelissimè ad vltima vitæ nostræ tempora tenere sub nullitate electionis tenebimur: nec in posterum eligetur, & nominabitur, nisi sit actu Romanæ Orthodoxæ Religionis.

2. Stante vitâ Nostrâ, nec Nos, nec Successores nostri, Reges nominabimus & eligemus, neq; alio modo excogitato in Thronum Regium aliquem inducemus, idq; ideo, vt perpetuis temporibus, post decessum Nostrum, libera sit electio. Iura, Privilegia & Constitutiones omnes de libera Electione latas tam antiquas, quàm recentes *Annorum 1601. 1609.* & juxta speciale privilegium in Comitijs *Anni 1631.* sub SIGISMVNDO III. Reipublicæ datum, & in Constitutionem ingrossatum. Item recentibus Constitutionibus *Annorum 1662. 1667. & 1670.* vallatum, ac proinde titulo Hæredis non vtemur, neq; Successores Nostri Reges vtentur. Reassumendo omnia jura de libera Electione, cavemus; ne Domus Nostra Regia vllam successionem, & prætextum proximitatis ad Regnum sibi usurpet. Insuper prærogativam libertatis, jus æqualitatis inter Concives Regni, vti præcipuum fundamentum & primarium decus; imò matrem liberi Status Equestris Ordinis, inter jura cardinalia istius Reipublicæ, tenebimus.

3. Bona hæreditaria, nec per Nos, nec per subordinatas personas, neq; in Prolem nostram, neq; in quemquam alium sub prætextu Domûs Nostræ acquiremus, & si acquisiverimus, donatio & inscriptio nulla & irrita debet censeri; & ipso facto hæc bona ad dispositionem Reipublicæ debent redire, quod & pro Successoribus nostris Regibus Poloniæ cavebimus.

4. Pacem inter dissidentes in Religione Christiana, exemplo Antecessorum nostrorum Regum tuebimur perpetuis temporibus, non obstantibus quibusvis protestationibus &c. Saluis per omnia juribus Ecclesiæ Catholicæ Romanæ: & exceptis juribus Ducatûs Masoviæ & Livoniæ, sub quam tamen dispositionem, Menonistæ, Anabaptistæ, Quakieristæ non cadunt; quinimo omnia jura & Statuta contra Arianos lata reassumimus.

5. In distribuendis dignitatibus Senatorijs & Capitaneatibus judicialibus continuum usum & praxim, exemplo Antecessorum nostrorum Regum, inviolabiliter observabimus.

6. Inter

6. Inter homines Græcæ Religionis, in Comitijs futuræ Coronationis nostræ juxta jura antiqua utriusq; partis, in præsentia Deputatorum ex vtroq; Ordine, sine omnibus disquisitionibus, & dilationibus, per Commissarios vtriusq; Gentis, indilatè pacificare, & ad executionem deducere promittimus. Bona & dignitates spirituales Græcæ Religionis, personis incapacibus juxta jura antiqua non dabimus, neq; per cessionem tenere permittemus. Avulsa bona à Metropoli Kijoviensi, in manibus & potestate hostis non existentia, ad eandem Metropolim spectantia, juxta jura antiqua eidem jungere promittimus.

7. Juramentum Nostrum, & Pacta Conventa summariè collecta in quibusvis Comitijs primâ die, loco Articulorum Mareschalcalium, in præsentia omnium Ordinum clarè & voce altâ, distinctis verbis, nullum prætermittendo legentur, & vnicuiq; liberum erit dicere, in quantum per Nos exorbitatum in aliquo fuerit, præmonere.

8. De justitia distributiva facienda articulus similis est articulo Pactorum Conventorum, cum Serenissimo JOANNE III.

9. Pro collatione dignitatum, Officiorum quorumvis, tam Spiritualium, quàm Sæcularium in Regno, Magno Ducatu Lithvaniæ, & annexis eorum Provincijs, nulla honoraria sub nexu juramenti accipiemus. Et si aliquis ex Civibus pro collatione alicuius Officij, vel dignitatis offerre vel dare auderet, tunc non solùm dignitate vel officio carere, sed eo ipso pro incapaci debet haberi, & ad cuiuslibet Nobilis instantiam, qui convinceret in Tribunali, quam Magni Ducatûs Lithvaniæ juxta coæquationem, & ordinationem jurium constitutus ex quovis Regestro respondere tenebitur; Et Nos nullam protectionem eidem dabimus, sed solis bene meritis & Indigenis Palatinatuum & Terrarum capacibus, ætate bene vigentibus, dignis ad recommendationem vnanimem, & concordem vtriusq; Gentis, & annexarum Provinciarum, ac Terrarum Prussiæ, juxta Privilegia specialia earum conferemus. Similiter & militibus ad recommendationem Dominorum Ducum Exercitûs vtriusq; Gentis.

10. In vnam Familiam ejusdem Nominis, suprema ministeria Status, prout Clavas, Sigilla, Baculos Mareschalcales, Claves Thesaurariales, tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithvaniæ, nec minoribus Abbatias, dignitates, Capitaneatus, Tenutas, quamvis ex meritis Patris, & Antecessorum suorum essent digni, conferemus,

 mus,

mus. Sed solùm bene meritis, ætate vigentibus, Terrigenis, salvis modernis Possessoribus.

11. Vltra duos Capitaneatus boni proventûs, aut Tenutas insignes (in quod Capitaneatus cùm jurisdictione non debent includi) vni *Personæ*; similiter Fæminis jure communicativo, vltra duos Capitaneatus boni proventûs, exceptis Capitaneatibus limitaneis, quorum possessionis juxta jura antiqua incapaces sunt, tenere non permittemus.

12. Cavemus etiam pro Consorte *Nostra*, quod se non immiscet in negotia *Status* Reipublicæ per se, vel per subordinatas quasvis Personas, & à promotionibus abstinebit. Promotiones quoq; per fæminas Aulæ & per personas exteras, neq; per intimos cubicularios nostros cuiuscunq; nationis exteros admittemus, sed juxta præscriptum jurium antiquorum, omnia faciemus. *Super* quo invigilare Domini Cancelarij, Mareschalci, & Succamerarij *Regni*, vtriusq; Gentis, & deferre Reipub: tenebuntur: Nuntij autem Terrestres in Comitijs, circa collationem, & distributionem vacantium, facultatem habebunt.

13. Spondemus omnibus Statibus Reipub: quòd Officia majora & minora, duo *Privilegia* super vno Officio Terrestri in Regno, Magno Ducatu Lithuaniæ, & annexis Provincijs, nemini dabimus, neq; ante actualem ascensum vnius, alteri conferemus. Ideo Metricantes in acta metricæ *Regni* vtriusq; Gentis Privilegia non ingrossabunt, nec una Cancellaria tam *Regni*, quàm Magni Ducatûs Lithvaniæ alteri communicabit. Dignitatem, vel Officium in Comitijs obtinens, tenetur in facie totius Reipub: jurare juxta *Rotam* in Statuto descriptam.

14. Dignitates & Officia Regni, & M. D. L: Provinciarumq; annexarum in toto penes jura, jurisdictiones & vsum legum, & formam Reipub: ac *Privilegia* specialia. In Magno autem Ducatu Lithvaniæ, juxta præscriptum jurium coæquationis, & ordinationis conservabimus. Prærogativas & proventus illorum, nullo modo excogitato, tam actu possessorum, quàm quæ conferemus, diminuere permittemus: & ne privatæ personæ se in illa immisceant, animadvertemus. Similiter omnia Officia Terrestria, Aulæ Regni & M. D. L. & annexarum Provinciarum, quæ sunt legitimè collata, & antea in vsu fuerant, ex vtroq; *Statu* & Ordinibus Regni conservare pacificè promittimus, nullam diminutionem in hoc faciendo; Adhæc cuilibet Officio Aulæ, locum si adhuc

non

non est assignatus, assignabimus, insuper, omnia officia Spiritualia vtriusq; *Ritûs* Græco-vniti aulica sæcularium, & Terrestria, antiqua penes jura illorum conservabimus.

15. Iuramenta Officialium majorum Regni, veluti Cancellariorum, Mareschalcorum, Ducum exercitûs, vt juxta exorbitantias ad effectum deducantur, cavemus.

16. Vacantia extra tempus Comitiorum, ad maximum in decursu sex septimanarum à prima notia in Comitijs ante omnia conferemus; & statim cui fuerint collata, publicè ad requisitionem Dominorum Nuntiorum Terrestrium per Cancellarios nominabimus; & illa juxta jura & *S*tatuta Terrigenis, Indigenis paritate juris gaudentibus bene meritis, ætate & discretione vigentibus vtriusq; Gentis, & annexarum & incorporatarum Provinciarum, juxta jura & Privilegia eorum conferemus.

17. Incompatibilia in juribus & Constitutionibus descripta, hoc est: Mareschalcatûs, Thesaurariatûs, cùm Clava & alia, sub nullitate Privilegiorum non dabimus.

18. Pacta & fædera cum Principibus externis renovabimus, & conservationem illorum procurabimus, sine tamen præjudicio Reipublicæ, & Provinciarum annexarum. Avulsa à Dominijs huius *Re*ipublicæ, juxta jura *N*obis & Reipub: pertinentia, recuperabimus, & omni ex parte ab intra, & ab extra pacificationem illius omni modo procurare promittimus; non omittendo omnia media, & modos ad pacificandam Rempublicam, & optimam illius fortunam.

19. Cum Proventus Rei monetariæ *R*egni, & M. D. L. juxta jura antiqua ad dispositionem Reipublicæ pertineant, Nos & *S*uccessores *N*ostri, Reges Poloniæ, non applicabimus Nobis perpetuis temporibus, nec vllam monetam, etiam ex Senatus-consulto cudere mandabimus, juxta Constitutionem *Anni 1632. &c.* vt in superioribus articulis Pactorum Conventorum.

20. Legatos ad externos Principes, tantùm *N*obiles benè possessionatos vtriusq; Gentis, ex Ordinibus Senatorio & Equestri mittemus &c. vt in alijs compactitis, hoc addito: quòd Romam Legati non personæ Spirituales, sed *S*æculares mittentur. Similiter Ablegationes ordinarias, residentias, agentias, in Aulis Principum externorum, Secretariatûs, non *P*ersonis externis, sed Nobilibus benè possessionatis vtriusq; Gentis committemus, Metricans seu *R*egens, similiter Nobilis benè possessionatus erit, & semper penes

Metricam refidebit, & Archiva Reipublicæ inviolabiliter conſervabit, Privilegia omnia à Nobis data in acta Metrices ingroſſabit: cui reſpectu laboris floreni quingenti annuatim ex Theſauro Regni perſolventur.

21. Exteros neq; quempiam alium ex perſona Noſtra ad Indigenatū & Nobilitationem promovebimus, ſed tantùm hos, quos Duces Exercitûs vtriuſq; Gentis, & Status Regni & M. D. L. recomendabunt, & tales qui in expeditionibus bellicis ſanguine meruerunt, vel quorum virtutes & merita erga Rempublicam probata erunt. His autem qui recenter ad Nobilitatem admiſſi erunt, & creabuntur, Officia, Beneficia ad tertiam progeniem non dabimus, neq; cum legationibus mittemus, exceptis ijs, qui in Exercitu fuerint bene meriti, vel qui vitâ & ſubſtantiâ integritatem Reipub: defenderunt vel defendent, vel hos, quos ex antiquis, externorum Familijs ad Indigenatum recipiemus.

22. Clenodijs Reipub: non vtemur, nec Theſaurum aperire etiam ex Senatûs-conſulto permittemus, abſq; ſpeciali conſenſu totius Reipublicæ. Et ſi aliquid ex ſupellectilibus, quæ in Theſauro Regni conſervantur, ad vſum Noſtrum, præviâ aſſecuratione accipiemus, tunc vel nos ipſi, vel poſt fata noſtra, Succeſſores Domûs noſtræ tenebuntur reddere, juxta Inventarium Theſauri, & in poſterum non diminuere, ſed augere promittimus.

23. Exteros cuiuſcunq; conditionis homines ad conſilia Noſtra, & Statuum Reipublicæ, neq; ad vlla Officia & negotia admittemus. Neq; dignitates; Capitaneatus, Tenutas, & quæcunq; vacantia conferemus, juxta præſcriptum Conſtitutionis *Anni* 1607. & aliarum Conſtitutionum. Neq; permittemus, vt ad recommendationes, inſtantias, negotiis ſe immiſceant, ſub vinculo juramenti Noſtri promittimus.

24. Aulam Noſtram ex Gente Polona, M. D. L. & annexarum Provinciarum, idq; Nobili fovebimus, & illis ſalaria ſolvemus. Exceptis perſonis ad minora obſequia in Camera Noſtra. Similiter & Sereniſſima Vxor Noſtra idem ſervabit; nec vltra quatuor perſonas ſexûs fæminei Gentis ſuæ, in majori famulatu fovebit.

25. Militem cuſtodientem Perſonam Noſtram (alias Guardiam) ex Gente Polona, M. D. L. & annexarum Provinciarum fovebim⁹, & Præfectus iſtius militis ſemper erit Nobilis perſona Regni, M. D. L. & Provinciarum annexarum, qui non tantùm Nobis, ſed etiam toti Reipublicæ juramentum præſtare tenebitur coram Officia-

ficialibus Regni & M. D. L. & Senatoribus residentibus ad latus Nostrum. Eritq; sub jurisdictione Mareschalci tam ipse, quàm milites, prout & alij Aulici, quibus ex Thesauro nostro *Curiæ* solvetur, nec vltra mille ducentos milites hos, more Antecessorum Nostrorum Regum fovebimus.

26\. Linea de lumbis Nostris descendens, his prærogativis omnibus vtetur, sicut & Proles Antecessorum Nostrorum Regum Poloniæ vtebatur, salvis juribus circa hoc *Reipublicæ*.

27\. Reassumendo *Pacta* Conventa & jura *Serenissimæ* Prolis Regiæ inter *Rempublicam* & Serenissimum JOANNEM III. *Regem* Poloniæ, Antecessorum *Nostrorum* conscripta, indemnitatem & immunitatem Bonorum & Fortunarum Serenissimorum tam Reginæ Matris, quàm Serenissimorum Filiorum manutenebimus, & illos circa iura illorum omnia in integro, & inviolabiliter conservabimus. Salvis ab vtrinq; tam *Reipublicæ*, quàm *Serenissimorũ* Domûs *Regiæ* Successorum prætensionibus, apud eosdem Serenissimos Successores in Comitijs proxime imminentibus Coronationis nostræ, vel in alijs proximis, hoc efficiemus, vt juramentum fidelitatis Nobis & Reipub: præstent. Et si aliqua causa personas eorundem Serenissimorum Principum afficiens acciderit, tunc ejusmodi causæ cognitio ad Nos cum Senatu in *Comitijs* spectabit. In bonis autem suis tam hæreditarijs, quàm Reipublicæ Administratores in possessione eorum permanentes & Oëconomos Nobiles possessionatos, *Serenissimi* Principes, & Serenissima *Regina* habebit, qui iniuriatis respondeant in jure, & executioni finali de bonis suis subiaceant, quam executionem, nec Serenissimi Principes impedient.

28\. De sigillo privato non vtendo, idem *Conventum*, prout in alijs Pactis *Conventis* cum *Serenissimis* Regibus.

29\. Bellicam Oëconomiam, juxta antiqua jura VLADISLAI IV. & JOANNIS CASIMIRI Antecessorum Nostrorum conservabimus. Ad quam juxta Constitutionem *Anni 1659.* Capitaneatus duos, ex primis vacantibus quorum proventus ad summam triginta millium florenorum ascendent, incorporare promittimus. Et vt Magister Artileriæ sempet Patritius, & bene possessionatus sit procurabimus; tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithvaniæ, vt Quarta, simpla, Magni Ducatûs Lithvaniæ per medietatem juxta Constitutionem *Anni 1667.* solvatur, ordinamus Et Magistri Artileriæ ex isto proventu, rationem reddere ratione perceptorum

& expensorum in quibusvis Comitijs tenebuntur circa calculationem Thesauri.

30. Exercitum ex exteris, sine speciali consensu & scitu Reipub: in Comitijs in viscera Regni, M. D. L, & annexarum Provinciarum non inducemus; Neq; bella offensiva inferemus; nec supplemẽtum, & auctionem tam militis Quartuarij, quàm alterius vtriusq; Gentis, & nullum exercitum privatum conscribemus, ad quosvis casus, nec (quod Deus avertat) ad motus Civiles, neq; extra limites educemus, sine scitu & speciali consensu totius Reipublicæ, neq; educere permittemus. Quodsi aliquis nomine Nostro, insciâ & invitâ Repub: auderet conscribere militem, talem pro infami, perduelle, hoste Patriæ declaramus, & quemlibet capere & tollere vti violatorem juris & pacis communis permittimus, imò capita illorum invindicabilia debebunt censeri. Et si ex aliqua causa & occasione necessarium Nobis esset contra aliquem in hoc Regno conscribere militem (quod Deus avertat) in tali casu nec Domini Duces Exercitûs Regni vtriusq; Gentis, neq; legiones] militum parere nobis tenebuntur, neq; vltra limites Regni, aliquomodo tam exercitus M. D. L. ad Regnum, quàm Regni ad Magnum Ducatum Lithvaniæ & Provincias annexas. Quibus omnibus, Domini Duces Exercitûs vtriusq; Gentis tenebuntur attendere sub refusione damnorum.

31. Modò exterorum militem conscribere, etiam ex Senatûs-consulto absq; consensu totius Reipublicæ nemini concedemus. Exercitum autem vtriusq; Gentis, juxta antiquum morem, & juxta ordinationem in Comitijs Reipub: tenebimus. Quibus Nobiles ex Gente Polona & annexarum Provinciarum præficiemus. Propter quod cavemus Ordinibus Reipublicæ, quòd exteris hominibus literas **Przypowiedne** dictas extradere non mandabimus; & si aliquæ ex Cancellaria fuerint extraditæ, nullius valoris sint. Quibus Domini Cancellarij vtriusq; Gentis attendere tenebuntur, sub pœnis in legibus descriptis ad instantiam cuiuslibet Nuntij Terrestris in Comitijs vindicandis. Et talium Præfecturæ pro vacanti censebuntur; & Nos alteri Nobili vtriusq; Gentis & annexarum Provinciarum easdem dabimus.

32. Deducendo ad executionem disciplinam militarem, nullas legiones **Frey** campaniæ dictas conferemus, neq; literas **Przypowiedne** nuncupatas dabimus, tam Personis ex Senatu, quàm Capitaneorum Iudicialium salvis modernis Possessoribus. Et si aliquis

quis

quis absq; literis nostris (Przypowiedne dictis) vexillum habere ausus fuerit, is ipso facto infamis sit, & stipendia amittat.

33. Factâ conferentiâ cum Ordinibus Rejpub: in Comitijs futuræ Coronationis nostræ tenebimur studium & operam adhibere, quali modo militia tam Equestris, quàm pedestris in bonum ordinem possit redigi, ne bona omnia tam Spiritualia vtriusq; Gentis, quàm Terrestria à militibus transeuntibus aggraventur; sed juxta immunitates in legibus Regni descriptas conserventur. vtq; miles remaneat in disciplina militari, & contentus sit proprijs stipendijs & hybernis, & nihil sibi vltra articulos militares & jura permittat, nec ullam in Bonis Nostris Regalibus & Spiritualibus vtriusq; Gentis oppressionem faciat.

34. Confœderato militi sub obedientiam Dominorum Ducum reverso & remanere promittenti amnistia in Comitijs Coronationis danda promittitur, præmissâ super prætensionibus injuriatorum judicandis commissione ex ijsdem Comitijs.

35. Causæ omnes in judicijs Comitialibus post Curiam, & alijs ex regestro non immutando illud vnquam, vocabuntur, neq; reiectæ fient. Sententia ex pluralitate votorum proferetur: & ejusmodi decretum, Iudicium Terrestre in Protocollo describet. Jn causis autem Fisci & Civilibus Notarius decretorum Regni: in Magno Ducatu Lithvaniæ juxta morem antiquum, qui locum in Iudicio habebit. Et postquam illud publicaverit, corrigere non poterit, sed statim post publicationem manu vtriusq; Referendarij subscribetur, & partibus ad requisitionem illarum in triduo sine depactatione extradatur; neq; ad Cameram nostram pro correctura portabitur, sub pœnis in legibus Regni descriptis: judicijs tam Comitialibus, quàm alijs, quod rigor suus reddetur, spondem⁹. In quo a Ministris Statûs ad quos id spectat attendentiam facere promittimus. Judicia quoq; Curlandiæ in terminis circumscriptis, prævijs intimatorialibus, non præmittere, declaramus.

36. Jn causis postcurialibus, juxta jura præscripta HENRICI Regis, ex sententia Dominorum Senatorum & Officialium ad latus Nostrû residentium procedemus, & deliberationem tertiâ die expediemus: omnesq; causas, quæ in deliberatione Antecessoris nostri Regis pendent, decidemus.

37. Jn omnibus causis ad quævis subselia inter Concives Regni & M.D.L. intervenientibus pro nulla parte instantiam faciemus. Gravamina omnia, & præjudicia per Civitates maiores Prussiæ facta,

cta, in futuris Comitijs plene cognoſcemus, & irremiſſibiliter judicabimus.

38 Bona noſtra Oëconomica & Capitaneatus ſalisfodinas, Metricam, Regentias Regni & M. D. L. *S*ecretariatus, Notariatus Cameræ Theſauri, & in genere Adminiſtrationes, luſtrationes Theſauri non dabimus, neq; Telonea, Cameras arendabimus, niſi hominibus *S*tatûs Equeſtris benè poſſeſſionatis in Regno M. D. L. & annexis Provincijs, quas externi & tanto magis Iudæi (quibus hoc legibus vetitum eſt) adminiſtrare aut tenere bona *N*oſtra & *R*eipub: non poterunt ſub nullitate contractus & pœna duorum millium marcarum, ad inſtantiam cuiuſvis Nobilis in judicijs Tribunalis Regni, ex regeſtro cauſarum Fiſci, in Magno autem Ducatu Lithvaniæ, ex quolibet regeſtro vindicanda. *S*imiliter Commendas in bonis noſtris, Civitatibus, Arcibus, fortalitijs tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithvaniæ, & annexis eo Provincijs, extraneis & plebeiis perſonis non dabimus, ſed ſolùm Nobilibus *P*erſonis poſſeſſionatis, bene meritis, à Ducibus Exercitûs vtriuſq; Gentis recommendatis.

39. Ultra Oëconomias quæ ad menſam Noſtram *R*egiam pertinent, ſine ſpeciali conſenſu Ordinum non augebimus; neq; granicies bonorum, ad menſam noſtram Regiam ſpectantium per vim & potentiam Adminiſtratoribus vſurpare permittemus. Imo injuriatis commiſſionem ad quamvis requiſitionem, in perſonas intereſſe aliquod non habentes, poſt Curiam dabimus. Sub *I*nterregno moderno expeditam Commiſſionem Granicierum Terræ Lucovienſis cum Civitate Woinienſi bonorum menſæ noſtræ ad effectum deducemus, & id quod deciſum eſt, obſervabimus, Oëconomias omnes juxta jura adminiſtrare promittimus. Penſiones nullas bonis menſæ noſtræ non imponemus, neq; avulſiones facere permittemus, qui ſine conſenſu Reipublicæ avulſa, viâ juris Ordinariâ recuperare tenebimur. Et has Oëconomias in Adminiſtrationem vel Arendam *N*obilibus tantùm Terrigenis in *R*egno & in Magno Ducatu Lithvaniæ, Incolis illius Ducatûs, & annexarum *P*rovinciarum, poſſeſſionatis, non extraneis dabimus, & quietationes poſt realem ſolutionem ſummæ juxta contractum & antiquum vſum extradere mandabimus. Et omnia Privilegia quæcunq; in diminutionem proventûs menſæ Regiæ ab Anteceſſoribus Noſtris *R*egibus ſine conſenſu Reipub: data, & in nullo fundamento conceſſa, debent caſſari, & in poſterum ne extradantur

tur

tur cavebimus, Et si aliquis contraveniendo huic juri ausus fuerit impetrare, ipso facto infamis & incapax Tenutæ pronuntiatur, & pæna sessionis turris per spatium medij anni sustinendæ, assignatur, ad instantiam cuiusvis Nobilis in judicijs Tribunalis Regni, ex regestro speciali Fisci: in Magno autem Ducatu Lithvaniæ ex quolibet regestro peremptoriè vindicandis. Ex Oëconomicis bonis summis per Constitutionem oneratis, nullas exactiones, tam ex proventibus, quàm ex subditis, ad Thesaurum Nostrum prætendemus.

40. Et quoniam sub prætextu bonorum mensæ Nostræ Regiæ, varia bona ab ævo ad mensam Regiam non spectantia, titulo avulsionis ad Iudicia post Curiam trahuntur, & hæc sub arbitra Majestate supremi Iudicij remanendo, per decretum vim patiuntur. Proinde declaramus, quòd hæc solùm bona, & Oëconomiæ Regales ad mensam Nostram Regiam debebunt spectare, quæ ex natura sui ad bona mensæ Regiæ spectabant. Alij autem Capitaneatus, & bona Regia ad mensam nostram nunquam spectantia, sine impedimento à Thesauro Nostro, & à Nobis ipsis, absq; præjudicio, & in pacifica possessione, quàm proventus illorum in sua integritate, & quiete quòd remanebunt, assecuramus.

41. Duæ Villæ Krynki & Nowisiołki in Clavi Rzecicensi Oëconomiæ Brzescicensis M. D. L. iacentes, & annexa illis, quas Domino Stanislao Mąkowiecki Dapifero Laticensi, & Ioanni Michaëli Mislinski Vexillifero Cerrischoviensi à Serenissimo olim IOANNE III. Rege, post exilium ex Podolia pro reclinatorio datæ sunt, penes easdem Villas, quousq; ad possessiones suas non redierint, conservare illos promittimus, salvo censu annuo ad Thesaurum Regni exsolvi solito.

42. Summas in Oëconomia Nowodvorscensi & Savelicensi, à Repub: Antecessoribus nostris Regibus assecuratas: & per Serenissimum olim JOANNEM III. Antecessorem Nostrum Regem solutas & sublatas, liberum Nobis erit in eliberationem dictarum Oëconomiarum Successoribus, dicti Serenissimi Regis reponere & persolvere; similiter & Belgardum eximere, & simul cum Emargo Oëconomiæ Marieburgensis, adiungere. Quas summas Successores nostri apud Rempublicam repetere poterunt, atq; bona prædictarum Oeconomiarum nulli oneri obnoxia, futuro Regnanti relinquemus.

43. Respectu **Drámá**/ & respectu transvectionis sub **Nowá**/ tum expedi-

peditionis militis, & respectu aliarum prætensionum cum Serenissimo Principe Brandeburgico conferemus, & per Commissionem ex vi Pactorum, pacificationem procurabimus. Et præcipuè iura, Privilegia, immunitates, Districtûs Lemburgensis, & Bitoviensis tam Spiritualium, quàm Sæcularium, prout per omnia sub immediato dominio Regni ijsdem vtebantur, & juxta jura & Constitutiones Regni, vt conserventur, dabimus operam. Et vt Incolæ conditionis, & Statûs Nobilis vltra consensum concordiæ, & in Comitiolis suis Contributionibus non aggraventur, authoritatem nostram Regiam apud eundem Serenissimum Principem Brandeburgicum interponemus.

44. Capitaneatum Pucensem à Successoribus olim Serenissimi Regis, mediante liquidatione summæ ibidem inhærentis, & eiusdem exsolutione ære nostro proprio redimere; & dictum Capitaneatū Nobili Terrigenæ, & Indigenæ conferre declaramus.

45. Cavemus & hoc, respectu bonorum mensæ Nostræ, quòd si aliquis illatam sibi injuriam à præfatis bonis prætenderet, quòd Administratores nostri, qui Nobiles Poloni, vel M. D. L. & Provinciarum annexarum Patritij, & bene possessionati erunt, justitiam administrare, & injuriatis respondere tenebuntur in judicijs quibusvis Regni, juxta præscriptum legis, & judicata ex qualitate facti & causæ prolata satisfacere, sub executione de personis suis, & bonis eorundem proprijs, quam executionem nullo modo Nos præpediemus.

46. Depositoria mercimoniorum cuiuscunq; generis, & speciei per abusum, & contra leges vltra limites Regni, cum maximo Reipublicæ damno translata, Civitates nostras Regni, M. D. L. & annexarum Provinciarum, quæ pro depositorijs mercimoniorum priuilegia habent, ad pristinum vsum & vigorem reducere, sacrosanctè promittimus; & telonea ad majorem ordinem, & methodum in commodum Reipublicæ reducemus. Et licetsi Ducatus Zatoroviensis & Osuiecimensis, tam circa incorporationem Coronæ, quàm & per Constitutionem *Anni* 1581. à solutione telonei, à lignis & piscibus, qui per aquas Cracoviam, vel vlteriùs, ex bonis suis hæreditarijs deducuntur, sunt sufficienter & totaliter liberati; nihilominus per extorsionem teloneorum ab Administratione generali Cracoviensi, magnum præjudicium sentiunt. Ideo approbando jura antiqua huic Ducatui servientia, declarabimus, quòd ejusmodi exactiones, tam à vendentibus, quàm ementibus prohibe-

hibe-

hibebimus, præviâ nihilominus comprobatione juratoriâ per Delegatos suos, quòd ex proprijs sylvis ligna, & lacubus ac stagnis pisces mittantur.

47. Officium Thesaurariatûs Curiæ Regni, juxta antiquum Statutum ALEXANDRI Regis, & Constitutionem *Anni 1607.* & recentiores penes jura sua conservamus & confirmamus.

48. Propositiones per Ablegatum nostrum Reipublicæ, & Ordinibus propositas in præsentibus Pactis Conventis expressas, quòd sacrosanctè manutenebimus, & observabimus, spondemus verbo Regio, & sacramento juramenti confirmabimus, & quidquid ex re & commodo Reipub: proficuum fuerit, juxta omnia *Pacta* Antecessorum nostrorum Regum Poloniæ, nullam occasionem prætermissuros promittimus.

Propositionum autem harum essentialium tenor sequitur eiusmodi.

I. ET quod maximum, quod ipsum supremum *Numen* arcanâ decretorum suorum prævisione, Serenissimum Electorem Saxoniæ &c. huic, destinando Regno, adhuc ante duos annos ex instinctu Spiritûs sancti, & ex intentione proposita Romani peregrinationis ad veram Catholicam fidem induxit, & ad incrementū Ecclesiæ Dei, in vrbe Orbis Domina imbuit sacrâ doctrinâ; opus hoc solius Omnipotentiæ Divinæ, evidentissimum miraculum illius, qui solus mirabilia facit, & non vanum augurium, quia ipse DEVS hâc supremâ vocatione,, viam ad Coronam præparavit, & tempestivè habilitavit ad illud Statutum, Rex Catholicus esto, vt pereunti Patriæ cælitus missus fulciret heroicâ dexterâ tuentis Orbis machinam, & memorandis in posthumis annis, victorijs Othomanicâ deprimeret superbiam, in omnes Regni istius hostes vibrando fulmen belli,Civibus verò beneficos gratiarum radios favorum, & munificentiæ suæ abundiùs diffundendo.

2. Neq; metuendum est, quòd Serenissimæ Reipub: graviter incumbet cum Serenissima Prole sua, aut illi ex beneficijs Reipub: minimam derivabit guttam, quia vnum habens filium, non tantùm illi Electorales ditiones cum prærogativa Electorali, & insignibus Imperij, sed etiam Lusatiam ad se devolutam ex suis Prædecessoribus, omnesq; alias Provincias tempore competenti resignare potest, & abundè illi necessaria providere. Iam ergo beneficium, suum respectum, tam in Reipub: commodum, quàm pri-

vatum Civium intereſſe convertet; vt inde Patria defenſionem habeat; fides Orthodoxa gloriam; *Status* Equeſtris oblectamentum; totius Reipub: Oëconomia bonum ordinem, præcipuè verò, vt libertatis inclytı Equeſtris Ordinis jura, quorum congenito fertur amore, inviolatâ integritate gaudeât: tum *Pacta* quoq; Conventa in viridi ſemper remaneant, & inviolabili obſervantiâ ad famam & vtilitatem publicam dirigente Principe.

3. Honore vacantes generaliter omnes non ex nummorum, ſed ex virtutis pretio diſtribuentur; neq; hæc labes in delicato pectore Sereniſsimi Electoris hærere poſſet, cuius generoſitas ejuſmodi munuſcula & obventiones deteſtatur, nec ſua æraria privatis damnis creſcunt. Procul ſemota à noſtro Domino indecora lucra, vbi largâ munificentiâ in vnum quemq; fidelem ſervũ copiosè erogat gratias. *Neq;* defraudata hoc in paſſu aliquorum indolet fidelitas, vbi ſingulorum merita nominatim recognoſcit, & innumerabilibus beneficijs præmiatur.

4. Conſiderando verò adeo intricata, in tam anguſtis Reipublicæ temporibus momenta, cùm ſcilicet revoluuntur magno cumulo in Patriam, nondum perſoluta Exercitui ſtipendia, libenter in ſublevamen tantorum onerum offert Reipub: decem milliones currentis monetæ, non in ſcripto tantùm, ſed re ipsâ poſt actum Electionis realiter & effectivè è proprio peculio numerari faciet. Quamvis alij ſpecioſo colore magnificent oblationes ſuas, & quaſi ſubdulciori melle varijs condecorent modis, adumbrentq; in publicum propoſita emolumenta. Nihilominus Reſpub: juſtam reflexionem inſtituere poſſet, vtrum media, & bona offerentium tam effuſis largitionibus, & promiſsis ſufficere poſsint: nam ſi aliunde collectæ, quæſitæ, & quidem iniquis conditionibus, in fidem ad tempus acceptæ ſummæ ſunt, infallibiliter ex mutua obligatione Principalib⁹, aut Creditoribus ſuis debebũt vellificari. *Per* quod *Reſ*pub: ære alieno obærata internis factionibus frequẽti⁹ diſturbabitur; & in omnibus occurrentijs, non ad rationes boni publici, ſed potiùs ad intereſſe externum non ſine gravi involutione, & detrimento ſui ad retribuendam gratificationem protrahetur.

5. Camenecum Podoliæ, vti imperterritæ fortitudinis, & dexteritatis probatus Heros, ſpondet ſe recuperaturum *S*ereniſsimus Elector, neq; ſolùm verbis enixa promiſſa, ſed exercitum ſuum, & proprium armamentariũ in illius expugnationem præſentat. Inſuper vitam et ſalutem ſuam, ſaluti publicæ devovet, vt tot anfractus et moleſti-

molestias, tot labores circa Reipub: solicitudinem libenter suscipiens cum impendio sanitatis propriæ, & maximo sumptu, verùm sibi in heroicis liberæ gentis pectoribus comparare & stabilire possit amorem.

6. Nonminùs Podoliam, Vkrainam, Valachiam, Moldaviam, vt possit ad Serenissimam Rempub: aggregare, sive jure belli, sive per media pacis, inter primas curas habebit; vt sic non solùm felicissima aurea pacis efficiat tempora, verùm etiam Provincias Serenissimæ Reipub: in antiqua amplitudine Sarmatici Imperij dilatet, & quævis avulsa Reipub: restituat, in quo hoc vnicum studium exercebit.

7. Ut igitur in posterum ad omnes subitos belli casus quàm securissimè muniatur Resp: appromittit Serenissimus Elector quovis ingruente periculo sex millia exercitûs sui exposcentibus Statibus & Ordinibus Regni se subministraturum & proprio sumptu aliturum, aut etiam paratâ pecuniâ ad conducendum paris numeri exercitum necessitati Reipub: subventurum, quorum omnium Ordinibus & Statibus relinquit liberam dispositionem.

8. Quodsi verò per commutationem cuiuscunq; Ducatûs sui possit cum vicinis transigere de quacunq; in contiguitate & propinqua Reipub: huius Provincia, illamq; ad terminos Regni stante dedebito sibi ex justitia à Repub: respectu adjungere, omni in id concurret conatu, veram erga Rempub: hanc Regij cordis monstrans inclinationem.

9. Restaurationem monetæ, quæ sicut culpanda his in oris est, ita in Dominijs Serenissimi Electoris maximè laudanda & probanda, ipsa magnitudo animi & genij huius Domini corriget, & commercia ad florentissimum reducet Statum, cùm ad exequendum id commoditates ex suis ditionibus, vti & Lipsia non desint. Insuper quidquid obligationis propensio testari poterit, actualis certè inclinatio non deërit.

10. Scholam artis militaris, gratiâ exercendæ juventutis tam in Mathematica, quàm in militari disciplina, tum in fortificationibus, & omnibus exercitijs bellicis sumptu proprio eriget, vt Nobilium juvenes prognatam prolem ad fortia facta optimè accommodent.

11. Fortalitia omnia in summo ordine conservabit, & quidquid ad veteris & præsentis militiæ normam ingeniosus excogitabit amor, cum summa propensione & alacritate Serenissimæ Reipub: litabit; & omnia promissa constanter adimplebit. Qua in parte fidem

suam per eundem Dominum Ablegatum suum solennissimè invadiat & omnimodam securitatem præstare intendit.

12. Atq; sic, dum Serenissima Respublica perfectæ & mutationis ignaræ felicitatis, & clementiæ, invictæ fortitudinis & roboris nemini æquandi, nullis colligationibus ad æmulas in Europa Domos obligatum, aut alicui dependentiæ obnoxium Dominum, liberis votis & vocibus in Throno suo collocabit, cælum ipsum felices, & copiosâ benedictione refertas elargietur influentias huic Electioni, prout jam Dominus manifestavit virtutem potentis dexteræ suæ, quando Serenissimum Electorem in sinum & gremium communis Matris Ecclesiæ reposuit, sic & ampliùs manutenebit, adaugebit vires ad ampliora huius sanctissimæ Religionis & gloriosi regiminis incrementa, præcipuè, quando Serenissim⁹ Elector non cupidine dominandi, quæ cunctis affectibus flagrantior inesse solet, verùm solo Orthodoxæ fidei zelo, & pretiosissimo libertatis amore, viam apprehendit concurrentiæ; vnicam hanc in ipso Deo situans spem, quia accendet corda liberrimæ gentis, inclinabit suffragia eligentium, devincet affectus magnorum Civium & ad exoptatum vota & desideria Serenissimi Electoris deducet terminum, ille qui donat diadema fronti, quem genu nixæ tremuêre gentes.

13. Eximendo omnes scrupulos in puncto Religionis Catholicæ, quā verè amplexus est Serenissimus Dux Saxoniæ, si quispiam dubitaret pro pleniori informatione recurrat ad Illustrissimum Nuntiū Apostolicum, & Illustrissimum Episcopum Passaviensem Legatum Imperij, qui bona fide idipsum confirmabunt.

14. Quodsi verò ad comportandum Armamentarium nostrum ad expugnationem Cameneci ex Dominijs nostris hæreditarijs deveniretur, tunc post expugnationem fortalitij huius (vtinam feliciter subsecuturam auxiliante Numine) prænominatū Armamentarium, aut curæ Illustris Præfecti Armamentarij Regni committemus, aut iterū Ducatui nostro remittemus.

15. Milliones pro solutione Exercitui vtriusq; gentis, à Nobis in tam ardua Reipub: necessitate promissi ac declarati, in aliud commodum, & necessitatem Reipublicæ verti non debent, & qui ad solvendum & distribuendum illos Exercitui, designati et deputati distribuent, ac divident, in Comitijs Deo dante Coronationis nostræ coram Ordinibus Regni, rationem distributionis reddere tenebuntur.

16. Quoniam huic Reipub: sal quartualis, Ordini Equestri in bona illorum Terrestria & hæreditaria ex Zuppis seu salis-fodinis Bochnensibus, & Vielicensibus tum ex Oëconomijs nostris Samboriensibus extradebatur, tunc verbo Regio promittimus, in bona hæreditaria, ejusmodi salem Quartualem, juxta antiqua regestra, Palatinatibus & Terris omnibus, ex vi legum & consuetudinum antiquarum, extradituros. Pro quo sale recipiendo viciniores Palatinatus mittere tenebuntur. Remotioribus verò Palatinatibus in loca designata, eundem salem, Nos ipsos remissuros declaramus, prævià taxâ lege circumscriptâ. In id autem Domini Thesaurarij Regni animadvertere debebunt, vt extradatur semper, Administratores verò Zupparum seu salisfodinarum sub amissione contractûs sui & pœnis in legibus descriptis extradere tenebuntur, ad instantiam Palatinatuum & Districtuum. Quod si Administratores aut quocunq; privilegio dicti Tenutarij ex Zuppis seu salisfodinis non extraderent ejusmodi salem, licitum erit cuilibet Palatinatui & Districtui ad Tribunal Regni sive Petricoviense, sive Lublinense per Instigatorem suum eosdem adcitare inter causas Fisci ex speciali regestro promovere & pœnas in illos extendendas vrgere, prout sunt circumscriptæ in constitutionib⁹ *Anni* 1654. & aliorum annorum antiquorum. Terra autem Cernensis, Łamzensis & Nurscensis juribus antiquis *Anni* 1607. gaudere debet, & consuetudinibus sine diminutione tamen proventuum mensæ Regiæ.

Deducendo ad executionem jura omnia & Constitutiones in cōmodum Palatinatûs Russiæ de sale Nobilium scriptas in toto conservabimus, & liberam evectionem Brestiam M.D.L. Podlachiam, Volhyniam, sine præpeditione ad vendendum, non prætendendo Nobis priorem & anteriorem venditionem salis nostri concedimus, & manutenebimus, sine quavis tamen derogatione proventuum mensæ Regiæ. Palatinatui etiam Sendomiriensi, quoniam glebæ salis non sunt extraditæ, sed detentæ; ideo secundùm antiqua jura & consuetudines ex retentis per antecedaneos contrahentes immediatos, extradendas promittimus, citra quodvis detrimentum prouentuum Regalium. In futurum autem juxta eadē jura extradere mandabimus. Palatinatum quoq; Brestensem M. D. L. cum alijs Palatinatibus Lithvaniæ, sive Regni, coæquabimus, salvis juribus nostris Regalibus.

17. Fodinas tam salis, quàm metallorum & sulphuris ac omnes alias

liberum erit cuilibet in suo hæreditario fundo aperire juxta jura istius *Reipub:* in quo neminem præpediemus nec per *Nos*, nec per subordinatas personas. Fodina quoq; **Sierza** in villa hæreditaria dicta Cunegundis Dominorum Lubomirsciorum in bonis ipsorum hæreditarijs penes illos & Posteros illorum, tum liber vsus cum omnibus salinarijs eius cameris intra limites fundorũ ejusdem Domûs hæreditariorum, ac divenditionis, sine præpeditione omni Dominorum Administratorum salisfodinarum Nostrarum, perpetuis temporibus erit, quod nec *Nos* nec *Successores* Nostri Reges Poloniæ vetabunt.

18. Commissionem in Zuppis seu salisfodinis Cracoviensibus Bochnẽsibus, Vielicensibus tempore Interregni more vsitato nomine Reipublicæ, prævià calculatione & liquidatione absolutam in suo robore tenebimus; & Dominis Tenutarijs in prætensionibus illorum justis satisfactionem Thesauro *Nostro*, circa expirationem contractûs facere committemus. Cuius tamen Commissionis priùs Domini Commissarij tenebuntur facere relationem *Reipublicæ* toti in futuris (Deo dante) Comitijs *Coronationis Nostræ*.

19. Occurrendo vltimo lapsui Oëconomiæ Olcussiensis, quæ per abusum variorum hominum contra *Statuta* expressa, ad magnam devenit jacturam, promittimus sacrosanctè, prædicta *Statuta* ad executionem Nos deducturos, nullo personarum habito respectu.

20. Commissionem limitum Ducatûs Masoviæ cum Ducali Prussia plusquam viginti constitutionibus Comitialibus munitam, & hucusque protractam cum magna injuria ibidem hominum degentium, præcipuè Dominorum *Szczukarum*, quorum avulsa Comitialia decreta & Revisiones ad eandẽ generalem Commissionem remiserunt, ad quàm citissimum effectum Nos deducturos, operà Nostrà *Regià* declaramus, & authoritatem *Nostram* eo nomine interponemus.

21. Privilegia & jura antiqua omnibus Palatinatibus vtriusq; Gentis & annexis & incorporatis Provincijs servientia, tum legum de tertijs Comitijs in Magno Ducatu Lithvaniæ, in generali Conventu *Anni* 1693. sancitam, totaliter approbamus: & residentiam Nostram juxta jura antiqua in visceribus Regni & M. D. L, appromittimus.

22, Coæquationem jurium, M. D. L. & annexarum Provinciarum cõmuni omnium Ordinum *Reipub:* concordià sancitam, tum circumscriptionem ministeriorum, Clavarum, Baculorum *Mareschalcalium*, *Sigillorum*, Clavium M. D. L. Insuper reparationem & locatio-

cationem Exercitûs ad præsens & pro hac vice propter citiorem ad hunc vsum aliorum Bonorum provisionem, in Grodzicensi, Olycensi, Pinscensi Oëconomijs in sylvis Socoliensibus, & Cameræ Præfecturis, atq; bonis Palatinatûs Brestensis salva indemnitate pauperum, & proventuum mensæ Regiæ, ac tenutariorum, nec derogando in posterum legibus expressis, de immunitate bonorū mensæ Regiæ, à quibusvis locutionibus & oneribus, militis exemptorum acceptamus, & conservaturos Nos declaramus. Tum ordinationem Tribunalis M.D.L. cum omnibus, in illa expressis contentis (prout id circa Pacta Conventa insertum erit) manutenebimus, nec cuiquam invertere permittemus, sed potiùs in executione servabimus.

23. Comitia exorbitantiarum, licet ab Antecessoribus Nostris, non semel, in varijs Conventibus erant constituta, quia tamen hucusq; propter impedimenta obvenientia, præmentibus belli motibus ad celebranda illa non est ventum; Ideo pro subsidio legū, libertatum, ac immunitatum, tum pro medela Exorbitantiarum Statûs huius *Reipub:* Comitia tertia ordinaria in casu summæ, & vrgentis necessitatis in equis celebranda, consentientibus omnibus ordinibus Reipub: declaramus Nos indicturos: In quibus *No*biles propter tuenda jura sua, & immunitates sub pœnis de expeditione bellica sancitis, viritim comparere debent; sacrosanctè item promittimus, jura & Privilegia exulibus à Palatinatibus exulantibus, à *S*erenissimis Regibus Poloniæ Antecessoribus Nostris clementer concessa, tam in toto, quàm in parte Nos conservaturos & approbaturos.

24. Jura Majestatis, *R*eipublicæ, & supremi Dominij portoriorum, & maris Baltici in integrum restituemus, & omnia Regalia inviolatè implebimus. Quibus si per Privilegia indebitè absq; scitu, & consensu Reipub: obtenta in aliquo derogatum esset, id nullum valorem habeat, neq; *N*os poterit obligare, & confirmationem illorum extradere non mandabimus, & extradita pro nullis censebimus.

25. Iura patronatûs Nostri ad Episcopatus, Abbatias, Præposituras collationis Regiæ, & ad alia spiritualia beneficia inviolabiliter manutenebimus, & legem de illis sancitam in integrum (prout de Cortesanis) ad executionem effectiuè deducemus; & contra eos, qui sine nominatione *R*egis ad prænominata beneficia audent se, aut audebunt intrudere, oppositionem more & exemplo Ante-

cessorum Nostrorum Regum Poloniæ faciemus. Et quia controversia de jurepatronatûs Regio, Abbatiarum Romæ, non adeo pridem orta, impedit executionem nominationum Regiarum, spondemus hoc jus manutenere & procurare, vt nominati ab Antecessore Nostro, juxta jura sua ad possessionem Abbatiarum deveniant, exceptâ Abbatiâ Olivensi, quam personæ capaci nobilitari, vti ad malam informationem protunc concessam conferemus. Abbates verò ex vi legum antiquarum legationes sumptu proprio, & non Reipub: ad Principes exteros (exceptâ solâ Legatione Romam, quò sæculares tantùm Personæ expediri debent.

26. Indemnitatem bonorum Terrestrium Palatinatûs Bracłaviensis manutenebim⁹, & de actuali evacuatione Cosacorum ex illis oris, tum de fortificatione vrbis Nostræ dictæ **Winnicá**, ac eliberatione à Cosacis, cum Statibus Regni, quàm citissimè conferemus.

27. Vt autem militia Cosacorum in ordine bono existat, juxta consuetudinem antiquam Commissarios duos ex Indigenis, & Terrigenis Palatinatuum Teijoviensis, & Bracłaviensis, ordinabimus. Qui Commissarij juxta consvetudinem Officij sui, justitiam injuriatis, sine omni dilatione administrare tenebuntur insimul, vt efficaci pacificationi **Vkráiná** reddatur, curabimus; Exercitum quoq; Zaporoviensem in obsequio Reipublicæ conservabimus.

28. Quoniam pons ad Varsaviam esset valdè necessarius Statibus Reipub: ideo accedente consensu Ordinum in memoria eundem tenebimus.

29, De scythis, in Magno Ducatu Lithvaniæ possessiones habentibus, & obsequio bellico ab ipsis juxra jura, sub Regimine Indigenæ possessionati, debito justam ex æquo rationem observabimus, cucurabimusq;, ne in hoc Respublica præcipuè Magnus Ducatûs Lithvaniæ aliquod præiudicium habeat, salvis nihilominus illorũ Privilegijs.

30. Vrbis Cracoviæ jura, Privilegia, omnes prærogaitvas & immunitates quasvis antiquas, & recentes approbamus, & modum restaurationis illius jam notabiliter labentis, in futura Coronatione Nostra, inito consilio cum Statibus Reipublicæ providebimus.

31. Et quamvis fortalitia omnia, tam Regni, quàm Magni Ducatûs Lithuaniæ Nos restauraturos quantum poterimus, promittimus, præcipuè tamen Urbem Leopolim, vti vltimum propugnaculũ & antemurale Provinciarũ, ac totius Christianitatis, quàm optimè & citissimè muniri, & restaurari curabimus. Et quia hæc Vrbs nunquam

quam in se dissidentes habuit, hactenusq; non habet, penes antiqua jura & *Privilegia* eandem conservabimus, vtq; ibi Gubernator nunquam sit dissidens, sed Romano-Catholicus declaramus. Iudæis quoq; vltra *Privilegia* antiqua migrare ex plateis suis in Vrbem, ad habitandum vetabimus. Hoc etiam Reipub: spondemus, quòd Iudæos ad nullas functiones in teloneis, portorijs, Cameris, administrationibus, & conductionis bonorum Nostrorum omnium, & Oëconomiæ quocunq, titulo admittemus. Hancq; Nostram sponsionem pro perpetuo effato, & irrevocabili, habere volumus, declarando, quod in quantum aliquis Iudæorum superiùs specificatis Functionib⁹ sese immiscens, sive prætextu Factoratûs, sive alio quovis colore à quocunq; deprehenderetur, ipso facto pro *Infami* censetur, & quamvis ab aliquo confusione esset affectus & percussus, non debebimus ipsi, nec Iura alijs Iudæis seruientia, nec protectio Nostra, nec cujuscunq; alterius suffragari.

32 Iura quoq; & Priuilegia Civitatum omnium, & Oppidorum, tam *Regni*, quàm M. D. L. & annexarum Prouinciarum, quæ in Comitijs Coronationis *Nostræ Nobis* exhibebuntur, approbabimus confirmabimus.

33 Quoniam propter multitudinem causarum protunc Reipublicæ, de omnibus Exorbitantijs, *Status* Regni, & M. D. L. cum annexis eo Provincijs agere non potuerunt, in præsenti Electione tum de modo Iustitiæ destributiuæ, de ordine, tempore Interregni, de correctura Iurium, compositione inter status, de commercijs Gedanensibus, cauerunt & cauent apud *Nos* ijdem Status Regni, & M. D. L. cum annexis *Prouincijs*, vt quidquid tempore Prædecessorum Nostrorum Regum Poloniæ, ex orbita excidit contra legem publicam, totum hoc in Ordinem suum redigatur, & ad Executionem deducatur ita, quatenus nihil Legi publicæ derogetur, non permittendo Leges aliter interpretari, nisi vt in se sonant, nec exempla contraria respiciendo.

34 Exorbitantias quoq; Dissidentium in Religione Christiana, & Restitutiones Depositionum in Civitate Gedanensi, Thorunensi, & alijs in Regno, & Magno Ducatu Lithuaniæ, tum Prouincijs ei annexis, quoniam in Comitijs electionis præsentis tractari non potelat, pacificare in Comitijs Coronationis promittimus.

35 Et quoniam omnes (vt superiùs mentionem fecimus) Exorbitantiæ, & grauamina in Comitijs Electionis finiri, & circumscribi non poterant, ideo continuationem illorum ad futura (Deo dante)

Comitia exorbitantiarum, tum quoq; justa desideria majorum Civitatum Prussiæ, per recessum reijcimus, quæ ante alias materias expediri debebunt.

36. Adextremùm omnia jura, immunitates, libertates omnium personarum, Privilegia, Statuta Regni, & M. D. L. annexarumq; Provinciarum, omnibus Statibus Spiritualibus, Romani & Ritûs Græci Vnitorum, & Sæcularibus incorporatis eò annexis Provincijs, Academiæ Cracoviensis, Zamoscensis, sicut & Civitatibus omnibus servientia, & justè ac legitimè data & concessa. Vniversis & singulis, Articulos quoq; omnes in Coronationibus Regum HENRICI, STEPHANI, SIGISMVNDI III. VLADISLAI IV. JOANNIS CASIMIRI, MICHAELIS, JOANNIS III. Antecessoris Nostri sancitos, & coæquationem jurium, atq; ordinationem Tribunalis, tum repartitionem, & locationem Exercitûs Magni Ducatûs Lithvaniæ, in Comitijs electionis modernæ, vnanimiter & concordibus votis constitutam, & hæc omnia, quæ in futura (Deo dante) Coronatione, & alijs Comitijs ex consensu omnium Ordinum vnanimi sancita, & constituta erunt, Nos manutenturos, & in integro conservaturos in omnibus eorum punctis, & clausulis, conditionibus, nexibus, & ligamentis adimpleturos. Similiter & Literas confirmationis jurium, & Pactorum, exemplo Prædecessorum Nostrorum, & Serenissimi Regis Antecessoris Nostri daturos, promittimus.

Quod si verò (quod avertant superi) contra jura, & libertates, Articulos, & conditiones omnes excesserimus, aut aliquid non adimpleverimus, tunc Cives Regni & M. D. L. ab obedientia, & fide Nobis debita liberos facimus, vigore Constitutionis *Anni 1609.*

Quæ Pacta Conventa Senatores tam Spirituales, quàm Sæculares, & deputati ad Pacta Conventa hæc conscribenda, vt videre licet. Actum & datum in campo Electorali inter Varsaviam, & pagum **Wola**, in Comitijs Magnis Electionis novi Regis *die 27. Iunij, Anno Domini 1697.*

Finitis Articulis Pactorum Conventorum inter Serenissimã Rempub: & Serenissimos Reges, adjungere placuit declarationes illius clausulæ, de libertate Civium ab obedientia & fide, si & inquantum &c.

Et primo in Constitutione *Anni 1567. fol: 279. sub tit: declaratio articuli de obedientia,* ita declaratum est sub STEPHANO Rege, si quid ejusmodi per aliquem humanum errorem (vt fit) sereni-

tâti ejus exciderit, aut obrepserit, in quo jus & libertas communis lædi videretur, non statim propterea suam Serenitatem solui aut laxari existimare debere, sed tum demum, si (quod absit) à volente & sciente serenitate ejus jura aut libertates Nostræ ita, aut per potentiam opprimerentur, aut per contemptum & temeritatem, in dubium vocarentur, vt ne admonitione quidem Senatûs, aut reliquorum Regni Ordinum quidquam profectum esse videatur.

SECVNDA declaratio, in Constitutione *Anni 1607. fol: 867.* § **Acó sie tycze do Artykułu** *de non præstanda obedientia* talis facta est sub SIGISMVNDO III. Si (quod DEVS avertat) manifestè, ex proposito, animoq; deliberato jus commune per Nos violatum esset, aut aliquis citra hoc jus & libertatem communem, opressus esset, & hoc clarè manifestè & effectualiter probaretur; tunc vnicuiq; ex Dominis Senatoribus liberum erit Terræ suæ, id denuntiare; & ille Senator Domino Archiepiscopo Gnesnensi vti Primati deferre. Qui Dominus Archiepiscopus sive ipse, sive cum alijs Dominis Senatoribus inito consilio, tenebitur Nos aut Successores Nostros Reges admonere. Quod si à Nobis non esset admonitioni satisfactũ, tunc Dominus Archiepiscopus cum alijs Dominis Senatoribus iterum debet Nos admonere; etsi necessitas postulaverit, Ordinibus Regni in Comitijs exponere. Et si justam causam excusationis, Nos & Successores Nostri Reges non dederimus, & qualiter processerimus, non deduxerimus, neq; ad tales instantias voluerimus quidquam facere, tunc demum, omnes Ordines Regni juxta articulum de non præstanda obedientia, poterunt procedere.

TERTIA declaratio ejusdem articuli talis in Constitutione *Anni Domini 1609. fol: 888, sub tit:* **Deklarácya ártykułu** *de non præstanda*, regnante itidem SIGISMVNDO III. reperitur. Si aliquis ex Equestri Ordine aut Senatorio deliberatam violentiam & propositum ad eversionem integritatis Reipublicæ & diminutionem libertatis conjecerit, poterit hoc semper, sive Domino Archiepiscopo Gnesnensi vti Primati, sive Senatoribus ad latus Regium juxta Constitutiones residentibus; sive alteri cuipiam Domino Senatori sui vel alterius Palatinatûs denuntiare. Qui aut omnes insimul, aut aliquis illorum tenebitur Serenissimum Regem præcautum facere & admonere. Et si præcautioni & admonitioni Serenissimus Rex non paruerit liberum erit cuilibet ex istis Dominis Senatoribus, & etiam ipsimet Nobili, qui hoc detulisset, (inquantum illi in admonendo Serenissimo Rege negligentes & oscitantes essent) in Comitiolis præcedentibus Comitia

generalia proxima, Statui Equestri deferre, & vt Nuntij Terrestres Serenissimum Regem moneant, expostulare. Quodsi non esset factum, & Serenissimus Rex, secundam monitionem neglexerit, nec id, in quo diminutio libertatis, & immunitatum verteretur corrigere voluerit, Nuntij Terrestres, omnibus Statibus ad Comitia illa congregati debent id imponere. Quod si Serenissimus Rex etiam post talem tertiam admonitionem in causa proposita justam excusationem non dederit, & contumax in suo proposito fuerit, & legitimè, & sufficienter deductum esset, quòd Serenissimus Rex contra integritatem Reipub: & diminutionem libertatis moliretur, tunc demum Status & Ordines poterunt se gerere juxta articulum de non præstanda obedientia. Quod si autem aliquis non servatis istis gradibus, & solennitatibus, congregato milite tumultus facere, pacem publicam sub pretextu, quòd Serenissimus Rex contra integritatem Reipublicæ, diminutionem libertatis ageret, turbare ausus fuerit, talis ad Comitia generalia Regni citatus, ibidem ab Ordinibus Regni in absentia Serenissimi Regis, debet judicari.

Antequam Deputati ad conscribendos articulos Pactorum Conventorum perveniant, solent ante omnia juramentum tenoris sequentis præstare.

FORMA JURAMENTI

Dominorum Deputatorum tàm ex Senatorio, quàm Equestri Ordine Regni, & M. D. L. ad Pacta Conuenta conscribenda.

EGo N. juro DEO *Omnipotenti in vnitate Trino, quod existens Deputatus ad conscriptionem Pactorum Conventorum inter Serenissimã Rempublicam Nostram & Serenissimum FRIDERICVM AVGVSTUM II. Electorem & Ducem Saxoniæ, liberis votis in Regem Poloniæ Electum ante omnia in personam meam suscipio liberæ Electionis tuitionem, quam circa connotanda Pacta Reipublicæ promovebo sine vllo respectu & assentatione, futuro regnanti; nec privatum aliquod interesse, sed purè ipsum solum bonum publicum & securitatem, jurium, immunitatum, libertatum nostrarum, quàm firmissimum stabilimentum considerabo, nec corruptionibus cuiuscunq; generis me vinci faciam. Sic me Deus adjuuet, & hæc sancta Christi Domini passio.*

Ita ante Articulos Pactorum Conventorum *Anno Domini 1697. fol: 1. videre licet.*

Post

Post quorum articulorum Pactorum Conventorum conſcriptionem, Oratores & Ablegati Sereniſſimi Regis Electi, eoſdem articulos juramento corporali approbare & confirmare debent, habendo ſpecialem plenipotentiam ad tractandum & concludendum cum Ordinibus Regni, à ſuo Principali.

Sic Oratores & Ablegati Sereniſſimi VLADISLAI VI. jurarunt ſub hac forma, vt videre licet. *Anno Domini* 1632. *fol: 20.*

Forma juramenti Oratorum & Ablegatorum.

NOs *N.N. juramus Deo Omnipotenti in vnitate Trino, quòd hæc omnia Pacta Conventa, quæ cum Statibus Regni, & M. D. L. nomine Sereniſſimi Regis in hac Electione conſcripſimus, & concluſimus, Sacra Regia Majeſtas rata habebit, & illa poſt Nominationem & publicationem ſuam, in Eccleſia hic Varſaviæ, juramento confirmabit. Sic Nos Deus adiuvet, & hæc paſſio innocens Chriſti Domini.*

Eadem formâ jurarunt Oratores & Ablegati Sereniſſimi Ioannis Caſimiri vt videre licet *Anno Domini 1648 fol: 24.*

Formam autem Iuramenti Oratorum & Ablegatorum Sereniſſimi FRIDERICI AVGVSTI moderni Regnantis habes poſt Pacta Conuenta *Anno Domini 1697 fol. 25* tenoris ſequentis.

Plenipotentia & Forma Iuramenti Oratoris & Ablegati Sereniſſimi FRIDERICI AVGVSTI moderni Regnantis.

FRIDERICUS AUGUSTUS

Dei gratiâ Dux Saxoniæ, Iuliæ, Cliviæ, Angriæ, & Veſtfaliæ, Sacri Romani Imperij Archimareſchalcus & Elector &c.

POſtquam præmiſsâ maturâ deliberatione, & ipsâ vltro Divinâ diſponente manuductione in animum induximus, ad ſolium Regni Poloniæ, per inclyta liberrimæ Gentis vota aſpirare, & perrennem Sereniſſimæ Reipublicæ Polonæ vovendo felicitatem in hoc calamitoſo Interregni tempore, ſubſidium & emolumenta publica, ex futura Electione Noſtra repræſentare, illico ad Comitia Electionis Statuum & Ordinum Regni, ad evincendum glorioſum conatum Noſtrum, extraordinarium Ablegatum Noſtrum, Magnificum Ia-

cobum Henricum Baronem de Flemming; intimum Noſtrum Camerarium & Colonellum Regiminis in exercitu noſtro, nec non Mareſchalcum hæreditarium Ducalis Pomeraniæ Nobis fideliter dilectũ amandamus & expedimus præſentibus, dantes, & concedentes eidem omnimodam plenipotentiam & poteſtatem, non ſolùm propoſitiones & oblationes in rem & favorem Sereniſſimæ Reipub: faciendi, publicè declarandi, concluſivè definiendi, ſed & ipſa Pacta Conventa cum Statibus & Ordinibus Regni ineundi & conficiendi, plenariè tractandi & determinandi. & quicquid per eundem memoratum extraordinarium Ablegatum Noſtrum, actum, geſtumve, promiſſum & conventum fuerit, Nos id pro rato & grato habituri ſumus, acſi ipſimet præſentes, in Perſona Noſtra propria id faceremus; firmum & ſtabile ſervaturi, & inviolabiliter adimpleturi, ac nullo vnquàm tempore in contrarium ituri, aut venturi, neq; directè, neq; indirectè, ſed firmiſſimè vt præmiſſum eſt, obſervaturi. In quorum ſolidiorem firmitudinem, manibus noſtris præſens inſtrumentum Plenipotentiæ, cum ſubappreſſione ſigilli Noſtri Electoralis ſecretioris ſubſcripſimus. *Datum Viennæ 3. Iunij Anno Domini 1697.*

Fridericus Auguſtus Elector.

(Locus ſigilli)

Forma autem juramenti talis.

EGo Iacobus Henricus ſpondeo & ſanctè juro ad hæc ſancta Chriſti Evangelia, Domino Deo Omnipotenti in ſancta Trinitate vni, quia vos omnes articulos Pactorum Conventorum, quos cum ampliſſimis Statibus Regni, & M.D.L. annexarumq; Provinciarum, ac vniverſa Sereniſſima Republica, nomine Sereniſſimi Electoris Saxoniæ, nunc verò Electi Poloniarum Regis, & Magni Ducis Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, &c. &c. Domini mei Clementiſſimi, in præſenti Electione conſtituimus, tranſegimus, & concluſimus: Sereniſſimus Elector Saxoniæ, nunc verò Electus Rex Poloniæ, in omnibus & ſingulis eorum punctis, clauſulis, ligamentis & conditionibus, ita, vt nec generalitas ſpecialitati, nec ſpecialitas generalitati deroget, ratos habebit, ſacroſanctè obſervabit, manutenebit & confirmabit & adimplebit, illosq; juxta inſtrumentum denuntiationis Sacramento juramenti confirmabit. Sic me Deus adiuuet & hæc ſancta eius Paſſio.

Quibus

Quibus sic peractis Serenissimus Rex Electus nominatur & publicatur. Quodsi tunc præsens Varsaviæ fuerit, in Ecclesia Varsauiensi juramentum ipse per se, in præsentia Statuum & Ordinum publicè & solenniter præstet, in hanc, quæ sequitur formam.

Forma juramenti Serenissimi Regis Electi.

EGo N. Electus Rex Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, &c. spondeo & sanctè juro Deo Omnipotenti, ad hæc sancta Iesu Christi Evangelia; Quòd Pacta Conventa, per Oratores meos, cum amplissimis Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ Ordinibus, & in Electione Nostra transacta, & eorundem Orotorum juramento confirmata, in omnibus eorum articulis, punctis, clausulis, conditionibus, ita vt nec specialitas generalitati, nec generalitas specialitati deroget, servabo, manutenebo: & adimplebo: atq; ea omnia iteratò etiam in solenni Nostra Coronatione juramento confirmabo, Sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Evangelia.

Sub tali forma VLADISLAVS IV. in Ecclesia S. Joannis Varsaviensi juravit, vt videre licet post ordinem Electionis *Anno Domini 1632. fol: 20.*

Similiter & JOANNES CASIMIRVS in eadem Ecclesia vt videre licet post ordinem Electionis. *Anno D. 1648. fol: 28.*

Sed in Confœderatione Varsaviensi *Anno Domini 1668. fol: 2.* & in alia Confœderatione Varsaviensi *Anno 1674 fol: 2.* ordinatum fuit, vt Rex Electus non priùs nominetùr & publicetur, quàm jura, Privilegia, immunitates, Pacta Conventa, juramento confirmet. Et tamen Serenissimus MICHAEL, & JOANNES III. aliquot post nominationem diebus elapsis, in Templo S. Joannis juramentum præstiterunt.

Si verò Rex Electus absens sit, tunc ad eum Legati mittuntur cum diplomate Electionis, & coram illis Pacta Conventa, juramento comprobat.

Sic ad HENRICVM VALESIVM Regem Poloniæ Electum missi erant, & coram illis Parisijs, in Templo Divæ Mariæ Virginis *die 10 Septembris Anni 1573.* præstitit vt videre licet post Pacta Conventa ejusdem Serenissimi Regis *folio 226.* in Constitutionibus Regni sub titulo Forma juramenti.

Sic & STEPHANVS Rex, coram Legatis Reipub: in summo Templo Civitatis Meggyes, ut in Constitutionibus *fol: 250.*

Sic SIGISMUNDUS III. Rex in Templo Monasterij Olivensis prope Gedanum, coram Legatis Reipub: jusiurandum præstitit, & diploma Electionis suæ accepit, *vt refert Piasecki in suis Annalibus sub Anno Domini 1587. fol: 76.*

Sic & Serenissimus modernus Rex in finibus Regni, in **Piekáry** coram itidem Legatis missis, juravit juxta formam supra positam mutatis nonnullis.

Sed HENRICVS Rex, & alij supranominati Reges coram Legatis Reipub: sub alia forma juramentum præstiterunt, quæ sub ALEXANDRO Rege erat descripta, vt videre est apud Herburtum *fol: 247.* & apud Ianussovium *parte prima titulo 2. fol: 13.* & postea aucta fuit, vt in Constitutione *Anni 1576. fol: 278.* z **Jákoß przysiegę náprzod** habetur, vbi insuper STEPHANUS Rex pro se, & Successoribus Regibus spopondit, quòd juxta hanc formam jurabunt præsertim in Coronatione.

Forma autem, & tenor istius juramenti ibidem apposita.

Forma juramenti Serenissimorum Regum.

EGo N. Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Wolhyniæ, Podlachiæ, Livoniæ, &c. spondeo & sanctè juro Deo Omnipotenti ad hæc sancta Iesu Christi Evangelia quòd omnia jura, libertates, immunitates, Privilegia publica, & privata juri communi vtriusq; Gentis & libertatibus non contraria, Ecclesiasticas & Sæculares, Ecclesijs, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Civibus, Incolis, & quibusvis personis cuiuscunq; Statûs & conditionis existentibus, per Divos Prædecessores meos Reges, & quoscunq; Principes, Dominos Regni Poloniæ, & Magnos Duces Lithvaniæ; præsertim verò CASIMIRVM antiquum, LUDOVICUM LOIS nuncupatum, VLADISLAVM II. IAGELLONEM dictum, Fratremq; ejus VITHOLDVM Magnum Ducem Lithvaniæ, VLADISLAVM III. Iagellonis Filium, CASIMIRVM III. Iagellonidum, IOANNEM ALBERTVM, ALEXANDRVM, SIGISMVNDVM I. SIGISMVNDVM II. AVGVSTVM, ac HENRICVM, & sic successivè nominando Reges, vsq; ad vltimum Prædecessorem, Reges Poloniæ &c. & Magnos Duces Lithvaniæ, justè & legitimè datas, concessas, emanatas, & donatas, ab omnibusq; Ordinibus tempore Interregni statutas, atq; sancitas mihi oblatas, necnon Pacta Conventa per Ordines Regni, & Magni Ducatûs Lithvaniæ mihi tradita manutenebo, observabo, custodi-

stodiam, & adimplebo in omnibus conditionibus articulis & punctis in eisdem expressis. Pacem quoque & tranquillitatem inter Dissidentes de Religione Christiana tuebor, manutenebo: nec ullo modo vel jurisdictione nostrâ, vel Officiorum nostrorum, & Statuum quorumvis authoritate quemquam affici opprimique causâ Religionis permittam, nec ipse afficiam, nec opprimam (additamentum in juramento Serenissimi moderni Regis) ac ea, quæ in Electione Nostra Varsaviensi constituta sunt, & quæ in Conventione Coronationis Nostræ constituentur manutenebo, iisque satisfaciā. Omnia illicitè à Regno, Magnoque Ducatu Lithvaniæ & Dominijs eorundem quocunque modo alienata, vel bello, vel quovis alio modo distracta, ad proprietatem ejusdem Regni Poloniæ, Magnique Ducatûs Lithvaniæ aggregabo; terminósque Regni & M.D.L. non diminuam, sed defendam & dilatabo, justitiam omnibus Incolis Regni, juxta jura publica, in omnibus Dominijs constituta, absque omnibus dilationibus & prorogationibus administrabo, nullo quorumvis respectu (etiam sanguinis Nostri) habito (additum in alijs juramentis) In dispensatione quoque distributivæ justitiæ, non me alligabo ad affectum & propensionem naturalem sanguinis, sed solam ipsam bene meritorum rationem præ oculis & corde habebo, in disponendis occurrentibus Officijs & Beneficijs Reipublicæ. Et si (quod absit) in aliquibus juramentum violavero, nullam mihi Incolæ Regni omniumque Dominiorum cuiuscunque Gentis obedientiā præstare debebunt; imò ipso facto, eos ab omni fide & obedientia Regi debita liberos facio, absolutionem nullam ab hoc meo juramento, à quoquam petam, neque ultrò oblatam suscipiam. Sic me Deus adiuvet.

Tandem de præstito ejusmodi à se juramento testimonium dedit HENRICUS Rex tenoris sequentis, uti videre est, *fol: 226. sub titulo Forma juramenti &c.*

HENRICVS Dei gratiâ Electus, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podlachiæ, Livoniæque &c. nec non Dux Andium Borboniorum, Astvernorum &c.

Significamus hisce literis nostris quorum interest universis, quòd missis Oratoribus ab Ordinibus Regni Poloniæ, & M.D.L. qui Nos ad Regnum ipsorum regendum & administrandum ex decreto Electionis liberæ Statuum ac Ordinum, qui Nos in Regem suum assūpserunt, invitarent, in magna frequentia hominum Parisijs, in Tem-

plo Divæ Mariæ Virginis *die decimâ* Septembris *Anni proximè præteriti*, verbis conceptis ad sacra Dei Evangelia, tale juramentum Ordinibus ejusdem Regni, & M. D. L. præstitimus, eâ tamen interpretatione posterioris articuli de obedientia interveniente, quæ literis Oratorum ipsius Regni Nobis exhibitis continetur. Sequitur tenor juramenti (& tandem subjunctum) de quo juramento à Nobis præstito, vt omnibus & singulis quorum interest constaret, literas hasce manu Nostra subscripsimus, sigillumq; Nostrum, quo ad præsens vtimur, his appendi jussimus. *Datum vt supra Anno Domini millesimo quingetesimo septuagesimo tertio.*

tandem subscriptio

Henricus Electus Rex.

Simile testimonium dedit STEPHANVS Rex, vt videre est *fol. 249. sub titulo Literæ de præstito juramento tenoris sequentis.*

STEPHANVS Dei *gratiâ Electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ &c. necnon Trãsylvoniæ Princeps.*

Significamus hisce Literis Nostris, quorum interest vniversis & singulis, Quia missis Oratoribus, ab Ordinibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ. Quia Nos ad Regnum ipsorum regendum & administrandum ex Decreto Electiouis liberæ Statuum & Ordinũ, qui Nos in Regem suum assumpserunt, invitarent, in magna frequentia hominum in summo Templo Civitatis Nostræ Meggyes, *octaua die Mensis Februarij Anni præsentis* verbis conceptis, ad sancta Dei Evangelia, tale juramentum Ordinibus ejusdem Regni, & Magni Ducatûs Lithuauiæ præstitimus. Seqvitur forma juramenti.

Tandem sequitur. De quo Nostro juramento à Nobis præstito vt omnibus & singulis, quorum interest, constaret, Literas hasce nostras, manu Nostrâ subscripsimus, sigillumq; Nostrum, quô ad præsens vtimur hic in Transylvania, ijs appendi jussimus. Præsentibus N. N. Proceribus, Dignitarijs, Officialibus, ac Nobilibus Poloniæ & Transylvaniæ, & partium Ungariæ sibi annexarum Legatis. Actum in summo Templo Civitatis Nostræ Meggyes sub ipsis Comitijs generalibus, *die octavâ Mensis Februarij Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.*

Stephanus Electus Rex mpp.

Martinus Berzeviceius Procancellarius mpp.

Et hæc sufficiant in materia Electionis. TITU-

TITVLVS DECIMVS

De Coronatione Regis.

PRius vidit Ungaria Reges suos coronâ Regiâ redimitos, quam Polonia. Non licet vno eodemq; tempore, tam ab Hungaris, quàm à Polonis missi erant Legati, ab illis Austrius (vel vt alij volunt) Angelus, à Nostris Lambertus Italus Episcopus Cracoviensis, ad Summum Pontificem, ut Regium Diadema mitteret Regibus suis, STEPHANO GERISÆ Filio Vngariæ, & MIECISLAO Regi Poloniæ, tamen Legatus Ungariæ impetravit, Nostro denegatum est. Non quod susceptæ Religionis Christianæ zelus non pateret; splendentibus, siquidem gladijs ad medium ex vagina extractis, sub prælectione textûs Evangelici, stare Poloni consveverant; sed quia venationibus, rapinis, ac cædibus mutuis dediti, duri & immanes, contumeliosi & asperi, adversus tenuiores atq; subditos, minùs castè Religionem colere dicerentur, Miechovita *lib: 2. cap: 1.* Cromerus in vita Miecieslai *fol: ápud me 50. cum sequ:* vel vt Gvagvinus in vita eius, seu Miesconis primi, (nam sic etiam vocitabatur MIECISLAVS) quia suspicabantur nondum esse eum perfectum Christianum, vide Długossum *tom: 1. lib: 2. folio apud me 166.* vbi refert, quod Pontifex id fecerit, Angelicâ visione admonitus, quem vide.

Sed OTTO RVFVS, III. ejus nominis Imperator Romanorũ, ad visitanda Divi Adalberti Lipsana veniens, quod BOLESLAVS CHRABRI, strato honoris causâ, per septem milliaria à Posnania vsq; Gnesnam, panno serico, eundem exceperit, ne tanta humanitas careret præmio, BOLESLAVM novo Regis titulo ornat, imponente solenniter diadema Regium Gaudentio Archiepiscopo Gnesnensi, & dicto Lamberto Episcopo Cracoviensi assistente, & ministrante, eumq; honorem sempiternum. Ipsi, & posteris ipsius in Polonia regnaturis jubet. Guaguinus in vita ejusdem BOLESLAI. Miechovita *libro 2. cap: 4.* Cromerus in historia sua *lib: 3.* in vita eiusdẽ Regis BOLESLAI CHRABRI *fol: apud me 52. & sequenti.*

Sed Rixa dicti Miecislai seu Miesconis Vxor, Hezonis Erenfridi Comitis, Palatini Rheni filia, post mortem mariti sui, dum sub tempus Interregni Regnum administraret, & vivente adhuc marito, gravibus & varijs exactionibus institutis, molesta esset, despectui

habens Polonos Teuthones suos in consilium adhibens, verita, ne ex irritatis animis Polonorum, aliquod malum in eam redundaret, consilio fugæ clàm inito, Regium Fiscum in quo pretiosæ res multæ, tum duo diademata Regis & Reginæ erant, expilavit, & Regno excedens in Saxoniam cum Filio suo Casimiro deportavit. Miechovita *lib: 2. cap: 13.* Guaguinus in vita ejusdem Regis, & Cromerus in historia sua *libro 4. à principio fol: apud me 69.* Videatur, & Długossus. *Tom: 1. lib: 2. fol: apud me 124. & sequ:* vbi plùs adjungit, quòd Aquilam candidam sibi & vniverso Regno Poloniæ, pro perpetuo largitus est insigni; quam jam pridem Polonos sibi accepisse pro insigni scribit Pastorius *lib: 1 cap. 1.*

Verùm has Coronas materiales, quas Rixa, seu Rechlica ex Polonia secum in Germaniam asportaverat HENRICVS Rex Romanorum, instante CASIMIRO, & Legatis Polonorum restituit Polonis; teste Długosso *Tomo 1. lib: 3. fol: apud me, 198.* quem vide, facit & Miechovita, *lib: 2. cap: 14. in illis verbis,* Coronatus est. CASIMIRVS coronâ quam retulerat.

Sic etiam Elizabetha Ludovici Regis Mater, insignia Regni, hoc est: coronam, sceptrum & pomum, aurea, in Ungariam asportaverat, verita, ne Poloni mutatâ sententiâ alium in Regem crearent. Sed SIGISMVNDVS Rex Ungariæ, postea Cæsar prædicta insignia, & BOLESLAI CHRABRI gladium, VLADISLAO JAGELLONI dono dedit: Eaq; Rex, Cracoviâ ingrediens; publicè sibi præferri jussit. *Cromerus lib: 17. prope finem.*

Coronæ hæ materiales cum alijs insignibus Regalibus, conservantur in Thesauro Regni Cracoviæ sub clavibus & sigillis, non tantùm Thesaurarij Regni, sed aliorum septem Senatorum, hoc est: Castellani & Palatini Cracoviensis, Posnaniensis, Vilnensis, Sandomiriensis, Calissiensis, Trocensis Palatinorum, & nonnisi de consensu omnium ordinum debent extradi, vt supra scripsimus, & videri potest Constitutio. *Anni 1576. fol: 277.* Quamvis absens ex justa causa, potest clavem suam mittere. Si autem aliquis ex prædictis defunctus fuerit, sigillum & claustrum defuncti, per reliquos aperiri potest. Ibidem & Sczerbicius in Promptuario juris *pag: 2.*

Est autem mos apud Nos, pridie Coronationis novi Regis, funus & sepulturam defuncti Regis præmitti, & Regem novum eidem pompæ funerali adesse. Sic Funus MICHAELIS Regis & CASIMIRI IV. advecti ex Gallia, simul pridie Coronationis JOANNIS III. expeditum fuit. *Anno 1676.*

Notan-

Notandum tamen, quod licet Serenissimus JOANNES III. fuit Electus *Anno 1674.* & Coronatio ejus eodem *Anno pro 24. Iulij.* fuerit determinata, & in quantum ob pericula Reipub: non posset dicto termino expediri, data est eidem facultas prorogandi terminum *ad diem primam Ianuarij Anni 1675.* Sed cum in vtroq; termino ob eadem pericula non posset fieri, actus Coronationis *pro die 5. Eebruarij Anni 1676* assignatus est,

Ut sceptra Regni suscepturus mortalitatis suæ, memor efficiatur, vel vt Maximllianus Fredro, in gestis Henrici Valesij *fol: 7.* vt Privilegia mortalitatis noscant imperaturi, qui Regnantium cernunt sepulturam ex eadem de se, judicia populi ament, vel revereantur, qualia Funera Antecessores sui tulere ob virtutem, vel vitia &c. Sic & Romæ moris est, dum Summus Pontifex Electus intronizandus ad Ecclesiam Sancti Petri defertur, Prælatus ad id destinatus, accensâ stupâ, in arundine longa suspensâ, & extinctâ, præcedendo Summum Pontificem altâ voce multoties id faciendo, donec Summus Pontifex in Throno fuisset collocatus, hæc verba profert: *Beatissime Pater sic transit gloria mundi.* Cui funebri pompæ mortui Reges, Vexilliferi Palatinatuum & Terrarum, cum Vexillis suarum Terrarum tenentur adesse, prout sub ordine **Porządek Elekcyey** *Anni 163. & 1648.* & alibi habetur. Ministri autem Curiæ ad exprimendum majorem dolorem & tristitiam, insignia sua frangunt: vt Mareschalci vtriusq; Gentis caduceos suos Mareschalcales, Cancellarij Sigilla in sepulchrum Regis proijciunt, Armigeri hastas frangunt, sceptra, Poma, Coronam in Altari majori ponunt, vt latè descripsit, *Alexander Gvaguinus, describendo Funus* Sigismundi Augusti, in vita ejus.

HENRICVS tamen VALESIVS, licet celeri passu Cracoviam tenderet, ad sepulturam Prædecessoris sui SIGISMVNDI AUGVSTI, solenniter cohonestandam morbo ex incommodis itineris contracto, Albertum Mareschalcum Franciæ, Comitem Radelinarum, submisit teste Guaguino vbi supra, & Maximiliano Fredro.

Sic & CASIMIRUS Magnus, demum post Coronationem novi Regis terræ mandatus est. *Anno Domini 1371.*

Sic & MICHAEL Rex, vnà cum JOANNE CASIMIRO Antecessore suo Rege ex Gallia (vbi fatis cesserat) advecto, sepultus est, & hæc pompa funeralis vtriusq; Regis peracta est, pridie Coronationis JOANNIS III. Regis. *Anno Domini 1676.*

Postea Rex coronandus, more consueto pedester, visitat idq; cum processione solenni Rupeculam Casimiritanam, vulgari nomine

Skałká dictam vbi S. Stanislaus Episcopus Cracoviensis à Boleslao Rege Poloniæ, Audace nuncupato occisus erat: non ob aliũ finem, nisi quod Boleslaus, per scelus, in eo Templo patrârat, novi Reges illud devotâ prece expient, rogentq; vt DEVS Omnipotens, sanguinis innocenter effusi, pœnam à Rege & à Regno avertere dignetur, exemplo Davidis Regis ob cædem Abneri, 2. *Reg*: 3. *v.* 27. Tum vt Reges in principio dominatùs sui, statim ab effusione sangvinis abominationem capiant, nec potestate suâ ad oppressionem innocentũ abutantur. *Fredro vbi supra fol*: 28. *Guaguinus vbi supra.* Qui Rex ob cædem sancti Præsulis, coronâ privatus fuit à GREGORIO ejus nominis Septimo Pontifice. *Miechovita lib*: 2. *cap*, 20. *& Cromerus lib*: 4. *in vitâ eiusdem Regis*, *fol*: *apud me* 90. Ad hæc toti Poloniæ sacris interdixit. Et ne in posterum Reges Episcopi inungerent & coronarẽt injussu suo. Qui verò socij sceleris Regij fuissent, eos simul & posteros eorum, vsq; ad quartam propaginem, à Sacerdotij, & omnium Magistratuum Ecclesiasticorum functionibus, & emolumentis alienos esse jussit. *Ita Cromerus*, qui & hoc subjunxit. Fertur etiam à pijs quibusdam hominibus, divinitus revelatum esse Regnum Polonum, insequenti tempore, in multas partes discerptum iri, quemadmodum corpus *S.* Stanislai sectum fuisset, itaq; per multum tempus mansurum.

Regia itaq; dignitas omissa fuit in Poloniâ ducentis & quindecem annis à Temporibus scilicet: Boleslai Audacis, ob quem Pontifex Maximus, Regnum quoq; ipsum execrationibus devinxerat, & demùm PRÆMISLAVS Rex creatus *anno* 1292. *alij* 1295. solenni ritu inunctus, diadema Regium ab Jacobo Swinka Archiepiscopo Gnesnensi, adstantibus plurimis Episcopis Gnesnæ accepit. *Cromerus libro* II. historiæ suæ statim à principio in vita Præmislai ejusdem Regis *fol*: *apud me* 264. Idem in libro de Republica & Magistratibus Polonorum. *Vide & Miechovitam lib*: 2. *cap*. 20. *Pastorius in suo Floro Polonico lib*. 2. *cap*, 15.

Coronatio Regum olim Gnesnæ peragebatur, sed cùm locus minùs tutus & aptus esset, à VLADISLAO Rege vulgò ŁOKIETEK dicto, latinè cubitali (quòd statura ejus vix cubitum excedebat) vt in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi perageretur Statutum. *Guaguinus in vita ejusdem Vladislai. Sarnicius fol*: 10. & tandem Constitutione *Anni* 1564. *fol*: 56. § **Naprzod** &c. & *Anni* 1569. *fol*: 174. § **A temu oboiemu**. *Anno* 1638. *fol*: 24. *cum sequ*: *sub titulo* **Koronacya**. *vide & sub titulo* **Porządek Elekcyey Warszáwskiey** *Anno* 1632. 1648. & *alibi*.

Adve-

Adveniente autem die Coronationis, ab omnibus ordinib⁹ & Statibus Regni cōstituto vel prorogato, Serenissimus Rex Electus, splendide indutus à Senatu & Equestri Ordine, solenni processione, ex Palatio solito Regali, ad Ecclesiam Cracoviensem Cathedralem deducitur. Insignia Regalia, hoc est Coronam, sceptrum, Pomum aureum Senatores Seniores, gladium euaginatum Ensifer Regni portant, & Reverendissimo Archiepiscopo Gnesnensi tradunt, quæ in Altari deponuntur. Mareschalci autem caduceos suos Mareschalcales, antequàm Rex coronatus non fuerit, sed tantùm Electus non sublevatos, sed submissos more ex antiquo deferre debent. *teste Piasecio in suis Annalibus ad Annum 1632. fol. 545.* Rex ab Episcopis duobus senioribus recipitur, exceptus ad Archiepiscopum Gnesnensem deducitur, cui Archiepiscopus factâ reverentiâ, eundem medium inter dictos Dominos Episcopos ponit. Tum Dominus Archiepiscopus juxta præscriptum Pontificaliter ad Coronationem Regis procedit, Et inter alia de manutenendis Pactis Conventis (quæ ipsi priùs perleguntur) juramentum (juxta formam superiùs vltimo loco positam) præstat tacto digitis Evangelio. Et sub tali forma juramentum præstiterunt. SIGISMVDUS III. *Anno Domini 1587. fol: 446: sub titulo Literæ juramenti præstiti.* Item VLADISLAVS IV. *Anno Domini 1632. fol. 23. sub titulo* **Jurament Nayiásnieyszego Krolá.** Sic & JOANNES CASIMIRVS *Anno Domini 1648. fol. 3. sub titulo Literæ juramenti præstiti.* sic MICHAEL Rex, sic JOANNES III. *Anno Domini 1676. fol. 5. sub titulo literæ juramunti præstiti.* sic & Serenissimus modernus Rex AUGUSTUS II. *Anno Domini 1697. fol. 6. sub titulo literæ juramenti Coronationis.*

De quo juramento taliter præstito, Serenissimi Reges solent dare literas testimoniales, tenoris sequentis.

Jnprimis ponitur Titulus Regius, tandem sequitur. *Significamus præsentibus literis Nostris vniversis & singulis. Quia in frequentia magna hominum, in Ecclesia Cathedrali Sancti Venceslai, in Arce Cracoviensi die N. Mensis N. Anni N. verbis conceptis ad sancta Dei Evangelia, tale juramentum, Ordinibus Regni, & M. D. L. præstitimus.* Hic ponitur juramentum extensivè. Tandem subjungitur. *De quo quidem juramento nostro, à Nobis præstito, vt omnibus quorum interest constaret, Literas hasce Nostras, manu Nostrâ supscripsimus, sigillumq. Regni Nostri appendi jussimus. Actum & datum Cracoviæ in Conventu felicis Coronationis Nostræ die N. Mensis N. Anni N.* Tandem subscribit se Serenissimus Rex.

Inter alias autem ceremonias & hæc eſt. Quòd Rex Oleo ſacro in manu dextra ad cubitum, & in ſcapulis inungitur, ad ſignificandum, quòd Deus habere voluit imperantes, vt velut Dij terreni imperent; tum vt ſubjecta terra veluti ſuos Deos, ſeu Vicarios Dei veneretur. *Fredro vbi ſupra, fol: 250.*

Omnibus ſolennitatibus peractis, Dominus Archiepiſcopus, omnibus benedictionem impertitur, & Dominus Mareſchalcus Regni, clarâ voce exclamat. VIVAT REX N. & populus magno cum fænore aliquoties repetit. Dominus autem Theſaurarius Regni, de Throno Regio, nummos miſſiles in populum erogat, & Sereniſſimus Rex coronatus ad Palatium deducitur ſonantibus tonitruis tormentorum: ibiq; convivium ſumptuoſum fit.

Sequenti die, horis pomeridianis Rex maxima cum ſolennitate, & pompâ præferentibus inſignia Regalia Senatoribus, equo inſidens, ad Forum Civitatis deducitur, & poſtquàm pervenit ad Prætorium Civitatis, illuc deſcendit, ibidemq; Regio ornatu indutus, pedes, ad ſolium pulcherrimè, juxta Prætorium factum it; & poſtquā conſederit in ſolio, Magiſtratus in ſignum ſubjectionis Urbis, in argentea patina, claves portarum omnium deauratas, præmiſſa oratione per vnum è medio ſui tradit. Quibus Cancellarius, vel vice reſpondet, Gratiam Regiam Magiſtratui declarando, pronuntiandoq; Rotam juramenti, quod vniverſi Conſules genuflexi, erectis ad cælum digitis, præſtant, & munus peramplum, hoc eſt mille Ungaricalium, Sacræ Regiæ Majeſtati offerunt, & claves memoratas recipiunt. Tandem Sereniſſimus Rex, accepto ſceptro & pomo aureo à Dominis Senatoribus, & nudatum vagina enſem ab Enſifero Regni, aliquot ſtrenuos, & bene meritos, levi inter ſcapulas ictu ad ordinem Equitum auratorum adſciſcit, & aurata militiâ condonat. Illuſtriſſimus autem Dominus Theſaurarius Regni, vti in ſolenni ab arce progreſſu, ita ex Theatro, nummos aureos argenteoſq; in populum ſpargit. Quibus finitis, Sereniſſimus Rex, ſolet ad aliquam ædem deſcendere, ad ſpectandum ignes feſtivos, & flammas fuſiles ad aëra tendentes, & poſtea ad arcem revertitur, tonantibus tormentis, tam in Civitate, quàm ex Arce. *Vide Guaguinū vbi ſupra ſub titulo.* Qualiter Sereniſſimus Rex Poloniæ, juxta veterem conſuetudinem coronatur.

Rex niſi liberè, & unanimiter Electus non poteſt coronari. SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex, *Petricoviæ Anno Domini, 1550.* in Conſtitutione *fol. 3. Herburtus fol. 160. Ianuſſovius lib. 1. titulo 4. fol: apud me 14.*

Non

Non poteſt ab alio coronari, quàm ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, etiamſi alius Epiſcopus Cardinalis fuerit, juxta privilegium, quòd Domino Archiepiſcopo Gneſnenſi per CASIMIRUM III. Regem Poloniæ, *A. D. 1451. conceſſũ eſt tenoris ſequentis.* Quantùm ad Coronationes Regum & Reginarum Poloniæ pertinet. Statuimus & decernimus: quòd nullus alius, neq; Dominus Sbigneus Cardinalis, ad huiuſmodi Coronationem ipſorum Regum & Reginarum, ſe de cætero & in perpetuum intromittet, & coronabit, præter Archiepiſcopum Gneſnenſem pro tempore exiſtentem, circa quas Coronationes præfatus Dominus Sbigneus Cardinalis habitu duntaxat vtetur Cardinalatûs, cæremonijs autem vti debet, ſicut Epiſcopus Cracovienſis ab antiquo vtebatur, ubi intereſſe voluerit: quòd in ſua libera erit voluntate. Regia Majeſtas nihilominus aut Reginalis taliter coronanda per Archiepiſcopum Gneſnenſem, atq; alios Epiſcopos coronabitur, & coronari debet. *Ianuſſovius vbi ſupra fol: 14.*

Quod Privilegium SIGISMVNDVS AVGVSTVS approbavit. *Anno Domini 1550.* in Conſtitutionibus *fol: 3.* & refert *Ianuſſovius vbi ſupra fol: 14.* & Nos latiùs infra dicemus in titulo de Archiepiſcopo Gneſnenſi.

Non poteſt coronari, niſi ſit Rex Catholicus Romanæ Eccleſiæ, VLADISLAVS JAGELLO in Privilegio ſuo, in illis verbis: VLADISLAVS Rex Poloniæ &c. Significamus, quòd cum ſupernæ diſpenſationis proviſione, de gentilitatis erroribus ac tenebris ad lucem, & ſui nominis agnitionem eduxit miſericorditer, & tandem ad Regale dignitatis faſtigium exaltavit &c. & *Herburtus fol: 437. Ianuſſovius vbi ſupra titulo 3. lib. 1. fol. 11.* & latiùs infra ſequenti titulo videre licet.

Rex Electus & nondum Coronatus, non poteſt diſtribuere Beneficia aut Officia, niſi ſolùm aliqua in futurum promittere, Piaſecki in ſua Chronica ſub *Anno 1632.* ad finem, *folio apud me 545.*

Non poteſt ad Conventus particulares Palatinatuum, & Terrarum literas mittere, niſi literas privatas, idq; non in negotijs publicis, ſed ſuis privatis, quia Rex Electus non poteſt functiones Regias exercere, antequam coronetur. *Piaſecki ibidem.*

Non poſſunt Cancellarij quidquam ſigillare; nam poſtquàm ſigilla Regis defuncti, circa eius funeris celebritatem, à Coronato Rege novo nova demum accipiunt. *Piaſecki Ibidem.*

Rex Electus officioſas literas ad Principes exteros ſubſcribit, Rex Electus ac ſigillo, quo ille vtebatur ante Electionem ſuam, illas ſignat. *Piaſecki ibidem.*

Literæ à Rege Electo, ſub titulo Electi Regis extradi ſolent, & ſigillo Cameræ muniuntur, Quamvis Sereniſſimo JOANNI III. Regi conceſſum erat ſigillum Magni Ducatûs Lithuaniæ, idq; ad ipſam tantùm Expeditionem Moſchoviticam, vt videre eſt in Actis Electionis ejuſdem. Mandata autem & Citationes ante Coronationem, ſub ſigillo aliquo Terreſtri extraduntur, vt videre eſt, in Conſtitutione *Anni 1632. ſub titulo* **Porządek Elekcyey Wárßáwſkiey** *fol: 8. ad finem in illis verbis.* Mandata ac Comitia hæc Coronationis ſub titulo Regis Electi, & ſub ſigillo Iudicij Terreſtris debent extradi. *Idem.* **w Porządku Elekcyi Wárßáwſkiey** *Anno Domini 1649. f. 9.*

Præter juramenta ſupra poſita præſtita debet in ſuperabundãti Sereniſſimus Rex, in Conventu Coronationis ſuæ confirmare omnia jura, & literas teſtimoniales manu ſuâ ſubſcriptas extradere, tenoris ſequentis.

Confirmatio Generalis omnium jurium, Privilegiorum, Libertatum, Regni Poloniæ & M. D. L.

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam.

QVandoquidem in humanis actionibus nihil eſt tam firmum, & ſtabile, quod vetuſtate non conſeneſcat, & oblivione deleatur, rectè indagatrix omnium rerum ſapientiæ providit, vt æternitatem rerum, monumenta literarum cuſtodiant, & ad ſempiternam hominum memoriam vſq; tranſmittant. Proinde Nos STEPHANVS Dei gratiâ Rex Poloniæ, & Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſovtæ, Samogitiæ, Kijoviæ & Wołyniæ, Podlachiæ, Livoniæq; necnon Princeps Transylvaniæ: manifeſtum ac teſtatum facimus omnibus, quorum intereſt, tam præſentibus, quàm futuris harum notitiam habituris, Vt perpetua grati noſtri animi erga Regnum hoc Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithvaniæ, teſtificatio extaret; & ſi nihil habeamus ita charum, quod non libenter ipſius ornandi, & amplificandi causâ faciendum Nobis eſſe putemus; tamen ſingulari Reipublicæ ſtudio provocati, quòd Nos in Regem ſibi Incolæ huius Regni elegerint; Noſtramq; Perſonam, inter alios Excellentiſſimos Principes Orbis Chriſtiani prætulerint; ſacrum diadema Capiti Noſtro imponi curarint, omniaq; jura, Privilegia, libertates, prærogativas, & quæcunq; potuerant habere in Patria chariſſima & Nobiliſſima, Nobis concrediderint, vt ea in manibus Noſtris, tanquam in aliquo ſacrario repoſita, conſervemus & tuea-

mur.

mur. Horum tantæ benevolentiæ & fidei, vt parem animum & gratiam referamus, testemurq; in perpetuum, omnia Nobis præ incolumitate & splendore hujus Regni esse & fore semper inferiora, siquidem ex Patria Nostra, omnia quæ Nobis aliquando chara extiterunt, huc intulimus, commodaq; huius Regni Nobilissimi, commodis Nostris antetulimus, quod à nobis, & grati animi memoriâ & Officium Nostrum Regium, & vtilitas Regni, consuetudoq; Antecessorum Nostrorum Divorum Poloniæ Regum, & Magnorum Ducum Lithvaniæ exposcere videbatur, spontè ac liberè, maturâq; deliberatione super his debitâ, omnia Privilegiâ, donationes, inscriptiones, advitalitates, libertates, prærogativas, immunitates, tam Regni, quàm Magni Ducatûs, quàm Terrarum earundem communes, ipsis conjunctim, aut separatim concessas; quàm privatarum Personarum cuiuscunq; Status & conditionis, sexûs existentium, Civitatum, Oppidiorum, & locorum quorumcunq; privatas, Ecclesiasticas, & Sæculares, cuiuscunq; generis, per Antecessores Nostros Regni Poloniæ, ac Magni Ducatûs Lithuaniæ, Terrarumq; ijs coniunctarum Reges, Principes, Duces ac Dominos, tam in toto, quàm in parte, præsertim verò, CASIMIRVM Magnū, LVDOVICVM LOIS nuncupatum, VLADISLAVM II. JAGELLONEM dictum, Fratresq, ejus, VITHOLDVM & SIGISMUNDVM, Magnos Duces Lith: VLADISLAVM III. CASIMIRVM III. JAGELLONIS filios, JOANNEM ALBERTVM, ALEXANDRVM, SIGISMVNDVM I. SIGISMVNDVM II. AVGVSVM, ac HENRICVM (& sic usq; ad ultimum Prædecessorem suum) Reges Poloniæ, & Magnos Duces Lithvaniæ, ac etiam per Magistros Prussiæ, Archiepiscopos, Episcopos, Magistros, Præceptores, Livoniæ Duces, Principes, ac Dominos Terrarum Russiæ, Masoviæ, justè & legitimè emanatas & concessas, ac juri communi vtriusq; Gentis non contrarias; ac item jura, leges, Statuta, Constitutiones, Ordinationes, libertates, ac immunitates, in Conventibus Regni quibuslibet, legitimè sancitas; nominatim autem libertates & leges in Conventu Electionis HENRICI Regis latas, ac quæ in Conventu Andræoviensi, vel Coronationis Nostræ sancitas, & Nobis exhibitas (*in confirmatione autem Serenissimi Regis moderni taliter habetur*) ac in Conventu Andreoviensi; & Coronatione Regis STEPHANI, Constitutionesq; in Coronatione Serenissimi SIGISMVNDI III. laudatas, ac deniq; leges & Constitutiones in præsenti Conventu sancitas, aut quæ adhuc sancientur, & Nobis exhibebuntur, ita tamen, vt nec specialitas generalitati, nec generalitas

 litas

litas ſpecialitati deroget. Tum etiam conditiones per Oratores Noſtros cum Ordinibus pactas & conventas, & à Nobis approbatas. Quorum omnium præmiſſorum tenores, tanti eſſe volumus, ac ſi in hiſce literis de verbo ad verbum inſertæ ſint, in omnibus earum articulis, punctis, clauſulis, conditionibus, firmiter, inconcuſsè, inviolabiliter, tenere, obſervare & implere, & exequi, ac omnibus & ſingulis ex ijs ſatisfacere cum effectu, & teneri, obſervari & exequi facere (*in confirmatione autem moderni Sereniſſimi Regis ſic habetur* Tum etiam conditiones cum Ordinibus ſancitas, in omnibus eorum articulis, punctis, clauſulis, conditionibus, approbandas, roborandas, duximus, approbamuſq; roboramus, confirmamus per præſentes literas *N*oſtras, decernentes illas & illa omnia, quæ ſuperiùs commemorata ſunt perpetuæ indubiæ, ac inviolabilis firmitatis robur obtinere debere, recipimus, ſpondemus, & *R*egio verbo Noſtro pollicemur, illas in prædictis earum punctis, articulis, clauſulis, conditionibus, firmiter, inconcuſsè, inviolabiliter tenere, obſervare, implere & exequi, ac omnibus & ſingulis ex ijs ſatisfacere cum effectu, & teneri, obſervari, & exequi facere) Item pollicemur, recipimus ac ſpondemus, quòd omnia per hoſtes finitimos injuſtè à *R*egno, Magnoq; Ducatu Lithvaniæ, & Dominijs earundem, quocunq; modo occupata, vel bello, vel quovis alio modo diſtracta, ad proprietatem & vnionem ejuſdem Regni, & *M*agni Ducatûs Lithvaniæ, tum Provinciarum ijs annexarum, aggregabimus. Neq; fines Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ & Dominiorum noſtrorum minuemus, ſed pro viribus noſtris proferemus & dilatabimus. Quod ſi aliquid contra libertates, immunitates, jura & Privilegia prædicti Regni, & *M*.D.L. ac cæterarum Provinciarum ijs annexarum fecerimus, non ſervantes (quod abſit) aliquid illorum in toto vel in parte, id totum irritum, & inane nulliuſq; momenti fore decernimus & pronuntiamus. Quòd verò ſupra hiſce literis Privilegia, libertates, Eccleſiaſticas, cum cæteris confirmavimus, id nihil articulo juramenti derogare volumus; videlicet: pacem & tranquillitatem inter diſſidentes de *R*eligione tuebimur, & manutenebimus &c. quem inconcuſsè, firmiter, & inviolabiliter, ac cum effectu Nos obſeruaturos promittimus ac ſpondemus (*in confirmatione autem Sereniſſimi moderni Regis AVGVSTI II. ſic habetur:* Quòd verò ſupra hiſce literis Privilegia, libertates Eccleſiaſticas cum cæteris confirmaverimus, in juramento Noſtro Eccleſias Catholicas Romanas nominaverimus, id nihilominus Eccleſiis Græcis, & Privilegijs earundem obeſſe de-

bet,

bet, imò eadem in ſuo robore conſervamus, nec non articulo & juramento huic nequaquam derogare volumus, quòd videlicet pacem,& tranquillitatem inter diſſidentes de Religione tuebimur, & manutenebimus, quam inconcuſsè, firmiter, ac inviolabiliter, & cũ effectu Nos obſervaturos promittimus, ac ſpondemus. Jura quoq; Pruſſiæ, ſpecialiter verò Indigenatûs in omnibus manutenebimus,& in ſuo robore conſervabimus: vacantiaſq; omnes in Terris prædictis juxta tenorem jurium Terrarum prædictarum, & Conſtitutionem *Anni 1647.* Indigenis Terrarum *Pruſſiæ* conferemus, & articulum de diſtribuendis vacantijs, Pactis Conventis, felicis *E*lectionis JOANNIS CASIMIRI inſertum, ſpeciali juri Terrarum Pruſſiæ derogare non debere declaramus, dantes inſuper poteſtatem Cancellario, & Vice-Cancellario Regni Poloniæ, & has literas confirmationis generalis jurium, *P*rivilegiorum & Libertatum Regni, & *M*, D. L. ac Terrarum ijs annexarum, cum confirmatione defacto, articulorum & Legum, quæ ante Coronationem Noſtram Andreioviæ, vel Cracoviæ ſancita ſunt (*ſed prædicta verba*: cum confirmatione defacto &c. *in confirmatione Sereniſſimi Regis moderni omiſſa ſunt*) authenticè ſub ſigillo noſtro Regio (*in confirmatione autem Sereniſſimi Regis moderni habetur* ſub Regni ſigillo) Ordinibus, Terris ac ſubditis noſtris, qui eam requirent, non expectato alio mandato noſtro, vterq; vel alter eorum extradat, non obſtante vllâ exceptione, ſeu alio quovis in contrarium mandato (*ſed in confirmatione Sereniſſimi Regis moderni hæc verba:*non obſtante vllâ exceptione &c. omiſſa ſunt) In cujus rei fidem literas haſce manu noſtrâ ſubſcripſimus. Sigillum noſtrum Regium. (*in confirmatione autem Sereniſſimi Regis moderni*, ſigillumq; Regni) ijs appendi juſſimus, Datum Cracoviæ in Conventu *in confirmatione Sereniſſimi egis moderni*. In Comitijs) felicis Coronationis Noſtræ die N. Menſis N. Anno Domini N. Regni noſtri Anno primo. Præſentibus Reverendiſſimis, Reverendis, Jlluſtribus, *M*agnificis, Venerabilibus, Generoſis, *N*obilibus, ac *S*pectabilibus *N.N.N.*

Similis confirmatio generalis jurium à SIGISMUNDO III. in volumine Conſtitutionum *fol: 447.* mutatâ alijs verbis Arengâ *tenoris ſequentis.* Jn nomine Domini Amen. Ea eſt rerum & actionum humanarum conditio, vt nihil firmum, nihil diuturnum propter brevem,& incertam vitam hominum, & tot plerumq; intercurrentes rerum viciſſitudines in ſe contineant, facileq; & brevi temporis momento, omnia in oblivionem veniant; niſi quòd vnum generi

humano divinitùs planè ad conſervandam rerum memoriam, beneficium tributum eſt, literæ nimirum & ſcriptura adhibeatur. Quibus rebus, cùm ea, quæ non præſentis tantùm ætatis, ſed poſteritatis etiam memoriam requirunt, optimè conſervari, & perpetuitati quodammodo conſecrari conſueverint.

Nos etiam SIGISMVNDVS III, Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſsiæ, Maſoviæ &c. Cupientes præſentis negotij, perpetuam, & nunquam intermorituram memoriam extare, literis hiſce Noſtris, vniverſis & ſingulis, tam ævi præſentis, quàm futuri, quorum intereſt, vel intererit, ſignificamus. Quòd quemadmodum inclytis Regni Poloniæ, & M. D. L. ac cæterarum illis adjunctarum Provinciarum Ordinibus, nihil nos non debere fatemur, & agnoſcimus, cùm ob acceptam ab ijs materni ſangvinis originem; tum quòd pro ſingulari erga Nos, & Familiam Iagellonicam, à quâ maternum genus ducimus, ſtudio, Nos præ cæteris omnibus magni nominis competitoribus, Regem eſſe ſuum voluerint, crearintq; ſententijs ac ſuffragijs liberis, & deniq; ſacro diademate impoſito conſecrârint, & conſtituerint, itaq; ad commodum & emolumentum Ordinum eorundem, quæ ad conſervationem libertatum ipſorum, vniverſæq; adeò Reipublicæ ſtatus pertinent, maximæ Nobis curæ eſſe debere intelligimus. Et cùm eam illi de Nobis opinionem conceperint, vt ſe, vitam, fortunaſq;, & quæ omnibus opib⁹ pretioſiores ſunt libertates ſuas, prærogatiuaſq; & immunitates, atq; chariſſima quæq; fidei & patrocinio noſtro, rectiſsimè ſe cōmiſſuros eſſe exiſtimârint, dāda nobis eſt opera, vt huic conceptæ eorū de nobis opinioni reſpondeamus: quod vt re ipſa facere, eorumq; libertates atq; jura, perpetuò ſanctè & inviolabiliter conſervare in animū induximus; ita perpetuum quoq; ejus rei monumentum extare volentes, noſtra ſponte, & animo deliberato, ſecutiq; morem & conſuetudinem, Dominorum Anteceſſorum noſtrorum Poloniæ Regum, & Magnorum Ducum Lithvaniæ, omnia Privilegia, donationes, inſcriptiones, advitalitates, libertates, prærogativas, ac immunitates Regni Poloniæ, & M. D. L. Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podlachiæ, Livoniæq;, ac aliarum Provinciarum ijs annexarum, conjunctim, aut ſeparatim ipſis conceſſas, Eccleſiaſticas & Sœculares, tam publicarum, quàm privatarum perſonarum cujuſcunq; Status, conditionis, atq; ſexûs exiſtentium, Civitatumq; & locorum quorumcunq; per Anteceſſores noſtros Reges Poloniæ, & Magnos Duces Lithuaniæ, ac Terrarum ijs conjunctarum, Reges, Princi-

Principes, Duces, ac Dominos, tam in toto, quàm in parte, præsertim verò, CASIMIRVM Magnum, LVDOVICVM LOIS nuncupatum, VLADISLAVM II. JAGELLONEM dictum, Fratresq; ejus, VITHOLDVM & SIGISMUNDVM, Magnos Duces Lith: VLADISLAVM III. CASIMIRVM III. JAGELLONIS filios, JOANNEM ALBERTVM, ALEXANDRVM, SIGISMVNDVM I. SIGISMVNDVM II. AVGVSTVM, HENRICVM ac STEPHANVM (& sic ad ultimum Regem demortuum ponitur,) Reges Poloniæ, & Magnos Duces Lithvaniæ, ac etiam per Magistros Prussiæ, atq; Archiepiscopos, Episcopos, Magistros, Præceptores antiquos Livoniæ, novissimè verò post recuperatam Livoniam per Regem STEPHANVM, necnon Duces, Principes, ac Dominos Terrarum Russiæ, & Masoviæ, justè & legitimè concessas & emanatas, ac juri cõmuni vtriusq; Gentis non contrarias. Item jura, leges, Statuta, Constitutiones, judicia Tribunalis ultimæ instantiæ, ac decreta, libertates, & immunitates, in Conventibus Regni Generalibus quibuslibet, ordinationesq; latas atq; sancitas, nominatim autem libertates & leges in Conventu Electionis HENRICI Regis, ac in Conventu Andræoviensi, & in Coronatione Regis STEPHANI, Constitutionemq; de judicijs Tribunalis Regni in Conventu Varsaviensi, ac deniq; leges & Constitutiones, in præsenti Conventu Coronationis Nostræ sancitas, aut quæ adhuc sancientur, & Nobis exhibebuntur: ita tamen, vt nec specialitas generalitati, nec generalitas specialitati deroget. Tum etiam conditiones per Oratores nostros, ac Serenissimi Parentis Nostri JOANNIS III. Dei gratiâ Sueciæ Regis &c. cum ordinibus constitutas, ac à Nobis approbatas, juxta literarum nostrarum, de ijsdem conditionibus, circa Coronationem nostram concessarum tenorem (quorum omnium præmissorum tenores tanti esse volumus, ac si hisce literis de verbo ad verbum insertæ sint) in omnibus earum articulis, punctis, clausulis, conditionibus, approbandas, roborandas, & confirmandas esse duximus, approbamusq; roboramus, confirmamus, per præsentes literas Nostras, decernentes illas & illa omnia, quæ superiùs commemorata sunt perpetuæ indubiæ, ac inviolabilis firmitatis robur obtinere debere, recipimusq; spondemus, & Regio verbo Nostro pollicemur, illas in prædictis earum punctis, articulis, clausulis, conditionibus, firmiter, inconcussè, inviolabiliter tenere, observare, implere & exequi, ac omnibus (& singulis ex ijs satisfacere cum effectu, & teneri, observari, & exequi facere) Item pollicemur, recipimus ac spondemus.

Quòd omnia per hostes finitimos injustè à *R*egno, Magnoq; Ducatu Lithvaniæ, & Dominijs earundem, quocunq; modo occupata, vel bello, vel quovis alio modo distracta, ad proprietatem & vnionem ejusdem Regni Poloniæ, *M*agniq; Ducatûs Lithvaniæ aggregabimus. Neq; fines Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ minuemus, sed pro viribus nostris proferemus & dilatabimus. Quod si aliquid contra libertates, immunitates, jura, Privilegia *R*egni, & *M.* D. Lith: ac cæterarum Provinciarum ijs annexarum fecerimus, non servantes (quod absit) aliquid illorum in toto vel in parte, id totum irritum, & inane nulliusq; momenti fore decernimus, & pronuntiamus. Quòd verò supra hisce literis Privilegia, libertates, Ecclesiasticas, cum cæteris confirmavimus, id nihil articulo huic juramenti derogare volumus; quòd videlicet pacem, & tranquillitatem inter dissidentes de *R*eligione tuebimur, & manutenebimus &c. quam inconcussè, firmiter, & inviolabiliter, ac cum effectu Nos obseruaturos promittimus & spondemus, Dantes insuper potestatem Cancellario, & Vice-cancellario Regni, vt has literas confirmationis Generalis jurium, Privilegiorum, & libertatum Regni, & Magni Ducatûs Lithvaniæ, ac Terrarum ijs annexarum, authenticè sub sigillo Regni, Ordinibus, Terris, ac subditis Nostris, qui eas requirent, non expectato alio mandato nostro, vterq; vel alter illorum extradant. In cujus rei fidem, literas hasce manu nostrâ subscripsimus, sigillumq; Regni ijs appendi jussimus. Datum Cracoviæ in Conventu Coronationis nostræ *die octavâ Mensis Iauuarij Anno Domini 1588. Regni nostri Anno primo.* Præsentibus Reverendissimis, Reverendis, Illustribus, Magnificis, Generosis & Venerabilibus, ac *N*obilibus Stanislao *K*arnkowski, Dei gratiâ Archiepiscopo Gnesnensi, Legato *N*ato, & *R*egni nostri Primate. Deinde alij Episcopi, *S*enatores, Officiales, Castellani, Capitanei &c. & alij tunc præsentes de nominibus & cognominibus connotantur, & in fine additur, & alijs multis Officialibus & Aulicis nostris, Terrarum verò Nuntijs, omnibus ad præsentem Conventum congregatis.

SIGISMVNDVS Rex Poloniæ.

(S. L.)

Sic VLADISLAVS IV. confirmavit *Anno Domini 1633.* vt in Constitutione ejusdem Anni *fol. 5.* Sic JOANNES CASIMIRVS *Anno 1648* itidem *fol. 5.* Sic MICHAEL Rex. sic JOANNES III.

Anno

Anno Domini 1676. fol. 7. *Anno 1697 fol.* 8. sub diversis Aringis, vt videre licet. sic & HENRICVS VALESIVS *1574. fol.* 227.

Acta quoq; cuiuslibet Interregni in Comitijs Coronationis Regiæ solent approbari. Sic STEPHANVS Rex. *Anno Domini 1576. fol:* 295. Sic VLADISLAVS IV. *Anno Domini 1633. fol: 12.* Sic JOANNES CASIMIRVS *Anno Domini 1649. fol: 12.* Sic MICHAEL Rex. *Anno Domini 1670. fol. 12.* Sic IOANNES III. *Anno Domini 1676. fol: 12.*

Post Coronationem peractam extraduntur etiam Literæ authenticæ, denuntiantes Coronationem Regis, sub titulo *Regis Coronati* cum subscriptione Cancellarij tenoris sequentis.

DENUNTIATIO
Regis Coronati,
AUGUSTI SECUNDI.

AVGVSTVS Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ, Volhiniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolensciæ, Severiæ, Czerniechoviæq; &c. necnon hæreditarius Dux Saxoniæ, & Princeps Elector.

OMnibus in universum Regni nostri Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Spiritualibus & Sæcularibus, Archiepiscopis, Palatinis, Castellanis, Capitaneis, Dignitarijs, Officialibus, Iudicibus, ac eorum vicesgerentibus, tum Proconsulibus, Consulibus, & quibusvis alijs Regni Nostri Magistratibus, aut eorum Locumtenentibus, cæterisq; alijs, cuiuscunq; conditionis hominibus, ad quorum notitiam hæ nostræ literæ pervenerint, sincerè & fideliter nobis dilectis, gratiam nostram Regiam. Sincerè & fideliter nobis dilecti. Admirandam Dei Ter Optimi Maximi, in cuius manu sunt omnia jura Regnorum, nunquam cessaturi confitemur, adoramusq; bonitatem, dum Amplissimis liberrimisq; Inclyti hujus Regni Gentibus, post fata divæ memoriæ Serenissimi ac Potentissimi JOANNIS III. Domini Regis sui immediati, dignissimi per fortitudinis recte factorumq; magnitudinem immortali vitâ, luctantibus in campo Electorali de eligendo, renuntiandoq; Rege, digito Paternæ dexteræ

Personam nostram, tam remotam ab omni contractu ambitionis, quàm contentam Paternis suis, hæreditarijsq; ditionibus, ostenderit ac exhibuerit. Valido itaq; & præpotenti ejusdem Divinæ voluntatis nutui nequaquam refragari posse censentes; posteaquam collatis in *N*os pronis universorum *S*erenissimæ huius Reipub: Statuum, ac Ordinum studijs, liberisq; suffragijs, ac publico applausu in Regem more, ac instituto Majorum in Comitijs *E*lectionis ad Varsaviam, primùm *die vigesimâ sextâ*, demum postridie, *die vigesimâ septimâ Mensis Iunij Anni præsentis*, concursu viritim ac militanter, Terrarum, districtuum, & Palatinatuum feliciter *E*lecti, proclamati, ac repetitis vocibus renuntiati essemus, mox præstito inibidem pro Nobis absentibus, per Plenipotentiarium Nostrum, super articulos Pactorum Conventorum, in Ecclesia Collegiata Divi Ioannis Baptistæ, solenni jurejurando demum eodem à Nobismet ipsis, in limitibus Regni in Villa **Pietáry** in Ecclesia ejusdem Parochiali; vnà cum Professione Fidei sanctæ *R*omanæ Catholicæ repetito, per solennem ac honorificam Legationem publicum Electionis decretum, ac instrumentum accepissemus, reliquum Nobis superfuit, vt ad præfixum Inaugurationis felicisq; Coronationis Nostræ tēpus ijsdem invitantibus Oratorib⁹ Cracoviam, iter maturaremus, vbi de more solenni, pridie ante actum felicis Coronationis, persolutis justis *S*erenissimo Prædecessori nostro, postridiè nempe in die Dominico, qvi erat *decimus quintus Mensis Septembris* in Basilica Divi Stanislai, Arcis Nostræ Cracoviensis præmisso, & præstito priùs ante Altare majus, ex concepta formula de servandis & manutenendis juribus, Privilegijs, libertatibus, Ecclesiasticis & Sæcularibus, privatis & publicis, Regni & Magni Ducatûs Lithuaniæ juramento; sacro Oleo vncti, & Regio diademate, quo *R*eges Poloniæ ab antiquissimo tempore coronari solent, ritu Catholico Romano, adstante & inspectante Senatu, Terrarumq; Nuntijs, ac pluribus Dignitarijs, Officialibus, & Incolis Regni, & *M.* D. L. *E*xterorumq; Principum Legatis, insigniti, coronati sumus. Quâ quidem Coronatione, & inauguratione nostrâ rite ac legitimè peractâ, jam quod nobis & Reipub: vniversoq; Orbi Christiano faustum ac salutare sit. Deo auspice Gubernacula Regni capessivimus, & nos regimini populorum divinitus tradito accinximus, recepto jam à præsentibus Dominis Senatoribus, alijsq; Dignitarijs & Officialibus Regni, & *M.* D. L. tum & Civitate Cracoviensi, compluribusq; alijs fidelitatis juramento. Quod ad notitiā omnium & singulorum deducendo, sinceritates & fidelitates Ve-

stras

ſtras quarum intereſt, hortamur, illiſq; mandamus, vt hanc inaugurationem noſtram, libertatumq; & jurium factam à nobis confirmationem, publicè in Civitatibus, Oppidis, Parochijs & Villis diebus forenſibus, aut ſolennioribus per Præcones, literarumq; harum in locis publicis affixionem, denuntiari, ac publicari, & in Acta publica referri curent & faciant, Quod autem reliquum eſt; ſinceritates & Fidelitates Veſtræ intermiſſa Interregni tempore officia, ac munera ſua, præſtito quàmprimùm juramento reaſſumant: Iudicia tam Terreſtria, quàm Caſtrenſia Capitanealia Cauſarum tam judicialium, quàm Officiorum Tribunalis itidem Regni ordinaria, ac etiam Civilia, & alia quælibet authoritate & ſub Nomine Noſtro ac titulo exerceant, omniaq; ea quæ vel de præſcripto legum, vel de more & conſuetudine ad illarum officia pertinent, jam facere incipiant & exequantur, dentq; operam, ne jus & juſtitia, quæ Regnorum ſumma præſidia ſunt & firmamenta, diutiùs intermiſſa jaceant, atq; negligantur, pro gratia Noſtra, Officiorumq; ſuorum debito. Datum Cracoviæ in Comitijs felicis Coronationis Noſtræ *die* 15. *Menſis Septembris Anno Domini 1697. Regni verò noſtri primo.*

(L. S.) *Georgius Albrachtus Donhoff, Epiſcopus Præmislienſis, Supremus Regni Cancellarius.*
Ad mandatum Sacræ Regiæ Majeſt: mpp:

TITVLVS VNDECIMVS
De Perſona Regis.

PRIMARIA & principalis qualitas Regis eſt, vt ſit Catholicus, hoc eſt Romanæ Orthodoxæ Religionis. Id jura & Privilegia VLADISLAI JAGELLONIS comprobant. *Ianuſſovius fol: 11. & fol: 107.* & exempla à MIECISLAO Rege primo Catholico Regni Poloniæ edocent, à quo id continuò ſervatum eſt. Et in Pactis Conventis *Anno Domini 1669.* § Rex Catholicus: idq; vt actu ſit ante Electionem & nominationem.

Jdem in Pactis Conventis cum Sereniſſimo JOANNE III. Et in Pactis Conventis Sereniſſimi moderni Regis FRIDERICI AVGVSTI. Ratioq; ipſa dictat, vt in Catholico Regno, Rex Catholicus præſit; Nam Princeps eſt regula morum, & Religionis propugnaculum.

Item debet pietatem amare. *Ianussovius fol: 12. & 107.* idq; ex Privilegio VLADISLAI JACELLONIS in vnione Magni Ducatûs Lithuaniæ *in illis verbis: Debitores sumus spiritualis alimoniæ, salutaria illis pocula ministrare: quibus præsidentes, temporalium commodorum præstamus suffragia: vt quos ad corporis necessitatem sustentamus, salutis etiam ipsis, quantum Nostra sufficit fragilitas, ministeria porrigamus: ne dum temporalibus insistimus profectibus, vitæ commoda negligere videamur. Et unde dona benedictionis & bravium expectamus sempiternum, inde vitæ detrimenta sentiamus: & præmijs destituti adoptatis, nulla laboris nostri commoda consequamur. Expedit perquirere, & debitâ attentare ratione, vt dum hominibus impertimur carnis beneficia, meditemur, qualiter ipsis cælestia præbeamus alimenta, & quos in hoc sæculo transitorijs rerum condimus copijs, illis viam æternæ beatitudinis demonstremus: quatenus & hic Nostræ munificentiæ cognoscant præsidia, & tandem futuræ gloriæ compendia, per exercitia directionis nostræ apprehendant, in omnium Salvatore. hucusq; verba* JAGELLONIS. Nec audiendus est Machiavellus in libro suo de *Principe*, dum inquit: Principem vt citiùs decipiat, & statum suum conservet, timorem & devotionem Divini Numinis simulare debet, licèt nec DEUM amet, nec timeat: Nam Principes multa dissimulare cogantur; (nescit enim regnare, qui nescit dissimulare, quod effatum LUDOVICUS Galliæ *Rex* semper in ore habuit, & præter hæc verba, nulla alia Latina filium suum Carolum scire volebat, *teste Mięskowski in libro suo intitulato. Polonus Iurepolitus fol: 77.* sed circa Religionem simulatio, nefas est execrandum.

Item justitiæ amans. Ita CASIMIRUS III. Rex, Petricoviæ *his verbis. Ad hoc Nos Omnipotens DEUS, Author justitiæ, dispensator æquitatis, Reipub: pro sua voluntate Directores Regni fastigio, licèt immeritos voluit sublimare, vt ipsam prosequamur justitiam, æquitatem sectemur, & in ipso Regno Rempublicam dirigamus. Ita refert Ianussovius fol: 12.* Et CASIMIRUS Cracoviæ *Anno Domini 1369.* referente *Herburto sub verbo Rex fol: 399. sic dicebat: summum bonum in vita est justitiam colere, & vnicuiq; quod suum est tribuere. Etenim dignitas Regia per injustitiæ culpam profanatur.* ALBERTUS Rex *Petricoviæ Anno Domini 1496. referente Herburto, vbi supra fol: 398.*

Item prudens & circumspectus vt sit. Sic CASIMIRUS III. Rex effatum dedit. *Circumspecti Principis est; ex præteritis habere memoriam & intentæ considerationis oculum ad futura, & tandem ad singula salubri dispositione dirigere. refert Ianussovius fol: 12.* Hinc pruden-

tis

tis Regis est, offensas suas dissimulare, & quasi eas vlcisci non possit, eas negligere ac injurias sibi factas esse, nescire. *Miesskowski vbi supra fol: 74.*

Quanta autem potestas sit Regis Poloniæ in largitionibus faciendis, & justitia distributiva, *refert Piasecki in sua chronica, fol. 58. cum sequ:*

Sed tandem maluerunt accedere ad Polonam Rempub: vt quam scirent moderatissimo stare colligatam imperio. In illa enim præest Rex summo contentus dignitatis gradu, & censu fisci sui à primordijs Regni præfinito, quem minuere, vel augere prohibetur. Ac ille abundè ad omnes sumptus Aulæ Regiæ perquàm magnifico splendori cuiusvis opulentissimi in Europa Regis æquales sufficit, & ad munificentiam quantumvis excelsi animi Principe dignam. Nec aliunde nisi ex isto censu fisci proprij Rex Poloniæ liberalitatem exercet pene profusam in tantum; vt in tam vasto Imperio & populorum multitudine, paucissimi sint ex Nobilioribus, & militaribus melioris notæ, qui non participent ex gratia Regis aliqua emolumenta Fisci Regij, & plerimq; tam ampla, vt inde opes non mediocres comparent. Integras enim Fisci sui Præfecturas Civitatum, & possessiones opulentissimas, cum earum fructibus vniversis Rex concedit, & sæpe vni plures: vt non rari sint, qui plusquam ducenta millia nummorum aureorum (florenorum vsitato nomine) in annuis fructibus, dum vivunt, ex huiusmodi donationibus Regijs percipiunt, ac etiam ad hæredes vsum fructum earundem, Rege consentiente, transmittunt. Et plurimi tenuiores, tali beneficentiâ Regiâ succrescunt, ac stirpem suam provehunt in amplitudinem divitiarum parem locupletissimis quibusq; in eo Regno Proceribus, nempe talibus, quales etiam in Republica Romana cum Crasso divites censeri potuissent; vt qui legiones ex censu proprio alere valent, atq; alunt. Nec tamen exhauritur huiusmodi largitionibus Regiæ munificentiæ Thesaurus, imò & materiam ac vires inde acquirit ad vsum continuum: E tanto enim Regiorum beneficiariorum numero, in dies aliqui decedunt, & ab illis ad Fiscum Regium recurrentia Bona, iterum Rex alijs benemeritis distribuit; ad minimumq; ducenta millia annui census occurrunt, quæ Rex in annos singulos & hujusmodi munerum suorum, privatorum circuitu prout voluerit dispensat.

Jn publicis etiam functionibus omnino vt Rex apum, nonnisi mella suis subditis exhibet. Jlle enim supremus meritorum cu-

jusq; & virtutum arbiter, omnes in Republica Magistratuum, Officiorum titulos, (qui sunt plurimi ac innumeri) potestatis eminentiâ sublimes, solus confert.

Ecclesiastici quoq; Episcopatus, qui in illo Regno sunt opulentiores, Abbatias, & alios dignitatum in Ecclesijs Pontificialibus potiores gradus, nonnisi favore Regis adeunt. Et in eo Regiæ authoritatis nervus consistit. Studia enim eorum quos Rex promovet, sibi mancipat; & aliorum, qui illos honores appetunt, ad obsequium suum allicit. Ac ita non vi, sed lento, suaviq; flexu animos omnium ad partes suas inclinat. Aculeo prorsus caret, nam in vitam, aut personam, & facultates Nobilium, potestatem nullam habet, & etiam manifestè delinquentem, præter paucissimos recentis criminis casus, vel nisi jure convictum detinere, vel carceri tradere non potest. Sed omnis potestas de criminibus cognoscendi, aut pro eis pœnas irrogandi, vel controversias Civiles discernendi, residet penes Iudices in quavis Provincia ad hoc ipsum destinatos: qui etiam ne metas excedant justitiæ, severioribus legibus sunt circumscripti. Atrociora tantùm crimina & causas quasdam graviores in Comitijs Generalibus Regni Rex cognoscit, sed nonnisi ex sententia Senatorum, decernit. Tributa nulla imponere valet Rex, nisi quæ Ordines Regni vnanimi consensu concedunt, & ex eis collectis in Regis privatum commodum nihil cedit, verùm per Quæstores publicos, ad vsum ad quem sunt instituta applicantur. Atq; in tali æquilibritate pendet Respublica Polona, quisq; in ea perfectâ libertate gaudet, ab omni potestatis vi securus, & ab omni subiectionis onere vivit immunis; legibus tantùm, ne alteri inferat injuriam coarctatus Rex adest armis & opibus potens, à quo subditi meritorum præmia percipiunt, sed offendi non possunt, retinet tamen eos in officio & obsequio suo, non metu, sed honorum beneficiorumq; distributione, & supremæ authoritatis majestate moderatur consilia gubernationis publica, ac continet concordes Ordines vniversos. *Hucusq; Piasecius.*

Simile quid Konarscius Episcopus Posnan: Primas Legationis ad HENRICVM VALESIVM, in sermone suo ad Eum habito protulit; *vt refert Fredro vbi supra fol: 97.* Audio nonnullos vocitantes, qui Regum Polonorum Majestatem, intra Venetiarum Ducis occludunt authoritatem, nihil de eo Principe loquar, nostra qualiter se habeant, audi. Iura Majestatis sunt: Leges populo dare, bellum indicere, Legatos mittere & accipere, tum Comitia indicere, monetam

cude

145. *Ianussovius fol. 302.* Non tamen illæ possessiones debent esse fictæ: SIGISMVNDVS *Petricoviæ Anno Domini 1538. his verbis.* Ad evitandas verò fictiones, quæ de possessione habenda evenire solent, statuimus deinceps observandum: Quòd dignitates, Capitaneatus, & alia omnia officia Terrarum, non alijs conferri possint, & debeant, nisi illis, qui antehac haberent non fictam aut coloratam, sed realem, veramq; bonorum hæreditariorum possessionem in illa Terra, in qua Dignitates vel Capitaneatus vacaverint: si ad alia assequenda habilis esse voluerit. *Herburtus d. fol. 143. Ianussovius fol. 301.* Et SIGISMVNDVS AVGVSTVS, *Petricoviæ Anno Domini 1562. sic statuit, vt videre est apud Ianussovium fol. 301.* Cum antiqua statuta sufficienter docent, vt qvilibet Dignitarius & Officialis sit in illa Terra possessionatus, in qua dignitatem obtinet. sed quia sæpe dubia circa hoc exoriebantur, & multi homines strictè id sumebant, volendo vt isti Dignitarij & Officiales non in Terra, sed in Districtu sint possessionati. Itaq; declarando Statuta super hoc ab Antecessoribus Nostris facta, statuimùs, vt quilibet Dignitarius & Officialis, in suo Palatinatu veram & non fictam possessionem habeat, & præterea talem in qua possit habitare, & possessio talis debet intelligi in circumferentia illius Palatinatûs, non in Districtu. Excipiendo *Russiæ, Masoviæ & Ravæ* Palatinatus, & Terram Vielunensem juxta Privilegium CASIMIRI *Regis*, qui ob ingentem latitudinem suam multas Terras in se includunt & ejusmodi Terræ separatos Iudices suos Terrestres & alios Officiales habent. In his itaq; Palatinatibus superiùs nominatis ita statuimus, vt quilibet Officialis Terrestris non jam in Palatinatu, sed in illa Terra, quæ Iudicium suum Terrestre habet, sit possessionatus, excipiendo in hoc Palatinos, qui in qualibet Terra illius Palatinatûs habebunt possessionem, pro bona & sufficienti possessione debet haberi.

Idem SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Varsaviæ Anno 1563. de possessionibus Dignitariorum sic statuit:* Et hoc diligenter addendo ad articulũ de possessione Dignitariorum & Officialium, Terrestrium quòd si aliquis dignitatem, vel officium aliquod apud Nos impetraverit, & obtinuerit, non habendo in illo Districtu, vel Terra talem possessionem propriam & liberam, in qua ante juxta conditionem suam permanebat vel manere poterat, non fictam, & quam non illo tempore acquisivit, quo officiũ vel dignitas vacabat, sed antea possessionatam, non recenter inscriptam. Talis quilibet à quocunq; citatus toties quoties ad quodcunq; Iudicium, aut Officium Terræ illius, in

in qua officium aut dignitatem obtinuit, aut ad Comitia Generalia, pœnam ducentarum marcarum luere debet, quam in primo termino vti peremptorio, non recedendo à judicio reponere debet Actori, & dignitatem vel officium in instanti dimittere, remotâ omni appellatione. Quod statutum debet extendi ad modernos etiam Dignitarios aut Officiales, qui nullam possesionem habent. *Ita refert Ianussovius fol: 302.*

Non potest quoq; Rex Castra & Tenutas alienigenis, sed Polonis Nobilibus possesionatis conferre. Ita SIGISMVNDVS *Petricoviæ Anno 1538: his verbis:* Nulli deinceps æviterno tempore alienigenæ, aliqua Castra & Dignitates Regni concedemus, neq; Successores Nostri concedent. Et quicunq; contra præsentem Constitutionem aliquod officium seu dignitatem obtineret, & monitus, quæ obtinet non resignaverit, bona ipsius confiscari, & ipse infamis esse debet. *Herburtus fol: 143. Ianussovius fol: 302.*

SIGISMVNDVS quoq; AVGVSTVS *Anno 1550. Petricoviæ, sic constituit.* Quandoquidem sumus Rex Poloniæ, neq; Castra seu fortalitia, neq; Tenutas vllas concedere volumus; nisi Polonis Nobili genealogiâ ortis, eisdemq; possesionatis, & hoc juxta Privilegium Regis LVDOVICI: *Herburtus fol: 144. Ianussovius fol. 303.* De quo Statuto, & Privilegio LVDOVICI *vide Ianussovium fol. 297.* Is tamẽ SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Petricoviæ Anno 1562. statuit.* Quòd Capitaneatus absq; jurisdictione, seu non Iudiciales posit conferre Nobilibus Polonis licetsi in illa Terra non essent possesionati. *Ianussovius fol: 303. vbi supra*

Quodsi talis alicui injuriam inferat, coram Iudicio Terrestri, vel Castrensi illius Terræ conveniatur, processus formetur, tanquam contra impossesionatum, si nullibi in Regno possesionem habeat: si autem habeat; tunc executio in bonis ipsius fiat, citationes verò in tenuta seu residentia ejus ponantur. *Ibidem videatur & Constitutio Anni 1613. fol. 42- tit:* **Osiadłość Dignitarzow**/ *de quo infra sub titulo* de Senatoribus dicemus.

Vacantia officia & dignitates juxta antiqua Statuta conferebantur in principio Conventûs Generalis. Ita SIGISMVNDVS *Petricoviæ Anno 1543. apud Herburtum fol: 144. Ianussovium fol. 296. cujus verba sunt:* Et negotia Terrestria negligerentur, tenebimur deinceps huiusmodi officia, & dignitates in principio Conventûs, priusquàm ipse Conuentus Generalis inchoabitur hominibus idoneis, possesionatis, indigenis illarum Terrarum, juxta Priuilegia & Statuta distribuere.

cudere, honores Reipublicæ pro arbitrio conferre, & cætera minutiora: illis prioribus *R*espublica mutuâ tecum poteſtate vtitur, tria poſtrema ab vnius Regis dependent voluntate. Nec ideo tamen arbitrere, Te in ea parte *R*egem infelicem haberi, quia non in omnibus abſolutus: gaude potiùs, feliciſſimus es, proviſum eâ communitate poteſtatis à Repub: ne ſui Reges laxiùs legibus habiti, Civibus atq; *R*eipublicæ nocere poſſint, ideoq; Tu, quia nemini acerbus nocendo futurus ab omnibus quidni amores meros expectas? aut (quod proprium Regum Poloniæ ſymbolum) in ſinu cuiuſq; Civis tutus obdormire audebis. Iam opus eſt, vt opes quoq; *R*egias cognoſcas. Tibi vti Regi ærario opus, quantum ad domeſticas Aulæ impenſas ſatis habeas, vt munificus ſis, vt militum ſtipendijs, ac bello ſuſtentando non deficias. His omnibus abundè ſufficies. Privati Tui reditus (vt à Nobis *R*egiæ menſæ bona vocantur) prope tertium florenorum millionem aſcendunt. Ingens ſanè æs, ſi præſertim expenſarum paucitate metieris: non inde bello providebis, non munificus eris, non publicos Curiæ Adminiſtros aut Aulicos ſuſtentabis, qui in aliorum ſpem præmiorum cum honore aderunt, ſed menſam Tuam inde inſtrues, & paucum miniſterium providebis. Quoniam de munificentia mentionem feci, eam expediam. Feliciſſimum crede mihi, in ea *R*egiæ dignitatis parte, *R*eſpub: Te fecit; neq; Gallia, aut aliud Regnum (abſit invidia verbo) tam fæcundum præmiorum eſt, quàm divite manu Regibus ſuis ſubminiſtrat Polonia diſtribuenda. Sive Inſulam ſpectes, ſive ſpectes gladium, ſunt opulentiſſimi Epiſcopatus & Abbatiæ, ſunt Præfecturæ plurimæ centenis & vltra millibus florenorum censûs annui dotatæ; & alij minores Feudorum proventus, qui publici & benemeritorum fundi vocantur: horum Tu vti *R*ex arbiter diſtribuendo futurus es, nec tamen retinere Tibi vetante lege poteris, quia hæc benemeritorum virtuti præmia dicata, vt plùs munificus ſis, qui lege munificus teneberis, ea Tu pro arbitrio certâ judicij menſurâ bene meritis Civibus divides: his amicos parabis, his virtutem Tuorum provocabis: ac benefaciendo vnquam deficies, è tanto beneficiariorum numero, alijs in dies concedentibus fatis; alijs nova præmia expectantibus & promeritis. Quia verò Regiæ munificentiæ triplo aut quadruplo plùs, quàm privatis impenſis à Republica Tibi in annos conceſſum; ſcivit namq; Regium eſſe plùs cæteris dare, quàm habere ſibi. Reſtat item vt de gerendo bello loquar. A belli ſumptibus liberum Te Reſpublica fecit, illius eſt militibus ſtipendia nume-

rare, armamentaria instruere, tum verò (at mutuâ tamen potestate cum Republica) bellum indicere, vincere, triumpho vti. Hæc Tibi paria sunt cum cæteris Regibus. Iam audi cætera, quæ Te majorem facient. Imperaturus es populis, qui vti liberi sunt, Te tamen Dominum agnoscent; illi Terræ, quæ vnquam, nisi sibi Electis Regibus tributaria fuit, nec fractura est Imperij Romani. Quod ad dignitatem quoq; Purpuræ nostræ accedat, extra ordinem Occidentalium eam locari, imò alterum justè dici Imperium in eo populo, quem non attigit Romana dominatio. Confessurus es in eo solio, quod non novit hucusq;, nec veretur sicarium, in eo, in quo nusquam captivi consedêre Reges. *Hucusq; Konarscius Primas Legationis.*

Nunc venio ad leges, Statuta & Constitutiones circumscribentes Majestatem & authoritatem Regum Poloniæ.

Licèt Rex Poloniæ honorum, officiorum, ac dignitatum sit arbiter, tamen debet illas conferre Terrigenis, Nobilibus, æqualitate juris & pœnæ, gaudentibus benemeritis, idoneis, ætate & discretione vigentibus, possessionatis. *Ita Herburtus fol: 140. cum sequen: sub titulo dignitates seu officia. Ianussovius 296. cum sequen.* Idem in Constit: *1631. fol: 4. sub titulo* **o Wakáncyách/** vbi additum est. Nisi consensu Ordinum in contrarium accedente. Et quidem possessionatis & bona hæreditaria habentibus in illis Terris & Districtibus, vbi dignitates & officia obtinent, secus factum non servetur, nec ille cui dignitas vel officium contra præmissa collata fuerint, eadem dignitate seu officio vti permittatur: neq; ei vlla præstetur obedientia. Regia autem Majestas, tanquam contra juramentum præstitum secus faciens Rei & Privilegio communi injuriam intulisse censeatur. *Herburtus ibidem fol: 142. Ianussovius fol: 299.* Si tamen impossessionato, ob meritum, dignitas data sit, intra medium annum possessionem quærat. Sic SIGISMVNDVS *Cracoviæ Anno 1510. his verbis:* Æquitatem circa vetustas Constitutiones servando, demandabimus deinceps illud Statutum debitæ executioni, vt quibus dignitates, & Officia Terrestria conferemus, possessionati sint, & si cui impossessionato, ob aliquod insigne meritum dignitatem vel officium dederimus, idem teneatur esse possessionatus, ab accepto officio, in medio anno sub amissione dignitatis vel officij. Eos autem, qui nunc impossessionati essent, & dignitates vel officia tenerent, si se hinc ad medium annum possessionatos non fecerint, dignitate, vel officio privabimus. *Ita refert Herburtus loco citato fol:*

145.

buere. *Idem in Constitutione Anni 1576. fol: 290. sub tit:* **O dobrách** *Iuris caduci* **y wakáncyách** *vbi dicitur.* Vacantia omnia, similiter & bona jure caduco, donato, inscripto, seu quocunq; alio modo, & ratione ad Fiscum Regium justè & legitimè devoluta Rex debet dare Nobilibus vtriusq; Gentis benemeritis, juxta præscriptum juris: immediatè autem ante Comitia, vacantia in principio eorumdem Comitiorum debent distribui.

Sed *Anno 1588. fol: 468. sub titulo* **o wákáncyach** *sic dispositum est:* vacantia omnia intra decursum medij anni, ad maximũ à tempore vacationis debent conferri. Immediatè autem ante Comitia, vacantia ad maximum lapsâ septimanâ ab initio Comitiorum, quod Nuntij Terrestres tenebuntur promovere & vrgere.

Idem & in Constitutione Anni 1607. fol: 831. sub titulo **O wákáncyách** *vbi sic habetur:* vacantia omnia officia, dignitates in Regno & in Magno Ducatu Lithuaniæ, & in provincijs annexis juxta ius, juramentum & antiquam consuetudinem, nullam procrastinationem faciendo, personis benemeritis & dignis, quæ vt officijs suis juxta præscriptum juris & antiquas consuetudines satisfaciant, in quo Nos nullum impedimentum debemus facere; imò alijs personis privatis, ne in officia se ingerant, inhibebimus, quemlibet penes prærogativam suam conservando. Quæ officia, dignitates, & alia vacantia conferre tenebimur hominibus benemeritis, ætate & discretione bene vigentibus. nullum respectum in hoc habendo, sed considerando ipsamet merita, juxta jura & Privilegia vtriusq; Gentis, & juxta Constitutionem de benemeritis factam, addendo animum, ad inserviendum Nobis, beneficijs. In his omnibus conservando ordinem in jure expressum: & adducendo Statutum de Capitaneis Iudicialibus, his disponemus juxta jura antiqua & consuetudines, etsi aliquid in contrarium esset factum vel collatum, cum illo Forum in Tribunali Regni, inter causas Officij agatur. Et quæ sub tempus Comitiorum vacabunt, ad maximum in spatio vnius septimanæ ab exordio Comitiorum conferre promittimus. Super quo Nuntij Terrestres animadvertendo, expostulare à Nobis tenebuntur, nominando vacantia, per Mareschalcum suum statim circa propositionem, nec debent ad ullas consultationes Comitiales accedere.

Sed postea cautum est, vt vacantia extra tempus Comitiorum. intra sex septimanas ad maximum, à die notitiæ conferantur; sub tempus autem Comitiorum: statim à principio eorundem Comitiorum instante Mareschalco Nuntiorum Terrestrium, juxta jura & Sta-

tuta antiqua vt distribuantur. Ita in Pactis Conventis VLADISLAI IV. *fol: 14. Anno 1632.* ubi sic habetur: vacantia extra tempus Comitiorum ad maximum in decursu sex septimanarum à prima notitia, & sub tempus Comitiorum ante omnia conferre, & statim publicè cui sunt collata, ad requisitionem Nuntiorum Terrestrium per Cancellarios nominare, & illa juxta antiqua jura & *Statuta* Terrigenis, Indigenis, paritate juris gaudentibus, benemeritis, ætate & discretione vigentibus conferre. Idem de verbo ad verbum in Pactis Conventis, cum JOANNE CASIMIRO *Anno Domini 1648. fol: 18.* Item JOANNIS III. *Anno Domini 1674. fol: 19.* Et in Pactis Conventis Serenissimi Regis moderni, *Anno Domini 1697.*

Jn Prussia autem vacantia Indigenis, juxta Priuilegium Incorporationis & cautionis debet distribuere, & de ijsdem disponere, *In Consiit: Anni 1647. fol: 36. sub titulo* **Ziem Pruskich Wakáncye.**

Jus cudendæ monetæ licèt antea penes Regem erat, & privilegia personis privatis super cudenda moneta ille dabat. Sicut datum fuit à VLADISLAO sputatore Archiepiscopo Gnesnensi, & Andreæ Episcopo Posnaniensi in Oppido **Slupca**, juxta Privilegium Tertio Idus Ianuarij *Anno 1314. Cromerus lib. 7. fol. apud me. 199.* Item Civibus Wschovensibus, *Cromerus lib. 12. fol: 303.* Imò & fæminis teste eodem *Cromero lib: 20. fol. 452.*

Sed hæc potestas tempore VLADISLAI JAGELLONIS sub **Czerwiensk** *Anno Domini 1422.* & postea in Comitijs Iedlinensibus *Anno Domini 1430.* restricta est, vt *Rex* monetam absq; scitu, consilio, & consensu Senatûs non cuderet. *Herburtus sub titulo* **moneta** *fol: apud me 288. & sequenti.* Tandem SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Anno Domini 1550 fol. 4.* constituit, vt moneta præter consensum Comitiorū non cudatur. Idem refert *Herburtus fol. 289.* quod & modò servatur.

Proventus tamen ex cusione pecuniæ licèt antea spectabat ad mensam Regis, vt in constitutione *Anni 1590 fol. 555. sub titulo* **Usse kuracyá**, & *fol. 577.* sub titulo *Ratione* **Stołu Krolá JegoMośći** sed *SIGISMVNDVS* III. in vim gratitudinis quòd *Respub.* proli ejusdē prospexerit, liberaliter hunc proventum æviternè Reipub: cessit. *Anno Domini 1632 sub titulo* **Opátrzenie Náiáśnieyszego Potomstwa Ná-szego** *fol* 2. & sequenti ad finem. Idem in Pactis Conventis VLADISLAI IV. *fol. 13.* JOANNIS CASIMIRI *fol. 16.* MICHAELIS, JOANNIS III. *fol. 15.* & moderni Serenissimi Regis *fol: 6.* habetur: Thesaurariusq; Regni in Comitijs Generalibus ex hoc proventu reddit rationem juxta Con-

ta Constit: 1654. Hic ex occasione addo, quòd in Polonia a principio pecunia erat coriacea, quæ in Bibliotheca Cracoviensis Academiæ ad perpetuam memoriam conservatur. Quamvis multi Historicorum sint tenentes, quòd Poloni proprium non habebant nummum, sed externis, & maximè Boëmicis vsi sunt aliquandiu, *Cromerus in libro priori de situ Poloniæ & Gente Polona, ad finem.* Et *lib. 2. historiæ Poloniæ fol. apud me. 26. scripsit*, sub Lecho nummum apud Polonos ignotum fuisse, sed permutatione rerum, quod cuiq; opus erat sibi comparabant.

Primus CASIMIRVS Magnus Rex, æs & argentum signari ad exemplum Boëmorum cæpit. *Cromerus in d. libro priori de situ Poloniæ, & Gente Polona ad finem.* Aureos verò nummos primus omnium SIGISMVNDVS AVGVSTI Pater signavit, bonitate & pondere Ungaricorum. *Cromerus ibidem.* quamvis ALEXANDRI quoq; Fratris ejus aureum nũmum vidisse testatur.

Non potest sponsam ducere, sine consilio & assensu Senatûs, neq; divortia facere, nisi ex causa in jure Divino descripta. *Anno Domini 1576. fol. 256. § A iž ná Małżeńſtwie sub titulo* Literæ confirmationis, & in Comitijs Coronationis *Anno Domini 1576. fol: 278. Ianussovius fol: 20.*

Non potest titulo Hæredis vti: videantur Pacta Conventa Serenissimorum Regum.

Non potest in via sua mentionem aliquam facere de eligendo Rege, nec cum aliquo, intra vel extra Regnum super hoc conferre, aut componere sub legibus antiquis de non præstanda obedientia sancitis. *Anno Domini 1669.* in Electione MICHAELIS Regis. *Vide Anno Domini 1573. fol: 253. fol: 275. Anno 1593. fol. 636.* & alibi in Pactis Conventis.

Neq; abdicationem Statibus Regni proponere: sed debet in Throno Regio ad vitæ suæ tempora permanere, *Anno Domini 1669.*

Item non potest privato sigillo vti in negotijs Reipublicæ, tam intra, quàm extra Regnum: sed publicum per Cancellarium aut Vice-cancellarium Regni, & M. D. L. apponi debere, penesq; eos asservari. *Anno Domini 1576. fol. 255. §* **Obiecuiemy tež** *& fol: 277* aliàs si in contrarium fuerit factum, id irritum sit. *Anno Domini. 1607. fol: 837. sub titulo* **Opieczeci pokoiowey.** Et *Anno 1646. fol. 2. sub titulo* **O zaciagu.** Item *Anno 1669.* in Electione MICHAELIS Regis *sub titulo* **O Pieczęciach.** Concessum tamen erat JOANNI III. Regi ad sigillandas literas vniversales ad Comitiola in quantum post

prima Comitiola intervenirent pericula, vti sigillo privato, inter Electionem & Coronationem ejusdem. Similiter ad sigillandas literas Restium pro expeditione generali bellica totius Nobilitatis, tum ad nominationem Archiepiscopi Gnesnensis, ne sedes Primatialis diu vacet, sed hoc pro hac sola vice, non derogando quidquam juribus antiquis. *Anno Domini 1674. sub titulo* **Oznáymienie Krolá.**

Non potest tributa imponere, sed in Comitijs, sponte à Nobilitate laudantur, vt passim videre licet in Constitutionibus. Prutheni tamen regulariter non in Comitijs contributiones suas declarant, sed se referunt ad Palatinatus suos.

Custodiam militarem (aliàs **Gwárdya**) circa Personam suam non potest vltra mille ducentos; idq; solùm ex Indigenis Regni, & M. D. L. & incorporatarum Provinciarum. *Anno Domini 1646 fol: 2.* **§. Gwárdya záś náßá.** Et ejusmodi milites stipendijs ex proventibus suis Regijs, absq; damno Civium Reipublicæ fovere. *Anno Domini 1646. fol: 2.* vbi supra, & passim in Pactis Conventis Serenissimorum Regum.

Salem providere debet omnibus Dominijs Regni. SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Anno 1550. fol. 4.*

Non privato arbitrio, sed ex præscripto legum & sententia Senatûs, decreta debet pronuntiare; vnde procurare debet, vt omnium Senatorum vota, & sententias ad vnum coadunare possit, quodsi non posset id efficere, tunc potest sequi eorum vota & sententiam ferre, qui vota sua conformia juri, & consuetudini Dominiorum & Terrarum tulerunt, *Anno Domini 1576. fol. 254.* **§ Często śie też.**

Pacta & Fœdera cum externis Principibus maximè vicinioribus non potest absq; scitu *S*enatorum & præcipuè ad latus ejus residentium, cōponere, similiter neq; Legatos mittere, audire aut expedire in negotio fœderum belli & pacis, & alijs tangentibus totam Rempublicam, *Anno Domini 1588. fol. 457. sub titulo,* De Pactis & Fæderibus. Et ista Pacta & Fædera cum externis Principibus, tenetur post Coronationem suam renovare, *Ibidem* & in alijs Comitijs Coronationum 1649, 1670. 1676. & alibi.

Non potest militem conscribere adversus hostes Regni; neq; illis bella inferre, absq; scitu & consensu totius Reipublicæ, *Piasecius in Historia fol: 5. & Anno 1576. fol: 275. vt infra.*

Non potest expeditionem generalem Nobilitatis bellicam indicere absq; consensu itidem omnium Ordinum, *Herburtus sub verbo.* Bel-

bo. Bellum & *Anno Domini* 1576. *fol:* 275 § O woynie ábo Rzeczy-pospolitym.

Non potest *Rex* dignitates, & officia Regni & Curiæ augere vel minuere. SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Petricoviæ Anno Domini* 1550. in Constitutionibus *fol:* 4. §. Dostoieństw y Vrzędow. *Herburtus fol:* 144. *Ianussovius fol.* 296. Idem & VLADISLAVS JAGELLO in Conventu Iedlinensi *Anno* 1433. *Herburtus fol:* 141. *Ianussovius fol.* 298. *vide* & *Anno Domini* 1576. *fol:* 255. §. Vrzędy Koronne/ & *sub titulo* Literæ confirmationis.

Non potest ad dignitates tam Ecclesiasticas, quàm *Sæculares* literas expectativas alicui dare. JAGELLO vbi supra, *vt refert Ianussovius d. fol:* 298. Idem SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Anno Domini* 1550. in Constitutionibus *fol:* 4 § A iż wiele. *Ianussovius fol:* 299.

Non potest Rex hominibus alienæ nationis dare facultatem conscribendi vel supplendi militem sub nullitate, *Anno Domini* 1661. *fol:* 16. *sub titulo* Woluntáryiskie chorągwie: vbi etiam est, quòd in Magno Ducatu Lithuaniæ ad vexilla voluntarij militis non debent extradi literæ dictæ Przypowiedne. Sic etiam in Pactis Conventis JOANNIS III. habetur, quòd nullus sine literis *Regijs* potest militem conscribere sub pæna infamiæ & perduellionis.

Non potest Rex admittere interpretationes & probationes ex jure externo, vt donationes jure hæreditario datæ in feudum convertantur, seu quòd sint jure feudali datæ, nisi hoc expressum sit, quòd jure feudali data sunt bona; *vide Anno* 1576. *fol.* 255. §. Tákże obiecuiemy, *sub titulo* Literæ confirmationis & in Constitutione ejusdem *Anni* 1576. *fol:* 277. § Tákże obiecuiemy.

Non potest extra fines *Regni* discedere, absq; expresso consensu Ordinum Reipublicæ *Anno Domini* 1641. *fol:* 4: *sub. titulo,* O odjeździe Krolewskim.

Rex literas, negotia omnia & Legationes tantùm idiomate Polonico vel Latino debet expedire. In Electione Regis MICHAELIS *Anno Domini* 1669. *sub titulo* Opiecżeci.

Rex consilia Cameralia & secreta non potest habere, sed semper debet materias proponere per Cancellarios vtriusq; Gentis, & illas cum residentibus ad latus suum decidere. *Ibidem sub tit. de secretis consilijs.*

Potest Rex ad nativam linguam suam propter suas conferentias privatas habere vnum Secretarium nationis Polonæ à Dominis Cancellarijs vtriusq; Gentis, qui Reipublicæ jurare debet juxta Ro-

tam Secretariorum Regiorum. *Ibidem sub titulo* **O Pieczęci.**

Ad Regium latus pro consilio, in Comitijs generalibus, sexdecem Viri Senatorij eliguntur, qui Reipublicæ, consiliorum rationem reddere tenentur, vt supra scripsimus.

Quolibet biennio, Comitia Generalia indici à *Rege* debent, vt infra sub tit: de Comitijs scripsimus.

Neminem potest captivare, vel ejus bona confiscare, nisi fuerit jure victus. *Herburtus fol: 399.* sub verbo Rex.

Potest dare privilegia militibus benemeritis personis Nobilibus ad Advocatias: excepit tamen sibi Joannes Casimirus Rex decem Advocatias pro servitoribus suis etiam plebeijs jure advitalitiali conferendas in Constit: *Anni 1662. fol: 15. sub titulo* **Deklarácya strony Woytostw** *tenoris sequentis.* Aduocatias, quæ militibus benemeritis, antiquis & recentioribus juribus destinatæ, ad dispositionem nostram pertinentes post decessum modernorum possessorum, tam Nos, quàm Successores Nostri *Reges*, nulli alteri, nisi militibus in exercitu Nostro benemeritis distribuemus, reassumendo super hoc antiqua jura, ita; vt si aliquis non benemeritus in exercitu, privilegium ad aliquam Advocatiam impetret, ejusmodi Privilegium ad instantiam cùiuscunq; ex exercitu, debet à Nobis & Successoribus Nostris *Regibus* revocari, & huic, qui ex Exercitu Nobis deferret, conferri: non præcludendo viam tam modernis possessoribus, quàm successoribus militibus ad vendendum (prævio consensu Nostro) personis Nobilibus: nec etiam derogando Advocatijs in Oëconomijs Nostris existentibus, sicut & Reformationi Serenissimæ Reginæ Vxoris Nostræ subjectis, durante Reformatione: neq; etiam his Advocatijs, quæ Civitatibus & Oppidis lege publicà sunt incorporatæ. Advocatias autem omnes, quas personæ plebeiæ contra præscriptũ juris tenent, ex nunc pro vacantibus declaramus, & benemeritis militibus conferemus, qui tamen non violenter, sed legitimà juris vià in judicijs Nostris adire debent, prævià exsolutione summarum, & sumptuum, qui & quæ ad Advocatias extenduntur. Excipimus tamen Advocatias decem pro servitoribus Nostris in actuali servitio existentibus, quos penes illas conservare liberum Nobis erit, sed has Advocatias non distribuemus, nisi post dissolutionem militis confæderati, quæ Constitutio & Magno Ducatui Lithvaniæ inservire debet.

Anno tamen Domini *1589. fol: 535. sub titulo* **Inkorporacya Woytostw** Advocatiæ Lublinensis, Lancicìensis, Wíchovensis & Sreden-

Sredensis, ijsdem Civitatibus incorporatæ sunt perpetuis temporibus; vt proventus ex illis, in usus publicos earundem Civitatum convertantur, salvo servitio bellico.

Non potest Rex officia incompatibilia & dignitates conferre. *Herburtus 143. Ianussovius fol: 303.* Et in Pactis Conventis MICHAELIS & JOANNIS III. Regum Poloniæ. in quibus pactis & aliorum Serenissimorum Regum, restrictam potestatem Regiam videre licet.

Rex donata sibi & inscripta, nonnisi in Comitijs vindicare debet, *Anno Domini 1562. Petricoviæ fol. 25. tit:* **O karániu występnych.**

Regi donata & inscripta & jure caduco pertinentia reservata sunt in robore suo. *Anno D. 1565. fol: 89. tit:* **Státut Alexandrow** his verbis: *Reservamus* nihilominus in potestate & dispositione Nostra, Bona omnia ad Nos vel mensam Nostram, jure caduco, inscripto, & donato pertinentia, de quo constitutio ante biennium Petricoviæ lata obloquitur articulo. **O karaniu występnych.** *Ibidem fol. 90. tit:* **Rzeczy zapisane.** quòd Rex donata sibi & inscripta Comitijs vindicare debet, non tamen litigiosa acceptare.

Regi liberum est respectu bonorum suorum, juxta præscriptū Statuti jure agere, & illa quovis tempore vindicare. *Anno Domini 1569. fol: 186.* § **Constytucya o liściech** *Idem ijsdem verbis habetur Anno Domini 1578. fol: 328.* § **A iesliby kto Stárośćie.**

Fisci nomine, nullus Nobilium debet citari, nisi ille, qui ex bonis Regalibus non satisfecerit, *Anno Domini 1562. fol 25. tit:* **O karániu występnych.**

Rex bona alicuius Nobilis pro aliquo crimine confiscata, Nobilibus tantùm debet conferre *Anno Domini 1562. fol: 25. tit:* **O karániu występnych.**

Rex officia & dignitates Regni & M. D. L. penes jura antiqua, consuetudines, & potestatem (vide in Pactis Conventis VLADISLAI IV. JOANNIS CASIMIRI, MICHAELIS, & JOANNIS III.) reservare tenetur.

Rex officia & dignitates non potest augere vel minuere. *Anno Domini 1550 fol. 4.* § **Dostoieństw y Vrzędow,** *Idem & Anno 1576. fol. 277.* § **Vrzędy Koronne.** *Idem & Anno 1569. fol. 153.* § **Obiecuiemy,** respectu Podlachiæ cautum est, quòd non diminuentur, & vacantia incolis illius Terræ Nobilibus possessionatis conferentur.

Idem ibidem fol: 160. § **Takimże sposobem** de officijs & dignitatibus in Terra Podlachiæ cautum est.

Idem ibidem fol: 160. § **Takimże sposobem/** & *fol: 167.* § **Tákimże sposobem/** de Terra Wołynensi cautum est.

Rex contributiones, nova telonea statuere, monopolia rerum harum, quæ ex Dominijs Regni procedunt non potest concedere, absq; consensu omnium Ordinum in Comitijs Generalibus. *Anno Domini 1576. fol: 256.* § **O sobliwie to wáruiemy.**

Rex tenetur tueri limites Regni vtriusq; Gentis proprio sumptu *Anno Domini 1576, fol: 254.* § **Gránice Koronne.** & *fol. 262.* § **A iż przerzeczone,** & *fol. 276.* § **Granice Koronne.**

Serenissimo JOANNI CASIMIRO Regi, permissum fuit, vt per testamentum vel Privilegium possit ad fundationes & pia legata disponere de Bonis Terrestribus **Neporet** & **Mákołeki** in Terra Varsaviensi jacentibus. *Anno Domini 1667. fol. 39. tit:* **Dispozycya dobr ziemskich.**

Serenissimo quoq; JOANNI III. Regi & Serenissimæ Vxori ejus, de consensu omnium Ordinum concessum erat, vt Capitaneatus per antiqua Privilegia in advitalitatem ijsdem datos, ad sera fata sua iure advitalitio tenere possint, non obstante ad hunc solum actum Constitutione *Anni 1631.* **Owákáncyách**: ita tamen; vt administratores eorundem Capitaneatuum sint Nobiles Poloni possessionati; qui in omnibus causis; Foro & Iudicijs exemplo aliorum Tenutariorum bonorum Reipublicæ, subsint: salvis etiam per omnia, Ecclesiæ, Reipub: juribus, & oneribus Quartâ & hybernis. Et quòd Successores Reges, ad Oeconomias dictos Capitaneatus non adiungant, sed post decessum vtriusq; Serenissimæ Majestatis, benemeritis, prout alij Capitaneatus, cedant.

TITVLVS DVODECIMVS
De Persona & Majestate Reginali.

SIcut Rex ita & Regina debet esse Orthodoxæ Religionis Catholicæ Romanæ, idq; sive vocatione, sive natione. Ita in Electione MICHAELIS Regis, *Anno Domini 1669.* § Rex Catholicus: Et in Pactis Conventis JOANNIS III. & Serenissimi moderni Regis, Sed & antiquitus id observatum fuit. Nam Helena Filia JOANNIS Magni Moschorum Ducis, ALEXANDRI Regis Poloniæ Vxor non fuit coronata, quia Græcorum Schismati dedita, ab insti-

tuto Ecclesiæ Romanæ & Catholicæ abhorrebat, & in suo errore pervicacissimè permanebat, *Cromerus lib. 3. fol: 660. Fredro vbi supra fol: 77.* suadet, vt externa sit non Polona; Nam SIGISMVNDVS AVGVSTVS cùm incolam fæminam insciâ Repub: in matrimonium duxisset, magni motus in Repub: excitati erant, non quòd Polonam duxerit (licèt id maximum erat) sed quia verebatur, ne Rex eo nexu paratis intra Rempub: è potentioribus quibusvis partium fulcris, electionem liberam, & cum ea libertatem sub vnius demũ traheret cultum. *Ita Fredro.*

Jnauguratio & Coronatio eius fit, præsente, deducente, & postulante pro Ea Rege, idq; Cracoviæ juxta antiquum morem & leges. *Cromerus lib. de Republica & Magistratibus Polonorum non procul à principio.* Et quamvis Ceciliæ Renatæ Reginæ coronatio fuerit peracta Varsaviæ: *Anno 1637.* tamen sequenti *1638. folio 24.* fuit cautum, vt in posterum Coronationes tam Regis, quàm Reginæ Cracoviæ fiant. Verùm hæc lex & Constitutio *Anno Domini 1670 fol. 13. sub titulo* **Koronacya Krolowey /** ex consensu omnium Ordinum dispensata est, idq;. pro hac sola vice, quòd Serenissima ELEONORA VXOR MICHAELIS Regis Varsaviæ, in Templo S. Joannis, solennibus cum cæremonijs coronaretur, prout fuit coronata ab Jllustrissimo & Reverendissimo Domino Prazmowski, Archiepiscopo Gnesnensi, deputatiq; sunt tam ex Senatu, quàm & Equestri Ordine Commissarij, ad Dominum Thesaurarium Regni & Senatores, qui claves habent à Thesauro, vt omnia insignia ad Coronationem necessaria Varsaviam advehi procurent, & post peractam Coronationem eadem Cracoviam ad Thesaurum Regni comportari faciant. Addit *Cromerus vbi supra* quòd Rex deducebat eam coronatam etiam ad forum Civitatis Cracoviensis Rex ipse coronatus cum simili pompa. Sed non jurabatur in verba Reginæ, nec ei deferebatur vlla potestas, aut iurisdictio. Sed hoc modò non servatur.

Coronatio Reginæ spectat ad Archiepiscopum Gnesnensem, juxta Privilegium CASIMIRI III. Regis, vt supra retulimus, *& Ianussovius in Statuto suo fol: 14.*

Habet Regina suos quoq; Officiales, vti Mareschalcum, Cancellarium, Thesaurarium, Pincernam seu Pocillatorem, Structorem mensæ, Dapiferum, Subdapiferum, Culinæ ac Stabuli Magistros, & alios vt refert *Cromerus lib. de Repub. & Magistratibus.* Sumptum in omnem aulam ejus providet Rex. Mortuo Rege marito suo, de reditibus illorum bonorum, quæ Rex ipsi de consensu

totius Reipub: in vim dotis, & donationis propter nuptias inscripsit & assignavit, tam seipsam, quàm totam Aulam suam sustentare debet, donec extra Regnum ad secunda vota non convolet. *Cromerus loco citato* Quòdsi bonorum inscriptorum sibi non sit compos facta, tunc viduæ, provisio annua in bonis Regalibus assecuratur: prout Serenissimæ LVDOVICÆ MARIÆ per Confœderationem *Anno Domini 1648.* Sic & Serenissimæ ELEONORÆ post fata Serenissimi Regis MICHAELIS mariti sui, ducenta & triginta millia florenorum, per confœderationem *Anno Domini 1674.* promissa, & deinde in Pactis Conventis JOANNIS III. Regis assecurata sunt: non computando in eandem summam donum nuptiale annuum ex salisfodinis Vielicensibus, scilicet duo millia vngaricalium, quod eidem vigore Constitutionis *Anni 1670.* competebat.

Reformatio ANNÆ Reginæ Consorti STEPHANI Regis antequam fuerit facta, hæc conditio adiecta fuit *Anno Domini 1576. fol. 241.* § **Tego dokładáiąc**; vt omni successioni, quam habet in Regno, statim post contractum matrimonium in Ecclesia cum STEPHANO Rege ante coronationem, cum consensu ejusdem Serenissimi Regis mariti sui, liberè Reipublicæ resignet; ne postea, controversia vel dubietas aliqua Reipublicæ exoriatur. Tandem STEPHANVS Rex consensit in hanc resignationem cum hac conditione; si Resp: reformationem eidem Serenissimæ Annæ Reginæ Consorti suæ in bonis certis faciet. Ita in Constitutione ejusdem *Anni 1576. fol: 280. sub titulo* **Consens Krolá Jego Mości.** Quibus præmissis *Anno Domini 1581. fol: 382. sub titulo* **Opráwá Krolowey JeyMości Anny/** talis reformatio facta est in Ducatu Masoviæ, prout & Bona Mater ejus & SIGISMVNDI I. secunda Vxor habuit (exceptâ Civitate Varsaviensi quoad jurisdictionem propter omnes Conventus Regni) reservatis etiam STEPHANO & Successoribus ejus Regibus, jurisdictionibus, ac salvis juribus modernorum possessorum, post quorum tamen decessum, bona hæc reformationi subiecta non debebunt conferri alicui, sed Regina liberè omnes proventus percipiet, & factâ accessione horum proventuum, diminuatur provisio, quam Regina percipit ex Teloneis Regni. Item vt Quarta ex his bonis in Ducatu Masoviæ (non obstante Reformatione) Ravæ persolvatur. Hoc etiam lege perpetuâ cautum est, ne super bonis Ducatûs Masoviæ reformationes Reginis, in posterum fiant, sed super alijs bonis, super quo cognitio ad proxima Côitia Generalia rejecta est. Insuper ibidem cautum & statutum est, ut eidem Serenissimæ Re-

ginæ,

ginæ, in Magno Ducatu Lithvaniæ bona aſſignentur, ex quibus ſingulis annis poſſit percipere vndecim millia ducentos & quinquaginta florenos. In quibus bonis Magni Ducatûs Lith: triginta millia florenorum, & in bonis Maſoviæ totidem, data eſt eidem Sereniſſimæ Annæ Reginæ facultas inſcribendi & donandi, cui voluerit ex gente Polonica & Lithvanica, quas ſummas gens Polona ex bonis Ducatûs Maſoviæ,& Lithvanica ex bonis Ducatûs Lithvaniæ tenebitur exſolvere.

Succeſſivè Anno Domini 1593. fol. 641. ſub titulo **Deklárácya wolności od kwarty/** SIGISMVNDVS III. Rex, certa bona Reformationi dictæ Sereniſſimæ Annæ ſubiecta, (hoc eſt bona Bielſcenſia cum Silvaticinijs aliàs **z Leśnieſtwem/** tum cum villis & prædijs ad eadem bona ſpectantibus: Item à ducentis dolijs avenæ Kleſcenſis in Capitaneatu Bełzenſi. Item bona Ticocinenſia, & Silvaticinia Raigrodovienſia & Auguſtovienſia. Item proventus ex ponte & ex molendinis Varſav: liberos (ex quibus duobus reparatio pontis Varſavienſis ſit) à ſolutione Quartæ ad vitæ tempora ejuſdem Sereniſſimæ Annæ fecit, ita vt durante vitâ omnes proventus ex illis perciperet, Poſſeſſoreſq; eorundem bonorum cum prole ſua ab Inſtigatore Regio eo nomine quocunq; modo citatos à citationibus, actionibus, & pœnis quibuſcunq; perpetuis temporibus liberos fecit authoritate Conventûs illius generalis, ita tamen, ut poſt fata Sereniſſimæ Annæ, ex his omnibus bonis, Quarta Reipub: juxta reviſionem & conſtitutionem priorem, extradatur, aſſecurationem Reformationis Sereniſſimæ Reginæ in dubium non vocando. Cur autem Sereniſſima Regina Anna Vxor STEPHANI Regis adſtricta fuit ad renuntiandum ſucceſſioni, cuiq; non alia videtur cauſa, niſi quòd Sereniſsima Bona Regina, SIGISMVNDI I. Regis Poloniæ Vxor, Mater ejuſdem Annæ, emerat certa in Regno bona, de quo fit mentio apud *Herburtum ſub tit.* Bona Regalia *fol: 45. & apud Ianuſſovium fol: 98.* vbi SIGISMVNDVS I. ſic ſtatuit.

Plurimùm intereſt Regni huius, vt ne qua fiat bonorum præſertim immobilium alienatio. Nos itaq; in poſterum rationibus illius proſpicere cupientes (quoniam Sereniſsima Conjunx Noſtra quædam Caſtra, Oppida, Villas in Regno Noſtro, hypothecæ ſeu cuiuſvis obligationis nomine, obtinet & poſsidet, ne uſu aliquando venire poſsit, vt hæc ipſa à Regni corpore divellantur) ſtatuimus & decernimus; vt Præfecti Caſtrorum ejus Majeſtatis ſint Poloni, Indigenæ, Nobiles, atq; hi in ea provincia, vbi Caſtrum

est possessionem habentes: qui ita se Nobis juramento, & Successori Nostro Regi pro tempore existenti, post mortem (quæ procul absit) Serenissimæ Conjugis Nostræ obstringant: vt non teneantur, nisi Nobis, & Successori Nostro Regi, Castris solis cedere: neq; priùs tamen cedent, quàm si (quod absit) Nos, vel Filius Noster, Serenisimus Rex SIGISMVNDVS AVGVSTVS, nullâ prole masculinâ succesivè relictâ, decesserit. Ita enim solutis realiter & cum effectu summis, in præfatis Castris ac bonis ad hæc pertinentibus obligatis (sive per Regem, si eximendo esse posit: sive per Nobiles, quibus redimendi & eximendi, hac in re, vigore præsentis Statuti ac Constitutionis Nostræ, damus & facimus potestatem) Filiabus Nostris ex Serenisima Domina Bona Regina Coniuge Nostra charissima procreatis, ac earum Successoribus legitimis: ipsi Castrorum Capitanei, Regi tunc temporis existenti, vel Nobilibus, qui pro redemptione Bonorum, summas pecuniarum repostulaverint, realiterq; præfati Capitanei, & cæteri bonorum suæ Majestatis obligatorum Præfecti in manibus suis, Castra, Oppida, & villas tenebũt, quamdiu præfatæ summæ Filiabus Nostris & earum Successoribus seu alijs quibusvis personis juxta ordinationem & dispositionem Serenisimæ Coniugis Nostræ (si quam illi facere videbitur) realiter repositæ & persolutæ non fuerint. Interim verò de proventibus bonorum dictorum Filiabus Nostris & earum successoribus aut alijs quibusvis personis respondebunt. Neq; tamen bona ipsa, ab ejs redimi poterint priùs, quàm in matrimonium locatæ fuerint. Post elocationem verò tenebitur quælibet earum summam se corcernentem, vel juxta ordinationem Majestatis suæ, si quam (ut præmissum est) fecerit accipere.

Reformatio Serenisimæ Annæ primæ Vxori Serenisimi SIGISMVNDI III. in bonis mensæ Regiæ *Anno Domini 1593 fol: 641. sub tit:* **Oprawá Krolowey Iey Mośći** fuit, de consensu omnium Ordinum facta, hoc est: in **Bielsko/ Raygrod/ Grudziadz/ Tuchola/ Swiecie/ Lomza/ Lubolin/ Vscie/** cum **Pilá/ Iurbork** cum cum **Nowa Wola/** & cum Silvaticinijs aliàs z **Leśnictwem/ Vpita** cum omnibus villis, & prædijs, vnà cum Iuribuspatronatûs in omnibus memoratis bonis, in quibus [salvis juribus Serenisimæ Reginæ Annæ prioris Serenissimi SIGISMUNDI III. Amitæ, & modernorum Possessorum) pronunc quinquaginta millia florenorum itidem Polonicalium respectu dotalitij assignata sunt. Et insuper: insistendo consuetudini antiquæ, donum nuptiale, duo millia au-

reorum

teorum in specie. Quam tamen Reformationem & donum nuptiale debere habere firmitatem cautum est cum ea conditione: si Serenissimus Rex SIGISMVNDVS III. post reditum suum ex Suecia ad ultimum vitæ suæ terminum Regnum Poloniæ rexerit. Nihilominus arces in dictis bonis, Nobilibus & Incolis Regni, vbi istæ arces sitæ sunt commendentur, quarum tamen arcium jurisdictio non subiaceat reformationi: quæ reformatio extincta est *Anno Domini 1607. f. 837. sub titulo* **Zniesienie**/ per mortem ejusdem Serenissimæ ginæ.

Reformatio Serenissimæ Reginæ Constantiæ, Serenissimi SIGISMVNDI III. secundæ Vxori, ex Imperatrice Austriacorum Domo à prælibato Serenissimo Rege SIGISMVNDO III. de consensu omnium Ordinum, in Comitijs Generalibus, *Anno Domini 1609. fol: 893. sub. titulo*, **Opráwá Krolowey Jey Mośći Konstancyey** facta est; idq; respectu dotis quinquaginta millium & aliorũ quinquaginta milliũ florenorum respectu dotalitij, in bonis Regni **Bielsko** cum Silvaticinijs, & omnibus attinentijs, in **Tuchola/ Vśćie z Pila/ Swiećiu/Látowiczu/Lezáysku/ Kámiencu/ Záwikenie/** & **Stánisłáwowie**. In Magno autem Ducatu Lithvaniæ, **ná Kobrynių** & **Olyce**, super quo, Privilegia ex Cancellaria Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ Serenissimæ Reginæ extradita sunt, salvis juribus modernorum Possessorum. His defunctis, bona hæc reformationi subjecta, alijs non conferantur, vt ita Serenissima Regina omnibus proventibus ex illis provenientibus liberè & integrè posit vti: ita tamen; vt ad proportionem dictorum proventuum diminuatur provisio, quam Serenissima Regina habet ex teloneis Regni, & hoc ideo, quòd ejusmodi bona nonnulla difficultatem habeant, ratione jurium modernorum Possessorum. Quartam tamẽ ex bonis in Regno, non obstante Reformatione Ravæ solvatur. Et ad hæc juxta morem antiquum, donum nuptiale duorum millium aureorum in specie, singulis annis, Serenissimæ Reginæ ex fodinis Cracoviensibus ad vitæ ejusdem tempora solvantur. Arces tamen Nobilibus & Jncolis ejus loci in quo jacent, commendentur, quarum jurisdictio non debet subjacere reformationi.

Js idem Serenissimus Rex SIGISMVNDVS III. eidem Serenissimæ Reginæ jure advita'itio, de consensu omnium Ordinum *Anno Domini 1631. fol: 4. sub titulo* **Starostwo Brodnickie**/ in bonis Brodnice & Golub ex gravissimis rationibus contulit. Salvis oneribus Reipublicæ.

Quæ Serenißima Regina, *Anno eodem 1631. fol: 3. ſub titulo* **O dobrách Zywieckich** *bona* **Zywiec** *ab eadem pro ſumma 600000.* florenorum empta, in reëmptionem ceſsit, ſive aliquis publico nomine ſive privato voluerit eandem ſummam reponere quandocunq; ſive Reſpublica, ſive privatus quiſpiam repoſitionem ejuſdem ſummæ denuntiaverit in Comitijs ſolitis Generalibus, & per Nuntios Terreſtres in vim auiſationis hæc exemptio ad notitiam Serenißimæ Reginæ deferatur. Et hoc impoſitum eſt Nuntijs Terreſtribus, vt ante omnia alia negotia de modo exemptionis ejuſmodi, quocunq; tempore id aliquis denuntiaverit, inſtantiam faciant; & poſt talem Comitialem aviſationem, poſt lapſum vnius anni Serenißima Regina pecuniam recipiet: ſalvâ rumatione rerum mobilium ab actu exemptionis, ſex menſium. Aſſecurando Serenißimam Reginam nomine omnium Ordinum Regni, quòd abſq; contradictionibus publicis & privatis, pacificè vtetur his bonis, quouſq; effectivè & realiter præfata ſumma, modo præmiſſo, hoc eſt: vel à Republica, vel à privato quovis Nobili indigena vel pluribus conjunctim, vel diviſim totaliter & inſimul ad manus Serenißimæ Reginæ, aut poſt deceſſum ejus, Proli non fuerit numerata & reddita. Et poſt eliberationem horum bonorum modo ſupra deſcripto, tam ab ipſamet Serenißima Regina durante vitâ illius, ſicut & poſt deceſſum à Serenißima Prole Ejus cautum eſt eâdem Conſtitutione, quòd hæc bona Zyvecenſia, ſicut ſemper ad Regnum ſpectantia debebunt ſubiacere in omnibus juribus Regni, ita; vt alienatio & avulſio horum bonorum, nullo modo & ratione à Regno vnquam fiat. Sed poſtquam pecuniâ Reipublicæ fuerint, vel ex manibus Serenißimæ Reginæ, vel Prolis ejus, eliberata, in bona Regalia pleno & integro jure convertantur, hoc adjecto, vt totus proventus eorundem bonorum tali modo per Rempublicam exemptorum ad ſolutionem Quartæ ſpectent, vt illius auctio fiat. Bona hæc Theſaurarius quilibet Regni locare tenebitur, ita tamen, ne per Arendatores.

Quodſi poſt exemptionem horum bonorum à Republica, Nobilis aliquis Polonus voluerit Reipublicæ ſummam refundere, id liberum erit præmiſsâ aviſatione in Comitijs, vt ſupra. Et hæc pecunia, quam privatus à Republica datam refunderet, debet converti in neceſſitates Reipublicæ cum conſenſu Comitiorum. Similiter, ſive ab ipſamet Sereniſſima Regina, aut Serenißima Prole ejus, ſive à Republica privatus Nobilis hæc bona eximere pecuniâ ſuâ voluerit, in bona hæreditaria Terreſtria ejus & Succeſſorum converti debent.

bent. Ante exemptionem tamen horum bonorum, Capitaneus Zyvecensis conformando se statuto *Anni 1540. sub titulo: Bona Regalia,* à Reginali Majestate exempta, debet esse possessionatus, qui servitia bellica, & publicas contributiones ex ijsdem bonis expediat, & pro injurijs Terrestribus in foro fori respondeat. Et differentiæ respectu granicierum seu limitum inter hæc bona, ita debent decidi, sicut inter alia bona Nobilium; & iuramentum præstare debet is idem Capitaneus, *hucusq; verba Constitutionis allegatæ.*

Reformatio Ceciliæ Renatæ Serenissimi VLADISLAI IV. Regis Poloniæ Vxori primæ, fuit facta *Anno Domini 1638. fol. 4. sub titulo* **Opráwá Krolowey JeyMośći** de consensu omnium Ordinum, hoc est: respectu importatæ dotis centum milliũ florenorum Polonicalium, & respectu dotalitij seu in vim Reformationis, aliorum centum millium itidem floren: Polonicalium, idq; in bonis. In Regno **Niepolomice/ Knyszyná/ Krzeczewie/ Stánisłáwowo/ Kámieńcu.** Jn DucatuMasov: cũ **Jáwiszyno/ Tykocino/ Jádowo/ Surázu/ Wiśniowie/ Kápinośie** cũ **Młodzieszyno** & **Rázuniem/ Vśćie/** & **Piłá/ Brodnicy/ Golubiu/** & **Tucholá.** In Magno autem Ducatu Lithuaniæ in bonis **Dobroysko/** cum omnibus attinentijs, ex antiquo spectantibus, & quæ ad præsens reperiuntur apud varios Possessores, quæ post decessum eorundem debent reverti ad reformationem Serenissimæ Reginæ, post exsolutionem summarum Successoribus eorundem juxta liquidationem. In bonis **Jurborko** cum **Nowa Wolá/ Sokolce** cum Silvaticinijs, **Horodowce/ Kámienna** cum Silvaticinijs, itidem **Przerosle** cum Silvaticinijs, **Siemne** & **Metellách/** cum juribus Palatinatûs, salvo jure modernorum Possessorum. Quæ quidem bona Incolis ejusdem Terræ bene possessionatis, vbi hæc bona consistunt, Nobilibus in administrationem debent tradi, sine præpeditione à jurisdictione Iudiciali. Et ex illis Quarta (Reformatione non obstante,) Ravæ, & in Magno Ducatu Lithaniæ, donativa ad Thesaurum debet persolvi. Exemplo quoq; & more antiquo donum Nuptiale Serenissimæ eidem Reginæ ex fodinis Cracoviensibus, quotannis duo millia aureorum vngaricalium in specie assignata sunt. Factaq; assecuratio Reipublicæ, quòd ratione huius juris Reformatorij Successores Serenissimæ Reginæ nullam successionem prætendent; & Respublica summas prænominatas, tam in vita, quàm post fata Serenissimæ Reginæ non tenebitur cuiquam reddere, sed Serenissima his bonis feliciter vtetur, quousq; Regina Poloniæ existet. Et consequenter

juxta acceſſionem proventuum debet diminui hæc proviſio, quam Sereniſſima Regina ex ſalisfodinis Bochnenſibus percipiet, idq; ideo, quia hæc bona aſſignata Sereniſſimæ Reginæ, obnoxia ſunt difficultatibus juris modernorum Poſſeſſorum. *Hucusq; contextus Conſtitutionis citatæ.*

Anno Domini 1647. fol: 4. tit: **Zniesienie Reformácyey.** Reformatio Sereniſſimæ Ceciliæ primæ Vxoris VLADISLAI IV. Regis, quandoquidem cum fatis eiuſdem Sereniſſimæ Reginæ juxta Conſtitutionem *Anni 1638.* ceſſare, neq; ampliùs bona Reipublicæ difficultare debebat, caſſata eſt.

Anno Domini 1676. fol 34 tit. Exemptio **Zywcá** de exemptione horum bonorum ſtatutũ eſt, *his verbis:* Conformando Nos Conſtitutioni *Anni 1631.* de exempt: bonorũ Zywecenſium; quæ Jlluſtris & Magnif: Dominus Joannes Wielopolſki Dapifer Regni, Capitaneus Generalis Minoris Poloniæ &c. nomine Prolis ſuæ vti horum bonorum poſt Matrem ſuam Jlluſtrem & Magnificam Conſtantiam Komorowſka proximiorum hæredum, exempturũ illa ſe declaravit, & per Nuntios Terreſtres juxta Conſtitutionem hanc exemptionem Executoribus teſtamenti piæ memoriæ Sereniſsimi Regis CASIMIRI Anteceſſoris Noſtri, vti vltimi ſummæ ſexcentorum millium florenorum in bonis Zywecenſibus per legem publicam aſſecuratæ, hæredis, denuntiavit; idèo juſtum deſideriũ prænominati D. Dapiferi Regni agnoſcendo, illi prout Proli ſuæ, & bonorum prædictorum hæredum Patri & Tutori, ejuſmodi exemptionem concedimus. Et quia magna debita & legata Sereniſsimorum CASIMIRI Regis non pridem defuncti & Principis Caroli piæ memoriæ allegantur, quæ, ſicut ad totam maſſam hæreditatis Sereniſſimi Regis CASIMIRI, ita & ad hæc bona Zywecenſia ſpectant, vt Creditores & Legatarij debitam ſatisfactionem obtineant, ex ſumma ſexcentorum millium monetâ currenti, paratâ pecuniâ, vt alij, qui ex hac ſumma ſexcentorum millium ſatisfactionem non poſſunt habere, ad alia quævis bona poſt mortem dignæ memoriæ Sereniſſimi Regis CASIMIRI derelicta remittantur, pro meliori ordine & expeditione iſtius negotij ad Jlluſtriſſimum modernum Epiſcopum Cracovien: & Jlluſtriſſimum Dominum Ioannem Andream Morſtin Theſaurarium Regni, uti Executores teſtamenti prænominati Sereniſſimi Regis CASIMIRI, authoritate modernorum Comitiorum Commiſſarios NN. addimus, vtq; *pro 12. Menſis Novembris Anni currentis* Cracoviam, abſentiâ aliquorum non obſtante, venientes, Creditores &

Legatarios quos lege præsenti pro avisatis & obdestinatis haberi volumus, prout avisamus & obdestinamus, vt pro tempore & loco præfixo, sive in personis, sive per Plenipotentiarios compareant, eorum prætensiones combinabunt, & complanabunt. Et sic Creditores ad hanc summam sexcentorum millium currenti monetâ, Inscriptiones Reëmptionales aliàs **Wyderkaffy** in hoc computando, prout & ad alias partes hæreditatis assignabunt, ita, vt prænominatus Dapifer Regni, summam paratam sexcentorum millium post annum ab actu expeditæ Commissionis, juxta Constitutionem *Anni 1631.* aut transfusiones à Creditoribus, quos interim pacificâsset, pro sorte paratæ pecuniæ ante omnia ponendo, ad manus Executorum & Commissariorum post exsolutionem horum sexcentorum millium, cum receptis Inscriptionibus Reemptionalibus aliàs **Wyderkaffami** computando, & post obtentas transfusiones ex persolutis summis in bonis vigore juris sui ad præsens acquisiti, & vigore juris hæreditarij liberorum suorum ab omnibus debitis prætensionibus quarumcunq; personarum, intuitu juris, & cuiusvis dispositionis *S*erenissimi *R*egis CASIMIRI exoriendarum, (quas præsentibus mortificamus) liber in perpetuum, cum libera dispositione illorum Terrestri remaneat. Et quoniam Illustrissimus Dux in *Z*baraz & Wisniowiec Palatinus Bełzensis, Supremus *D*ux Exercitûs Regni intervenit, in modernis Comitijs cum debito Illustrissimæ in Ostrog & *Z*asław Vxoris suæ, à *S*erenissimo olim piæ memoriæ SIGISMVNDO III. Rege contracto, & per Successores ejus adhoc vsq; tempus non persoluto, ideo authoritate Comitiali huic prætensioni cum alijs Creditoribus in eadem Commissione locum assignamus. In qua coram Illustrissimis & Perillustribus Dominis Commissarijs, documenta & realitatem non persolutæ summæ præsentare tenebitur. Et quia Serenissimus Rex piæ memoriæ CASIMIRVS retenta Quartæ ex Oëconomia sua & teloneis Thesauro Regni debita reliquit, ideo authoritate præsentis Conventûs debita præfata Quartæ ad milliones apud Rempub: prætensos, reijcimus. & præteritos Administratores Oëconomiæ ob onere Quartæ & quavis impetitione liberos facimus, quam quidem dispositionem de bonis piæ memoriæ *S*erenissimi *R*egis CASIMIRI derelictis Respub: sibi sumpsit faciendum, quoniam Creditores vrgent satisfactionem, & liquidè constat, quòd debita superant relictam hæreditatem. Quidquid autem prænominati Commissarij hoc in negotio constituent, id ratum in perpetuum omnibus partibus debet esse, quod & præsenti Constitutione approbatur.

Mariæ Ludovicæ origine *Italæ*, genere *Gallæ*, *Gonzagæi* nominis, VLADISLAI IV. *Regis* Poloniæ Vxori *secundæ*, fuit facta reformatio *A. D.1646. fol.* 8. *sub titulo* **Oprawá Krolowey Jey Mośći Ludowiki Márycy** *tenoris sequentis*: *Serenissimæ Reginæ* Ludovicæ Mariæ Vxori *Nostræ* de consensu omnium Ordinum, Reformationem constituimus, hoc est summam centum millium florenorum Polonicalium respectu dotis, & alia centum millia florenorum Polonicalium respectu dotalitij seu Reformationis, in bonis in Constitutione *Anni 1593*. Serenissimæ olim *Annæ Reginæ*, Matri *Nostræ* respectu *Reformationis* nominatis, videlicet in *Regno*, in bonis **Bielsko/ Ráygrodzie/ Grudziandzu/ Tucholi/ Swieciu/ Lomzie/ Lubomlu/ Vściu** cum **Pilá** addendo nunc ad istam Reformationem, bona **Kápinos/ Rázun/ Mlodzieszyn/** prout nunc, Jllustris & Magnifica Domina Kryska Cancellaria Regni tenet. In Magno autem Ducatu Lithvaniæ, in bonis **Jurboko/** cum **Nowa Wola/** & Sylvaticinijs, **Vpicie/** cum omnibus attinentib9 prædijs, addendo ad præsens bona **Bobroysk** & **Sokolke** cum Sylvaticinijs salvo jure Oëconomico post sera fata Serenissimæ Reginæ, quæ omnia bona nominata debent subiacere *Serenissimæ Reginæ Reformationi*, vnà cum juribuspatronatûs, salvis juribus modernorũ Possessorũ & pensionariorum. Et hæc supranominata bona, *Incolis* illarũ Terrarum, vbi bona sita sunt bene possessionatis, Nobilibus, debent in administrationem dari, absq; vllo impedimento in *jurisdictione* judiciali. Et ex illis, Quarta, Reformatione non obstante debet, *Ravæ*, in Magno autem Ducatu Lithvaniæ donatio ad Thesaurum, persolvi. Addendo etiam, more antiquo donum nuptiale *Serenissimæ Reginæ* ex fodinis Cracoviensibus, quotannis duo millia aureorum, & assecurando *Rempublicam*, quòd respectu istius juris *Reformatorij*, *Successores Serenissimæ Reginæ* nullam successionem prætendent; & *Respub*: summas nominatas, tam in vita, quàm post sera fata Serenissimæ *Reginæ*, nemini restituere tenebitur: sed Serenissima Regina his omnibus bonis vtetur, fruetur, quousq; *Regina Poloniæ* nominabitur, & in Regno, vel Magno Ducatu Lithvaniæ manebit. Et consequenter juxta advenientes proventus debet diminui provisio, quam *Serenissima Regina* ex salisfodinis Bochnensibus percipiet, idq; ideo, quòd ista bona assignata Serenissimæ Reginæ jure modernorum possessorum sint implicata.

Et quia major pars bonorum prænominatæ Reformationi subjectorum duplici advitalitate fuerant onerata: Jdeo *Anno Domini 1649. fol:*

fol: 7. sub tit. **Opátrzenie stołu Krolowey Jey Mośći**, de consensu omnium Ordinum Regni, ex primis vacantibus, Serenissimæ Reginæ, in Regno, quadraginta millia, in Magno Ducatu Lithuaniæ viginti millia florenorum anuui proventûs promissa sunt, sub tali ratione, quòd postquam Serenissima Regina ad proventum totalem Reformationis suæ pervenerit, ejusmodi bona pro vacanti declarentur, & benemeritis conferantur.

Eidem Serenissimæ Reginæ Ludovicæ Mariæ Serenissimus JOANNES CASIMIRUS IV. Rex Poloniæ (nam post fata VLADISLAI IV. JOANNI CASIMIRO IV, ex dispensatione nupserat) *Anno Domini 1659. fol: 8. sub titulo* **Confirmácya praw Krolowey JeyMośći.** Ex quò eadem Serenissima Regina, Serenissimo JOANNI CASIMIRO IV. Marito suo, in necessitates ejusdem Serenissimi Regis summas pecuniarias certas commodaverit, respectu quarum summarum, omnes summas, quæ in bonis hæreditarijs tam mobilibus, quàm immobilibus in Regno & Magno Ducatu Lithuaniæ habebat, jam assecuraverat, vt tamen eò securiùs permaneret in possessione earundem, authoritate illius Conventûs lege publicâ hoc confirmatum est.

Eidem Serenissimæ Reginæ Vxori suæ, quæ ob pacificationem Reipublicæ, ex sua magna & sincera propensione & affectu multa præstitit: & insuper Oëconomiæ illius per calamitatem belli, quædam extenuatæ, quædam funditus sublatæ sunt; ideo in recompensam eidem Serenissimæ Reginæ, proventus ex salisfodinis Bochnensibus, ita prout in se sunt, cum Cameris **Gronki**/ & **Dobrzykowo** nominatis & cum vtroq; littore fluvij Vistula dicti, jure advitalitio assecurata sunt. Salvis pensionibus, contributionibus, vectigalibus & quibusvis oneribus Reipublicæ publicis.

Serenissimæ Eleonoræ è Domo Austriaca procreatæ Serenissimi MICHAELIS Regis Poloniæ Vxori *Anno Domini 1670. fol. 17. sub titulo* **Oprawá Náyiaśnieyszey Krolowey** de consensu omnium Ordinum tam Regni, quàm M. D. L. & Provinciarum annexarum, prænominatus Serenissimus MICHAEL, reformationem fecit & assignavit centum millia respectu dotis, & alia centum millia florenorum Polonicaliū respectu dotalitji seu Reformationis, in Regno in bonis **Vyśćie**/ **Pilá**/ excepto prædio **Zelgniew** cum attinētijs, juxta Privilegium modernorum Possessorū, **Krzewino**/ **Tucholi**/ **Nowym Tárgu**/ **Dolinie**/ **Grudziadzu**/ **Ostrołeczu**/ **Zarnowcu**/ **Gclubiu**/ **Dzbowie**/ **Chrubieszowie**/ & in Advocatia Bidgosti.

gostiensi. Jn Magno autem Ducatu Lithvaniæ, in bonis cum **Jurborko** cum **Nowa Wola**, cum Sylvaticinijs in bonis **Vpicie**/ cum Sylvaticinijs, ita tamen, prout Serenißima Ludovica in possesione fuit, (exceptis bonis **Wobolniki** cum omnibus attinentijs, & prædijs) similiter in bonis **Opesko**/ **Vspole** cum Sylvaticinijs in bonis **Polondzie**/**Semno** cum **Metelami**/ & super bonis **Oniekßtách**/ quæ omnia specificata bona subiaceant Reformationi Serenissimæ Reginæ, vnà cum juribuspatronatûs, salvis juribus modernorum Possessorum, & communicativis; similiter salvis summis ante vnionem existentibus. Et hæc omnia bona Incolis, tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithuaniæ, & Palatinatibus Prusiæ, bene possesionatis, conditionis Nobilis debent in administrationem dari, sine impedimento in jurisdictione judiciali. Quarta autem ex istis bonis, Reformatione non obstante, debet *Ravæ*, & in Magno Ducatu Lithvaniæ donativa, ad Thesaurum more antiquo persolvi. Donum nuptiale Serenissimæ *Reginæ*, ex salisfodinis Vielicensibus, & Bochnensibus duo millia aureorum assignata sunt, quotannis solvenda. Assecurando Rempublicam, quòd ratione huius *Reformatorij* juris, *Successores Serenissimæ* Reginæ, nullam successionem prætendent, nec prætendere poterunt. *Et Respublica* summas prænominatas, tam in vita, quàm post sera fata *Serenissimæ* Reginæ, nemini tenebitur persolvere, vel reddere, sed Serenissima *Regina* hisce bonis debet vti, quousq; *Regina* Poloniæ nominabitur, & in Regno, vel Magno Ducatu Lithvaniæ, permanebit.

Et consequenter ad proportionem proventuum, debet diminui provisio, quàm *Serenissima* Regina ex salisfodinis Bochnensibus percipiet; & ideo, quia bona assignata Serenissimæ *Reginæ*, jure modernorum Possessorum sunt invadiata.

Jn Confœderatione Generali Varsaviensi *Anno Domini 1674. f. 20.* ordinatum fuit, vt prænominatæ *Serenissimæ* Eleonoræ Reginæ, ex bonis mensæ *Regiæ*, salisfodinis, Oëconomijs, teloneis, provisio necessaria pro mensa Ejusdem provideatur; quandoquidem ad possessionem bonorum *Reformationi* suæ subjectorum nondum pervenerit: conformando nos ipsi æquitati, & antiquo mori, præcipuè *Serenissimæ* olim Ludovicæ *Reginæ*: summa ducentorum millium monetæ in *Regno* currẽtis floren: pro vno anno, si Interregnũ tam diu durasset; (non includendo in eandem summam donum nuptiale, Constitutione *Anni Domini 1670.* vallatum) assecurando *Serenissimam* Reginam, quòd vt certiùs hæc summa ad Thesaurum

Ejus

Ejus persolvatur, futuroRegnanti in Pactis Conventis id apponetur hoc tamen adjecto, quòd ex Thesauro M. D. L. tertia pars ad præfatam provisionem *Serenissimæ* Reginæ, & ad expensas nominatas ex proventibus Oëconomiarum persolvetur, quod *Respublica* in rationibus Dominorum Thesaurariorum vtriusq; Gentis acceptabit.

Jtaq; in Pactis Conventis Serenissimi JOANNIS hæc omnia, reassumpta sunt. *fol: 16. his verbis*, Prout in præterita Convocatione Respub: assecuravit Serenissimam Eleonoram Reginam Viduam, respectu non traditionis in possessionem eidem bonorum Reformationi ejus subiectorum, quòd ducenta millia florenorum Polonicalium monetæ in Regno currentis, ad Thesaurum ejusdem *Serenissimæ* *Reginæ* singulis annis solvantur (non includendo in hac summa donum Nuptiale, quod etiam singulis annis, pro prima *Januarij* juxta Constitutionem *Anni 1670.* persolvitur) sic & Nos ad instantiam *Statuum* Reipublic*æ*, ipsâ *æ*quitate stimulati, ex bono affectu promittimus; quòd per quatuor rathas, singulis annis incipiendo à prima Iulij anni pr*æ*sentis, du*æ* partes summ*æ* pr*æ*fat*æ* ex Oëconomijs Regni, & tertia pars ex Oëconomijs M. D. L. ad Thesaurum Serenissim*æ* *Reginæ* persolvetur: Imponendo hoc onus Arendatoribus, vel Administratoribus earundem Oëconomiarum, hoc est, ex salisfodinis Vielicensibus, & Bochnensibus quolibet anno quinquaginta quatuor millia, pro quolibet Quartuali tredecem millia & quingentos florenos. Ex Oëconomia *Samboriensi* pro anno florenorum Polonicalium viginti quinq; millia, pro quolibet quartuali, sex millia florenorum & ducentos quinquaginta florenos. Ex magna Administratione Cracoviensi, pro anno octo millia florenorum, pro quolibet Quartuali duo millia. Ex teloneis ad mensam Regiam pertinentibus, pro anno viginti millia & vnum, trecentos triginta tres florenos Polonicales, & grossos 7. & medium. Quod in Regno ascendit ad summam pro anno, centum triginta & tria millia, trecentos triginta & tres florenos. Pro Quartuali autem triginta & tria millia, trecentos triginta tres florenos Polonicales, & grossos septem, medium. Jn Magno autem Ducatu Lithvaniæ ex teloneis antiquis pro anno, sexdecem millia sexcentos sexaginta sex florenos Polonicales, grossos quindecem. Ex Oëconomia Grodziscensi, pro anno, decem millia florenorum Polonicalium, duabus rathis, vnâ pro festo *S.* Joannis Baptistæ, & alterâ pro festo Trium *Regum*. Ex Oeconomia Olycensi pro anno, quinq; millia duabus rathis vt supra. Ex Oëconomia Kobrinensi pro anno, decem millia florenorum, pro

quolibet Quartuali duo millia & quingenti floreni Polonicales. Ex Sylvaticinio alias z Leśnictwa Socolensi pro anno, quinq; millia duabus rathis, vt supra. Ex Mochielewo pro anno, decem millia florenorum, duabus rathis vt supra. Ex Brześcię pro anno decem millia florenorum duabus rathis vt supra. Quod facit ex M. D. L. summam sexaginta sex millium & sexaginta sex florenorum Polonicaliũ. Cuius curam Illustres Domini Thesaurarij vtriusq; Gentis habere tenebuntur, & omnibus Administratoribus vel Arendatoribus specificè has summas in contractibus apponere, & ad solutionem illarum illos obligare sub nullitate contractûs. Qui autem sub antiquis contractibus bona mensæ tam in Regno, quàm in M. D. L. & proventus eorundem tenent. Et hi tenentur ex qualibet ratha hanc provisionem exsolvere, etiamsi ex talibus causis Administratoribus & Arendatoribus protunc & in futurum existentibus, clausula in contractibus non esset apposita, nihilominus tenebuntur, non expectando aliquas, vel à Serenissima Regina, vel à Thesauro eius assignationes, directè Serenissimæ summas superiùs nominatas pro termino præsenti lege asignato reddere & satisfacere. In causa autem renitentiæ & contravenientium huic juri tenebuntur Administratores seu Arendatorij, aut alij quocunq; modo horum bonorum Possessores & Tenutarij ad instantiam Instigatorum, Vice-Instigatorum vtriusq; Gentis, Regni in Regno, M. D. L. in Magno Ducatu Lithvaniæ, ex delatione Illustris & Magnifici Domini Mareschalci Serenissimæ Reginæ, aut alterius Officialis ejusdem Serenissimæ Reginæ, respondere, & satisfacere, in quovis foro & subsellio, tam post Curiam, quàm in Tribunali Regni, ex speciali regestro inter causas Fisci, ante omnes judicanda peremptoriè & sine beneficio aresti, sub pœna peculatûs, & amissione contractûs in instanti, libera inequitatione in bona hæditaria Terrestria, Arendatoris vel Administratoris, cum adminiculo Officiorum Castrensium proximiorum, quod facturi sunt Capitanei, sine vlla præsumptione violentiæ, & sub pœna perpetuæ infamiæ, & privatione Capitaneatûs: cum Administratoribus autem Oëconomiarum M. D. L. in quolibet Foro, præcipuè tamen in Magno Tribunali Minscensi, aut Novogrodensi, Instigator, vel Vice-Instigator M. D. L. in termino & ex Regestro cuiuslibet Palatinatûs, similiter ex regestro emergentium causarum, contradictionum & ex speciali sine vllis dilationibus peremptoriè comparere & respondere: & dictas summas vindicare tenebuntur, sub pœna peculatûs & alijs pœnis

supe-

superiùs, cum Administratoribus Oëconomiarum Regni specificatis, Nec ejusmodi summas Serenissimæ Reginæ debitas Notarij Serenissimi Regis Thesauri arestare poterunt. & in talibus condemnatis, literæ moratoriæ & sublevationis ex Cancellaria Regni, & M. D. L. non extradantur, & extradita nullum valorem in judicijs habeant. Quòdsi in Tribunali Regni, contra hanc dispositionem præsentem, decretum fuerit latum, liberum erit in Comitijs Generalibus agere vti pro decreto vim legis sapiente: non præcludendo viam Instigatori, aut ejus Vicel-gerenti M. D. L. etiam post Curiam in Iudicio Assessorio pro contraventione, Administratores & Arendatores citandi sine appellatione aut remissione ad Iudicia Relationum. Quantum autem ex bonis Reformationi Serenissimæ Reginæ subiectis ad possessionem ejus perveniet, hoc ex rathis provisionis assignatæ debet defalcari. Pro residentia Serenissimæ Reginæ assignata est Posnania, Thorunium, Grodno aut alibi (exceptâ Cracoviâ) Et vt securitas omnis ad latus Serenissimæ Reginæ in locis residentiæ ejus, sit, vel in itinere & vbicunq;, vt decreta talis valoris sint prout Mareschalcorum Regni Supremorum, concedim⁹ Jllustri & Magn: Domino Mareschalco Serenissimæ Reginæ aut primario post illum Officiali, jurisdictionem Mareschalcalem, quam ad latus Regium solent habere, salvo nihilominus jure Jllustrissimorum Dominorum Mareschalcorum, vtriusq; Gentis, in præsentia Regis, nec extendendo jurisdictionem vltra, quàm ad causas facti & recentis criminis personarum spectantium ad Aulam Serenissimæ Reginæ, tam ex reatu, quàm actoratu, in hoc tantùm loco in quo Serenissima Regina residebit. Similiter in casum expeditionis generalis bellicæ totius Nobilitatis, Aula Serenissimæ Reginæ juxta regestrum ejusdem Jllustris & Magnifici Domini Mareschalci Serenissimæ Reginæ subscripto, à servitio bellico liberi remanebunt; hoc est: personas Nobiles in persona triginta, dummodò sub rigore juris substitutos aliàs **Poczty/** ex facultatibus statuant, in quem computum non intrat Persona Jllustris Domini Mareschalci Serenissimæ Reginæ, & personæ Senatorum, vnius Spiritualis, & duorum Sæcularium residentium, quamuis & isti sicut & Dominus Mareschalcus, prænominatos substitutos seu **Poczty/** ex facultatibus statuere debet.

Reformatio Serenissimæ Reginæ Mariæ, Vxori Serenissimi JOANNIS III. Regis Poloniæ, facta fuit ab eodem Serenissimo Rege, *Anno Domini 1678. fol. 5. sub titulo* **Oprawá Nayiáśnieyszey Królowey**

Iowey &c. de consensu omnium Ordinum tam Regni, quàm M. D. L. & annexarum Provinciarum, hoc est: respectu dotis centum millia, & alia centum millia florenorum respectu dotalitij, seu Reformationis, idq; in *Regno*, super bonis **Krzeczowo/ Dybowie/** super bonis **Tczewicz/** (quæ bona **Tczewicz** post sera fata *Serenissimæ Reginæ*, ad proventus mensæ *Regiæ* juxta Constitutionem *Anni 1590.* debent reverti) similiter in bonis **Brodna/** in Magno autem Ducatu Lithvaniæ super bonis **Polondze/ Wieksniách/** ita prout in possessione moderna remanent Possessores, super bonis **Telsach/** & **Obolniki/** quæ omnia nominata bona subjacebunt Reformationi Serenissimæ *Reginæ*, vnà cum juribus-patronatûs, salvis modernorum Possessorum juribus, & communicativis: similiter salvis summis ante vnionem existentibus. *Et* hæc omnia bona Incolis tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithuaniæ, & Palatinatib9 Prussiæ, bene possessionatis, conditionis Nobilis debent in administrationem dari, absq; præpeditione in jurisdictione judiciali. Quarta autem ex istis bonis *Reformatione* non obstante, debet Ravæ, & in Magno Ducatu Lithvaniæ, donativa ad Thesaurum exemplo & more antiquo persolvi. Donum nuptiale *Serenissimæ Reginæ*, ex salisfodinis Vielicensibus & *Bochnensibus*, duo millia aureorum quotannis solvenda assignata sunt. Assecurando *Rempublicam*, quòd ratione hujus Reformatorij juris, nullam possessionem Successores *Serenissimæ Reginæ* prætendere, nec eam vindicare poterunt. Similiter *Respublica* summas prænominatas, tam in vita, quàm post sera fata *Serenissimæ Reginæ*, non tenebitur cuiquam refundere, sed *Serenissima* Regina iisdem bonis feliciter vtetur, quousq; *Regina* Poloniæ nominabitur, & in *Regno* vel in Magno Ducatu Lithvaniæ permanebit.

Serenissima Regina in negotia *Status Reipublicæ* non debet se immiscere. Neq; vltra sex personas fæminei sexûs ex gente sua, in aula sua fovere, & hoc tantùm ad servitium in Camera.

Per fæminas exteras Aulicas promotiones ne fiant, sub relegatione ejusdem personæ ab Aula, cautum est. Et vt Nuntij Terrestres hoc circa requisitionem distribuendorum vacantium promoveant. Ita *Anno Domini 1669. sub titulo* **Krolowa** in Electione MICHAELIS Regis. Idem in Pactis Conventis *Serenissimi* JOANNIS III. *Anno D.1674. fol:14.* § **Wáruiemy zá Małżonkę** vbi adjunctum est, vt super hoc attendant Domini Cancellarij, Succamera-

rij Regni vtriusq; Gentis, & Reipublicæ deferant. Idem in Pactis Conventis Serenissimi moderni Regis, *fol: 5.* § **Wáruiemy zá Náyiáśnieyßą Małżonkę Náßę**, vbi statutum est, ne Serenissima Regina in negotia Status Reipublicæ per se & subordinatas quasvis personas se immisceat, sicut; vt promotiones nullas faciat. Promotiones quoq; per fæminas Aulicas, & personas exteras, nec etiam per intimos Cubicularios Regis, cuiuscunq; nationis extraneos fiant. Super quo invigilent Domini Cancellarij, Mareschalci, Succamerarij Regni vtriusq; Gentis & deferant Reipublicæ. Nuntij autem Terrestres in Comitijs circa distributionem vacantium id expostulent. Et *fol: 7 ibidem habetur*: Serenissima Regina Vxor Nostra in Aula sua non fovebit nisi personas Nobiles, ex gente autem sua tantùm quatuor fæminas in superiori famulatu habebit.

TITVLVS DECIMVS TERTIVS
De Serenissima Prole Regia.

Serenissima Proles Regia, non potest vllo modo prætendere sibi successionem, aut aliquod jus, ad bona Reformationi subiecta, post mortem Matris suæ. Ita SIGISMVNDVS III. Rex in Constitutione *Anni 1609. fol: 893. sub tit.* **Oprawá Krolowey Jey Mości Konstancyey.** Sed vt bona Reipublicæ, ad Rempublicam debēt reverti. Idem SIGISMVNDVS in Constitutione *Anno Domini 1631. fol: 3. sub tit:* **O dobrach Zywieckich**, quæ Constitutio lata est ideo: quia Serenis: Regina Constantia, Ferdinandi Primi Imperatoris Neptis, Caroli Archiducis Austriæ, & Mariæ Ducis Boiorum Filia, prælibati autem Serenis: SIGISMVNDI III. Regis Vxor secunda, *Zywecensem* Comitatum emerat, vnde statutum est in dicta Constit: vt cuivis Nobili liceret eundem Comitatum redimere, prout videre licet. & *Piasecki in Chronica sua sub Anno 1631. fol: 502. refert.*

Quinimo Serenissima Proles, non potest bona Terrestria hæreditaria, nec modo donationis, nec emptionis, aut hypothecæ, vel quovis obligationis modo, aut aliquo alio jure acquirere, sed solùm Nobilis æquitate juris, vel pœnæ cum alijs Nobilibus gau-

dens, eadem teneat. In Constit: dicta *Anni 1631. fol: 3. sub titulo* **O dobrách ziemskich dziedzicznych.** *vide & Piasecki loco citato. vide Pacta Conventa Serenisſ: moderni Regis fol: 4. §.* **Dobr tákże dziedzicznych/** quòd nec pro se, nec pro Prole sua, per se, vel alios bona Terrestria acquiret.

Anno Domini 1626. fol. 5. titulo **Auctya prowizyey/** VLADISLAO Filio Sereniss: SIGISMVNDI III. ob merita ejus præclara, in auctionem provisionis mensæ illius ex primis vacantibus sparsim per Dominia Regni promisit quinquaginta millia florenorum Polonicalium annui proventûs.

SIGISMVNDVS autem ipse III. *Anno Domini 1632. fol: 2. sub tit:* **Opatrzenie Náyiáśnieyszego Potomstwa/** ob merita sua, apud Status & Ordines Regni obtinuerat; quia ex pietate sua erga Reges sponte liberè & unanimi consensu, relaxando, (quoad hunc solùm actum,) rigorem Constitutionis prædictæ *Anni 1631.* & in posterum eandem totaliter & inviolabiliter conservando, consenserunt; quòd pro Provisione Serenissimis Filijs prænominati Seren: SIGISMVNDI III. Regis, ex secundo matrimonio natis & procreatis CASIMIRO & ALEXANDRO, alliciendo illos ad bene merendum de Republica, & Serenis: Annæ Catharinæ, Filiæ ejusdem SIGISMVNDI III. Regis assignârunt certa bona. Et quidem Serenis: Principibus, vt jure aduitalitio quilibet illorum, vnam tenutam ex bonis, quæ Reformationi Serenis: Reginæ defunctæ subiecta erant, pro residentia habeat. Reliqua verò bona Reformationi ejusmodi subjecta, Nobilibus Polonis & Lithvanis distribuantur, qui ex ijsdem bonis & tenutis, in vim provisionis Sereniss: Principibus præfatis CASIMIRO & ALEXANDRO, tum Annæ, Catharinæ, iuxta arbitrium Regium & conventionem (ita tamen, vt & ipsimet Tenutarij possint habere sufficientem provisionem suam) ex qualibet tenuta certas summas solvant, sub pœnis de processu Thesauri. Serenissimæ autem Annæ Catharinæ, ijdem Status & Ordines Regni, vltra provisionem, quousq; in matrimonium non fuerit elocata, pro residentia ejus, assignârunt Capitaneatus Brodnicensem & Golubensem, ita tamen; vt ex præfatis bonis, tam pro residentia, quàm pro provisione concessis & assignatis, omnia onera Reipublicæ, tam ordinaria, quàm extraordinaria, & Quarta persolvatur; arcesq; in sua integritate à DD. Tenutarijs conserventur, sub pœnis de Quarta sancitis. In bonis quoq; pro residentia concessis, Capitanei Nobiles Poloni & Lithuani possessionati habean-

beantur. Qui in omnibus cauſis, in foro tam Caſtrenſi, quàm Terreſtri & Tribunalitio, ratione damnorum & injuriarum tum granicierum reſpondeant. Ejuſmodiq; bona Sereniſsimi Filij & Filiæ, nullis ſummis, ſicut nec ipſemet Sereniſsimus, onerent. Inſuper, juribus Eccleſiæ & Reipublicæ in toto ſalvis & illæſis permanentibus. Et quia bona in Magno Ducatu Lithuaniæ, ſuper quibus dignæ memoriæ Sereniſsima Regina Vxor Sereniſs: SIGISMVNDI III. reformationem habuit, juxta jura & Privilegia antiqua pro menſa Regia fundata ſunt; ideo Sereniſ: SIGISMVNDVS III. Rex cavit, quòd hæc diſpoſitio ijſdem bonis, præſertim **Olyká/ Dobrzyno/** cum prædijs ſuis, non debeat derogare & præjudicare quidquam juribus & Privilegijs de Oëconomijs in Magno Duc: Lith: ſancitis. Præterea Sereniſs: Rex aſſecuravit Rempublicam, nomine prænominatæ Sereniſs: Prolis ſuæ, quòd, ſi extra Regnum, vel Magnum Ducatum Lithu: aliquis Filiorum, ad alias proviſiones devenerit, & Sereniſs: Filia, matrimonium contraxerit, aut poſt fata alicuius illorum: prænominata bona, præſenti Conſtitutione illis in proviſionem conceſſa, dimittantur, & ex nunc pro vacantibus haberi debeant, & Nobilibus juxta Conſtitutionem Comitiorum præteritorum, dentur. In Pactis Conventis VLADISLAI IV. Regis. *Anno D. 1633. fol: 13. §.* **Náyiáśnieyſzych Krolewicow** cautum eſt: vt Filij Sereniſ: SIGISMVNDI III. Regis, proviſiones à Repub: habentes, in Comitijs proximis Coronationis Regiæ juramentum fidelitatis, tam Sereniſs: Regi, quàm Reipub: præſtent, quo juramento, tam diu ſtringentur, quàm diu dictis proviſionibus vtentur, & in Regno domicilium fixum habebunt. Ad hæc additum eſt: quòd ſi aliqua cauſa contra Sereniſ: Principes, perſonas illorum afficiens intervenerit, ejuſmodi cauſæ cognitio ad Sereniſ: Regem cum Senatu, in Comitijs proximè venturis fiat. Sequitur juramentum, à Sereniſſimis ſupranominatis Principibus in Comitijs Coronationis VLADISLAI IV, in facie Reipublicæ præſtitum.

Forma juramenti.

Sereniſſimorum Principum Anno Domini 1633. fol: 14. ſub titulo, Juráment Krolewicow.

EGo *CASIMIRVS & ALEXANDER Poloniæ & Suecíæ Princeps, beneficio & proviſione Reipub: ad præſens gaudens, juro: quia*

Serenissimo Principi ac Domino, D. VLADISLAO IV. Regi Poloniæ, ac Regno Poloniæ, & Magno Ducatui Lithvaniæ, fidelis & obediens ero, nihilq́ in damnum vel præjudicium Regiæ Majestatis & Reipublicæ consilio, auxilio, vel facto committam: imò si aliquid tale scivero, quod vergat in detrimentum, tam Regiæ Majestatis, quàm Reipublicæ, præcustodiam, ac pro posse meo avertere conabor. Sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Crux.

Post mortem SIGISMVNDI III. in Confæderatione Generali Varsaviensi, *Anno D. 1632. f. 12. § Strzegąc dignitatem*, concessum est, vt ob dignitatem Reipublicæ, & gratam memoriam erga eundem Serenis: Regem defunctum, Serenissimæ Proli ejus, tam masculi, quàm fæminei sexûs provisio, ex bonis mensæ Regiæ, vsq; ad electionem novi Regis provideretur. *vide in Constitutione hac à Nobis supra descripta Anno D. 1631. f. 4. sub: tit:* **Warmia**. Prænominatus SIGISMVNDVS III. Rex diploma respectu Episcopatûs Varmiensis, Serenissimo JOANNI ALBERTO Filio suo collati datum, & manu ejusdem Serenis: SIGISMVNDI III. Regis propria subscriptum, sub sigillis Regni, & M. D. L. ad Archivum Regni & M. D. L. datum, & in librum Metricæ tam Regni, quàm M. D. L. ingrossatum, authoritate Conventûs Generalis approbatum fuit.

Eidem Serenissimo JOANNI ALBERTO SIGISMVNDVS III. Rex Pater illius ad Episcopatum Cracoviensem, vacantem post mortem Andreæ Lipski illius vltimi & immediati possessoris, assentientibus omnibus Ordinibus & Statibus Regni nominaverat. *Vide consensum Ordinum Anno Dni. 1633. fol. 19. sub titulo* **Consens ná Biskupstwo Krákowskie**, sed inopinatâ morte præventus non subscripserat, literas nominationis ad Capitulum Cathedrale Cracoviense, nec literas ad summum Pontificem Romanum, in similibus, negotijs necessarias. Hinc disputatum fuit, an Archiepiscopus cum Senatu stante Sede vacante hunc defectum supplere posset; & post multas controversias conclusum est, quòd possit. Atq; ex tali Senatûs consulto Archiepiscopus Gnesnensis illas subscripsit, & ijsdem literis Capitulum Cracoviense paruit, & suam Electionem de more pro persona sua ejusdem Principi expedivit. Idq; ob hanc rationem, quia jam constabat collatam fuisse à Rege demortuo Serenis: JOANNI ALBERTO dignitatem hanc, hocq; à novo Rege ratum habendum manutenendumq; fore. Alioquin vacantia beneficia, tempore Interregni distribui à Senatu, aut à Republica non posse, peritiores solidioribus argumentis demonstrabant, & adducebant exemplum Interregni

regni poſt Regem STEPHANVM, ſub quo cùm Epiſcopatus Luceorienſis vacâſſet, eum Senatus ac Ordines Bernardo Mácieiowſki non contulerunt, ſed à Rege Electo SIGISMVNDO III. conferri petierunt, Electionis pactis interceſſione huiuſmodi ſua appoſitâ. *Ita Piaſecki in Chronica ſua fol: apud me 530. cum ſequenti.* & nos ſupra, mentionem de hoc fecimus.

Js itaq; Sereniſ: Joannes Albertus, Epiſcopus Varmienſis, Nominatus Cracovienſis, in Comitijs Coronationis VLADISLAI IV. Fratris ſui, vt juramento Senatorio facto, locum in Senatu occupet, & conditionibus in diplomate reſpectu Epiſcopatûs Cracovienſis, & poſtea in conſenſu Reipublicæ expreſſis ſatisfaciat. *Anno D. 1632. fol: 13. ſub titulo* **Nayiaśnieyßych Krolewiczow.**

Tandem is idem Sereniſ: Princeps, Joannes Albertus poſt præſtitum juramentum, more aliorum Conſiliariorum Regni admiſſus eſt ad Senatum. Conditiones autem circa conſenſum *dicto Anno 1633: fol: 19. & ſequenti* datum, tales appoſitæ ſunt. *Imprimis*, vt intra triennium Presbyter cum diſpenſatione Summi Pontificis fiat. *Secundò*; quòd prærogativâ ſolùm tali vtetur, quali Anteceſſores ſui Epiſcopi Cracovienſes, vtebantur. *Tertiò*: Juri communi Terreſtri exemplo Epiſcopi Cracovienſis, in omnibus cauſis Forenſibus ſubiectus erit; ſimiliter juxta jura antiqua, & conſuetudinem oneribus Reipublicæ, ex Epiſcopatu Cracovienſi; ſine vlla tam in parte, quàm in toto, à corpore Regni avulſione, ſubjacebit, neq; ad aliqua alia beneficia, dignitates & Officia aſcendet. *Quartò*; non habebit jus & poteſtatem nominandi, inaugurandi, coronandi Regis. Et quia Sereniſ: Princeps dignitatem Cardinalitiam à Sede Apoſtolica obtinuit, cautum eſt, quòd eo nomine nullam prærogativam ſibi vſurpabit, ante dignitatem Primatialē Regni. *Quintò*; Bona Terreſtria, nullo modo acquiret: ſuper quo Officia omnia invigilent; ne tales inſcriptiones recipiantur, ſub pœna peculatûs ad cuiuſvis inſtantiam, in Iudicio Tribunalitio, inter cauſas Officij, repetenda; ejuſmodiq; inſcriptiones nullum valorem habeant. Et ſi Sereniſ: Princeps extra Regnum aliquam proviſionem obtineant, tunc Epiſcopatus Cracovienſis pro vacante habeatur. In quibus omnibus quòd Sereniſ: Princeps, juxta præſcriptum huius Conſtitutionis ſe geret, ſicut Sereniſ: Parens cautionem in præteritis Comitijs in facie Reipub: fecit, ita & Sereniſ: Rex VLADISLAVS IV. verbo Regio appromiſit, & aſſecuravit. In prædictis Comitijs Coronationis VLADISLAI IV. *Anno D. 1633. fol: 20. ſub tit:* **Con-**

sens ná Opactwo Czerwieńskie. VLADISLAVS IV. Rex obtinuit consensum ab Ordinibus Regni, vt Serenis: Princeps Carolus Ferdinandus Frater eiusdem Serenis: Regis VLADISLAI IV. Abbatiam Cervinensem ad quatuor annos cum Episcopatu Vratislaviensi possit tenere. Cujus consensûs tenor talis.

Testificando Status Regni debitam Serenissimæ Proli, Serenis: Regis dignæ memoriæ Parentis Nostri benevolentiam, & videndo, quòd Serenis: Principi Carolo Ferdinando Fratri Nostro, Episcopatus Vratislaviensis, per hostilitatem devastatus & ademptus, ac proinde in Episcopatu hoc, domicilium securum non possit habere, ideo vacante nūc Abbatiâ Cervinense, consensum Nostrum, ab actu Coronationis ad quatuor annos, pro residentia Serenis: Principis, eandem de consensu Ordinum vtriusq; Gentis damus. Ad quem effectum Nos ex Cancellaria Nostra Privilegium speciale Serenissimo Principi & Episcopo Vratislaviensi extradere mandabimus.

Tandem is idem VLADISLAVS IV. Rex *Anno D. 1635. fol. 6. sub titulo* **Konsens ná Opáctwo Tynieckie,** obtinuit à Repub: consensum, vt prædictus Seren: Princeps Carolus Ferdinandus, Abbatiam Tinecensem, in quantum vacaverit, & Illustr: D. Episcopus Præmisliensis, Nominatus Posnanien: ad realem possessionem Episcopatûs sui pervenerit, per sex annos, pro residentia sua possit habere.

Insuper *Anno D. 1641. fol. 4. sub titulo* **Konsens ná Biskupstwo Płockie,** Respublica consensit. Ut prælibatus Serenis: Princeps Carolus Ferdinandus, Episcopatum Płocensem tenere, & in Senatu locum habere possit, præstito juramento corporali, juxta formam aliorum Consiliariorum Regni, his conditionibus in quas Serenis: Princeps consensit, & Reipub: se obligavit, quòd non alio jure, sed sub conditionibus his, Episcopatum Płocensem tenebit, prout Antecessores sui Episcopi Płocenses, tenuerunt, & eodem Episcopatu vsi sunt. Item juri Terrestri communi Episcopatûs Płocensis, in omnibus causis Forensibus subiacebit. Item juxta jura antiqua & consuetudinem, omnia onera Reipublicæ, ex Episcopatu Płocensi sustinebit. Ad nulla alia beneficia, dignitates, & Officia non ascendet, jus & potestatem nominandi, inaugurandi, & coronandi Regis non prætendet. Et si dignitas Cardinalitia Serenis: Principi à Sede Apostolica fuerit delata, nullam prærogativam ante Primatem Regni sibi vsurpabit. Bona Terrestria nullo modo emet, aut acquiret, super quo Officia omnia attendant,

ne

ne tales inſcriptiones recipiantur, ſub pœna peculatûs ad cuiuſvis inſtantiam in Iudicio Tribunalitio, inter cauſas Officij repetenda, & ejuſmodi inſcriptiones nullum valorem habeant. Tenutarios quoq; & Adminiſtratores in clavibus & prædijs ejuſdem Epiſcopatûs perſonas Nobiles Polonæ gẽtis poſſeſſionatas habeat & foveat. Qui in cauſis perſonalibus, Civilibus, & criminalibus coram Officio & Iudicio Caſtrenſi, facti vel criminis commiſſi peremptoriè comparere, reſpondere, & judicatum & executionem pati & ſubire tenebuntur. Et quando Seren: Princeps, proviſionem aliquam extra Regnum, præter Epiſcopatum Vratislavienſem, obtinebit, Epiſcopatum Płocenſem tenebitur dimittere, quem Nos, vti vacantem Epiſcopatum conferemus. Abbatias quoq; Tinecenſem & Cervinenſem vti vacantes, ad inſtantiam Nuntiorum Terreſtrium, in Comitijs modernis jam contulimus; Sereniſs: Princeps realiter his quibus contulimus, abſq; ulla mora, in præſentia Noſtri & Statuum tam Spiritualium, quàm Sæcularium, & omnium aliorum reſignavit, in poſſeſſionem dimittit. In quo quòd Sereniſs: Princeps juxta præſcriptum Conſtitutionis ſe geret, verbo Noſtro Regio aſſecuramus. *hucuſq; verba Conſtitutionis ſuper hoc latæ.*

Eodem anno ſtetit alia Conſtitutio *fol: 5. ſub tit:* **Prowizya Krolewicá/** de proviſione facienda Sereniſs: Principi CASIMIRO, *tenoris talis*: Conſiderando merita Sereniſsimi Principis CASIMIRI in Rempub: & illum ad vlteriùs merendum alliciendo, de conſenſu vnanimi omnium Statuum, duo vacantia abſq; jurisdictione judiciali, nec in limitibus Regni, vnum in Regno, & aliud in Magno D. Lithu: poſt deceſſum modernorùm poſſeſſorum conferemus: nihil ad illa vltra addendo, niſi ſicut immediatus poſſeſſor ſub vno Privilegio tenebat. Ita tamen; vt onera omnia Reipublicæ, tam pro Quarta ſolita, quàm pro apparatu bellico, perſolvat. Adminiſtratores & Officiales Nobiles Polonos in Regno & in M. D. Lithv: ejuſdem Ducatûs Incolas poſſeſſionatos foveat. Qui in omnibus cauſis, in Foro tam Terreſtri, quàm Caſtrenſi illius Diſtrictûs, vbi ejuſmodi Tenutæ exiſtent, ac Tribunalitio ratione damnorum & aliarum injuriarum, & limitum reſpondebunt. Bona quoq; hæc, Seren: Princeps nullis ſummis poterit onerare. Inſuper, juribus Eccleſiæ, & Reipub: in toto ſalvis permanentibus. Et ſi Seren: Princeps, ad proviſionem extra Regnum pervenerit, ejuſmodi tenutæ, ſicut & alia, vivente Sereniſſimo, dignæ memoriæ, D. Parentis Noſtri Conſtitutione *A. D. 1632.* collatæ pro vacantibus, habebũtur & illas

Nobilibus Regni & M. D. Lithu: conferemus. Quod si etiam contra Constitutionem *Anni 1632.* novas aduitalitates super his tenutis impetraverit, tunc illum, ad instantiam Instigatoris post Curiam judicabimus. Salvo jure Emphiteutico.

Jn Pactis Conventis Serenis: MICHAELIS Regis Poloniæ *fol: 15.* quoad consanguineos collaterales & Prolem Regiam sic statutum est: *Consanguineos nostros Collaterales, eodem jure censebimus, prout alios Nobiles Polonos, & vltra jura & Privilegia horum plus juris & prærogativæ non attribuemus illis; imò vt intra æqualitatem juris omnes sint, dabimus operam. Linea autem ex lumbis Nostris directè descendens his omnibus prærogativis vtetur, quibus Proles Regum Poloniæ vtebatur. Salvis super hoc juribus Reipub:* Iisdem formalibus verbis cautū quoq; est in Pactis Convent: Serenis: JOANNIS III. *f. 11.* **Z Krewnych wszytkich.** Jn Pactis autem Conventis Serenis: moderni Regis *fol: 8. Z Linea de lumbis,* nihil de consanguineis collateralibus Regis cautum est, sed solùm de Linea descendente ex lumbis Regijs, vt talibus prærogativis gaudeat, qualibus Proles Serenissimorum Regum Poloniæ vtebatur. Salvis circa hoc juribus Reipublicæ.

TITVLVS DECIMVS QVARTVS

De bonis mensæ Regiæ.



QVales proventus Reges Poloniæ, antiquitus habuerunt, refert *Cromerus libro de Republica & Magistratibus Polonorum, non procul à principio libri, his verbis:* Pensitabant ei omnes agrestes & adscriptij, quotannis tributum **Poradlne/** quod nos Rastrale dicere possumus (Regale etiam vocatur) in jugerum, seu laneum, & mansum, vt vulgò vocant, duodenos grossos, & quidem latos sive Pragenses: qui dimidio eos, qui nunc sunt in usu, grossos vernaculos excedunt. Quin si bonitatem & pondus argenti spectes, quadruplo, quemadmodum earum rerum periti affirmant, melior tunc erat grossus, quàm nunc est.

Pensitabant & alias quasdam, tum nummarias, tum pecuarias, frumentarias, avenarias, & aliarum rerum pensiones: nec modò agricolæ, sed & Oppidani, quin & Equites sive milites non penitus immunes erant. Eidem jumenta autem hi quàcunq; iter faciebat

bat alij secundùm alia suppeditabant; & canes cum venatoribus ejus alere necesse habebant.

Ne Monastica quidem, & alia Ecclesiastica bona, initio prorsus erant libera ab huiusmodi oneribus ac tributis. Quorum appellationes videre licet in vetustis Principum diplomatibus: nempe, **Przewod/ Powos/ Strozá/ Stan/ Ponuoloue/ Targowe Crowá/ Podwody/ Woginia/ Narzas/ Sep/ Podworowe/** *Opoliæ.*

Liberæ autem erant Principi vbiq; piscationes, & venationes: alijs non erant, ne in suo quidem cuiquam fundo absq; peculiari *Principis* indulgentia.

Mulctæ quoq; maleficiorum *Principi* dependebantur.

Quæ cùm ita essent, cùmq; permagna esset rerum omnium ad victum pertinentium vilitas, & necdum maritima, cum externis populis commercia extitissent, aut vulgata essent, non distrahebantur fruges, & alij fructus prædiorum *Principis*, quæq; ex pensionibus in cellam ejus comportata erant, neq; ad vnum aliquem, totius Regni locum asservabantur.

Cumq; ad officium Principis pertinere existimaretur, non desidem, & vni alicui loco affixum hærere, sed obire omne *Regnum* & fines ejus tueri, & hominum vsibus sese exponere, querimonias afflictorum audire, jus dicere, tenuiores, a potentiorum injurijs vindicare,quòquò is venerat cum Equitatu & comitatu suo aulico ejus Præfecturæ fructibus & proventibus alebatur, quoad ei manere libuisset, opusve esset, sive quoad horrea, cellæq; sufficerent; seu deniq; descriptis cuiq; Præfecto, pro ratione Præfecturæ, & proventuum certis spatijs temporum. Atq; hoc illud est, quòd scriptores quidam externi, rerum Polonicarum imperiti, ante nostram memoriam, in eam partem acceperunt, & literis mandarunt: quasi Rex Polonus egestatis causa, Regnum suum obire perpetuò necesse habeat, quòd à suis hominibus quasi precariò sustentetur.

Cæterùm postea, cùm Principes, vel certo loco se continere, vel bellis distenti peregrè diutiùs abesse cæpissent, distrahi cæpêre fructus prædiorum, qui Præfectorum, cum sua cuiusq; familia, moderatis vsibus superessent. Remissæ sunt deinceps Principum beneficentiâ, *Sacro* & Equestri Ordini, vt & vtriusq; adscriptitijs, ac subditis, pleræq; omnes pensiones & onera.

Nunc sanè Equestris & Ecclesiastici Ordinis homines, nihil Regi pensitare necesse habent. Ac ne Oppidani quidem eorum, aut

agreſtes adſcriptitij, præter groſſos binos vernaculos de manſo ſeu laneo (quæ idem ſunt Pagano,) & eo quidem ſolo quem adſcriptitius ipſe ſibi colit. Nam qui Sacerdotibus & Equitibus coluntur, itemq; Suburbani & ſcultetorum (de quibus poſt attingemus) agri ab eà quoq; penſione immunes ſunt. Ne ſubſerviunt quidem Principi, Sacerdotum & Equitum homines agreſtes & Oppidani, præterquam ad arces tempore belli reficiendas, atq; etiam novas, ſi id è Senatûs-conſulto fiat, condendas.

Non ita pridem, Abbates & Præpoſiti Monaſteriorum, certas penſiones (quæ ſtationes vulgò dicuntur) Regi denuo penſitare cœperunt. Adſcriptitij illorum ad colendos Principi agros, ſubvectiones, & penſiones quaſdam frumentarias revocantur, quò Præfectorum Regiorum præſidio tutiores ſint ab injurijs improborum. His autem exceptis, ſoli Præfecturarum adſcriptitij, in ſuis quiq; Præfecturis agros colendo, & vectigalia penſitando, rem familiarem Principis ſuſtinent. Quæ nunc tamen aliquantò exquiſitiùs curatur, quàm olim.

Habet is etiam è metallis mediocre vectigal. Jn ijs autem conductitiarum operarum vſus eſt: Quarum impensâ deductâ, reliquum cedit Principi. Omnium verò metallorum in Polonia, fructuoſiſſimæ ſunt ſalinæ, ſed habet in illis Equeſter Ordo hanc prærogativam, vt in vſum domeſticum ſtatis anni temporibus, aliquantò minoris emat ſalem, quàm cæteri homines.

E Teloneis quoq; mercium, & vectorum provenit vectigal Principi. Cæterorum hominum nemo jus vllum habet inſtituendi & exigendi Telonei præter peculiarem Regis indulgentiam, idq; ob neceſſariam extra ordinem refectionem viarum, pontium, & aggerum.

Cæterùm naulum à trajectu fluminum in ſuo cuiq; ſolo inſtituere licet. Duplex autem eſt Teloneum, vetus & novum. Ac vetus quidem exile eſt: quod ab ijs penditur, qui intra fines Regni negotiantur. Novum verò majus aliquantò, quod boum, equorum, coriorum, frumenti, lanæ, ceræ, ſevi, & aliarum mercium, quæ ad exteras oras exportantur, & earum quæ aliunde importantur, nomine, penſitatur.

Utriuſq; immunitatem habent Eccleſiaſticus & Equeſter Ordo, modò ne mercaturam quis exerceat, hoc eſt: venum ea exportet, quæ ipſe aliunde emerit, ac non de ſuo parârit. Si quis autem boves emptos ſuo pabulo & frumento per hyemem aluerit, perinde habetur, ac ſi ejus domi nati ſint.

Publi-

Publicæ quoq; Ciuitates nonnullæ habent immunitatem veteris telonei, de novo, fuit superiori tempore controversia, inter Equestrem Ordinem, atq; Regem. Hæc igitur nunc sunt perpetua Principis vectigalia, quæ distrahere aut addicere cuipiam jure hæreditario Rex, ALEXANDRI Regis lege, prohibetur. Atq; ea lex neglecta post & ante paucos annos acerbiùs revocata, multos conturbavit, & non exiguos motus excitavit, qui nondum prorsus sopiti sunt. Extra Ordinem nihil à quoquam, nisi fortè à Iudæis, Regi pensitatur.

Ex his autem vectigalibus, is cum domestica familia sua, se se sustentat, inde comitatui suo Aulico, stipendia præbet, inde in Legationes, dotes, & elocationes Filiarum, arcium præsidia, & sarta tecta, viarum publicarum refectiones, machinas & apparatum bellorum, præmia benemerentium de se ac Republica, & in alios vsus impendit; inde & Senatoribus fere ac Magistratibus publicis, & nonnullis Sacerdotijs certi ac perpetui reditus antiquitus constituti sunt, partim pietate & beneficentiâ Principum attributi; partim accepto in usus necessarios pretio venditi. Et hactenus quidem de Principe, sive Rege, ac vectigalibus ejus. *Hucusq; Cromerus.*

Tandem successu temporis, pro maiori dignitate & commoditate Regiæ Majestatis erant certa bona pro mensâ Regia assignata, sed quæ fuerint à principio assignata, non est expressum specificè. Nisi mentio fit de Terra Sandomiriensi, de magna Procuratione Cracoviensi & de Terris & Castris minùs principalibus, & jurisdictione carentibus.

Sed sub SIGISMVNDO III. Rege Poloniæ *Anno Domini 1590. fol: 577.* sunt sic specificata. Fodinæ Cracovienses (hoc est Vielicenses & Bochnenses salisfodinæ) Olcusienses, telonea Regni, telonea Russiæ, fodinæ Russiæ, Capitaneatus Sandomiriensis, Capitaneatus Samboriensis cum Ozimina, & Medenice. Oëconomia Mariæburgensis, magna Procuratio Cracoviensis, **Rogozno/ Cczew/ Funczol/** Gedanensis & Elbingensis, Rinscensis monetariæ, (sed hunc proventum is idem SIGISMVNDVS III. cessit Poloniæ, *vt supra titulo* de persona Regis) pecunia **Podwodna/** teloneum Płocense, prout tunc solvebatur. Salvis juribus arcium Masoviensium, pro quarum reparatione, privilegia producerentur.

Jn Magno Ducatu Lithv: **Grodno** cum omnibus attinentijs. Itidem **Száfle/** post decessum possessorum. **Brzeście/** cum **Kobryng** & eorum attinentijs. **Moyłow/ Olyka/** cum omnibus iti-

dem attinentijs, & omnia telonea antiqua, vt ex illis proventus ad Thesaurum Magni *Duc: Lit:* totaliter persolveretur; conservando tamen vnumquemq; penes privilegia sua, quæ hanc Constitutionem præcesserunt. *Ita in Constitutione Anni 1589. fol: 530. sub titulo Ordinatio* **O prowentách Krolewskich.**

Jn Livonia arx Derpatensis, & aliud Castrum in Oeconomias convertendum.*Ita in Constitutione Anni 1589. fol: 508. sub tit:* **Stárostwá Jnflántskie ż Jednák powinni bedźiemy.**

Oëconomiæ tamen in jure expressæ pro mensa Regia, non possunt augeri juxta Constitutionem *Anni 1607. fol: 832. sub tit:* **O Oekonomiách/** *vbi sic habetur:* Oëconomias vltra has, quæ sunt in jure descriptæ non augebimus, & auctas annullabimus. Tres tamen partes proventuū, de quibus disposuimus vel disponemus nobis reservamus.

Et alia bona ad mensam nostram pertinentia, & quæ ad dispositionem nostram pertinebunt, dabimus in aduitalitatem juxta dispositionem juris. E Capitaneaubus Iudicialibus, considerando loca & necessitates jurisdictionis Iudicialis, talibus proventibus providebimus, prout Capitanei, necessariò & debitè possint brachium nostrum Regale tueri.

Jn Pactis quoq; Conventis cum VLADISLAO IV. Rege *Anno Domini 1632. fol: 14.* idem disponitur, in illis verbis: Oëconomias, vltra has, quæ ad mensam nostram Regiam pertinent, sine consensu speciali omnium Ordinum Regni, non augebimus; & his Oëconomijs, quæ sunt, juxta jura & Privilegia disponemus.

Quod in Constitutione *Anni 1633. fol. 31. sub titulo* **Oekonomie** renovatum est, ab eodem VLADISLAO IV. *his verbis:* Oëconomias sine consensu Reipub: tam in Regno, quàm in Magno D. Lithv: vltra has, quæ in jure descriptæ & concessæ sunt, & ab antiquis temporibus Oëconomijs accesserunt, non augebimus. Quodsi aliquam Oëconomiam auctam, vltra præscriptum juris aliquis arendâsset, aut in administrationem accepisset, debet ad cuiusvis instantiam in Tribunali Regni inter causas Officij citatus & convict⁹, pœnâ peculatûs puniri.

Et quia antiquum jus est, ne Oëconomiæ, telonea, & alia omnia bona ad mensam Regiam pertinentia, pensionibus, & donativis onerentur: Ideo conservando Privilegia in toto horum, qui à divæ memoriæ Serenis: Rege Parente Nostro & à Nobis, in Comitijs felicis Coronationis Nostræ obtinuerunt, cavemus in futurum, ne Pri-

ne Privilegia talia ad Oëconomias, & ad alios proventus mensæ Nostræ Regiæ debitos, ex Cancellaria Nostra, post publicationem Constitutionis modernæ extradantur, & si aliquis obtinuerit, pœnis *Anni 1590.* de non obliganda Sandomiriensi Terra expressis subiaceat, & tale Privilegium nullius valoris sit. Post decessum autem specificatorum Possessorum bona præfata debent ad mensam nostrā reverti, & illa sicut alia bona non distribuemus.

Sed quæ de bonis mensæ Regiæ fuerant, ante constituta videamus. ALEXANDER Rex *Poloniæ Anno D. 1504. (vt refert Herb: in Statuto suo fol. 52. Ianusi: f. 31. & fol: 96.)* de bonis & proventibus mensæ Regiæ *sic ait:* Quoniam de bonis mensæ Regalis, Status Regius, etiam specialem habere consvevit provisionem, & illis non habitis, necessariò Status Majestatis Regiæ publicis auxilijs deberet sustentari: tot verò onera in Regno contingunt ferenda, vt etiam publicis auxilijs, impossibile esset satisfacere; providendo Statui Regio, & necessitatibus occurrentibus. Vt igitur successivè evinci omnia valeant bona mensæ *Regiæ*, statutum est, & per Majestatem Regiam approbatum esse debet: quòd bona Regalia dum eximentur; vel si quopiam modo devoluentur ad Regiam Majestatem, ampliùs non oppignorabuntur; neq; donabuntur per Majestatem Regiam: nisi in generali Convocatione, pro necessitate Reipub: consentirent Consiliarij, obliganda, donanda, vel inscribenda. Propter quod Regia Majestas nemini ampliùs, ad summas priores, in bonis Regalibus adscribet quidquam: & si inscriptionem fieri contingat, etiam in generali Conventione, DD. Consiliarijs consentientibus, nihilominus perpetuò observandum decretum sit: Quod nemini aliqua bona mensæ Regalis Majestas Regia deberet inscribere, absq; conditione extenuationis. Qui verò contra præsens Statutum pecuniam super bona Regalia dederit, ille perdit, & honorem & pecuniam, quam habet inscriptam.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Petricoviæ 1562. in volumine Constitutionum Regni fol: 16. sub titulo* **O Statucie Krolá Alexándrowym**; *de statuto præfato Alexandri sic statuit:* Statutum ALEXANDRI Regis Patrui nostri, sic illud interpretari & intelligi invenimus, prout verba illius Statuti sonant & obloquuntur, & in robore suo confirmamus. Sed post hoc statutum illius, omnes donationes perpetuæ: Feuda, similiter venditiones à Nobis & Antecessoribus nostris factæ, similiter & fundationes Spiritualibus quocunq; modo inscriptæ, debent esse, & sunt hoc statuto cassatæ, &

annullatæ vti juri contrariæ communi, idq; in omnibus Dominijs & Ducatibus ad *R*egnum ſpectantibus; tam in Ducatu & Terris Pruſſiæ, ſicut in Ducatu Zatorienſi & Oſviecimenſi, cùm hi Ducatus ſub vno ſigillo & caduceo *R*egio ſunt. Ejuſmodi omnia bona data infeudata & vendita, in bonis ſupra ſpecificatis, perveniunt ad manus Noſtras Regias & Reipublicæ: reſervando in robore feuda Ducum *R*uſſiæ & Pomeraniæ, quæ in neceſſitatem & bonum commune, de conſenſu omnium *S*tatuum Regni, antiquitus ſunt in feudata. Quantum attinet Palatinatum Maſovienſem, hic non ſubeſt executioni Statuti ALEXANDRI Regis, vſq; ad Privilegia & *S*tatuta, & libertates illis datas, ſub regimine dignæ memoriæ SIGI*S*MVNDI Regis Patris Noſtri, ſub cuius dominio, ad Regnũ per ſucceſſionem acceſſerunt, quæ data latiùs obloquitur is idem SIGISMVNDV*S* AVGV*S*TV*S* Rex *Anno D. 1563. in volumine Conſtitutionum fol. 39. ſub titulo* **Alexándrowym/** dictum *S*tatutum *Anni 1562.* de conſenſu omnium Ordinum approbavit, & hoc poſteriori ſtatuto 1563. confirmavit. Hoc addito; quòd quicunq; eſſent citati vigore Conſtitutionis Comitiorum præteritorum Petricoviæ celebratorum pro evocatione, vel reſpectu ſummæ aut bonorum; tales terminum non poſſunt habere, niſi in Comitijs *R*egni futuris; & ſi aliquis interim in judicijs poſt Curiam, aliquid obtineret, id irritum & inane ſit.

Jdem SIGI*S*MVNDV*S* AVGV*S*TV*S* Rex *Anno D. 1562. in volumine Conſtitutionum fol: 18: ſub titulo* **O ſummách** ſtatuit, vt ſummæ novæ in bonis Regalibus poſt Statutum ALEXANDRI Regis inſcriptæ extinguantur. Nam licetſi in talibus literis, extenuationes eſſent inſcriptæ, tamen quia non ſunt pro neceſſitate *R*eipub: mutuò acceptæ, extenuatio quoq; non poteſt ſubſiſtere, & ideo juſtè extinguantur.

Sub eodem quoq; SIGI*S*MVNDO AVGVSTO *R*ege *Anno D. 1562. fol. 18. ſub titulo* **O zaſtepcy** ſtatutum fuit. Si aliquis bona ad menſam Regiam pertinentia impetráſſet, & illa poſtea alteri tãquam hæreditaria vendidiſſet aut commutáſſet, aut oppignoráſſet, tunc Rex poſſeſſorem eorundem bonorum conveniat, & Poſſeſſor Evictorem, qui citatus peremptoriè, & extra Diſtrictum coram *R*ege poſt Curiam etiam extra *R*egnum in hoc caſu vigore laudi cõmunis conventionalis Regni reſpondere tenebitur, & inſcriptioni ſuæ reſpectu *E*victionis ſatisfacere, non obſtantibus quibuſvis dilationibus & limitationibus aliorum terminorum; neq; evocatio poterit

terit allegari, sed semotis omnibus dilationibus tenebitur satisfacere, & summam reponere, aut commutata bona restituere. Quoniam Evictio non aliter accipienda sit, tantùm similem summam prout accepit reponere, & illi reddere, qui pro evictione se inscripsit. Et quoniam Nos Rex possessionem nullius volumus expectare, similiter Possessor à suo Evictore in primo termino debet esse evictus, & indemnis redditus, & summam in primo termino loco Evictionis reponere tenebitur durantibus judicijs, qui Evictor, quousq; per decretum Nostrum non fuerit abjudicatus, & Possessor bonorum nostrorum satisfactionem sufficientem non accipiet, ob pauperes homines, & propter æquitatem eorundem bonorum conservamus Possessorē, quousq; ex decreto Nostro ab Evictore non fuerit ipsi satisfactum. Nec præcluditur via vlteriùs, si Evictorem, tam summario judicio & processu convincere, similiter, & de exdivisione debet intelligi, & vbi non esset nominata summa, sed jure donationis inscripta, tunc Possessor debet jurare pro qua summa acquisivit hæc bona. Idem debet intelligi de levatione summæ: similiter Possessor debet jurare super quantitate summæ, justè, & verè persolutæ. Similiter in commutationibus in bonis Regalibus debet intelligi. *Hucusq; verba Constitutionis.*

Sub eodem SIGISMVNDO AVGVSTO *Petricoviæ Anno 1563. in Constit: fol: 89. sub titulo* **Statut Alexándrow** statutum est. Statutum ALEXANDRI de bonis mensæ Regiæ declarando consentimus, ut in hæreditatem, & in feudum perpetuum non dentur. Obligationes & inscriptiones summarum in bonis ijsdem, si propter gravem necessitatem Reipub: deberent fieri, id in Comitijs generalibus Regni tractetur, & de consensu omnium unanimi, ad extenuationem concedatur, & id in Constitutione illorum Comitiorum exprimatur, pro qua necessitate Reipub:, & in qua summa & quæ bona concessa sunt, obligari: exceptis Castris principalibus, & bonis magnæ Procurationis & Terrà Sandomiriensi.

Js idem SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Anno Domini 1565. Petricoviæ fol: 106. sub tit:* **Nábycie pieniedzy/** de consensu omnium Statuum, pro hac sola vice bona mensæ Regiæ obligaverat in summa quingentorum millium florenorum Polonicalium, cautum tamen est, vt nemini ex Ducali genere obligentur, & exceptis Castris principalibus, & Iudiciarijs, bonis magnæ Procurationis, & Terrà Sandomiriensi, de quo videatur etiam Constitutio *Anni 1567. fol: 132 sub titulo* **O zastáwie dobr Krolewskich.**

CASIMIRVS III. in Conventu Nieſovienſi *Anno D.* 1454, quòd Caſtra & Terræ principales non ſint obligandæ, ſic ſtatuit: Cùm bona & poſſeſſiones menſæ noſtræ Regalis, nedum pro Perſona Noſtra, ſed & pro tuitione & conſervatione Regni totius, ſint à principio ordinata, pollicemur: quòd non ponemus in obligationem, pro pecunijs, Caſtra & Terras Principales ſeu capitales, in quibus Capitaneatus conſiſtunt. Et ſi quis à Nobis huiuſmodi Terras, aut Caſtra, ſic in obligationem receperit, pecunias per eum datas amittat. *Ita refert Herburtus ſub titulo: Bona Regalia fol: 52. Ianuſſovius fol: 90.*

Quod Statutum CASIMIRI SIGISMVNDVS AVGVSTVS, *Petricoviæ Anno D.* 1562. *fol: 14. ſub tit:* **O Státucie Królá/** ſic declaravit. Jnprimis Statutum *Regis* CASIMIRI III. Avi Noſtri ſic declaramus; quòd ſicut omnia alia, ſic & hoc non debet intelligi & interpretari, niſi juxta proprium verborum ſenſum & tenorem, ſic etiam non ſe extendit, nec poteſt extendi, niſi ad Terras ſeu Diſtrictus & Caſtra principalia, in quibus Capitaneatus conſiſtunt: hoc eſt, ad Diſtrictus, Terras, Caſtra capitalia, aut juriſdictionem & Iudicia habentia authoritate brachij *Regalis.*

Jtem quòd ſicut ante hoc *Statutum*, liberum erat Regi CASIMIRO, & ſuis Anteceſſoribus Regibus, Terras & Caſtra principalia ſine vllo dubio obligare, ſic etiam jàm poſt conditum hocce ſtatutum, neq; Terras, neq; Caſtra principalia, in quibus Capitaneatus conſiſtunt, hoc eſt *Capitaneatus quos Principales ſeu Diſtrictuales appellant,* in obligationem in toto (hoc eſt **ogółem**) illicitum erat. Sicut olim Leopolis, Seradia, Dobrzyn, Sendomiria, &c. obligabantur, & hoc ideo, ne Regnum diſtrahatur, vel etiam ideo, ne Capitanei emptores, jam non vt Capitanei, ſed prout bonorum poſſeſſores adminiſtrarent juſtitiam. Et ſicut hoc *Statutum*, ſolùm ad Terras & Caſtra principalia non obliganda ſe extendit, ita ad illa minutiora bona, hoc eſt oppida, villas non poteſt ſe extendi. Nam non clauſit ſibi manum Rex quin in parte, hoc eſt ſeparatim, & diviſim Oppida, Villas & alios fundos non poſſet obligare aut donare. Et ſic ejuſmodi obligationes & donationes in toto conſervamus, nec executioni ſubeſſe debere adinvenimus, vſq; ad Statutum Reg*is* ALEXANDRI. Quod ſicut ſe in vniverſa bona Regalia extendit, ſic etiam ab eodem Statuto, donationes, & obligationes omnium bonorum Regalium, ſive hoc jam Caſtra principalia, ſive magna Procuratio, ſive quæcunq; alia bona Regalia

juxta

juxta speciale *Statutum*, & juxta *Reformationem Reginæ* Sophiæ executioni subjacent.

Hoc etiam necessarium adinvenimus, quòd si aliquis adinventus esset, habens summas super ijsdem Capitaneatibus, & per executionem esset abjudicatus, & hæ summæ antea illi vel Majoribus suis obvenissent, circa exdivisionem bonorum hæreditariorum, tunc talis abjudicatus, poterit exdivisionem bonorum hæreditariorum petere, nec illi, bona hæreditaria tenens, potest præscriptionem aliquam, aut vadia apposita opponere. Cum hac tamen declaratione: si bona Regalia tenens majores proventus ex illis percipiebat, quàm percepisset ex parte in bonis hæreditarijs sibi exdivisa, vt elocatio amicorum fiat, & decisioni illorum stetur. Et si per decisionem amicorum agnitum est, majores proventus ex bonis Regalibus percepisse, & nollet tali agnitioni amicorum elocatorum acquiescere, & recompensare huic, cui bona hæreditaria obvenerunt: tunc hic propior erit ad juramentum respectu impensarum (si aliquas fecit,) in bonis hæreditarijs, cujus juramento solius debet ille stare, qui bona Regalia tenebat, & impensas reponere. Quodsi præter bona Regalia, ex bonis hæreditarijs circa exdivisionem participavit, tenetur id quoq; comportare. *vide plura ibidem.* Sequitur de Terra Sandomiriensi non obliganda *Statutum* CASIMIRI III. *apud Herburtum loco citato fol: 50. & apud Ianussovium fol: 86.*

CASIMIRVS Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæq; Dominus & Hæres, &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, vniversis, tam præsentibus, quàm futuris. Quomodo attendentes fidei constantiam, & eximiæ affectionis in Nos & *Rempub:* Regni Nostri devotionem per Magnif. Ioannem de Rythwiany, Palatinum Cracoviensem militem & Consiliarium *Nostrum* sincerè dilectum, rarâ & singulari liberalitate, monstratam, per quam Joannes ipse Palatinus, & voluntatem germani sui olim Derslai *Castellani* Crac: & *Capitanei* Sandom: impleturus, & benevolentiam propriam erga Nostram Personam primū, deinde erga Rempub: Regni Nostri, & zelum singularem ostensurus: Terram Sandomir: cum *Castro*, Civitate, cæterisq; oppidis, & villis, teloneis, pontalibus, & vniversis censibus, proventibus, & introitibus, ad illam quoquo modo pertinentibus: relaxando & dimittendo, simpliciter & nudè notabiles pecuniarum summas, quas à Nobis, & germano Nostro D. VLADISLAO, Vngariæ & Poloniæ *Rege*, in dicta Terra *Sandom:* Castro, Civitate, oppidis, &

villis, vterq; eorum habebat obligatas & inscriptas. Literas quoq; diversas Nostras, & præfati germani Nostri D. VLADISLAI Regis (in quibus inscriptio & obligatio præfatarum summarum) in potestatem Nostram, per manus Venerabilis D. *Stanislai* de Kurozwiaki Regni Nostri Vice-cancellarij restituit: de Terra quoq; prædicta *Sandomir:* castro civitate oppidis, & villis effectualiter & ad integrum, nihil sibi aut successoribus suis, juris, proprietatis, & dominij in eisdem relinquendo, excesserit spontaneâ, vltraneâ, & merâ sua voluntate, pro *Regni* sui augmento & profectu. *Ne* itaq; casu aliquo sinistro (quod DEUS avertat) vel eventu, voluntatem suam optimam, in augmentum Regni *Nostri* & *Reipub:* ordinatam, contingat quoquo modo infringi, vel deformari; tenore præsentium in verbo *Nostro* Regio promittimus, pollicemur, & Nos fide bona adstringimus, inscribimus & obligamus: Quòd præfatam Terram *Sandomirien:* castrum, civitatem, oppida & villas in toto, vel in parte, per ipsum Joannem Palatinum Nobis resignatam, & donatam, nulli hominum cuiuscunq; conditionis, statûs, vel eminentiæ, in quacunq; Nostra, & Regni Nostri necessitate, eventu, vel successu, casu, infeudabimus, inscribemus, vendemus, donabimus, obligabimus, locabimus ad tempus, & ad vitam in perpetuum; vel aliàs quoquo modo: nec aliquam summam pecuniarum parvam aut magnam, etiam ad extenuationem, arendationem, vel locationem, aut sub nomine extenuationis, arendæ, vel locationis in eadem Terra, castro, civitate, oppidis & villis, aut aliquo præmissorum, in parte, vel in toto inscribemus, vel inscribi faciemus, scienter vel ignoranter, directè vel indirectè, vel quâvis exquisitâ causâ, occasione, vel colore. Omnes tamen occasiones & colores artes, causas, calliditates, fraudes ingenij quàcunq; subtilitate excogitatas, scriptas vel interpositas, nulli hominum, cuiuscunq; conditionis, statûs, sexûs, vel praeeminentiæ existat, qui contra Nostram ordinationem, in toto vel in parte excesserit, aut illi contravenerit, aut illam violaverit, volumus in aliquo suffragari, aut in excusationem vel purgationem sui sceleris, suæq; prævaricationis pænæ & reatûs trahi.

Si autem præsenti *Nostræ* promissioni, pollicitationi, astrictioni, inscriptioni, vel obligationi contravenerimus, & eam violaverimus, in toto vel in parte: & aliquam infeudationem, inscriptionem, donationem venditionem, & obligationem de dicta Terra Sandomiriensi, ejusq; castro, civitate, oppidis & villis, censibus, telone-

teloneis, & quibuſcunq; reditibus fecerimus: exnunc talem infeudationem volumus & decernimus eſſe caſſam & irritam, nec vnquam vllum poſſe obtinere robur: velut eam, quæ in damnum Reipublicæ Regni Noſtri procederet, læſionem & offenſam. *S*ed & perſonam cuiuſcunq; ſtatûs & conditionis exiſteret, quæ inſcriptionem & infeudationem ſuper dicta Terra Sandomirienſi, caſtro, civitate, oppidis & villis, à Nobis vel *S*ucceſſoribus *N*oſtris ſuſciperet: læſæ Majeſtatis, læſæq; *R*eipub: ream eſſe decernimus; *N*oſtrumq; ac Regni Poloniæ publicum hoſtem & defraudatorem declaramus: habebimuſq; facultatem *N*os & Succeſſores Noſtri, quin & Conſiliarij *R*egni Noſtri habebunt, hominem tam impium & ambitioſum, à præfata Terra *S*andomirienſi, caſtro, civitate, oppidis & villis, aut parte earum, quamcunq; occupaverit, abſq; omni jure, & ſtrepitu judicij, amovendi & expellendi tanquam communis boni hoſtem & perturbatorem. In cujus rei teſtimonium, ſigillum *N*oſtrum præſentibus eſt ſubappenſum. Actum in Conventione generali Petricovienſi, feriâ quintâ ante Dominicam *Eſto mihi. AnnoDomini 1478.* Præſentibus Reverendiſſimo & Reverendis in Chriſto Patribus, Dominis, Iacobo *S*anctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo & Primate, *S*bigneo Vladislavienſi, & Andreâ Varmiẽſi Epiſcopis: necnon Magnificis & Generoſis Matthiâ de Bnin &c. cæteriſq; Dignitarijs & Officialibus *R*egni *N*oſtri, & Curienſibus quàm pluribus. Datum per manus Venerabilis Stanislai de Kurozwiaki Regni Poloniæ Vice-cancellarij.

Hoc Statutum CASIMIRI, & alia Privilegia aliorum Regum de non obliganda ampliùs Terra Sandomirienſi ALEXANDER *R*ex confirmavit *Anno Domini 1502. Cracoviæ (prout refert Herburtus in Statuto ſuo ſub titulo Confirmatio Iurium fol: 105. & Ianuſſovius fol: 89.) ſub tenore ſequenti.*

Nos ALEXANDER &c. ſignificamus. Quia licèt in ſacris Majeſtatis Noſtræ primitijs (dum videlicet Principes *S*pirituales & *S*æculares cæteriq; Prælati, Barones, & Regnicolæ Noſtri, felici aderãt Coronationi Noſtræ) vniverſa Privilegia, per Divos olim Anteceſſores Noſtros, videlicet LVDOVICVM, aliàs LOYS, CASIMIRVM antiquũ VLADISLAVM Avum, & VLADISLAVM Patruum, CASIMIRVM *P*atrem, & JOANNEM ALBERTVM germanum, alioſq; Reges, *R*eginas, Principes, Prædeceſſores Noſtros ejus *R*egnicolis conceſſa, promiſerimus tenenda: tamen inſuper, vt ipſi pro eorum in Nos fide & beneuolentia perpendant ſe proinde gratiarum *N*oſtrarum affectus, & in præ-

in præſenti conſecutos & omni tempore conſecuturos procul dubiò (quà quidem benevolentiâ ſuâ Nos poſt mortem ejusdem ALBERTI, ad hoc inclytum Regnum *Poloniæ* jure Electionis eorum liberæ Deiq; Optimi favente clementiâ, vnanimiter elegerunt Regnaturum) decernimus ex ſpeciali virtute & munificentia Noſtra per literas Noſtras perennes, promiſſionem Noſtram illam efficere firmiorem; vnde ſicut quibuslibet petentibus confirmationem Privilegiorum, ab eisdem olim Antеceſſoribus *N*oſtris habitorum, hactenus dare conſvevimus: ſic totius Nobilitatis Terræ Noſtræ Sandomirienſis, Privilegia, inſcriptiones, libertates, conceſſiones, exemptiones, prærogativas, indulta, & alia munimenta, per quoſcunq; Reges, Reginas & Principes *P*rædeceſſores Noſtros; eiſdem ſimul, aut diviſim, prædictæq; Nobilitati Terræ Sandomirienſis, data & conceſſa, dataſq; & conceſſas juſta, & legitima, juſtaſq; & legitimas (quorum quarumq; tenores, perinde eſſe, & valere voluimus; ac ſi idem *N*oſtris de verbo ad verbum, inſerta inſertæq; eſſent) in omnibus eorum earumq; tenoribus, paſſibus, capitulis, conditionibus, clauſulis, & articulis, duximus ex gratia ſpeciali, virtute & munificentia Noſtra Regia, confirmanda, approbanda & roboranda, confirmandaſq; roborandas, & approbandas: prout confirmamus, approbamus, & roboramus: decernentes ea & eas perpetui roboris vim habituras tenore præſentium mediante, in æternum.

De bonis ad Procurationem generalem Cracovienſem ſpectantibus non obligandis.

*S*tatuit VLADISLAVS JAGELLO *Anno D.* 1540. *vt refert Herb: vbi ſupra f:* 49.*Ianuſ: f.* 85. *his verbis.* VLADISLAVS JAGELLO Rex Poloniæ, Lithuaniæq; Princeps *S*upremus Dominus, & Hæres, Ruſſiæ &c. ac Electus Regni Vngariæ, *S*ignificamus tenore præſentium, quibus expedit, vniverſis. Quomodo debitâ animadverſione, hujus Regni *N*oſtri dicti Poloniæ beneficia (in quo & educati, & Regij honoris culmine inſigniti ſumus) in animo revolventes; volenteſq; ipſa beneficia, de ipſo Regno ſuſcepta, omni curâ, ipſi *R*egno & Coronæ *P*oloniæ, ſtatutum & ſtabilimentum procurantes refundere, quod maximè tunc videmur agere, cùm ipſius Regni bona & poſſeſſiones in libero, & in obligato ordine & ſtatu, ut poſſumus præſervamus. Igitur promiſimus, ſpopondimus, ac in verbo *N*oſtro Regio promittimus, ſpondemus, & præſentis Noſtri patrocinio ſcripti *N*os obligamus: omnia bona, poſſeſſiones, civitates, caſtra, oppida, villas, molendina, piſcinas, lacus, & alia bona, qui-

buſcunq;

buſcunq; ſpecialibus vocitentur nominibus ſeu vocabulis, quæ ad præſens & hactenus ad Procurationem Cracovienſem generalem ſpectant & pertinent, propter Regni Noſtri ſæpefati Poloniæ neceſſitatem, & firmum ipſius ſtabilimentum in libera conſeruantia & inobligata ſeruare, ſtare, tenere, & habere volumus: ita; vt nulli hominum, cujuſcunq; conditionis, aut ſtatûs, & præeminentiæ fuerint, dicta bona, vel eorum aliquid, quæ ad Procurationem Cracouienſem generalem ad hactenus pertinent, ita ut præfertur, inobligata conſeruabimus, & libera, pro hujus Reipub: & Regni Poloniæ ſtatu, profectu conſeruando, ſtare promittimus: harum, quibus ſigillum Noſtrum eſt ſubappenſum, teſtimonio literarum. Datum Cracouiæ Sabbato proximo ante Dominicam, *Iudica*, *Anno Domini 1440.*

Hoc Statutum VLADISLAI JAGELLONIS, SIGISMUNDUS AUGUSTUS, *Petricoviæ An: D. 1562. in Conſtitutionibus fol: 16. ſub titulo* **O Státucie Krolá Władysławowym/** ſic declarauit: Statutum Regis VLADISLAI, de Procuratione generali ſic declaramus: Quoniam Rex VLADISLAVS pro Perſona ſua & Prole ſua hoc Statutum de non obligandis bonis magnæ Procurationis fecit, & non ſuper hos, qui pecuniam ſuper ea bona darent, aliquam pœnam appoſuerit. Ideo adinvenimus; vt nemo ſub prætextu iſtius Statuti, pecuniam quam ſuper bona magnæ dederit, amittat, vſq; ad Statutum Regis ALEXANDRI, quod ſicut ſe ſuper omnia bona Regalia extendit, ita etiam, vt à condito illo omnes, qui ſuper bona magnæ Procurationis pecuniam dabant, aut etiam donationes aliquas obtinuerunt, huic Statuto Regis ALEXANDRI ſubjaceant. Nihilominus hoc addimus; vbi caſtra principalia adinventa fuerint, hoc eſt: vbi Capitaneatus Iudiciales, in his bonis magnæ Procurationis eſſent, tunc tales Capitaneatus executioni Statuti Regis CASIMIRI debent ſubeſſe; hoc eſt: vt ſummæ in illis inſcriptæ, pereant & amittantur. Ad hæc adinvenimus & hoc, quòd aduitalitates in iſtis bonis magnæ Procurationis non poſſunt ſubſiſtere, ſed ſemper in exemptione poſſunt eſſe: ſiquidem in toto & non diviſim debent conſervari, excepto, ſi talia bona, ante hoc Statutum VLADISLAI Regis eſſent obligata; nam ſuper talibus, aduitalitas in integro & inviolabiliter debet remanere.

Is idem SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, *Varſaviæ Anno Domini 1563. in Conſtitutionibus fol: 39. ſub tit:* **Władysławowym** prædictã declarationem ſuam confirmavit his verbis: Poſtea ſuper Statutum

Regis VLADISLAI JAGELLONIS, de magna *Procuratione*, juxta modum deſcriptum in *Conſtitutione* Comitiorum præteritorũ, literas quoq; revidimus cum tali interpretatione & cautione; ſicut in Conſtitutionibus deſcriptum eſt.

Ne itaq; bona menſæ Regiæ, per continuas donationes, oppignorationes, & alios modos in proventibus ſuis diminuerentur; SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, *Anno Domini 1562. fol: 14.* § **A gdyż nam/** executionem antiquorum ſtatutorum de non alienandis & onerandis bonis *Regalibus* conſtituit. *Idem & Anno 1563. fol: 18.*

Erant autem executioni Statuti à CASIMIRO III. *Rege* vt ſupra lati, ſubjectæ diſpoſitiones ſuper bonis & caſtris principalibus poſt ſtatutum ejuſdem factis. *Ita Anno 1562. fol: 14. tit:* **O Státućie Krolá** &c.

Bona autem minutiora, vt oppida, villæ, non ſubjacebant executioni vſq; ad Statutum ALEXANDRI *Regis*, ſed poſt *Statutum* ALEXANDRI omnes donationes, & obligationes indiſtinctè ſubjacebant. *Ita eodem Anno 1562. fol: 15.* § **A iako ten to Státut.**

Summæ quoq; in bonis magnæ Procurationis inſcriptæ, executioni *Statuti* VLADISLAI JAGELLONIS vſq; ad *Statutum* ALEXANDRI non ſubjacebant, poſt *Statutum* autem ALEXANDRI peribant, *Ita in Anno 1562. fol: 15. tit.* **O Státućie Krolá Władysłáwá.**

Sic etiam ante *Statutum* ALEXANDRI Regis, ſummæ ſupra caſtra principalia id eſt Capitaneatus Iudiciales: & magnam Procurationem datæ & inſcriptæ, executioni *Statuti* CASIMIRI Regis ſubjacebant, hoc eſt, ſummæ illæ præſcriptæ peribant. *Ita Anno D. 1562. fol: 16. tit.* **O Státućie Krolá Władysłáwowym.**

Executioni quoq; Statuti ALEXANDRI *Regis*, perpetuitates, feuda, venditiones, fundationes Spirituales, poſt illud in bonis menſæ Regiæ factæ ſubjacebant, *ita Anno 1562. fol: 16. tit:* **O Statućie Krolá Alexándrowym/** *vbi etiam fol: 18. titulo* **O ſummách nowych** ſtatutum erat; vt omnes ſummæ poſt hoc ſtatutum inſcriptæ executioni ejuſdem ſtatuti ſubjacerent, exceptis ſummis, quæ pro bello Pruſſico (atq; ita in evidentem vtilitatem Reipub:) datæ erant.

Feuda quoq; Ducum Pruſſiæ & Pomeraniæ non ſubjacebant executioni, *Itá dicto Anno 1562. fol: 17. tit:* **O ſummách § zoſtáwuiąc w mocy.** Similiter nec donationes in Ducatu Maſoviæ, vſq; ad SIGISMVNDVM I. Regem, *d. fol: 17.* § **Co ſie tknie** *. Idem & Anno 1598. fol: 690. tit.* **O pozwiech.** Simi-

Similiter bona confiscata, & post Statutum ALEXANDRI Regis Successoribus data non subjacebant ejusmodi executioni. *Ita Anno 1562. fol. 24. titulo.* **O sadzeniu stárych.**

Neq; Terra Podlachiæ subjacebat. *Ita Anno 1569. fol: 151.* § **Nád to osobliwie.** *Idem & Anno 1588 fol: 479. titulo* **Podniesienie Pozwow.** *Idem & Anno 1601. fol: 730.* § **Nie includuiąc w to.** *Idem Anno 1687: fol: 848. tit.* **O Przywileiu Podláskim.**

Similiter, nec Terra Wołhyniæ, & Bracłaviæ. *Ita Anno 1569. f. 158.* § **Ktemu znayduiemy.** *Idem & Anno 1590. fol: 576. titulo.* **Kwartá z Woiewodztw Wołynskich.**

Similiter nec Ducatus Kijoviensis. *Ita Anno 1569. f. 165.* § **Ktemu znáyduiemy.**

Neq; Magnus Ducatus Lithvaniæ, dicto *Anno 1569. fol: 176.* § **Opátruiemy tesz dostatecznie.** & *fol: 195. ibidem* § **A iż dla zdłużenia**

Similiter Feuda Russiæ & Podlachiæ non subjacebant executioni vsq; ad Statutum ALEXANDRI Regis *Anni 1504. Ita Anno 1576. f. 281. tit:* **Feudá Ziemi Ruskiey.**

Similiter *Anno D. 1588. fol: 457. tit:* **Zamknienie Exekucyey** in Terris Russiæ & Podoliæ, hæc executio clausa est. *Idem & Anno 1601. fol: 746. tit.* **O zamknieniu exekucyey.**

Similiter & in Prussia *Anno 1598. fol: 201. tit:* **Zawárcie execucyey w Prusiech.**

Tandem hæc executio Statutorum de non alienandis bonis mensæ Regiæ vbiq; clausa est. *Anno 1607. fol: 841. tit:* **O nieoddániu** &c. *his verbis:* Executionem Statutorum de non alienandis bonis mensæ Regiæ factorum claudimus, & juxta præscriptum juris super hoc lati Nos geremus. Et processus omnes post datam constitutionē *Anni 1588.* intentatos vti contrarios huic constitutioni cassamus.

Unde Rex, omnia bona, jure caduco, vel per donationem, vel inscriptionem, aut quovis modo ad se pertinentia, disponere potest, & illa conferre, dummodo Nobili Polono, *Ita statutum est Anno D. 1562. fol: 26. tit:* **Dobra ná Krolá Jego Mości.**

Anno D. 1638. fol: 4. § **Dobra záś** sic cautum est. Bona magnæ Procurationis, prout antiquitus erant, in integro conservantur, & si aliquis ex bonis ejusmodi impetrásset, aut antea impetratis per sex menses post publicationem Constitutionis huius quovis titulo vteretur, talis pœna peculatûs in Comitijs ad instantiam Instigatoris ex delatione Thesauri, aut alicuius Nuntij Terrestris vindicandâ puniatur.

§ I.

De Commutationibus, aliàs *Frymárkách.*

ANno D. 1562 f. 19. sub tit. **O frymárkách/** SIGISMVNDVS AVGVSTVS sic de commutationibus bonorum Regalis mensæ disposuit. Cõmutationes omnes cum damno Reipub: debent revocari; sed quia ejusmodi commutationes sint ne cum damno Reipub: vel cum vtilitate? cùm non possent tunc cognosci, ideo constitutum erat, vt ex qualibet Terra, certæ personæ deputarentur, ad inquirendum & connotandum magnitudinem & bonitatem ejusmodi bonorum, quæ & Regi sunt data, & Rex dedit, & vt ejusmodi inquisitio & connotatio in proximis Comitijs præsentaretur; & tunc temporis ex tali inquisitione faciliùs poterit cognosci & decidi, in quibus bonis Resp: damnum habeat; & demum per Rempub: hæc damna in talibus commutationibus discernentur & decidentur. Et in posterum, si Nos ex Nostra parte, vel alius ex parte sua commutationem cum bonis Nostris desideraret, debent priùs Revisores deputari in Comitijs, & postea sumptâ informatione sufficienti de vicinitate & proventibus & de alijs circumstantijs, in Comitijs generalibus, omnium Ordinum consensu accedente, concludantur. Hoc quoq; ibidem additum est: quoniam vim commutationis sapit, si aliquis obtentis aliquibus bonis à Nobis, villam aliquam Nobis dedisset, aut summam antiquam, quæ ante Statutum posset subsistere, & demonstrâsset hoc manifestis documentis, quòd Nos talem villam, in qua bona & antiqna summa fuit, ab illo acceptavimus, licèt hoc in privilegio donationis, non esset expressum, tunc si hoc manifestè fuerit deductum, tenebimur illi eandem villam cum tali summa restituere, quoniam illius donatio, ante jus commune non poterat subsistere, & cognitio hujus in Comitijs debet fieri.

Js idem SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, *Varsaviæ Anno D. 1563. fol: 39. sub tit:* **Rewizorowie/** priorem Constitutionem de mittendis Revisoribus ad bona mensæ Regiæ reassumpsit *his verbis:* Satisfaciendo Constitutioni præteritæ, Revisores ad omnia bona Nostra tam quæ in possessione & dispositione Nostra sunt, quàm quæ per decreta Nostra sunt judicata, mittimus juxta tenorem Constitutionis in Comitijs præteritis, ad revidendum, & describendum proventus, quorum dedimus illis memoriale, vt scirent ad quæ bona deberent ire, licetsi in possessione Nostra non sint, omnium bonorum

rum & proventuum mensæ Nostræ Regiæ; illis exceptis, in quibus sunt summæ antiquæ bene adinventæ, & adjudicatæ.

Is idem SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, in eadem Constitutione *Anni 1563. fol. 41. sub tit:* **Frymárki/** reassumpsit superiora his verbis: Commutationes omnes ijdem Revisores revidere tenebuntur vnà cum Capitaneis, aut illorum Vicesgerentibus.

Is idem SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Anno D. 1567. Petrikoviæ fol: 130. sub tit:* **Frymarki**, decrevit, ne commutationes sint validæ, quarum revisio non fuerit facta, & in Comitijs approbata.

Js idem Rex *Anno D: 1566. fol. 124. sub tit:* **Rewizya.** Commutationes in Comitijs expeditas & judicatas, in suo robore conservavit. Et quæ non sunt revisæ, vt ab ijsdem Deputatis revideantur, & hæc revisio ante Comitia futura expediatur.

Js idem *Rex Anno 1567. fol. 130. sub tit:* **Frymárki** statuit, vt commutationes, quæ non fuerint revisæ per Deputatos in Comitijs, & postea non approbatæ in Comitijs, nullius sint valoris.

Js idem *Rex, Anno 1569. f. 152.* **§ nád to iz** &c. Cōmutationes in Terra & Districtu Bielensi per Gasztoltū Palatinum Vilnensem, Cancellarium M. D. L. factas in perpetuum approbavit.

Js idem Rex *Lublini Anno D. 1569. fol. 186. §.* **Frymárki dobr naszych** constituit, vt commutationes bonorum mensæ Regiæ, cum quocunq; factæ, juxta ordinationem Constitutionum fiant & concedatur. Quæ dum in Comitijs de consensu Ordinum approbatæ erunt, in Acta Comitialia, quæ nunc instituimus, inscribantur, quorum actorum liber vnus penes Cancellariam Nostram, & alter liber penes Thesaurum & Deputatos conserventur, & ad Comitia advehantur. Et insuper is cum quó commutatio fiet, in primis judicijs Terrestribus post Comitia, literas commutationis factæ præsentet, & ab eodem Iudicio Terrestri, ministerialem ad intromittendum accipiat. Quamvis quæ commutationes in præteritis Comitijs sunt finitæ, in suo robore conservantur.

Tandem SIGISMVNDVS III. Rex Varsaviæ *Anno D. 1598. fol. 692. sub tit:* **O frymárkach stárych.** Omnes antiquas commutationes cum Antecessoribus Nostris factas, quæ in revisione sunt acceptatæ, & in Comitijs ad *Annum 1596.* approbatæ, in suo robore in perpetuum conservavit. Novæ autem commutationes juxta eandem Constitutionem *Anni* 1596. vt remaneant.

Anno D. 1589. fol. 531. sub tit: **Káuzy frymárkow**, is idem SIGISMVNDVS III. Rex statuit, vt in Magno Ducatu Lithuaniæ

commutationes, quæ tempore Antecessorum Regum, cum bonis Nobilium factæ sunt, solus Rex idq; in Lithu: judicet, in quantum aliquis vellet bona commutata jure vindicare: & Iudices causas tales ad judicium Regium remittant.

Anno D. 1576. f. 305. sub tit: **Zamiána**, in exceptis Ducatûs Masoviæ hoc habetur: quòd bona in Ducatu Masoviæ commutata sicut & donata inter Nobiles coram Actis Terrestribus vel Castrensibus inscripta non possunt jure retractûs seu propinquitatis acquiri.

Anno D. 1590. fol: 587. sub tit: **Zámianá Surážká**. Commutatio certorum bonorum, pro bonis **Suraz** cum Jllustri & Magn: D. Leone Sapieha, Cancellario M. D. L. & Fratribus illius facta est, & privilegium extraditum.

Anno D. 1607. f. 852. sub tit. **Approbácya**. Commutatio bonorum **Porcby/ Niedwiedzie/** & aliorum, pro salisfodinis à D. Sebastiano Lubomierski, sumptu ejusdem in bonis suis hæreditarijs factis, & pro villa **Lednicá** ejusdem facta, ex quo, ex revisione per Deputatos expedita patuit, esse æquivalentia bonis Regalibus, perpetuis temporibus approbata est, & privilegium extraditum.

Anno D. 1611. f. 46. sub tit. **Zamiána wśi Sáwic**; commutatio villæ præfatæ in Capitaneatu Słoninensi jacentis, respectu fossæ & ductûs aquæ, ex fluvio Isoroka, per bona **Szyłowieckié/** Dominorum Niemierow, ad stagnum sub **Słonino** ab Jllustri & M. D. Leone Sapieha Cancellario & Capitaneo protunc Słoninensi, magno cum sumptu elaboratum, cum Dominis Niemierowie facta, in perpetuum approbatur.

Anno D. 1641. fol. 27. sub tit. **Zámiáná**. Commutatio fundorum desertorum. **Wolczátyce** & **Sukrow/** respectu stagni Othyniowski in Terra Leopoliensi, Districtu Zydavicensi jacentium per Commissarios legitimè facta & decreto Comitiali firmata, authoritate Comitiorum approbatur.

Anno D. 1641. f. 31. sub tit: **Approbácya**, Cõmutatio fundorum villarum **Gutkowo** & **Jágwizdow** ad **Lopácino** pertinentium, per Commissarios in Comitijs *Anni 1631.* deputatos legaliter expedita, & ad Acta Terrestria Varsaviensia porrecta, authoritate illius Conventûs in toto approbatur.

Anno D. 1647. fol: 35. sub tit. **O Frymárkách stárych/** declaratũ est, qvòd commutationes antiquæ in Palatinatu & Terris Russiæ juxta Constitutionem *Anni 1569.* in nullum dubium vocari deberent, & quòd in posterum revisiones super Revisiones, ex Cancel-

laria

laria Regni non extradentur, & extraditæ nullitati subjacebunt.

Anno D. 1678. f. 30. sub tit. Commutatio. Commutatio villæ **Bohutycze** & **Kopylowo**/ ita vt in posterum **Kopytlow** ad Capitaneatum Hrubinensem, & **Bohuty**/ ad Capitaneatum Grabovensem spectent, approbatur.

Approbationes aliarum commutationum omitto, nam vnus quisq; dum opus illi fuerit, poterit in volumine Constitutionum adinvenire, cùm particulares sint.

§ II.

De Oëconomijs mensæ Regiæ.

ANno D. 1589. *fol: 517. tit: Rationes,* statutum erat, vt obtinens super Oëconomijs mensæ Regiæ aliquod jus, cum illo, pro cognitione in Comitijs generalibus peremptoriè compareret.

Anno D. 1590. fol: 577. tit. Rationes. cautum erat, ne aliquis auderet impetrare privilegium ad Oëconomias mensæ Regiæ, sub pœnis de non obliganda Terra Sandomiriensi.

Anno D. 1593. fol. 644. tit. **Libertácyá**/ vt Oëconomia Samborensis ab omnibus obligationibus, confœderationibus, incursionibus, quarumcunq; personarum esset libera, sub pœna peculatûs in delinquentes extendenda.

Anno 1601. fol. 719. § **Ci tedy**/ statutum erat, vt Oëconomiæ omnes mensæ Regiæ lustrationi protunc institutæ subessent, exceptis Capitaneatibus & Tenutis, super quibus, aduitalitas data erat, ita tamen, vt per duos annos, duplicem Quartam ex illis prout & alij Capitanei solverent, & in posterum, semiduplam, juxta ordinationem huius Constitutionis. Ab hac tamen lustratione, excepta erant telonea, Fodinæ aliàs **Zupy**/ Oëconomiæ Samborensis & Mariæburgensis, tum magna Procuratio Cracoviensis, sed solùm duplicem Quartam ex illis solverent, ad tempus supra præfixum: in posterum autem sic, prout & alij Capitanei aduitalitij, semiduplicem Quartam.

Ibidem fol: 730. § **Niemáią tez**/ statutum erat; ne huic lustrationi subiacerent villæ Oëconomiarum à Serenissimo protunc Rege jure aduitalitio, ante Constitutionem *Anni 1590.* alicui datæ; nihilominus, vt Possessores Quartam alteram juxta ordinationem dictorum Comitiorum solverent. In posterum Serenissimus Rex reservavit sibi, quòd possit semper jure aduitalitio ejusmodi bona post lustrationem dare & distribuere, non obstantibus constitutionibus de Oëconomijs latis.

Anno Domini 1611. fol: 38. sub. tit: **Porzadek Elekcyey. z Oekonomiey**, cautum est; ne Oeconomiæ mensæ Regiæ, vltra has quæ sunt assignatæ, sine speciali consensu Ordinum augeantur: & vt Serenissimus Rex, assignatas juxta jus & Privilegia disponat.

Idem habetur & in Constitutione *Anni 1633. fol: 31. tit:* **Oekonomie**: *tenoris sequentis*; Oëconomias sinè consensu Reipublicæ, tam in Regno, quàm & in Magno D. Lit: vltra has, quæ in jure descriptæ & concessæ sunt, & ab antiquis temporibus, Oeconomijs sunt junctæ, non augebimus. Quodsi aliquis aliquam Oeconomiam vltra jus descriptum auctam, arendaret, aut administraret, talis ad cuiusvis instantiam ad Tribunal Regni citatus inter causas Officij, pœnâ peculatûs puniatur. Et quoniam ex antiquo jus est, ne Oeconomiæ, telonea, & omnia alia bona ad mensam Regiam pertinentia, pensionibus, aliàs **Jurgieltámi/** dationibus: aliàs **daninámi** onerentur. Ideo conservando in toto Privilegia horum, qui à dignæ memoriæ Serenissimo Rege, Parente Nostro, & à Nobis in Comitijs felicis Coronationis Nostræ obtinuerunt, cavemus in posterum, ne Privilegia talia, ad Oeconomias, & alios proventus ad mensam Regiam pertinentes ex Cancellaria Nostra, post publicationem Constitutionis præsentis, extradantur. Et si aliquis illa obtineret, pœnis *Anni 1590.* & statuto de non obliganda Sandomiriensi Terra expressis subiaceat, & talia Privilegia nullitati subiaceant. Post decessum autem prædictorum Possessorum, omnes Oeconomiæ & proventus mensæ Regiæ, debent ad mensam Regiam reverti, & hæc sicut & alia bona mensæ Regiæ Nostræ, non distribuemus.

Anno D. 1633. fol: 26. tit: **O dobrách Krolá Jego Mośći** cautum est; ne bona mensæ Regiæ Personis Spiritualibus in administrationem vel arendam dentur, nec pensiones ijsdem in bonis ejusdem assignentur. Salvis protunc Possessoribus.

Anno D. 1635. fol: 6. tit: **O dobrach stołu Náßego**, sic ordinatum est; bona ad mensam Regiam spectantia, tam in Regno, quàm in M. D. L. & proventus illorum, nullis summis, pensionibus, aduitalitate, levibus arendis, tam ad vitam, quàm ad meliorem provisionem, nec etiam ad beneplacitum, ad diminutionem proventuum mensæ Regiæ onerentur. Neq; aliquis Privilegia talia impetrare audeat, sub pœnis, de Oeconomijs Regni in Constitutione *Anni 1590.* descriptis. in Magno autem D. L. sub amissione bonorum ad instantiam Instigatoris, juxta ordinationem in Constit: *Anni 1607.* de processu Thesauri seu Fisci descriptam. Prout omnia Privile-

gia &

gia & literæ pro pensionibus extraditæ post Comitia felicis Coronationis protunc; sicut & libertationes civitatum & oppidorum tam in Regno, quàm in M. D. L. & quæcunq; diminutionem proventuum mensæ Regiæ continerent; qui pro mensa ex antiquo essent ordinati, & Constitutionibus Comitialibus confirmati, cassata annullata & mortificata sunt. *S*ub hanc Constitutionem cassationis & nullitatis privilegiorum subjecta sunt & bona ad Oeconomias mensæ Regiæ, super quibus si aliquis impetrâsset sibi libertatem, ne ex illis, ad Thesaurum Regium aliquid, aut pensionem assignatam, solvat, talia bona is amittat, processu Thesauri seu Fisci super hoc convictus. *S*uper quo Domini Cancellarij vtriusq; Gentis, memores officij & iuramenti sui, diligenter vt invigilarent, ne privilegia huic iuri contraria, ex Cancellaria extraderentur aut sigillarentur, iniunctum est. Similiter & Dominis Thesaurariis, ne talibus hominibus possessionem dent. Et propter sufficientem notitiam de ordinatione bonorum mensæ Regiæ in M. D. L. tam ex ipsismet Oeconomiis, quàm tenutis & sylvaticiniis privilegium eo nomine à *S*erenissimo *S*IGI*S*MVNDO III. Rege, Magno Ducatui Lith: datum, in pactisq; VLADISLAI IV. *R*egis mentionatum, vt in volumen legum (vbi ante fuit) insereretur mandatum est, cum hac tamen melioratione, quòd contravenientib⁹ huic privilegio & juri non violenter tenutæ recipiantur, prout in se privilegium continet, sed viâ juris, in processu Thesauri seu Fisci descripta, ad amissionem Tenutarum, & alias pœnas agâtur. Et hæc omnia bona; quæ privilegijs separatis ab Oeconomijs à Serenissimo SIGI*S*MVNDO III. *R*ege datis concesa sunt post decessum modernorum Possessorum, ad easdem Oeconomias revertantur, & privilegia non ampliùs, sub nullitate eorundem, extradantur.

Anno D. 1638. fol: 3. sub tit. **O Oekonomiách** statutum est, si aliquis Oeconomias & alia bona mensæ Regiæ, quocunq; titulo impetrâsset, & illa intra sex septimanas, post publicationem præsentis Constitutionis ad dispositionem Thesauri *R*egni non reddidisset, pœnâ privationis, triplicis pensionis & peculatûs puniatur. Forum, Comitia generalia, ante omnes causas etiam criminales, processus fisci, terminus peremptorius ad instantiam Instigatoris ex delatione Thesauri. D. autem Thesaurarius sub pœna privationis officij, ad delationem *N*untij Terrestris cuiuscunq; Palatinatûs, acceptis ijsdem bonis in possessionem suam, eadem Nobili Polono plus offerenti arendet, contractum conscriptum ad Acta Metricæ Thesauri

porrigat, proventum autem in necessitatem mensæ Regiæ; & alia cum scitu Regio convertat. Ex Capitaneatibus autem Iudiciarijs, ad mensam Regiam ex antiquo pertinentibus, tres partes proventuum ad mensam Regiam, & quarta pro Quarta, & quinta pars Tenutarijs cedat, ordinatum est. *Ibidem*

Jtem bona magnæ Procurationis Cracoviensis, in integro, prout antiquitus erat, conservata sunt. Et si aliquis ex istis bonis aliquid impetrâsset, aut ante obtinendo ad sex septimanas post publicationem istius Constitutionis, quocunq; titulo teneret, pœnâ peculatûs in præfato foro puniatur. *Ibidem.*

Jtem in teloneis, fodinis, & in alijs bonis ad mensam Regiam spectantibus pensiones, donationes, in sale vel in pecunia impetrâsset, aut in posterum impetraverit; aut administrator horum proventuum, taliter impetrata extradiderit, tam ille; quàm ipse pœnâ decem millium marcarum, parti & Iudicio per medium solvenda, ad instantiam Instigatoris, aut *Nuntij* Terrestris, ex quocunq; Palatinatu, in foro præfato puniatur. *Ibidem.*

Jtem injunctum est Dominis Cancellarijs vtriusq; Gentis; ne privilegia ad diminutionem proventuum mensæ *Regiæ* audeant sigillare. *Ibidem.*

Jtem administratio Oeconomiarum in M. D. L. vt fieret juxta privilegium *S*erenissimi olim SIGI*S*MV*N*DI III Regis in *C*omitijs *Anno D. 1635.* declaratum, respectu cuius Forum in Comitijs, pœna privationis, & triplicis pensionis sub pœna peculatûs. *Ibidem.*

Jtem contractus omnes cum Thesauro Regio respectu Oeconomiarum in Prussia, per hostilitatem devastatarum, ad certos annos initi, in toto conservati sunt, hoc adiecto, vt vltra annos in contractu specificatos, prolongatio non fiat, sub pœna, in foro supra scripta.

Anno D. 1641. f. 1. sub tit. **Dobrá stołu Náßego/** sic dispositũ est, quandoquidem Oeconomiæ, & bona tam in *R*egno, quàm & in M. D. L. ad mensam Regiam pertinentia, præter Constitutionẽ Comitiorum proximè præteritæ Coronationis *R*egiæ & præter recentiores Constitutiones *Anno 1535. & 1638.* descripta, in suum ordinẽ non sunt redacta, & per hoc Thesaurus Regius magnum damnum, mensa Regia incommodum habet: Ideo authoritate illius Conventûs, omnes contractus, locationes seu arendas, privilegia tam super Oeconomijs, mansis, villis, quicunq; illa possideret, donationes, aduitalitates, & novas pensiones aliàs **Jurgielty** in Oeconomiis,

nomijs, bonis, & proventibus mensæ Regiæ impetratæ, cassatæ, & annullatæ sunt. Statutumq; est; vt post publicationem istius Constitutionis, in quatuor septimanis, Administratores Arendatores, Tenutarii moderni, & omnes alii quocunq; modo horum bonorum Possessores, Oeconomica bona & prouentus, juxta Constitutionem Anni 1590. ad mensam Regiam pertinentes, Thesauro Regio de facto cedant. Arendas autem, literales contractus & privilegia vt statim post conclusionem horum Comitiorum, ad manus Regias redderent, mandatum est: statuendo contra contravenientes pœnam triplicis pensionis, sub pœna peculatûs, in Comitijs ante omnes causas criminales, processu Thesauri seu Fisci, peremptoriè ad instantiam Instigatoris ex delatione Thesauri, aut cuiuscunq; Nuntij Terrestris, decernenda. Quarum quidem Oeconomiarum bonorum & proventuum mensæ Regiæ, vt abhinc nemo nisi ex decimo grosso, ex censibus, & ex decimo manipulo, juxta taxam Thesauri, tam in Regno, quàm in M. D. L. sub ijsdem pœnis tenere, & apud Regem impetrare audeat, cautum est. *Ibidem.*

Item cautum est; vt Domini Thesaurarij vtriusq; Gentis super hoc, similiter super modo illationis pecuniæ in Thesaurum Regium juxta processum Thesauri in *Anno 1607.* tam in Regno, quàm in M. D. L. descriptum, ex officio suo, sub privatione ejusdem officij in Comitijs ad instantiam cuiuscunq; Nuntij Terrestris diligenter attendant: & contra contravenientes huic juri, viâ iuris in hac processu Thesauri expresâ, ad missionem tenutarum, & ad alias pœnas agant. Rathæ autem provenientes, ad Thesaurarios, prævià quietatione eorundem, redduntur.

Item in M: D. L. omnia hæc bona, ex quibus, sub Antecessoribus Nostris proventus ad mensam Regiam pertinebant, ad mensam Regiam, salvis modernis Possessoribus, adiuncta sunt.

In Regno autem proventus ex omnibus cocturis salis, qui in bonis mensæ Regiæ coquitur, per florenos decem, à quolibet **Ponwie** cocti salis abhinc solvatur, ordinatum est. *Ibidem.*

Et talia bona in M. D. L. & cocturas in Regno vt DD. Thesaurarii Serenissimo tunc Regi tradant, & in volumen legum inscribi faciant. *Ibidem.*

Item in M. D. L. **Derewnictwo** & **Woyskownictwo** molendina & alia bona, quæ ab Oeconomiis ceciderant, & ad mensam Regiam antiquitus pertinebant, vt D. Thesaurarius M. D. L. iure mediante, sine intermissione recuperet ordinatum est. *Ibidem.*

Capitaneatus autem Iudiciales, qui vnà cum Oeconomijs sunt, quoniam obstantibus privilegijs aduitalitijs non possunt dimitti, ordinatum est, quòd per Commissarios Regios seiunctis certis bonis pro jurisdictione ex alijs, quæ merè ad mensam Regiam assignata erunt, Capitanei, & alij Administratores bonorum mensæ, decimo grosso ex censibus, ex crescentia, decimo manipulo sint contēti. *Ibidem.*

Item; Sicut Oeconomijs Prussiæ, vigore Constitutionis 1638. specialiter serviunt contractus, ita & hac Constitutione conservati sūt. Post lapsum autem tempus, sicut & alia bona mensæ arendentur, salvis provisionibus Thesauri Prussiæ, & Capitanei Mariæburgensis, quousq; aliunde tales provisiones non fuerint adinventæ. *Ibidem.*

Anno D. 1648. in Confœderatione generali Varsaviensi fol: 17. statutum erat; vt proventus omnes Oëconomiarum & *Funsfoltu* Gedanensis & Elbingensis D. Thesaurarius recipiat. Et omnes contractus absq; scitu Thesauri initi & conscripti, nullius valoris sint.

Anno Domini 1654. fol: 7. *sub tit:* **Zastáwa Oekonomiey.** Oeconomia Novodvorensis seu Tygienensis in Palatinatu Mariæburgensi, cum omnibus attinentijs, Illustri D. Christophoro Gembicki Castellano Gnesnensi ad annos duodecem in summa ducentorum millium florenorum obligata est, privilegiumq; obligationis de consensu omnium Ordinum extraditum est: & vt Illustr: D. Thesaurarius Regni post numeratam præfatam summam, eādem Oeconomiam in possessionem realem præfato D. Castellano Gnesnensi tradat. Quod si modernus administrator ejusdem Oeconomiæ aliquo prætextu denegaverit, pœnam infamiæ subeat. Forum post Curiam assignatum est, simulq; eadem bona ab omnibus stationibus, stativis, transitibus militum, libera facta sunt. Hoc tamen cautum est, quoniam eadem Oeconomia quotannis, proventum viginti millium faciebat, D. Thesaurarius ante omnes alias expensas, ex ordinarijs proventibus Reipublicæ, ad Thesaurum Regium, singulis annis similem summam viginti millium florenorum inferat, hucusq; quousq; aut aliquod vacans non intervenerit, aut Oeconomia hæc in possessionem Thesauri Regij non venerit. Et ne Respub: diu in onere refusionis proventûs Regij cum diminutione proventuum ordinariorum sit, ex primis vacantibus Serenissimus Rex proventûs annui viginti millium floren: provideat, & illud tam diu in administratione sua teneat, quousq; Respub: prædictam Oeconomiam non exemerit.

De eadem Oeconomia Novodworscensi *Anno 1661. fol: 8. tit:* **Deklarácya Konstytucyey** statutum est; vt *Serenissimus Rex* ex primis vacantibus, quæ ad dispositionem eius pervenient, in *Regno* respectu proventûs, in hoc Capitaneatu correspondentem tenutam, dummodò non judicialem, ad mensam suam recipiat. Et si privilegia in præiudicium huius Constitutionis impetrata, vel extradita fuerint, nullius valoris sint. Cui Domini Cancellarij vt invigilent, & D. Thesaurarius Regni non ampliùs provisionem ad Thesaurum Regium solvet, sub solutione de suo, postquam Serenissim⁹ Rex hoc vacans in possessionem suam recipere mandaverit. Quòd vacans tam diu in possessione Regis remaneat, quosq; Respublica hunc Capitaneatum Novodvorscensem non exemerit. Quod si ad importunam instantiam, aliquis apud Serenissimum Regem primum vacans impetraverit, præter Constitutionem hanc, tale privilegium nullitatis sit; & impetrans pœnis arbitrarijs à Republica puniatur. *Ita in Constit: Anni 1661. fol: 8. tit.* **Deklarácya Constytucyey.**

Tandem *Anno D. 1678. fol: 17. tit.* **Kónsens**/ data est facultas Magn: D. Andreæ Gembicki, Capitaneo Novoduorensi; mediante exsolutione summæ ducentorum millium florenorū monetæ Prussicæ, à Republica, lege publicà assecuratæ juris sui cessionem facere, & illud transfundere, vel in personam *Serenissimi* IOANNIS III. *Regis*; vel in personas *Successorum* ejus ex sanguine; & hæc cessio & transfusio ibidem approbata est.

Anno D. 1655. fol. 30. sub tit. **Porządek**/ cautum est, ne miles in Oëconomijs mensæ Regiæ stativa, & pernoctationes, tum stationes exigere audeat, sub pœna capitis.

Anno D. 1659. f. 14. sub tit. **Approbácya Przywileiu**/ Bona mensæ Regiæ in Oëconomia Brestensi jacentia; hoc est **Kiiowiec**/ & **Mieleczyce** cum Oppido **Pieszczátcem** cum omnibus vtilitatib⁹, & villis ad has claves spectantibus jure aduitalitio, Nobili Paulo Treter collata sunt, & privilegium ex Cancellaria, ex *Senatûs consilio* extraditum, non obstantibus quibusvis Constitutionibus, de non impetrandis bonis mensæ Regiæ sancitis, & authoritate eorundem Comitiorum generalium in toto approbatum, & in suo robore cōservatum est. Salvo jure *Ecclesiæ* Mielecicensis ratione Mansorum, seu laneorum huic Ecclesiæ datorum. Et cum occasio offeretur, ex alijs bonis dispositionis *Regiæ*, in Regno vel Magno D. Lit: commutatio bonorum æquivalentium prænominato D. Treter promissa,

& quòd non priùs condeſcendet ex bonis iſtis Oëconominalibus, donec illi ſatisfactio à Commiſſarijs Regijs in toto fuerit facta, & hæc bona iterùm illo tempore ad Oëconomiam Brzeſtenſem redeant. Quæ donatio Paulo Treter facta fuit, poſtea *Anno D. 1661. fol. 20. ſub tit:* **Reáſsumptyá** reaſſumpta.

Ibidem vide aliam approbationem privilegij, ſuper bona certa menſæ Regiæ, Nobili Joanni Nieczái, Adamo Koſzańſki, & Chriſtophoro Joanni Bocharewicz, in Oëconomia Mohilenſi jacentia jure aduitalitio dati. Ita tamen, ut, poſt fata dictorum donatariorum, prænominata bona ad menſam *R*egiam redeant, ſuper quo Domini Theſaurarij Regij attendant, cautum eſt.

*S*ed poſtea *Anni 1661. fol. 17. tit: Caſſatio* **daniny** prænominato Adamo Koſzáńſki donatio facta, caſſata fuit, ex quo crimen perduellionis commiſerat.

Anno D. 1661. fol. 9. tit: **Zaſtawá/** de Oëconomia *S*alvenſi in Diſtrictu Vpitenſi, in Ducatu autem Samogitiæ jacente hæc habentur. Quòd hæc Oëconomia cum omnibus attinentijs Jlluſtr: & M. D. Paulo Joanni *S*apieha Palatino Vilnenſi, *S*upremo Duci exercitûs Magni Duc: Lith: obligata fuit ad ſex annos, in ſumma octingentorum millium florenorum Polonicalium, relaxando pro hac vice omnia jura de Oeconomijs menſæ Regiæ lata, ſine ulla extenuatione; declarando, quòd ſi in ſpatio ſex annorum, Magnus Ducatus Lith: non eximeret iſtam Oeconomiam, tunc ad tres annos ſucceſſivè eventos, hoc eſt. de triennio ad triennium, vſq; ad exſolutionem realem ſummæ præfatæ, is idem Jlluſtr: & Magn: D. Sapieha, in pacifica poſſeſſione, abſq; ullo impedimento, eandem teneat, & liberè tali ſummâ, ſub *R*eipublicæ cautione hac, pro libitu diſponere, tam in toto, quàm per partes oppignorare poſſit. Et non priùs hæc Oeconomia ad diſpoſitionem Reipub: veniat, quouſq; præfata ſumma octingentorum millium florenorum, totaliter & integrè illi, aut cui eandem inſcripſerit, vel jure ſucceſſionis pervenerit, abſq; extenuatione non fuerit perſoluta. Quam Oeconomiam Adminiſtrator Theſauri Magni D. Lit: vt abſq; ulla difficultate in realem poſſeſſionem, ſub pœna infamiæ in caſu contraventionis in foro poſt Curiam tradat, ordinatum eſt. Inſuper adjunctum eſt, vt ex iſta Oeconomia durante jure obligationis, nihil ad Theſaurum menſæ Regiæ ſolvatur, neq; aliquis calculus exigatur, nec alicui penſiones aliquæ in bonis iſtius Oeconomiæ aſſignentur, nec conſenſus in ceſſionem, poſt deceſſum modernorum Poſſeſſorum

detur,

detur, onera antiquiora ex parte contributionum Reipub: si in hac Oeconomia fuerint inventa, summæ huic debeant præjudicare. à stationibus, stativis, hyberna, transitibus militaribus, specialiter hæc bona excepta sunt. M. Duc: Lith: Serenissimum Regem JOANNEM CASIMIRVM, & Successores eius, Magnos Duces Lithuan: assecuravit, quòd hanc Oeconomiam post expirationem sex annorum, cum debitis proventibus, sine vlla contradictione eximet. Et interea quousq; illam non eximet, in recompensam proventûs ex illa provenientis, ex proventibus Magni Duc: Lithv: singulis annis, quadraginta millia floren: ad Thesaurum mensæ Regiæ, inferet. Et Arendatores non ad Thesaurum Magni Duc: Lithv: sed ad Thesaurum mensæ Regiæ importabunt, sub pœna triplicis pensionis respectu cuius forum post Curiam, ad instantiam Instigatoris Magni Duc: Lith: & quòd in contractibus Thesaurus M. D. Lithu: apponat cautum est.

Ibidem fol. 10. sub tit: **Vpewnienie wykupná**, ordinatum est. Et quia istius summæ major pars pro stipendio, militi Reipub: à prænominato Jllustr: D. *Sapieha* erogata sit, ideò Thesaurus Magni Duc: Lit: sedulò attendat, vt circa persolutionem Exercitui Magni Duc: Lit: id totum quòd ex liquidatione stipendiorum patebit horum vexillorum, quæ accipiebant, retineat penes se, pro exemptione dictæ summæ.

Anno D. 1667. f. 62. tit: **Deklárácyá.** Quia in termino sex annorum, non est ventum ad exemptionem illius Oeconomiæ; ideo Constitutione *Anni 1661.* reassumptâ, *Successores* præfati Jllustris: Domini Palatini Vilnensis ad tres annos penes eandem Oeconomiam in summa prædicta conservati sunt, & juxta antiqua jura de Oeconomijs *Regijs* hæc eadem Oeconomia à stativis, stationibus, hiberna, consistentia, & à transitu libera pronuntiata est.

Ibidem sub tit: Prorogatio. Provisio quadraginta millium florenorum *Serenissimo Regi* respectu proventûs ex eadem Oeconomia, Constitutione *Anni 1661* assignata: prorogata est, cum ijsdem pœnis contra Arendatores proventuum Reipublibæ, Magni Ducatûs Lithvaniæ.

Iterum *Anno D. 1670. fol: 49. tit:* **Prorogácyá /** exemptionis istius Oeconomiæ & provisionis *Serenissimo Regi* prorogatio facta est, & vt retenta provisio annis quatuor ex contributionibus M. D. L. solvatur, ordinatum est.

Idem *Anno D. 1673. fol: 5. inter Constitutiones Magni Duc: Lit: ti: Prorogatio* **Wykupná** factum & ordinatum est.

Tan-

Tandem *Anno Dni. 1678. fol: 6. tit:* **Wykupno Oekonomiey Sálwelskiey** *inter Constitutiones Magni Duc: Lithv.* sic statutum est: Cùm Respub: in termino advenienti Oeconomiam hanc *Save*lensem non posit, data est facultas Serenissimo IOANNI III. Regi, vt propriâ pecuniâ eandem eximat, & tali jure obligationis, quali *Successores* Illustris: Pauli *Sapieha* Palatini Vilnensis tenebant, teneat, tamdiu quousq; *Respubl:* ex Thesauro M.D.L. summam in ea hærentem, prævijs & servatis conditionibus, clausulis, & solennitatibus circa exemptionem, eidem Serenissimo *Regi*, vel *Success*soribus eius ex sanguine non persolverit. Et interea temporis, pensionem quadraginta millium florenor: Thesaurus M. D. Lith: mensæ *Regiæ*, respectu prænominatæ Oeconomiæ debitam singulis annis, prout ad hoc vsq; tẽpus solvebat, persolvat. de qua pensione solvenda, *ibidem fol: 7.* rursus statutum est, *sub titulo* **Dlug Krolá Iego Mośći.**

Anno D. 1593. fol: 642. tit: **Libertácyá.** Oeconomia Samborensis à milite confœderato liberata est, contravenienti, pœna peculatûs imposita est.

Anno D. 1611. fol: 38. tit: **O Oekonomiey Samborskiey** statutum est, quòd in Oeconomia hac cognitio de proventibus, iniurijs, damnis subditorum, ad *Seren*is: *Regem* spectet, & ideo multas causas, ex Iudicio Tribunalitio post Curiam fuisse remissas.

Anno D. 1677. fol: 40. tit. **Oekonomia Sámborska** statutum est, quòd subditi illius Oeconomiæ (exceptis causis Fisci violatæ securitatis & profugorum subditorum) ad solam jurisdictionem Castri illius spectent, vel coram Rege conveniantur.

Quæ duæ Constitutiones *Anni videlicet 1611. & Anni 1677.* reassumptæ sunt *Anno D. 1678. fol: 9. tit:* **Oekonomia.** non obstantibus quibusvis evocationibus, & Dominis Commissarijs *Anno Domini 1676.* constitutis, & Dominis Administratoribus impositum est, vt juxta dictas Constitutiones in revisionibus se gerant, & vnicuiq; justitiam, officiosè requisiti sub pœnis in ijsdem legibus descriptis, administrent.

Anno D. 1661. fol: 22. tit: **Oekonomia Málborská/** sic de hac Oeconomia statutum & ordinatum erat, consulendo aggeris in fluvijs Vistula, & nogatcie dirupti reparationi, deputati sunt in *Comi*tijs generalibus Commissarij, cum plenaria facultate, contractus cõscribendi, & bona villarum, prædiorum, fundorum, molendinorũ, sylvarum, lacuum, juxta necessitatem locorum obligandi. Ad hæc, vt cen-

vt census, jurisdictiones, ordines, tam in arce, quàm in ipsa civitate, oppidis & villis describant, limites, vti necessitas postulaverit, cognoscant & faciant; jura antiqua revideant, & quæ fuerint dubia, prævia citatione ad judicium suum Commissoriale dijudicent, & quæ essent digna, pro approbatione ad *Seren:* Regem remittant, contraria verò juri reijciant. Loca villæ **Droƶyſká** dictæ, in proventum mensæ Regiæ convertant. Insuper per eandem Constitutionem subditi illius Oeconomiæ ad quatuor annos, liberi à contributionib⁹ facti sunt, salvis in integro oneribus Reipublicæ.

Anno D. 1673. fol: 27. tit: **Kommiſsya Berwálſka**, deputati sunt Commissarij cum plenaria facultate, vt tenutam Bervadensem, in Oeconomia Malborgensi jacentem, & à tempore adhuc SIGISMVNDI AVGVSTI Regis, ad rationem quingentorum floren: obligatam, & in possessione & manibus Domini Iaśkow permanentem, vindicent, eximant, præviâ summæ originalis, defalcatis, defalcandis, repositione. Contravenientibus & complicibus eorum, pœna infamiæ imposita est, & vt DD. Commissarij totum hoc negotium sine appellatione, authoritate Regia & ordinum illius Cōventûs judicent & exequantur.

In Confœderatione *Anni D. 1674. fol: 29. tit.* **Zamek Málborſki**, Oeconomia Mariæburgensis à Hyberna, juxta jura & privilegia antiquitus illi data libera, facta est.

Anno Domini 1638. fol: 3. tit: **Oekonomia**, Administratio Oeconomiarum in M. D. Lith. vt juxta privilegium SIGISMVNDI III. Regis.

Anno Domini 1635. fol: 7. declaratum fiat. Respectu cuius Forū in Comitijs, pœna privationis & triplicis pensionis, sub pœna peculatûs.

Anno D. 1655. fol: 30. tit. **Porządek**, ordinatum est; ne in bonis mensæ Regiæ, tam in Regno, quàm & in Magno D. Lithv: miles stativa, pernoctationes faciat, stationes non exigat, idq; sub pœna capitis.

Idem & *Anno D. 1673. fol: 18. tit:* **Oekonomie Krola Jego Mośći** statutum est, sub rigore pœnarum in legibus descriptarū, vt tamen subditi Oeconomiarum contributiones in Comitijs generalibus laudatas solvant, cautum est.

Idem & *Anno D. 1676. fol: 44. in prima editione, in secunda fol: 83. tit:* **Oekonomie** cautum est his verbis: bona ad Oeconomias mensæ Nostræ Regiæ, in Regno & in M. D. L. & Prussiæ præteritis

Conſtitutionibus prout & Comitiorum *Anni 1673.* libera remanent ab omnibus oneribus militaribus, prout à Hyberna, ſtationibus, ſtativis, tranſitibus, pernoctationibus, conſiſtentia, & ab omnibus extorſionibus, concordatis penſionibus, quas omnes Conſtitutiones in toto reaſſummendo, ſtatuimus, vt contravenientes legi huic, pœnis & foro contra aggravantes milites bona Terreſtria ſancitis ſubjaceant; quæ Conſtitutio extenſa eſt, ad bona **Wieliczká/ Bochniá** & **Olkuß.**

Anno D. 1678. fol: 7. tit. **Ochroná dóbr** ſtatutum eſt, ne Illuſtr: DD. Duces Exercitûs, ſub quocunq; titulo & prætextu audeant & præſumant aſſignationes extradere (ſub nullitate earundem) ad Oeconomias menſæ Regiæ in Magno D. L. ex quibus aduitalitij & donatarij cenſum ad Theſaurum perſolvunt, & panem Guardiæ Regiæ extradunt.

Anno D. 1670. fol: 23. tit: **O Oekonomiey.** Reſpectu bonorum Oeconomiarum, omnia jura & ſtatuta reaſſumpta ſunt, & vt eadē bona à Notario Theſauri in adminiſtrationem, (prævio juramento de fideli adminiſtratione) & diſpoſitionem recepta, plùs offerenti arendentur, ſtatutum eſt. Salvâ prærogativâ Illuſtr: Dominorum Theſaurariorum vtriuſq; Gentis remanente, qui circa omnia jura & privilegia ſua conſervati ſunt, & non derogando contractibus authoritate Comitiali approbatis.

Anno D. 1676. fol: in primæva editione 44. in poſteriori fol: 83. tit. **Oekonomie ſtołu Náßego/** Omnes Conſtitutiones antiquas & recentes, incipiēdo ab *Anno 1590. 1633. 1641. 1649. 1661. 1669.* de Oeconomijs menſæ Regiæ, vſq; ad Electionem præteritam *N*oſtram reaſſumendo, & ad executionem deducendo commiſſionem in Convocatione generali Varſavienſi *Anno 1674.* ad Oeconomias Regni & M. D. L. aſſignatam, & ad effectum non deductam, Commiſſarij ex conſenſu omnium Ordinum cum plena poteſtate à *S*ereniſſimo *R*ege aſſignati, & ex Cancellaria Regia vtriuſq; Gentis deputati, vt juxta inſtructionem ex Cancellaria datam, & juxta præſcripta in Conſtitutionibus memoratis ſe gerant: non præjudicando juri horum, qui onerata ſummis lege publica tenent.

Eodem Anno & Conſtitutione, fol: 11. inter Conſtitutiones Magni Duc: L. tit: ſecuritas **Dobr Ziemſkich.** Conſtitutiones omnes tam antiquæ, quàm poſteriores, vſq; ad Electionem tunc Sereniſſimi Regis præteritam de libertate bonorum Feudalium ſeu **Lennych/** quàm Oeconomiarum menſæ *R*egiæ, latæ, ab oneribus militaribus reaſſumptæ ſunt.

Anno

Anno D. 1678. fol: 9. tit: **O Oekonomiey y Prowentow stołu Náśzego** statutum est, ne aliquis in Oeconomijs, & in proventibus teloneorum plus juris & potestatis vsurpare audeat, quàm in Constitutionibus 1590. 1633. 1638. 1641. sancitum est, idq; sub rigore legum. Item reassumptæ sunt Constitutiones *Annorum 1611. & 1677.* specialiter de Oeconomia Samborensi latæ, & extensæ ad omnes alias Oeconomias, non obstantibus quibusvis in contrarium evocationibus, & vt Domini Commissarij assignati & Administratores juxta præscriptum earundem Constitutionum se in revisionibus gerant, & vnicuiq; justitiam, officiosè requisiti, administrent, sub pœnis in ijsdem legibus descriptis. Insuper respectu teloneorum Regiorum Constitutiones *Annorum 1611. 1676 1677.* tum de depositorijs *Annorum 1565. 1609, 1679.* declarando, vt nullus mercator cujuscunq; nationis, & tantò magis Iudæus protectionem Nobilium accipere audeat, depositoria nova in oppidis, hospitiis, in Curiis non statuant, sed omnes merces suas ad locum jure descriptum in Civitatibus Regalibus tam ex Regno, quàm ex Magno D. L. & exterarum nationum deducere teneatur, idq; sub confiscatione mercium. Quod extensum est ad revenditores omnes in Civitatibus, etiam quæritantes victum, tum ad macellarios, boves à Nobilibus ementes, vt à suis mercibus sic vt alij mercatores, teloneum solvant. contra transgressores forum in quocunq; Officio Castrensi ex Regestro Fisci, sine appellatione, super quo vt Administratores Regii, tum & Capitanei Iudiciales & limitanei attendant iniunctum est.

Bona mensæ Regiæ non debent alicui dari jure hæreditario, vel feudali. *Ita Anno D. 1565. fol. 89. tit.* **Státut Alexándrow.**

§ III.

De Aduitalitate.

ADuitalitatum literæ, à Rege concessæ, per omnia, secundùm earum tenorem debent servari. Ita SIGISMVNDVS Rex Petricoviæ *Anno D. 1538. apud Herburtum fol: 13. tit: eodem. Ianussovium 105 tit:* **O dożywoćiach.**

Aduitalitates & consensus omnes SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, *Anno D. 1550. in Constit: fol. 4. §.* **A iż wiele,** juxta Statutum, & quæ juri communi non sunt contraria in robore reliquit, *Herburtus vbi supra fol: 14.* vbi & formam aduitalitatis adfert. *Ianussovius loco citato.*

Aduitalitas in summa antiqua est bona. SIGISMVNDVS AVGV-

GVSTVS Rex, *Anno 1562. in Constit. f. 19. tit:* **O dożywociach.** *Anno autem 1565. fol: 90. tit:* **dożywocia ná stárych summách/** sic est cautum. Aduitalitates in summis antiquis datæ, id fiat cum extenuatione aliqua summæ, hoc est saltem quartæ partis, vt declaratum est in Constitutione *Anni 1566. fol: 126 tit:* **Dożywocia.**

Aduitalitas data Patri & liberis, & etiamsi liberorum non esset expressio facta, & Pater ante Comitia illa mortuus esset, liberi autem in possessione remanerent, vnus liberorum tantùm, & non alij in aduitalitate remanebunt; nam non debet intelligi pro expectativa, vel in solidum. *Ibidem is idem Serenissimus Rex.*

Aduitalitas pluribus fratribus data, si aliquis decedat ex illis, tunc reliqui non succedunt in aduitalitate, sed in summa, ita, quòd illa pars defuncti fit in exemptione, licet hoc non fuerit expressum, non enim est solidum, aut expectativa, quod intelligendum esse, etiamsi summa in ijsdem bonis non esset. *Ibidem fol: 20.*

Aduitalitas Patri & Filio data, si Pater filio dederat possessionem, tunc temporis ante Comitia aut post conclusionem Comitiorum, non reputabatur pro expectativa exceptis locis judicialibus. Cum statutum sit, quòd officia Iudicialia debent dari, ætate & intelligentiâ bene vigentibus. Et sic in hoc casu debet haberi consideratio, vt sit ætate legitimabilis. Cum statutum loquatur de statu præsenti personæ, non de futura. *Ibidem fol: 20.*

Aduitalitas duobus Fratribus data coniunctim & separatim, si vnus alteri exnunc tunc condescenderet, aut ante conclusionem Comitiorum illorum, non habebatur pro solido vel expectativa. *Ibidem.*

Aduitalitas marito & vxori data, si vnus illorum morietur, superstes in jure aduitalitiali debet remanere. *Ibidem.*

Bona Regalia data alicui ad certum tempus, illa datio non extenditur nisi ad vitam, vnius personæ exnunc possidentis. *Ibidem.*

§ IV.

De modo redimendorum bonorum Regalium.

QVoniam circa redemptionem bonorum Nostrorum Regalium, evenire solet, quòd tenutarij, de quorum manibus bona rediminutur, gravamina, & difficultates perferre coguntur: ad quæ amovendo, statuimus, vt in redemptione bonorum Nostrorum Regalium, sive ea pro mensa Nostra, sive per quempiam alium, de consensu

sensu *Nostro* redimantur, non servetur deinceps arestatio pecuniarum, homini possessionato, similiter & impossessionato fidejussores pro se statuenti: sed si quispiam subditorum *Nostrorum* ex illis bonis redemptis, se injuriam aut damnum ab eo, qui exemptus est, accepisse prætendat; pro tali iniuria seu damno, jure Terrestri, cum eo experiatur. Deinde vt ad migrandum (quod **Rumowánie** vocant) quilibet, de cuius manibus, sive per Nos, aut alium quempiam bona *Nostra* redimantur, tempus sex septimanarum liberum habeat. Quo tempore licere debet redempto omnes & singulas res, & bona quæcunq; mobilia propria, evehere, expellere, & exportare. Præterea huiusmodi bonorum redemptio fieri debet, in Districtu proprio, quando per alium, quàm per Nos redimuntur. Et terminus citationis, pro redimendis bonis, sive per Nos, sive per quempiam alium de consensu Nostro redimuntur, debet esse sex septimanarum, à tempore positionis ipsius citationis. *Ita SIGISMVNDVS Rex Petricoviæ Anno D. 1538. apud Herburtum sub tit: Bona Regalia, fol. 46. cum sequ: & apud Ianus: fol: 100.*

In redemptione bonorum Regalium, qualiter inscriptiones & literæ revidendæ sint, statuit SIGISMVNDVS Rex Cracoviæ *Anno D. 1507. his verbis:* Ad tollenda dubia, & controversias superfluas amovendas, quæ oriri possunt, ex diversitate inscriptionum bonorum *Nostrorum*, statuimus: vt, cùm eadem bona redimere voluerimus, revideri debeant literæ inscriptionum; & quæ licitè, justè & legitimè inscripta sunt, aut contra, cognoscatur & decernatur per Nos & Consiliarios Nostros. Quod si quis huiusmodi cognitione & decreto gravatum se senserit, liberum sit ei, cognitionem gravaminis per appellationem deferre ad Conventum generalem. *Ita refert Herburtus vbi suprà fol: 47. Ianussovius loco citato.*

Literas & inscriptiones in bonis Regijs, qualiter debeamus interpretari; *Is idem SIGISMVNDVS Rex Cracoviæ Anno D. 1510. statuit sic:* Ambiguitates abolere volentes, quæ plerumq; (dum inscriptiones super bonis Regalibus, seu privilegia coram Nobis reproducuntur) emergebant, determinamus, innitendo veteri consuetudini dudum practicatæ, quòd quæcunq; specificata in privilegio, vel inscriptione, nominatim fuerint, illa eadem tenenda sunt. Eandem specificationem si quæ generalitas sequitur, ad præfatam specificationem duntaxat referenda est, & non ad alia. sed vbi specialis mentio in privilegio, vel inscriptione, de teloneo, de curru bellico, de exactione duorum grossorum, de statione, & jure pa-

tronatûs facta non est, juri Regio reservatum esse cognoscitur. Inscriptiones autem, quæ generaliter fiunt, nihil specificando, sed omne dominium in personam transferendo, omnia in se complectuntur, & possessori attribuuntur. *Ita refert Herburtus vbi supra fol: 48. Ianussovius fol: 102.*

Idem SIGISMVNDVS Rex Petricoviæ *Anno D. 1538.* simile quid statuit his verbis: privilegia publica & privata, non debent interpretatione aliquâ in alium, quàm sonat, sensum verti: sed ita, vt in suis tenoribus scripta sunt, & non aliter intelligi debēt. *Herburtus d. fol: 48. Ianuss: fol. 103.*

De literis super bona Regalia amissis, ALEXANDER Rex Petricoviæ *Anno D. 1504.* (*vt refert Herburtus sub verbo: literæ fol: 269.*) sic statuit. Qui literas ad bona Regalia amissas diceret, & de amissis, intra annum à perditione literarum computandum, evidēs ac legitimum testimonium, seu protestationem non fecerit (quam protestationem coram Capitaneo, & Palatino suæ Terræ faciat) ille, anno, post amissas literas decurso, non obtinebit renovationem, neq; probationis viam habiturus est perpetuò. Probationem verò amissarum literarum faciet coram Regia Majestate.

Nobiles, quando privilegia reponere teneantur, dum esset disceptatio, an bona sint Regalia, vel hæreditaria? SIGISMVNDVS Rex Cracoviæ *Anno D. 1532.* (*vt refert Herburtus sub verbo, Literæ fol: 269.*) sic disposuit: Quærelà subditorum Nostrorum permoti (qui se plerumq; gravari sentiunt, cùm per bonorum Regalium Tenutarios seu Capitaneos, ad exhibendum literas, super bona eorum hæreditaria, & perpetua illorum proprietate, eo prætextu, tanquam bona ipsa Regalia essent, adiguntur) decernimus & statuimus: vt nemo Capitaneorum, seu Tenutariorum Nostrorum aliquē ex Regnicolis Nostris, ad exhibendum huiusmodi literas compellere audeat: nisi ipse Capitaneus seu Tenutarius judicium certum, vel literas quascunq; habuerit, ex quibus bona illa esse Nostra Regalia, & non hæreditaria conijcere possit. In tali enim casu, possessor bonorum illorum, super sua proprietate literas exhibere & producere teneatur.

Idem disposuit & Petricoviæ *Anno D. 1538. referente Herburto vbi supra, his verbis:* Ad literas & privilegia reponenda, super bonis, quæ hæreditaria putata sunt, nemo cogi debet, aut poterit, nisi in causis manifestis, & claris, quando scilicet doceretur sufficienter, Regalia bona omnino esse: vbi verò res esset nimiùm anti-

qua, perplexa, & dubia; tum negotium tale & causam, non alibi, quàm in Conventu Regni generali, cum Consiliarijs Nostris judicabimus.

Bona mensæ Regiæ, Notarius Thesauri *Regij* vt in administrationem suam prævio juramento fidelis administrationis recipiat, & plùs offerenti arendet, in suo robore conservatis contractibus per Comitia approbatis: salvâ prærogativâ Jllustrissimorum Thesaurariorum vtriusq; Gentis, statutum erat *Anno Dni. 1670. fol: 25. tit:* **O Oekonomiey Krolá JegoMośći.**

TITVLVS DECIMVS QVINTUS
De bonis Regalibus, Quæ vulgò *Panis bene merentium* appellantur.



REx de Capitaneatibus potest juxta præscriptum juris disponere, & eos conferre: SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex Varsaviæ *Anno D. 1563. f. 43. tit.* **Zostáwienie Dzierżawiec.** *Ianussovius fol: 101.* Nullus externus, vel descendens ex genere Ducali potest esse Capitaneus, sed tantùm Nobilis Polonus. LVDOVICVS Rex, in Conventu Cossinensi *Anno D. 1374. his verbis vt refert Herburt: fol: 141. Ianassovius fol: 297.* Promittimus, quòd nullum Baronem, militem, seu Nobilem, vel alium cuiuscunq; conditionis existat extraneum, hospitem seu alienigenam, præterquam natione Polonum, in Capitaneum præficere debemus, nisi talem, qui sub eadem Corona, de gente Polonica sit oriundus, dummodo non descendat de stirpe Ducali.

Capitaneatus simplices, & absq; jurisdictione, alias Tenutas, potest Rex conferre impossessionatis, dummodo sint Nobiles Poloni.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex Petricoviæ *Anno D. 1562. fol: 24. tit:* **O Stárostách.** *Ianussovius fol: 429.*

Si autem esset possessionatus in aliquo loco Regni, tunc pro quacunq; injuria in Iudicio Terrestri, & in articulis Castrensibus, in Iudicio Castrensi illius loci debet respondere. Lucra tamen non debent ad bona Regalia extendi, sed respectu illorum remissio debet fieri ad Terram & Districtum, vbi possessionem habet. Et si nullibi habeat possessionem, debet contra illum, procedi vti contra

impossessionatum. Citationes autem debent poni in residentia, seu in Curia & Arce. *SIGISMVNDVS ibidem.*

Postea *Anno 1563. fol: 43. tit:* **Stárostowie niesądowi** declaratum est, quòd in articulis Castrensibus sic procedendum sit in perlucris, sicut in Iudicio Terrestri.

Tandem d. Constit: 1562. reassumpta est *Anno D. 1588. f. 459. tit:* **O Kommissyách/** & declaratum est, quòd Capitaneus impossessionatus debet subesse processui de impossessionatis, in illis Comitijs constituto.

Capitaneatus autem Iudiciales, similiter & arces Vkrainæ non possunt dari pueris annos discretionis non habentibus, sed personis dignis de Repub: bene meritis: obtinens privatione officij puniendus. SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Rex* Varsaviæ, *Anno D. 1589. fol: 529. tit.* **Starostwo sądowe/** vbi extensum est etiam ad Magnum Ducatum Lit:

Tandem *Anno D. 1607. fol. 833. tit:* **O wákáncyách** lex vniversalis per totum Regnum Poloniæ lata est, vt Capitaneatus Iudiciales non conferantur, nisi ætate & discretione bene vigentibus. Contra obtinentes aliter forum in Tribunali, inter causas Officij assignatum est.

Capitaneorum autem possessio talis esse debet, sicut aliorum Officialium, hoc est non ficta & colorata, neq; recenter acquisita, idq; in istis Palatinatibus & Terris, in quibus Capitaneatus Iudicialis acquiritur, idq; sub nullitate privilegij & omnium Actorum, tum pœna duorum millium marcarum Polonicalium. Respectu cuius Forum in Iudicio Terrestri, vel Castrensi aut in Tribunali inter causas Officij, terminus peremptorius ex delatione cuiusvis Nobilis. *Ita in Constitutione Anni 1613. fol: 33. sub tit:* **Wárunek osiádłośći.** *vide & Herburtum fol: apud me 143.*

Vicecapitanei debent esse possessionati. *Herburt: fol: 224. Ianussovius fol. 429.* idq; sub pœna amissionis.

Duos Capitaneatus Iudiciales seu cum iurisdictione nullus potest obtinere, sub pœna confiscationis bonorum, & ducentarum marcarum peremptoriè in quovis Officio & Iudicio Regni, non recedendo ab Iudicio parti luend: Et nihilominus vnum Capitaneatum tenetur in instanti dimittere. *Ita SIGISMVNDVS AVGVSTVS Petricoviæ Anno D. 1562. fol: 23. tit.* **O dwoygu Stárostwie.** Capitaneatus tamen Seradiensis cum Petricoviensi simul teneri possunt.

Idem

Idem SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex Varſaviæ, *Anno D.* 1557. *fol:* 11. *z Zá prozbą Ziemie Sieradzkiey. Ianuſ: refert f.* 427.

Similiter Capitaneatus Camenecenſis cum Laticovienſi in Palatinatu Podoliæ, & Capitaneus Camenecenſis vtrobiq; juriſdictionem exercere poteſt. *STEPHANVS Rex Varſaviæ Anno D.* 1581. *f* 376. *tit:* **Grod Látyczowſki.**

Capitaneus quoq; Ovrucenſis cum Camerariatu Generali Kijovienſi pro vna vice poſt ceſſum vel deceſſum protunc poſſeſſoris poterat teneri. *Ita Anno D.* 1659. *fol.* 47. *tit.* **Rozgrániczenie Ziem Kiiowſkich.**

Capitanei Iudiciales & limitanei jurare debent tam reſpectu officij, quàm reſpectu conſervationis Caſtri. *Ianuſſovius fol.* 429. vbi diverſas formas juramentorum adfert. Et quidem reſpectu officij talem formam poſuit.

Formâ juramenti reſpectu Officij.

EGo N. juro DEO omnipotenti, quòd Sereniſſimo Regi Poloniæ fidelis ero in hoc judicio Capitaneali, ſuperioritatem & dignitatem ejus in omnibus conſervando. Pacem communem, & ſecuritatem viarum in Capitaneatu meo cuſtodiam, juſtitiam æqualiter juxta præſcriptum juris communis faciam: orphanos, & homines oppreſſos, à quacunq; injuria juxta officium meum tuebor. Sic me DEVS adiuvet, & ſancta Crux.

Sed *Herburtus in Statuto ſuo fol: apud me* 249. formam juramenti Capitaneorum talem ponit.

Ego N. juro, quia fidelis ero in Caſtro N. illudq; ſervabo fideliter Sereniſſimo Principi & Domino Regi N. Poloniæ, & Succeſſoribus ſuis legitimis Regibus Poloniæ: tranquillitatem, ſecuritatem, ac juſtitiam tuebor; aliaq; munia mihi, ſeu Capitaneali Officio incumbentia, ſine dolo & fraude exequar. Sic me DEVS adiuvet, & IESV Chriſti ſancta Crux.

Quamvis Ianuſſovius dicto *folio* 429. dicit hoc juramentum eſſe reſpectu Caſtri.

Capitanei Iudiciales & Limitanei & Civitates capitales quæ Capitaneos non habent, debent jurare Regi & Regno, quòd tempore Interregni arces & civitates nemini in perniciē Reipub: tradēt niſi Regi liberè & concorditer electo & coronato, ſub pæna infamiæ, colli, & bonorum. *Ita refert Ianuſſovius fol:* 429. Capitaneus Ra-

vensis jurare debet; quòd tempore Interregni Thesaurarium Regni & Depuaatos admittet, & Thesaurum communem in absentia Thesaurarij custodiet. *Anno 1569. fol: 186.* § **Stárostá mieyscá.**

Capitanei Iudiciales, qui obtentis privilegijs non jurarunt ante mortem, vel abdicationem Regis, quòd possint sub tempus Interregni, coram Iudicijs Capturalibus Generalibus sui Palatinatûs, vel coram Iudicio Terrestri: Officium autem Castrense coram Capitaneo suo jurare, & post præstitum juramentum Acta Castrensia aperire, statutum est in Confœderationibus General: Varsaviensibus *Anno D. 1648. 1668. & 1674.*

Palatinus & Castellanus non potest constitui in Iudicialem Capitaneum illius loci, præter Capitaneum Cracoviensem. *Ita CASIMIRVS III. in Conventu Niesoviensi Anno D. 1454. vt refert Herburtus fol: apud me 63.* & melius *fol: 311. Ianussov. fol. 303.* verba autem Regij statuti hæc sunt: *Cum singula Officia suis actibus sunt deputata, pollicemur: quòd in nullis Terris Regni Nostri, Palatinum aut Castellanum in Capitaneum præficiemus, præter Capitaneum Cracoviensem.*

Idem & SIGISMVNDVS *Petricoviæ Anno Do. 1538 vt refert Herb. fol: 143.* & *Ianus. f. 307 his verbis: In collatione dignitatum & officiorum, Statuta Regni deinceps observabimus: ita quòd Dignitarios in Capitaneos illius loci non præficiemus, præsertim cum juribus Regni provisum sit, vt nullus Castellanus vel Palatinus illius Terræ Capitaneatum, in quo judicia celebrantur, obtineat. Proinde quicunq; ausus fuerit aliquid accipere contrà præsentem ordinationem, & antiquam Regni Constitutionem, vbi monitus in Conventione Generali, aut particulari huiusmodi dignitatem, aut officium resignare neglexerit, infamis sit ipso facto.* Ubi nihil de Capitaneatu Cracoviensi.

SIGISMVNDVS tamen AVGVSTVS Petricoviæ *Anno D: 1562. f.* 24 ad finem sic statuit: *Quòd nullus Palatinus, aut Castellanus potest esse Capiteneus, aut Officialis Terrestris in vno, eodemq; Palatinatu, præter Capitaneum Cracoviensem, Palatinum & Castellanum Cracoviensem, qui juxta antiquiora statuta simul possunt teneri. Sed officium Terrestre quodcunq; Capitaneus Cracoviensis simul tenere non potest.* hucusq; verba Regis SIGISMVNDI, vt refert *Iannssovius fol. 304.* & habetur in Constit: *Anni D. 1576. fol: 256.* § **Staroſtowie,** & *f.* 727. § **Stároſtowie.**

In Palatinatu, quoq; Volynensi, Capitaneatum Iudicialem Palatinus & Castellanus illius loci simul tenere non possunt. *Ita in Constit: Anni D. 1576. fol: 293. tit:* **O potrzebách.** Capi-

Capitaneis & Tenutarijs respectu provisionis, & sustentationis illorum; ex omnibus proventibus bonorum Regalium illius Capitaneatûs, vel Tenutæ assignata est vltra quartam quinta pars, & ad tres partes Regias adiuncta est, & Rex debebat illis providere, juxta exigentiam loci & officij. *Ita Anno D. 1567. fol, 128. sub tit:* **Wychowánie Stárostow.**

Sic etiam *Anno D. 1607. fol. 834. tit.* **O Oekonomiách** statutum est, vt Serenissimus Rex Capitaneatibus ita provideat, vt Capitanei condignè possint brachium Regium tueri.

Capitanei bonorum Regalium possessionem non prius apprehendere tenentur, post decessum priorum Possessorum, quousq; officium Thesaurarij Regni non conscripserit inventarium illorum bonorum, & possessionem illi tradiderint. Eiusmodi autem bona successores antecedanei Capitanei, juxta hocce inventarium conscriptum tenentur bona Thesauro reddere; Quidquid autem proventûs intra tempus mortui Antecessoris, & novi donatoris possessionem, interveniet, id totum Quartæ accedere debet, & cum illa persolvi. *Ita in Constitutione Anni 1641. fol: 12. ad finem tituli* **O podawániu dobr.**

Post mortem Capitanei liberum est Successoribus eius evehere, quidquid vltra inventarium loci superfuerit. *Ianussovius fol: 315.*

Capitanei limitanei tam in Regno, quàm in Magno Duc: Lith: circa adeptionem possessionis, tenentur juramentum fidelitatis præstare, quod Castra illa Regibus & Reipublicæ reddent. *Anno Domini 1662. fol: 9. tit.* **O Zámkách y fortecách.**

Capitanei limitanei tenentur residere in castris suis, seu arcibus. *Anno D. 1662. fol. 9. tit:* **Pozwwocie na Stárostwách** & *Anno 1635. fol: 26. tit.* **O Stárostwách Vkráiny**, vbi de Capitaneis Vkrainæ. Sic etiam *Anno 1620. fol: 16. tit:* **Starostowie Vkráiny** statutum est, vt semper sint præsentes maximè tempore periculi, excepto, si obtinuerint consensum à Rege de Locumtenente relinquendo, idq; sub pœna privationis Capitaneatûs. Forum post Curiam assignatum est, quæ Constitutio extensa est ibidem ad Capitaneos Russiæ, & Submontani, *vide Constit: 1624. sub tit:* **Supplement** *fol: 1.* ad finē tituli. *videantur & Confœderationes 1632. & aliæ subsequentes vt 1674. fol: 21. §* **A iż toiuż**, vbi pœna privationis Capitaneatûs ad cuiusvis instantiam, forum post Curiam, exceptis officialibus Reipubl: & his qui serviunt in bello, & excepto actu Electionis, ad quē licitum erit ei discedere, relicto in locum sui Nobili bene possessionato cum sufficienti præsidio. Ggggg 2 Fæmi-

Fæminæ in Capitaneatibus limitaneis, non tantùm Vkrainæ, ſed & in Palatinatu *Ruſſiæ* & Podoliæ, jus communicativum non poſſunt habere, & licèt aliquis ejuſmodi aduitalitatem pro vxore ſua obtineat, id nullius valoris ſit. *Ibidem.*

Ibidem *ſub tit:* **O dożywociách na Krolewczyznach** ſtatutum eſt, quòd nulla fæmina in futurum poſt deceſſum mariti ſui, vltra duos Capitaneatus aut Tenutas bonorum Regalium tenere poſſet.

Ibidem *ſub tit:* **O Zamkách y Fortecách** &c. cautum eſt, quòd tam in *Regno*, quàm in Magno Duc: Lit: arces & fortalitia quæcunq; , communicatio jurium, aduitalitatis, aſſecuratio ſummæ alicuius, fæminis non dabuntur, ſub nullitate omnium in contrarium factorum. Et vt Nuntij Terreſtres, ſtatim à principio Comitiorum circa diſtributionem vacantium poſſint ſuper hoc inſtare, & eiuſmodi arces & fortalitia pro vacantibus ſint & conferantur.

Similiter *Anno Dni. 1635. fol: 26. tit:* **O Stároſtwach Vkráinnych** cautum eſt, quòd in Capitaneatibus Vkrainæ, marito, & vxori, aduitalitas in ſolidum non detur.

Sic & SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex *Anno D. 1550. f.* 4. **§ A iż wiele ieſt** cavit, quòd expectativæ, ſolida, aduitalitates, contra diſpoſitionem juris data ſint nullius valoris.

Sed dicta Conſtitutio *Anni 1635.* **O Stároſtwach Vkráinnych** declarata eſt. *Anno 1647. fol. 34. tit.* **Deklárácya o dożywociech**, quòd ſolùm dicta Conſtitutio lata fuit pro Palatinatu Kijovienſi Vkrainæ, & ideo non poteſt extendi ad Palatinatum Podoliæ, & conſequenter omnia privilegia per commutationem juris obtenta, incolis ejuſdem Palatinatûs ſuper omnes donationes (exceptis Capitaneatibus Iudicialibus) collata, approbata ſunt, & ſi reſpectu aduitalitatum ejuſmodi aliqui proceſſus & decreta interceſſerunt, caſſata ſunt, & ne ad executionem deducantur, ſub pœna evocationis, & refuſionis damnorum in Tribunali Regni inter cauſas Officij decernenda.

Anno 1678. fol: 15. tit: **Przywrocenie.** Ius communicativum, quod habebat Helena Miaczynſka in Capitaneatu Krzepicenſi vti contra jus datum caſſatum eſt, reſtitutis illi certis ferricudinis aliàs **Kuźni.**

Perſonæ Spirituales incapaces ſunt bonorum Regalium *Anno D. 1607. fol: 839. tit:* **O dzierżawcách Swieckich.**

Summam ſuper Capitaneatum datam, ſi circa diviſionem frater aliquis illam accipiat, & per executionem dicta ſumma fuerit

abju-

abjudicata, talis frater poteſt illam in bonis hæreditariis requirere. *Anno 1562. fol. 17. tit:* **O przyśiedzce y dziále,**

Jura & privilegia in feudum perpetuum, & aduitalitatem incolis M. D. L. data, debent in ſuo robore remanere. *Anno 1569. fol: 176 ǯ* **Opátruiemy tez doſtátecznie.**

Bona Terreſtria in Magno Duc: Lit: ante vnionem in perpetuum data impetrans, & reſpectu illorum poſſeſſorem ad iudicium Regale provocans, ſi citatus in eodem judicio perpetuitatem legitimè demonſtraverit, citato mille florenos non recedendo à judicio ſolvere. Et ſi provocans ad judicium ipſe non comparuerit, pœnā banitionis incurrere debet; & privilegia illi data, ipſo facto nullitati ſubiaceant. *Ita in Conſtit: Anni 1633. fol: 39. tit:* **O dobrách przed Vnią.**

Commiſſiones ad bona Regalia in Magno Duc: Lit: non debent extradi, niſi ex decreto & ſententia Iudiciorum relationis *Anno D. 1685. fol. 8.*

Capitaneatus in Regno & M. D. L. tenutas, officia Terreſtria vacantia bene meritis militibus Sereniſſimus Rex, præcipuè ad recommendationem Illuſtr: Ducum Exercitûs, per quatuor menſes ſingulis annis, hoc eſt Septembrem, Octobrem, Novembrem, Decembrem diſtribuere & conferre debet, non præiudicando Electioni Officialium Terreſtrium, quos ex militibus liberum erit eligere.

Capitaneatus tamen judiciales tantùm poſſeſſionatis, in illis Palatinatibus & Terris, ſtatutum eſt. *Anno Domini 1662. f. 10. tit: Gratitudo bene merentium.*

Capitaneatus Lojovienſis & Lubecenſis Magno Ducatui Lith: incorporati ſunt cum hac declaratione, vt ad Palatinatum Smolenſcenſem, & Diſtrictum Starodubovienſem ſpectent. *Anno D. 1646. f. 3. tit:* **Inkorporácya Loiowa.**

Reſervando tamen ſibi jus, quòd dictos Capitaneatus Sereniſſimus Rex poſſit conferre, juxta arbitrium ſuum Nobili vtriuſq; Gentis bene merito. *Ibidem.*

Contributiones autem ducillæ, Fumalia ex his Capitaneatibus ad Theſaurum M. D. L. ſpectant. Et quarta, prout nunc extraditur, dupla, facta priùs denuntiatione in Theſauro M. D. L. ad Theſaurum Regni pro tempore ad locum ſolitum, ſub pœnis de Quarta deſcriptis, tranſmittatur. Et ſi aliquis poſſeſſor eam tranſmittere neglexerit, bona illa pro vacanti debent declarari, & Sereniſſimus Rex alijs conferat, talemq; novum donatarium, Theſaurus M. D. L. intromittat. *Ibidem.*

Homines autem in iſtis Capitaneatibus ſeparatam proviſionem habentes ex bonis iſtis bellicum ſervitium abſolvant, penes antiquas libertates relicti. Si tamen majora pericula in M. D. L. orirentur, tunc iſti homines ad caſtra Magni Duc: Lith: & tempore generalis commotionis, ad Magnum Duc: Lith: ſpectent. *Ibidem.*

Tandem *Anno D. 1661. fol: 16. tit: Gratitudo* **Woyſkom/** dicti Capitaneatus Łojovienſis & Lubecenſis cum omnibus pertinentijs in genere & ſpecie militi antiquo Magni Ducatûs Lithvaniæ, jure hæreditario, perpetuis temporibus dati ſunt, & privilegium de cōſenſu omnium Ordinum extraditum. Simili jure D. Alexandro Hilario Połubinſki *Notario* Campeſtri M. D. L. bona **Rudobielka** dicta in Diſtrictu Mozyrenſi, & D. Vladislao Chálecki Cuſtodi, aliàs Straznikowi Magni Duc: Lith: bona **Mollczadz** in Diſtrictu Słoninenſi, cum omnibus pertinentijs data ſunt. *Similiter* & D. Ioanni Miniewſki, villæ dictæ **Jhnátowo/** & **Pucewicze/** in Palatinatu Novogrodenſi jacentes, cum pertinentijs, non derogando juribus & limitibus in contiguitate civitatis Novodenſis. Similiter D. Franciſco Grochowſki medietas villarum **Wilánowicz** & **Worobieiow** cum pertinentijs, in Palatinatu Breſtenſi jacentium, jure hæreditario collata eſt, & privilegia ad eum effectum, prænominatis perſonis ex Cancellaria Regia extradita, approbata ſunt.

Ibidem Anno D. 1661. fol: 16. tit: Gratitudo **Woyſkom W. X. Lit: ſtárego záciągu.**

Poſtea *Anno D. 1670. & Anno D. 1676. fol: 19. tit:* **Kommiſsya do rozdziálu Łoiowá y Lubeczá/** deſtinati ſunt Commiſſarij, ut dicta bona inter prænominatos milites, ſecundùm æqualitatem, proportionem ſervitij & equorum dividerent; & hanc exdiviſionem perpetuam ad Acta Caſtrenſia Terreſtria & Tribunalitia per oblatam dent.

Capitanei debent exequi decreta Tribunalitia, ſub pœna centum marcarum pro prima vice, pro ſecunda vice ſub pœna ducentarum marcarum, & pro tertia vice ſub pœna privationis officij. *Ita Anno D. 1589. fol: 543. tit:* **O odpráwách rzeczy oſądzoney,**

Pro Ducatu tamen Maloviæ, *Anno D. 1565. fol: 102. tit:* **Sądy Grodzkie Mázowieckie** ſtatutum eſt, quòd Capitanei proceſſum extra forum competens, quâcunq; juris viâ, ſive in contumaciam, ſive per controverſias obtentum, ſub pœna ſolutionis omnium damnorum, medio juramento per partem læſam comprobatorum, non tenentur exequi.

Capitaneis & Officijs Castrensibus, non debet nocere, si executionē decretorum Tribunalitiorum, ante mortē Regis, sive in Civilib⁹ sive in criminalibus causis latorum, tempore Interregni non faciant, sed post Coronationem novi Regis, intra sex septimanas ad cuiusvis requisitionem juxta juris exigentiam exequi tenentur. Ita in Confœderationibus generalibus Varsaviensibus, *Anno 1632, 1648. 1668. 1674.* videre licet.

Citans ad Iudicium Castrense, in causa non pertinente ad illud, atq; ita extra forum competens, in pœna quatuordecem marcarum ab eodem Iudicio Castrensi debet condemnari. Quâ pœnâ si à Iudicio Castrensi non esset punitus, potest pro ea ad Iudicium Terrestre citari, & ibidem condemnari. *Anno 1565. f. 102. tit:* **Sądy Grodzkie Mázowieckie.**

Capitaneus sub prætextu officij sui Nobilem aliquem injustè, hoc est non jure victum, aut non in recenti crimine deprehensum captivans, pœnam subit, quæ pro Nobili Nobilem captivante & incarcerante statuta est, inprimis pœnam centum viginti marcarum, item pœnam sessionis turris in fundo per annum (quæ pœna publica appellatur.) Item in triplo pœnam sessionis turris sustinere, quanto tempore incarceraverit, idq; sub pœna infamiæ. Insuper omnia damna refundere tenetur per incarceratum juramento comprobata, & vulnera si aliqua passus sit, juxta taxam in jure descriptam, solvere, respectu quorum damnorum cognoscere debet Iudicium Terrestre, & decernere, quod ex scrutinio patuerit. Præterea respectu eliberationis huius incarcerati data facultas est vnicuiq; sanguine juncto, vel amico, Domino respectu servi, & servo respectu Domini, agere in Iudicio Castrensi sub termino peremptorio, & Capitaneus tenetur decernere eliberationem incarcerati, idq; sub pœna bannitionis citra quamvis appellationem & prosecutionem ipsius, qui decreto nolit satisfacere, excepto in hoc, famulo, notorio fure **álbo zdráyce**, quos semper licitum est captivare. *Ita Anno Dni 1588 fol: 462. tit:* **O poimániu y więzieniu Slácháciá.**

Capitanei respectu defensionis bonorum Regalium, non debent laborem proprium & ædificia ante annum extructa diruere, sed solùm citare debēt ad Iudicium Terrestre respectu damnorum. *Ita Anno D. 1588 fol. 459. tit.* **O Kommisyách y Kommisárzách/ ná gránicách** sed de hoc latiùs in titulo de limitibus.

Capitaneus vel Tenutarius si respectu bonorum Regiorum

 ex qui-

ex quibus Quarta ſolvitur ad Tribunal Regni, eſſet citatus, debet hæc cauſa ad Comitia remitti, *Anno D. 1578. fol. 328.* § **A ieśli, by kto Stároſte** vide & *Anno D. 1589. fol: 539. tit:* **Co ſądzić máią.**

Capitanei Iudiciales, cohortes militis Quartuarij non poſſunt tenere. *Ita Anno D. 1597. f 613. tit: Diſciplina militaris.*

Capitanei Vkrainæ certum numerum militum in ſervitium Reipublicæ ſtatuere debebant, idq; ſub privatione Capitaneatuum, ad quem effectum Commiſſarij deputati erant, *Anno D. 1638. fol: 18. tit:* **Ludzi Vkráinnych** *Item Anno Dni. 1643. fol: 12. tit:* **Ludzie z Stároſtw Vkráinnych.**

Capitanei delectum militum ex laneis, aliàs **Wybráncow** non debent impedire, neq; libertates illorum deſtruere, idq; ſub pœna centum marcarum, reſpectu cuius forum poſt Curiam, ad inſtantiam Inſtigatoris. *Ita Anno D. 1590. fol, 571. tit:* **Wybráncy.**

Idem & in Magno D. L. *Anno 1595. fol: 663. tit:* **O Wybráncách.** *Sed Anno D. 1616. fol: 4. tit:* **O wybráncách Koronnych** aucta eſt ad pœnam quingentarum marcarum.

Quilibet Capitaneus, ſeu Tenutarius loco militis ex laneo expediendi, debebat quolibet anno ad Theſaurum Reipub: ſimul cum Quarta, florenos ſexaginta ſolvere. *Anno D. 1649. fol: 2. tit.* **Włoki wybránieckie.**

Capitaneus Cracovienſis attendere debet, vt Burgrabius Cracovienſis in Caſtro Cracovienſi perſonaliter reſideat. Quod ſi à Capitaneo ſuper hoc monitus, non reſideat; Capitaneus debet illum Sereniſſimo Regi deferre, qui ad Comitia citatus & convictus, pænâ privationis Burgrabiatùs punitur. Præſentia autem qualis hîc intelligatur, declaratum eſt, quòd quilibet illorum pro neceſſitate Reipub: aut pro curanda ſanitate ſua, aut alijs negotijs ſuis, quolibet Quartuali poſſit tribus ſeptimanis, aut per totum annum per duodecē ſeptimanas poſſit ſe abſentare, cum ſcitu tamen Capitanei Cracovienſis, & relicto in locum ſui, Nobili aliquo digno, & à Capitaneo approbato. *Ita Anno D. 1565. f. 89. tit:* **Burgrábiowie Krákowſcy.**

Capitaneus Cracovienſis ſub tempus Interregni, tenetur in arce Cracovienſi præſidium firmum tenere. Ita in **Káptur** poſt mortem SIGISMVNDI AVGVSTI *Anni D. 1586. fol: 403,* § **Zamek Krákowſki.** & in Confœderatione Generali Varſavienſi *Anno Dni 1648. fol: 19.* § **Zamek Krákowſki.** Idem in Confœderatione *Anno Dni 1668. & 1674.*

Capi-

Capitaneatuum & Tenutarum administrationem, & curam, sub tempus Interregni, Dominus Thesaurarius Regni habere tenetur.

In Confœderatione Generali Varsaviensi *Anno D. 1587. f. 417.* § **A gdzieby.**

Capitanei nonnulli, ad Civitatem Camenecensem in Podolia, tenebantur olim victualia devehi facere: contraveniens citabatur ad instantiam Instigatoris Regni, non aliter, prout respectu aliorum proventuum mensæ *Regiæ*, ejusmodi victualia ad dispensatorem à Rege deputatum reddebantur. *Ita Anno D. 1593. fol. 640. tit:* **Deklárácya Konstitucyey** *de disciplina militari.*

Capitaneo Viscensi juxta Constitutionem *Anni 1607. & 1641.* Civitas Viscensis cum omnibus attinentijs antiquitus ad jurisdictionē Capitanealem Viscensem pertinentibus, adjuncta est *Anno Dni 1647. fol: 31. tit:* **Opátrzenie Juridyki Wiskiey.**

Similiter omnes Tenutæ post mortem Joannis Korycinski Capitanei Gnieucoviensis, antiquitus ad Capitaneatum Viscensem spectantes. In Confœderatione Generali Varsaviensi tempore Interregni, *Anno Dni 1668. fol. 16.* § **Przywodząc do Exekucy ey.**

Capitaneatui Grabovienſi bona Regia: **Witkow/ Madryn/ & Kopylow/** salvis protunc possessoribus adjuncta sunt, *Anno Domini 1658. fol: 50. tit:* **Opátrzenie Jurydyki Grábowieckiey.** Quæ Cōstitutio reassumpta est. *Anno D. 1667. fol. 22. tit.* **Jurydyki Grabowieckiey opátrzenie.**

Capitaneatus Cechrinensis, ad Clavam magnam *Russiæ* spectat. *Ita Anno D. 1659. fol: 54.* §. **Do bułáwy.**

Capitanei Zytomiriensis & Ovrucensis, post dislimitationem Terræ Kijoviensis & Ovrucensis per Commissarios ex Comitijs deputatos factam, vt præmisso, cum officio suo juxta morem solitū juramento, in Castris suis judicia absolvant, concessum est *Anno D. 1659. fol: 47. tit:* **Rozgránicżenie Ziem Kijowskich/** & in Commissione Hadiacensi, in volumine Constit: *Anno D. 1659. fol: 52.* § *Privatis* **wßytkim.**

Bona Regalia Spirituales personæ tenere non possunt *Anno D. 1607. fol: 839. tit:* **O Dzierżawcách świeckich.**

Et tamen Capitaneatus Camenecensis in Ducatu Masoviæ, datus est perpetuò in fundationem Monialium Varsaviensium, Regulæ Visitationis Beatæ MARIÆ Virginis, per Seren: Ludovicam Mariam, Reginam fundatarum, cum omnibus villis, attinentijs, &

Iurepatronatûs, ita tamen, vt Contributiones Reipublicæ omnes juxta morem antiquum extradantur, & servitium militare expediatur, *Anno Domini 1654. fol: 12. tit:* **Fundácyá Pánien Zákonnych.** Quarta tamen solita ex dicto Capitaneatu ad Capitaneatum Łomzinensem translata est. *Ibidem.*

Oppidum Regium **Kłobucko** dictum, Monasterio Czestochoviensi Monachorum Regulæ Sancti Pauli Eremitæ, perpetuis temporibus incorporatum est. Et insuper concessum est, vt certas sortes in villis hæreditarijs, **Woli Wiewieckiey w Lasłach y Biáłá** sive titulo emptionis, sive commutationis acquirere. Respectu tamen stationum, & exactionis stationum jura antiqua reassumpta sunt & approbata, *Anno Dni 1658. fol: 43. tit:* **Jásna Gora Czestochowská.**

Aduocatiæ, quæ non sunt incorporatæ Capitaneatibus, non debent amplius incorporari, sed bene meritis tam in Regno, quàm in Magno D. Lit: debent conferri, *Anno D. 1607. fol: 838. tit:* **O Kádukách,** Idem & *Anno D. 1620. f: 6. tit:* **Nágrodá,** vbi hoc extensum est, & ad scultetias.

Sed *Anno D. 1662. fol: 15. tit:* **Deklárácyá strony Woytostw** statutum est, quòd advocatiæ & scultetiæ, tam in Regno, quàm in Magno Duc: L. solùm militibus bene meritis conferantur, sub nullitate privilegiorum, & revocatione eorundem ad instantiam cuiuslibet ex Exercitu, & vt huic delatori conferat eandem Serenissimus Rex, data tamen est facultas protunc Possessoribus, & in futurum militibus, easdem aduocatias cum consensu Regio personis alijs Nobilibus vendendi. Neq; derogatum est advocatijs in Oëconomijs Regijs, & reformationi Serenissimæ Regiæ subjectis, durante reformatione, neq; his, quæ sunt Civitatibus & Oppidis, lege publicâ incorporatæ, aut quas Capitanei Iudiciales ad conservationem jurisdictionis suæ tenent. Advocatiæ autem omnes, quas personæ plebeiæ contra dispositioẽ juris tenent, exnũc pro vacantib⁹ declaratæ sunt, & militibus bene meritis collatæ. Ne tamen possessio violenter, sed legitimâ juris viâ in Iudicijs Sacræ Regiæ Majestatis capiatur, prævià exsolutione summarum, & sumptuum in Advocatijs factorum. Exceptuatæ tamen sunt Advocatiæ decem, conferendæ à Serenissimo Rege, hominibus in servitio suo actuali manentibus. *Ita in Constit: Anni 1662. fol: 15. vt supra. Anno quoq; 1669.* in Exorbitantiis *sub tit:* **Gwardyie Jego Krolewskiey Mości** declaratum est, quod sicut alias advocatias, ita in Oëconomijs Regijs existen-

xisten-

xistentes personæ plebeiæ non possunt tenere, sed bene meritis Nobilibus conferantur, privilegia in contrarium extradita cassantur, & respectu huius data est facultas agendi, in Tribunali inter causas Fisci.

Anno D. 1563. fol: 46. tit: **Woytostwá** statutum est, quòd omnes Advocatiæ, sculteriæ, molendina, ferricudinæ, fodinæ subiectæ sint exemptioni, nisi aduitalitas impediat.

Idem & *Anno D. 1598 fol: 689. tit:* **O pozwiech zadwornych.**

Tandem *Anno D. 1647. fol: 8. tit.* **O Woytostwách** talis Constitutio lata est: Omnes advocatiæ & sculteriæ, quoniam bene meritis, & militibus antiquis juribus destinatæ sunt, quas Constitutio *Anni 1563* in exemptione esse agnovit, & postea *Anno 1620.* has, quæ nondum erant Civitatibus incorporatæ, vt etiam personis bene meritis conferantur, lex publica sancivit, quæ jura antiqua, & Nos sub felici Regimine Nostro Constitutione *1638.* ad executionē pro præmiandis militibus, & bene meritis deducere promisimus. Ideo volendo illa in executione habere, jam exnunc advocatias & sculterias omnes contra Constitutionem priorem, bene meritorum & militum Anni superiùs specificati *1620*, subsequenter posteriori tempore per civitates incorporationibus, quæ per appendices, sub titulo aliarum Constitutionum adiunctæ sunt, & in volumen legum inscriptæ sunt, ad tollēdam occasionem bene merentium obtentæ, non obstantibus ijsdem incorporationibus, conformando se Constitutioni supra memoratæ *Anni 1563.* in redemptione esse declaramus, competentiam omnem, & potestatem redimendi donatarijs Nostris, tàm illis, qui jam antea à Nobis jure aduitalitio obtinuerunt, aboliendo omnes litis pendentias ob prætextum incorporationum exortas, sicut & his, quibus conferemus authoritate præsentis Conventûs. Civitatibus tamen limitaneis advocatias incorporatas in suo robore conservamus, & has, quæ sunt lege expressâ in Constitutionibus descriptæ, & titulos suos separatos habent inscriptos: *hucusq; verba Constitutionis.*

Advocatia & villa **Drozdowice** in Terra Præmisliensi, Domino Martino Kotskiemu, Generali artileriæ Regni jure Terrestri hæreditario in perpetuum data *Anno 1677. fol: 45. tit:* **Záwdzieczenie.** Advocati & sculteti servitium bellicum expedire tenentur. *Anno D. 1550. fol: 5.* § **A iżgdzie.**

Item sub tempus expeditionis generalis bellicæ, *Anno D. 1621. fol: 9.* § **do tey służby.**

Advo-

Advocatiæ in Oëconomijs Regijs à hybernali contributione liberæ sunt. *Anno D. 1669 tit:* **Gwárdye J. K. M.**

Aduitalitas super advocatia in villa **Zukowo** ad Capitaneatum Lublinensem spectante, D. Melchiori Policki, & Filio ejus Stanislao, insimul cum summa ducentarum marcarum super eadem advocatia inscripta approbata est, respectu bonorum eius hæreditariorum, quæ sunt ipsi prætextu commutationis accepta. Quæ bona non potest amplius prætendere, sed hac aduitalitate & summa post decessum suum & Filij contentus esse debet. *Ita Anno D. 1611. fol: 36. tit:* **Approbácya.**

Capitaneatus Barensis & Lubomlensis cum omnibus attinentijs suis Domino Joanni Wychowski Palatino Kijoviensi, & ejus posteris dati sunt in perpetuum jure hæreditario, *Anno D. 1659. fol: 56. tit:* **Dánina wieczná,** vide & *Anno 1661. fol: 15. tit: Recompensa,* & *Anno D. 1673. f. 16. tit:* **Wárunek.**

Capitaneatus Ticocinensis cum omnibus attinentijs, & cum jurepatronatus datus est jure hæreditario D. *Stephano Czarnecki* Palatino Russiæ, & *Successoribus* eius, omnibusq; immunitatibus bonorum Terrestrium incorporatus est, salvis in integro fundationibus Ecclesiasticis, & hospitalis pro militibus fundati, similiter provisione annuâ Patrum Ordinis *S.* Francisci Minorum de Observantia Conventus Ticocinensis, Parochis autem Diœcesis Vilnensis: forum post Curiam, & non in Tribunali assignatum est. Iudicia Terrestria Ticocinensia, & positio Actorum Terræ Bielscensis, prout antiquitus absolvebantur, ita & nunc absolvantur, sub eadem securitate judiciorum, hospitiaq; ex officio vt antea assignentur. *Ita Anno D. 1661. f. 12. tit: Gratitudo meritorum.*

Capitaneatus Bratianensis, Successoribus Catharinæ Kobierzycka Domini Działyński Capitanei Bratianensis Vxoris cum hoc marito procreatis, jure emphyteutico, ad annos quindecem datus est; salvis juribus Reipublicæ & oneribus, & ipsamet Domina Capitanea ratione istius Capitaneatus libera & immunis declarata est. *Anno Dni. 1662. fol: 27. tit:* **Nagroda zasług Oyczowskich.**

Similiter in Capitaneatu Mławensi, D. Francisco Bielinski *Camerario* Płocensi, & *Successoribus*, extincto jure aduitalitio ad annos quindecem jure emphyteutico is idem Capitaneatus concessus est, salvâ solutione Quartæ, stativis, & oneribus Reipub: *Anno D. 1662. fol. 28. tit: Emphyteusis.*

Anno Domini 1589. fol: 508. tit. **Stárostwá Inflánskie** statutum

tutum est, vt Capitaneatus Livoniæ, alternatim Polonis & Lithvanis conferantur, hoc est post decessum Capitanei gentis Polonæ, Lithuano, & è contra: super quo vt Domini Cancellarii vtriusq; Gentis attendant, sub privatione officij, si aliquis illorum post decessum Poloni Polono & non Lithvano: & è contra apud Regem impetrâsset, privilegium sigillasset, & extrâdidisset. Impetrans autem ipso facto Capitaneatu sit privatus; & pœnâ infamiæ puniatur. Respectu cuius forum in Comitijs ex citatione cuiusvis criminaliter edita: vtq; eiusmodi causæ in primis Comitijs, ante omnes alias causas criminales in termino incidenti judicentur & finiantur.

Tandem admissi sunt ad alternatam Capitaneatuum & Tenutarum æqualiter cum Gente Polona & Lithuanica, quos Capitaneatus & Tenutas Serenissimus Rex cum scitu Dominorum Senatorum ad latus suum residentium distribuere & conferre potest. *Ita Anno Domini 1607. fol. 844. tit:* **Ordynacyá**. Cùm antea admissi fuerint ad minutiora bona,& alias arces minùs considerabiles. *Anno Domini 1589. fol: 511. tit:* **Dzierzáwy y** *minutiora bona* **w Inflánciech**.

Anno D. 1635 fol: 28: tit: Bene meriti, statutum est, vt bona Livoniæ post recuperationem illorum ex manibus hostis, Nobilibus Polonis, Lithvanis & Livoniæ, eodem jure quo antea conferebantur, conferantur.

Anno D. 1677. fol: 32. tit: **Ordynácyá** statutum est, vt in collatione omnium Capitaneatuum Livoniæ alternata servetur juxta antiquum jus. Et si Serenissimus Rex daret Capitaneatum *Polono* aut Lithuano impossessionato, in decursu medij anni, post adeptionem officij, talis donatarius emat sibi ibidem possessionem, salvis protunc Possessoribus.

Proventus ex Capitaneatibus, Tenutis, teloneis Livoniæ, & alij similes alternatim, hoc est, vno anno ad thesaurum Regni, & altero anno ad thesaurum M. D. L. sub amissione Tenutæ debent reddi. *Anno Domini 1589. fol: 509. tit:* **Opátrzenie dochodow Inflántſkich**. Circa autem dispositionem horū proventuum Domini Thesaurarij vtriusq; Gentis debent inter se conferre, & in Comitijs Generalibus rationē reddere, sub tempus tamen Interregni absq; scitu & consensu vtriusq; Gentis non possunt de illis disponere, sub pœna peculatûs, in Comitijs ex citatione sub sigillo vnius Gentis extradita, vindicanda. Proventuū tamen horum vna pars ad thesaurū

Regni & Lithvaniæ alternatim post annum; & altera pars ad defensionem illius Provinciæ, & tertia pars, pro Capitaneo converti debent. *dicta Constit: Anni 1589.*

In Livonia, quilibet Capitaneus ex tertia parte proventuum ipsum concernente, tenetur tempore pacis arcem reparare & custodire. *Ibidem.*

In Livonia non potest Serenissimus Rex duas partes proventuum alicui dare, sed tantùm tertiam concernentem Capitaneum seu Tenutarium, impetrans alio modo totum Capitaneatum seu Tenutam amittit. *Ibidem.*

Anno D: 1589. fol: 510. tit: **Summy ná Stárostwách** cautum est. Quod si Polonus & Lithvanus, juxta alternatam, summam pecuniæ suæ post mortem Capitanei, vel Tenutarij reponat, potest vti jure Antecessoris sui, quousq; illi hæc summa non fuerit ex Thesauro persoluta. Præcustoditum tamen est, *ibidem fol: 511. tit:* **Vznánie summ Inflántskich**/ ne absq; scitu Comitiali, Capitaneatus & Tenutæ summis aliquibus onerentur.

In Livonia proventus ordinarij in Comitiolis laudati, præviâ cum Magno Duc: Lithv: liquidatione, vno anno ad thesaurum Regni, & altero ad thesaurum Magni Duc: Lith: vt persolvantur. *Anno D. 1677. fol: 32. tit:* **Ordynácyá** statutum est.

In Livonia, vt Capitaneatus & Tenutæ Indigenis Livoniæ bene meritis in perpetuum possint dari, non erat denegatum, sumptâ priùs informatione à Dominis Commissarijs in Comitijs deputatis. *Anno D. 1598. fol: 708. tit:* **Ordynacyá Ziemie Inflantskiey** & *fol: sequ:* **z A iż Posłowie Ziemie Inflántskiey** &c. Quæ Constitutio in suo robore conservata est, *Anno Dni 1601. fol: 756. tit:* **O zostáwieniu przy possessyách Obywátelow Inflántskich.**

Privilegia & aliæ expeditiones ad Livoniam, sub sigillis Regni & Magni Duc: Lit: extradi debent sub nullitate illorum *Anno D. 1589 fol: 508. tit:* **Odpráwá listow.**

Citationes tamen respectu non servatæ alternatæ, sub sigillo cujusq; Cancellariæ possunt validè extradi. *Ibidem fol: 508. titul:* **Stárostwá Inflántskie** ad finem.

Tandem *Anno Domini 1598. fol: 708 tit:* **Ordynácyá Ziemie Inflántskiey z A iż gdy też** *statutum est*, vt citationes ad Comitia vel post Curiam sub sigillo Terrestri possint extradi.

Postea *Anno D. 1677. fol: apud me 29. tit:* **Ordynacya Xięstwá Inflántskiego** ordinatum, vt mandata decreta Assessorialia, banni-

bannitiones, literæ moratoriæ, aliàs **Gleyty**, ſublevationes, ſub ſigillis vtriuſq; Cancellariæ tam Regni, quàm Magni Duc: L. extradantur.

Ibidem quoq; ordinatum eſt *fol: 30 § In cauſis* **iednák**, vt proteſtationes, citationes, decreta, in omnibus ſubſellijs Polonico idiomate ſcribantur. Capitanei Livoniæ juxta Conſtitutionem in Electione HENRICI Regis latam jurare quoq; tenentur, quòd ſub tempus Interregni arces & Civitates ob concordiam Reipub: communem nulli tradent, niſi Regi Poloniæ, & Mag: D. L. liberè & legitimè electo & coronato. Et quòd communi Reipublicæ coronæ Regni & M.D. L. fideles erunt. *Ita Anno D. 1589. fol: 509. tit:* **Przyśiegá Stároſtw Inflántſkich.**

Incolæ Livoniæ, bona Terreſtria hæreditaria in Polonia & in Magno D.L. emere, vel alio modo acquirere poſſunt, & ea ſub ijſdem juribus & prærogativis vt Incolæ vtriuſq; Gentis tenere. *Anno D. 1607. fol: 844. tit.* **Ordynacya Ziemie Inflántſkiey.**

Capitanei Iudiciales, homines inſolentes, aggreſſores, homicidas, latrones, & his ſimiles captivare vbiq; locorum, adminiſtrareq; juſtitiam etiam ad inſtantiam Inſtigatoris Officij Caſtrenſis, tanquã in publica injuria tenentur, idq; ſub pœna ducentarum marcarum, in viciniori Capitaneatu, ſi bona ſint libera, ad inſtantiam cuiuſvis, tanquam in publica injuria repetenda, & abſq; quavis appellatione irremiſſibiliter luenda: ſtante autem aliquâ perplexitate, informationem capere à Sereniſſimo Rege, & interim reos in carcere detinere, & cuſtodiam firmam dare, ne aufugiant. *Anno D. 1611. f. 13. tit.* **Obostrzenie práwá na ſwowolniki.**

Capitaneus Varſavienſis exemplo Cracovienſis in arce antiqua debet habere exdiviſam manſionem. In Confœderatione Generali Varſavienſi *A. D. 1668. & 1674.* Villæ quoq; Capitaneatûs Varſavienſis liberæ factæ ſunt in perpetuum à hyberna, *Anno D. 1673. fol: 19. tit:* **Wolność Wárßáwy.** Quod anno ſequenti in Confœderatione Generali Varſavienſi *f. 28. §* **A że Konſtytucya** extenſum eſt ad ipſam civitatem Varſavienſem.

Capitaneorum officium erat invigilandi, ne depoſitoria deſignata aliàs **ſkłady** defraudarentur, *Anno D. 1565. fol: 91. tit:* **Vſtáwá ná ſkłády.**

Item, ne mercatores Regni merces extra fines Regni eveherent. Pœna contra evehentes ſtatuta fuit, amiſſio mercium, quarũ tres partes fiſco Regio & quarta pars Capitaneo cederet. Capita-

neus autem permittens evectionem, puniebatur solutione ad thesaurum Regium summæ correspondentis mercibus *Anno Dni. 1565. fol: 93.* § **A tego strzedz máią Stárostowie.** Fuit quoq; Const: *Anno D. 1566. f 126. tit:* **Iarmarki,** ubi id non tantùm Capitaneis, sed etiam Tenutariis Civitatum limitanearum sub ijsdem pœnis iniunctū est. videatur & constit; *Anni 1611. fol: 34. tit:* **O przeiezdzániu ćeł Koronnych.**

Capitaneorum officium est attendere vt Civitates reparentur *Anno D. 1565. fol: 101. tit:* **Opráwá Miast.**

Capitaneus cum Palatino taxam artificibus & mercatoribus in vendendis mercibus constituere tenebantur, sub pœna in statuto expressa. *Anno. D. 1565. fol. 28. tit:* **O urzedzie y powinnośći,** *sed Anno D. 1565. fol: 96. tit.* **Powinowáctwo Woiewodze/** hoc onus Palatino vel eius Vicepalatino impositum est, vt saltem duabus vicibus in anno, in præsentia Capitanei vel ejus Surrogati, & Dignitariorum & Officialium Terrestrium, tum & Magistratûs in prætorio Civitatis principalis in illo Palatinatu: in Palatinatibus autem Russiæ & Masoviæ in qualibet Terra, vt hæc taxa fiat in præsentia Officij Civilis. Contraveniens taxæ peremptoriè citatus à Proconsule illius loci pœnâ quatuordecem marcarum per medium inter Palatinum & Instigantem dividendâ debet puniri. sed de his alibi.

TITVLVS DECIMVS SEXTVS

De Lustratione seu Revisione bonorum Regalium.

SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, Petricoviæ *A. D. 1562. fol: 22. tit:* **O Lustrácyey** *statuit,* vt lustratio omnium bonorum Regalium de quinquennio in quinquennium fiat idq; eo motivo; vt ex tali lustratione possit informatio haberi respectu Quartæ augendæ, vel minuendæ, quæ militi ad defensionem limitum Regni excubanti datur. Et *Anno 1601 fol. 731.* § **A ci Lustrátorowie** lege perpetuâ cautum est. Qui lustratores in singulis Comitiis debent eligi, aut antea electi confirmari. *Anno D. 1590. fol: 730.* § **A tey lustrácyey.**

Et sic Varsaviæ in Comitijs *Anni Domini 1563. fol: 39. tit.* **Rewizorowie/** deputati erant lustratores seu revisores, ad revidenda bona mensæ Regiæ & conscribenda inventaria proventuum in ijsdē

bonis: exceptis bonis in quibus erant summæ antiquæ bene inventæ & adjudicatæ. Et quidem alij ex parte Regia, alij ex parte Senatus, & alij ex parte Nuntiorum Terrestrium. Et quidem tali modo.

Ex parte Regia ad Majorem Polon: deputatus erat Andreas Blinowski, Canonicus Vladislaviensis, Secretarius Sacræ Regiæ Majest: Ad Minorem Poloniam deputatus erat Generosus Martinus Falecki Aulicus Regius. In Russiam Generosus Christophorus Sokołowski, In Prussiam Ioannes Radogoski Canonicus Łanciciensis, S. R. M. S. Ad Masoviam Gaspar Piotrowski Canonicus Varsavien:

Ex parte Senatûs deputati erant, ad Majorem Poloniam Magnificus Dominus Sebastianus Mielecki, Vislicensis, Brestensis Capitaneus. Ad Minorem Poloniam, Magn: D. Paulus Działyński Castellanus Słonensis. In Russiam Adamus Drzewicki, Castellanus Inovladislaviensis. In Prussiam Magn: D. Ioannes Lutomierski Seradiensis, Łanciciensis Capitaneus. In Masoviam Magn: D. Andreas Dębowski Capitaneus Brzezinensis.

Ex parte Nuntiorum Terrestrium deputati erant ad Majorem Poloniam Mag: Thomas Dębowski, Ad Minorem Poloniam Sebastianus Wielogłowski. In Russiam Stanislaus Dębienski. In Prussiam Stanislaus Słupecki. In Masoviam Mathias Chadżiński.

Quibus Revisoribus eodem *Anno fol: 41. tit:* **Przywileie stare/** data fuit potestas ad requisitionem, qui prætenderet bona sua hæreditaria nullo jure, sibi à fisco Regio adempta esse, & mensæ Regiæ applicata, ad locum loci descenderent, & si querelans legitimis documentis, querelam suam comprobaverit, pro decisione ad Comitia generalia remitterent.

Similiter in eadem Constitutione *Anno 1563. fol: 41. tit:* **Frymárki** ijsdem Revisoribus data fuit facultas revidendi literas commutationum vocatis ad hoc Capitaneo, vel Vicecapitaneo. *Vide & Constit: Anni 1567. fol: 137. tit:* **Rewidowánie dobrá.**

Sic etiam *A. D. 1569. fol. 186. §* **Lustrátory/** deputati erant modo quo supra, lustratores ad omnia bona Regia nullis exceptis.

Sic *A. 1576. f. 295. tit.* **Rewizya Podolska** deputati erant Revisores modo quo supra, ad revidenda bona mensæ Regiæ in Palatinatu Podoliensi.

Sic *A. D. 1598. fol. 688. tit:* **Lustrácya dobr** ordinatum erat; vt in futuris Comitijs eligerentur lustratores ad revisionem bonorum mensæ Regiæ.

Et sic in Comitijs *Anni 1601. f. 727. tit:* **Lustrácyá** deputati e-

rant modo quo ſupra. Quibus injunctum erat, vt luſtrarent bona, hæc, quæ antea non erant luſtrata, item bona in quibus ſummæ antiquæ ſunt extenuatæ: item & hæc, ex quibus pro illo tempore nihil aut parum (ob incertam taxam) reſpectu Quartæ ſolvebatur, vtq; juxta hanc luſtrationem, Poſſeſſores talium bonorum Quartam ſub pœnis contra non extradentes Quartam latis, in poſterum ſolverent.

Item vt luſtrarent bona tam poſt Annam Vxorem STEPHANI Regis, ſicut & poſt Annam SIGISMVNDI III. Regis Vxorem primâ exceptis his Capitaneatibus & Tenutis, ſuper quibus aduitalitates intervenerunt, quæ debebant ſubeſſe duplæ Quartæ, prout & alij Capitaneatus ad decurſum duorum annorum: poſt lapſum autem tempus duorum annorum, ſimplam Quartæ juxta protunc ordinationem ſolverent. Item injunctum illis erat, vt omnes Oëconomias luſtrarent exceptis teloneis, fodinis, & exceptis Oëconomijs Samborenſi, & Mariæburgenſi, & Magnâ Procuratione Cracovienſi, ex quibus duplex Quarta ſolvi debebat, ad tempus ſuperiùs præfixum, lapſo autem dicto tempore, ſimplex & media prout ex alijs Capitaneatibus ſolveretur, *Ibidem fol. 729.*

Item ab eadem luſtratione & à Quarta duplici Capitaneatus Vkrainæ & Tenutæ Palatinatuum Kijovienſis, Bracławienſis, Camenecenſis & Chmielnicenſis ad vitam Poſſeſſorum liberi erant. Similiter & Capitaneatus Generalis Cracovienſis & Majoris Poloniæ, Capitaneatus Kijovienſis, Mariæburgenſis, Advocatiæ, ſculteтiæ, fodinæ, ferricudinæ, item villæ jure feudali ſeu jure vaſallico ad arces ſpectantes. *Ibidem* § **Od ktorey luſtracyey.**

Ad hæc ſtatutum erat; ne Seren: Rex abhinc poſt deceſſum, vel ceſſum modernorum Capitaneorum, Oëconomorum, Tenutariorum ejuſmodi bona conferret, aut ceſſionem admitteret, quouſq; per deputatos luſtratores cum Theſaurario Regni, aut Officio ejus non fuerint luſtrata, vtq; juxta hanc luſtrationem, inſtructionem, & taxam taxa ſolveretur, ſub pœnis de Quarta ſtatutis. *Ibidem fol: 729.* § **A po ześciu**

Item ſtatutum erat. Quòd Seren: Rex bona, in ſumma quingentorum millium florenorum obligata, poſt mortem protunc Poſſeſſorum non poſſit illa novis donatarijs conferre, niſi priùs fuerint ſufficienter luſtrata, & hoc poſt exſolutionem ſummæ ſucceſſoribus modernorum Tenutariorum: non includendo in hoc ſummas Palatinatûs Podlachiæ, quarum ſummarum reſtitutio per Regnum in

privilegijs cauta eſt. Quodſi aliquis horum Tenutariorum Quartam dare noluerit, huic conſervatus eſt terminus exemptionis in proximis Comitiis, poſtquam exemptionem Luſtratores tenebuntur eiuſmodi bona luſtrare, & juxta quam luſtrationem, medietatem proventuum tenebuntur Ravæ ſolvere, juxta Conſtit: *Anni 1598. Ibidem fol: 730.* § **A iż przez zátrudnienie.**

Ad hæc ſtatutum erat: quòd huic luſtrationi non ſubiacerent villæ Oëconomiarum, quas villas *Seren:* Rex jure aduitalitio, ante Conſtit: *1590.* dederat: Poſſeſſores tamen illarum vt Quartam alteram ſolverent. In poſterum autem licitum ſit Regi, quocunq; tempore, hæc bona jure aduitalitio poſt luſtrationem dare, non obſtante Conſtitutione de Oëconomijs, *ibidem* § **Niemáia tez podlegá:.**

Et quoniam in Palatinatibus Kiiovienſi, Volynenſi, Bracſavienſi luſtratio in Comitiis vnionis deſtinata, nondum fuit ad effectum deducta, eam ad executionem deducendo ordinatum erat, cum hac præcuſtoditione, quòd huic luſtrationi ſola tantùm bona menſæ *Regiæ*, quæ Tenutarij jure aduitalitio ad præſens tenēt, & non alia ſubeſſent; imò juxta Conſtitutiones antiquas, libertates & jura Nobilium omnia in ſuo robore conſervata ſunt, & ne in dubium vocarentur, nec executio aliqua ex iſta luſtratione prætēderetur, ſtatutum erat. *Ibidem fol: 730.* § **A iż w Woiewodztwach,**

Sic & *A. D: 1635. fol: 49. tit:* **Luſtratorowie:** luſtratio juxta morem antiquum & jura deſtinata erat, ſed ſolùm ad illa bona Regia, in quibus ſummæ antiquæ extinctæ erant, & quæ hucuſq; non erant luſtrata & ex quibus Quarta non ſolvebatur.

Sic & *A. D. 1642. fol: 15. tit:* **Luſtrácyá/** deputati erant Luſtratores ad reviſionem Capitaneatûs Krzepicenſis.

Sic etiam *A. D. 1659. fol: 13. tit:* Luſtratio **dobr Rzeczypoſp:** Luſtratores deputati erant, ad omnia bona Regia, tam luſtrata, quam non luſtrata, per totum Regnum revidenda, quibus iniunctum eſt; vt in bonis non luſtratis privilegia, in Pruſſia jura Emphyteutica reviderent, & quàm pridem & vbi ſummæ & Emphyteuſes exſpiraverint inquirerent, & connotarent, & ad theſaurum redderent, & intra tempus in Conſtitutionibus deſcriptum (quæ omnes ad hunc actum reaſſumptæ ſunt) ſub pœnis fiſci, ad inſtantiam Inſtigatoris Regni repetenda exequerentur. Et ſi aliquis huic functioni renunciaſſet, aut legaliter impeditus eſſet, id Theſauro tempeſtivè ante tempus præfixum, denuntiaret, vt *Seren: Rex* alium in locum eius ſubſtitueret. Et vt à proximo Feſto Pentecoſtes in *Anno 1660.* iuxta

hanc lustrationem, quilibet Capitaneus & **Tenutarius Quartam in** Thesaurum importaret, sub pœnis in jure descriptis, pro festo autē Pentecostes præsenti, vt juxta juramentum ad hocce tempus legitimè præstitum & receptum, ad Tribunal Radomiense Quartam, in parata pecunia Capitanei & Tenutarij comportent, & qui juramentum non produxisset, illud præstaret in eam rotam in præteritis Comitiis descriptam. Similiter si aliquis novus Possessor Quadruplā in præteritis Comitiis laudatam non solvisset, nec privilegium suum, in Thesauro, circa solutionem Quartæ præsentâsset, talis sub privatione Tenutæ illi collatæ, judicaretur. In Palatinatibus autem Kijoviensi, Podoliensi, Bracławiensi solùm ab *anno 1649.* in alijs autem Palatinatibus ab *anno 1655.* ejusmodi abiurata in Tribunali fisci, & in Commissione non recipiantur. Molendinum Braxeorum Gnesnæ in quo solo totus proventus fundatus est, quoniam pensione annuâ, & simul solutione duplicis Quartæ est oneratum, & ad vtrumq; non potest sufficere, commissum est Dominis Lustratoribus Maioris Poloniæ, vt tam Quartam, quàm pensionem prædictam, ad iustam taxam, deductis expensis Oëconomicis reducerēt, hoc est: duas partes pro dupla Quarta & tertiam partem pro dicta pensione Capitaneo solvenda relinquerent. Similiter Inovladislaviæ Quartam & pensionem respectu annorum modernorum determinarent. Similiter Quartam **Pscynicá y wielkiey Łeki**, iuxta Commissionem expeditam determinarent.

Sic & *Anno D. 1673.fol: 25. tit.* **O dobrách Mázowieckich** deputati erant Lustratores ad lustranda bona, quæ Seren: Regina Ludovica Maria jure reformatorio, tenendo, non permiserat lustrari, Constitutioq; *Anni 1659.* super hoc lata reassumpta est.

Anno quoq; Dni 1678. fol: 14. tit: **Rewizya Woiewodztwá Wołyńskiego** lustratio generaliter omnium bonorum tam Regularium, quàm Spiritualium & Sæcularium in Palatinatu Vołynensi ordinata erat, dataq; facultas fuit; vt Lustratores in Comitiolis relationum, non obstante quâvis contradictione eligerentur, & ibidem juramentum solitum præstarent, & ne aliquis auderet hanc lustrationem impedire, pœna peculatûs statuta est, sed hæc lustratio non respectu Quartæ, sed respectu contributionum aliarum ordinata fuit, vt ex ipsa lectura ejus patet. Vide etiam de lustratione villæ **Máłżyc** à Capitaneatu Opocinensi seiuncta, & pro Ecclesia Studzinensi data. *Anno Domini 1677. fol: 25. tit:* **Lustrácya.**

Mortuo aliquo Lustratore, vel legaliter impedito potest Serenissimus

nissimus Rex cum consensu Senatorum residentium, alium constituere & deputare. *Ita in Constit: Anni 1563. fol: 40.* § **To tez** & in Constit: *Anni 1601. fol: 728.* § **Z ktorych to Deputátow** & *fol: 730.* § **A tey Lustrácyey** ad finem. Idem & in Constit: *Anni 1673. fol: 33. tit:* **Lustracyá.**

Debent juramentum præstare super fidelem lustrationem omnium bonorum subiacentium lustrationi. *Ita A. D. 1598. fol. 688. tit:* **Lustrácya.** Idem & *Anno D. 1601. fol: 728.* vbi & forma juramenti talis descripta est.

Forma juramenti Lustratorum.

EGo N. juro DEO omnipotenti, in vnitate Trino, quòd de omnibus proventibus bonorum Reipublicæ, quæ quandocunq; lustrabo, juxta officium meum lustratorum, fideliter & justè & diligenter inquiram & illorum inventarium conficiam per me, non per substitutas personas, nullum respectum habendo amicitiæ, vel inimicitiarum, neq; aliqua munera eo nomine accipiendo, sed in his omnibus fideliter & justè me gerendo, sic me DEVS adiuvet, &c. vide hic paulò infra. Quod juramentum intra spatium duarum septimanarum, post festum Pentecostes, Ravam venientes, coram Deputatis ad Quartam, & coram Capitaneo illius loci præstare tenebantur *A. D. 1601. fol: 731.* § **A ci Lustrátorowie.**

Sed *A. D. 1616. fol: 39.* & *sequenti tit:* **Náznáczenie Lustrátorow** § **A tym Lustrátorom** statutum erat; vt juramentum non Ravæ (ex quo deputatio ad Quartam non debebat diu durare) sed in Castro coram Officialibus Castrensium Iudiciorum illius loci, vbi lustratio inchoabitur, præstarent.

Sic & *A. D. 1642 fol. 15 tit.* **Lustrácya**, deputatis Lustratoribus ad lustrationem Capitaneatûs Krz picensis iniunctum erat, vt hocce juramentum in viciniori Castro præstarent.

Anno autem *Domini 1659. fol: 13.* & *sequ: tit: Lustratio* **dobr**, ordinatum est vt ante omnia, jurarent. idq; sub hac forma.

Quod officium hoc fideliter & justè & cum magna diligentia per se & non per substitutos absolvent, munera nulla accipient, famulatum & equos, vltra necessitatem solitam, in hac functione non fovebunt, in bonis post lustrationem expeditam, vltra necessitatem, non morabuntur, neq; vecturas (aliàs **Podwody** *) accipient.* vtq; hoc juramentum in judicijs proximis Terrestribus vel Castrensibus coram Iudicio pleno præstarent, & testimonium authenticum præstiti juramenti D.

Thesaurario transmitterent, statutum erat.

Anno quoq; *Domini 1635. fol. 49. tit:* **Lustrátorowie**, comitatus Lustratorum circumscriptus est, *vt supra.*

Anno quoq; *D. 1677. fol: 25. tit:* **Lustrácya**. Conscientia Lustratorum tantùm onerata est, ne quid Respub: detrimenti patiatur.

Anno autem *D. 1678. fol:14. tit:* **Rewizya Woiewodztwá**. Rota juramenti Lustratoribus præscripta erat. *Quòd justè juxta Deum & conscientiam non ex favore, nec odio revidebit & conscribet, & & regestra lustrationis quilibet in Districtu suo ad Acta Castrensia porriget.*

A. D. 1616. fol: 40. § **A tym Lustrátorom**/ ordinatum erat, vt Domini Lustratores in spatio quatuor septimanarum, ad locũ à D. Thesaurario assignatum convenirent, vt lustrationem incæptam continuarent, idq; sub pœna mille marcarum, ad instantiam Instigatoris Regni, in foro de Quarta vindicanda. Quæ Const: *Anni 1616.* fuit reassumpta *Anno D. 1623. f.* 14. *tit.* **Lustrátorowie.**

Capitanei, Tenutarij & Oëconomi non debent impedire lustrationem sub amissione Capitaneatuum & Tenutarum: respectu cuius pœnæ forum in proximis Comitijs, peremptoriè, ad instantiam Instigatoris Regni, ex delatione Thesaurarij & Lustratorum assignatum est. *Anno D. 1601. fol: 730.* § **A tey Lustrácyey.** Facit & Constitutio *Anni 1581. fol: 379. tit:* **Rewidowánie cel.** *Anno autem D. 1678. fol: 14. tit:* **Rewizya Woiewodztwa Wolynskiego**/ pœna peculatûs statuta erat, contra impedientes.

Quinimo præfati Domini Capitanei & Tenutarij tenentur fideliter ad hunc solum actum Notarios, Advocatos, villicos, aut alios similes famulos, imò & Cmethones ad labores spectantes, qui proventus bonorum illorum in administratione tenuerunt, vel saltem notitiam illorum habuerunt, DD. Lustratoribus subdere, vt ex informatione illorum & demonstratione proventuum, possint omnium notitiam habere & inventaria describere. *Ita A. D. 1563. fol: 40.* § **Ktorym to Rewizorom**. Et antea *Anno 1562. sub tit:* **O pozwoleniu cżwartey cżeśći.** § **A izby te rzeczy** *fol: 21. cum sequ:* videatur & Constitutio *Anni 1601. fol. 731.* §, **A izby tákowe lustracye**/ vbi additum est, quòd Domini Lustratores possint illis juramentũ injungere de fideli informatione danda; & quòd Domini Lustratores debeant ab ijsdem sustentari.

Securitas DD. Lustratorum *A. D. 1563. fol. 41. ad finem tituli*

fol:

fol: 39. **Rewizorowie**/ cauta est sub pœna criminis læsæ Maiestatis, respectu cuius Forum in Comitijs assignatum est. Quæ Constitutio reassumpta est. *A. D. 1601. fol: 731.* § **A izby tákowe Lustrácye.**

Dominis Lustratoribus data fuit facultas, *A. D. 1627. fol: 15. tit.* **Lustrátorowie**, taxandi frumenta juxta lustrationem *Anni 1616.*

Sic *A. D. 1659. f. 13. tit: Lustratio* **Dobr Rzeczyposp** § **A te funkcye** data fuit facultas; vt inter alios proventus crescentias quoq; reviderent: & facta taxa Quartam ex illis, vt ex alijs proventibus DD. Lustratoribus Jllustr: D. Thesaurarius Regni debet ante lustrationem, regestra omnium proventuum bonorum lustrationi subiectorum dare, vt sic meliùs lustrationem expedire, inventaria conscribere possint, & valeant. *Ita in Constit: Anni 1601. f. 731.* § **A ci Lustrátorowie**, Idem & in Constit: *Anni 1616. f. 41.* § **Tákze regestrá**/ vbi mentio fit de dicta Constit: *Anni 1601.*

Post traditionem Regestrorum tenetur Jllustr: D. Thesaurarius cum Deputatis ad Quartam, salaria Dominis Lustratoribus dare & quidem ex Nuntijs Terrestribus deputatis, vnicuiq; per ducentos florenos Polonicales. *Ita in Constit: Anni 1601. fol: 731.* § **A ci Lustratorowie.** Idem & *Anno 1607 f. 843.* § **Ci Lustrátorowie.**

Tandem *Anno D. 1616. f. 40.* § **A zeby tá Lustracya** etiam Dominis Lustratoribus ex Senatu deputatis, salarium assignatum est, sed quota non est specificata, sed solùm respectu Lustratorum ex Nuntijs Terrestribus juxta d. Constitutionem *Anni 1601.* vtq; hæc salaria, ex Quarta Ravæ, Notarijs Thesauri ad lustrationem cum Lustratoribus deputatis, ad manus illorum consignentur. Et hi Domini Notarij, Dominis Lustratoribus post præstitum ab eis juramentum dent,

Anno quoq; *D: 1620. fol. 25. sub tit.* **Naznáczenie Lustratorow** ad finem eiusdem tituli *fol: sequ:* salarium solitum ex Quarta solvendum assignatum est.

Anno D. 1621. fol. 19. tit: **O Lustratorách** statutum est. Quòd si aliquis Lustratorum acceperit salarium, & postea impedimento legali impeditus non posset lustrationem expedire, salarium acceptum Lustratori substituto solvat,

Jn Constitutione autem *Anni 1627. fol. 15. tit.* **Lustrátorowie** ordinatum est. Si aliquis ex Lustratoribus salarium acceperit, sub eodem salario priùs accepto lustrationem sequentem expediat.

Anno quoq; *D. 1635. fol: 49. tit:* **Lustratorowie** ordinatum est, vt D. Thesaurarius Regni, ex Quarta, salarium solvat Dominis Lustratoribus.

Expeditæ lustrationis suæ relationem in Comitijs generalibus tenentur Domini Lustratores facere *Anno Domini* 1565. *fol*: 99. *tit*: **O Rewizorách.**

Idem *Anno D.* 1581, *fol*: 379. *tit*: **Rewidowante cel/** sed in Constitutione *Anni* 1642. *fol*: 15. *tit*: **Lustrácya Stárostwá Krzepickiego/** vbi statutum est, vt DD. Lustratores, finitâ lustratione juxta præscriptum juris, & morem antiquum lustrationem suam bene & ordinatè conscriptam, manibus proprijs subscriptam ad Acta Thesauri porrigant.

Anno autem *D.* 1649. *f.* 15. *sub tit*: **Lustrácyá** statutum est, vt Domini Lustratores relationem lustrationis suæ in Comitijs Generalibus faciant.

Anno verò *D.* 1659. *fol*: 13. *sub .tit*: *Lustratio* **Dobr Rzeczypospo:** statutum est, vt ad Acta Thesauri porrigant.

Anno D. 1661. *fol*: 6. *sub tit*: **O stárey Kwarcie/** ordinatum est, vt lustrationes suas bene conscriptas, manibus proprijs subscriptas, sigillis suis sigillatas, ad Castra maiora cuiusq; Palatinatûs, ibi vbi bona lustrârunt, per oblatam dent, vtq; Officium Castrense absq; aliqua exactione illas acticent.

Anno D. 1678. *fol*: 14. *tit*: **Rewizya Woiewodztwá Wolynskiego**, statutum erat, vt regestra lustrationis quilibet ad Acta Castrensia in Districtu suo porrigat.

Ibidem sub tit: **Rewizyá Stárostw Chęcinskiegó y Zarnowieckiego/** vt revisionem & inquisitionem suam manibus proprijs subscriptam in Comitijs Generalibus proximis præsentent, & relationem faciant.

Anno Domini 1616. *fol*: 20. *tit*: **Lustrácyá Stárostwá Kißáwskiego/** Capitaneatus Kisaviensis, durante vitâ Ioannis Bakowski, Vexilliferi Mariæburgensis, Capitanei Kisaviensis, lustrationi non subiacebat, tenebatur tamen Quartam assignatam singulis annis solvere.

Sic *A. D.* 1601. *f.* 729. § **Od ktorey lustrácyey** liberi erant ad vitam Possessorum à lustratione, Capitaneatus & Tenutæ Vkrainæ Palatinatuum Kijoviensis, Bracłaviensis, Chmielnicensis, & Camenecensis, similiter à solutione Quartæ.

Similiter Capitaneatus Generalis Cracoviensis, & Maioris Poloniæ Palatinatus Kijoviensis, Capitaneatus Mariæburgensis, Advocatiæ, scultetiæ. fodinæ, villæ jure feudali, aut jure vasallico ad arces spectantes. Ibidem & nos supra in hoc titulo.

TITV:

TITVLVS DECIMVS SEPTIMVS
De Quarta & bonis Regalibus.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex *Anno Dni 1562. fol: 20. & sequ: tit:* **O pozwoleniu czwártey częśći.** ex omnibus bonis mensæ Regiæ in toto Regno, nullis exceptis, Quartam hanc concessit; idq; pro milite, in servitio bellico, pro defensione Patriæ excubanti, idq; tali modo: vt Lustratores, ad hunc effectum, aliqui ex persona Regis, aliqui ex parte Senatûs; & tertij ex Nuntijs Terrestribus deputati, proventus omnes eiusmodi bonorum taliter disponerent. Inprimis singulis annis pro sufficienti sustentatione Capitaneorum & Tenutariorum assignarent, deinde omnes proventus in quatuor partes dividerent, quarum tres Serenissimo Regi pro ordinarijs & extraordinarijs expensis, singulis itidem annis reponerentur, & quarta pars pro defensione occurrenti Patriæ solveretur.

Ex arendis autem aduitalitijs, & aduitalitatibus, de plano, ob bonum pacis & amorem communem, promisit se soluturum ex dictis tribus partibus suis, sed isti aduitalitij possessores debebant augere arendam. *Ibidem fol: 21.*

Ad solutionem istius Quartæ adstricti sunt, telonea tenentes, & administratores fodinarum (*Polonicè* **Celnicy/ Mytnicy/ Zupnicy**) ex proventibus sibi commissis, sub amissione officij, & solutione Quartæ de suis hæreditarijs bonis, dum fuerint de hocce adcitati. *Ita A. D. 1569. fol. 183.* § **Celnicy/ Mytnicy/** &c.

Annatæ quoq; debebant solvi pro defensione communi Patriæ, idq; sub pœna solutionis duplicis Annatæ. *Anno D. 1569. fol: 184.* § **Annáty.**

Constitutum est, vt hæc Quarta ad manus Jllustrissimi Domini Thesaurarij Regni, & à Republica Deputatorum solvatur. Quatuor enim personæ, duæ ex Senatu, duæ ex Equestri Ordine in Comitijs deputantur, ad hunc solùm actum, non vt socij sint cum æquali potestate Jllustr: D. Thesaurarij, sed solùm ad conservationem & distributionem Quartæ, & hoc propter casum mortis Jllustrissimi Domini Thesaurarij *A. D. 1569. fol. 183.* § **Deputuiemy.**

Officium Dominorum Deputatorum à Comitijs ad alia Comitia durat, & in singulis Comitiis debent eligi. *A. D. 1569. fol: 185.* §

Deputáci. & *Anno D.* 1570. *fol:* 205. ≀ **Náprzod.** & *Anno D.* 1607. *fol:* 843. *tit:* **Naznáczenie Deputátow.**

Sic etiam deputati erant, *Anno* 1627. *fol.* 16. *tit.* **Deputáci do Quárty.**

Item Anno D. 1629. *fol.* 25. *tit:.* **Deputaci do Quarty.**

Item Anno D. 1631. *fol:* 45. *sub tit: simili.*

Item Anno 1635. *fol:* 49.

Item Anno 1637. *fol:* 10. *tit:* **Deputáci do Káwy.**

Item Anno 1638. *f.* 33. *tit:* **Deputáci do Quárty.**

Item Anno 1641. *fol.* 36. *tit.* **Deputáci do odbieraniá Quárty.**

Item A. 1642. *fol:* 16. *tit:* **Deputacido Quarty.**

Item Anno 1643 *f.* 25. *tit:* **Deputáci do Kawy.**

Item A. 1646. *fol:* 14. *tit:* **Deputáci do odbieránia Quarty.**

Item Anno 1649. *f.* 17. *tit.* **Deputáci do Kawy.**

Item Anno 1654. *fol:* 22 *tit:* **Deputáci do Kawy.**

Item Anno 1658. *f.* 63. *tit:* **Deputáci do Kawy.**

Item Anno 1670. *fol:* 36. *tit:* **Deputáci do Kawy.**

Item Anno 1676. *fol:* 28. *tit:* **Deputáci do Quárty.**

Item Anno 1677. *f.* 42. *tit:* **Deputaci do Kw rty.**

Item Anno 1678. *f.* 105. *tit:* **Deputáci do Quarty.**

Item Anno 1683. *f.* 12. *tit:* **Deputáci do Quárty.**

Item Anno 1685, *f.* 10. *tit:* **Depu áci do Quarty.**

Item Anno 1690. *f.* 20. *tit:* **Deputáci do Quarty.**

Locus ad ſolvendam & conſervandam Quartam arx Ravenſis. *Anno D.* 1569. *f.* 184. ≀ **Mieyſce,** & *Anno* 1590. *fol.* 576. *tit:* **O Kwarcie:**

In caſu tamen peſtis, deſignatio loci ad Sereniſſimum Regem, poſtquam denuntiaverit Dominus Theſaurarius, *Anno D.* 1590. *fol.* 186. ≀ **Staroſta mieyſce.**

Tempus ſolutionis, feſtum Pentecoſtes, *Anno D.* 1569. *f.* 184. ≀ **Czás ku znoßeniu.**

Quilibet Poſſeſſor bonorum Regalium, debet eam ſolvere ad manus Domini Theſaurarij, *Anno D.* 1569. *fol:* 183. ≀ **Oddáwać.**

Idem & in Conſtit: Anni 1661. *fol:* 6. *tit:* **O ſtárey Quarcie,** vbi præter privationem additur pœna triplicis penſionis.

Caſus tamen fortuiti cauti ſunt; ſed Poſſeſſor tenetur proteſtationem in Caſtro viciniori facere, & caſum fortuitum juramento comprobare: quo facto, & demonſtratâ dictâ proteſtatione, & juramento Domino Theſaurario & Deputatis, non amittet tenutam,

ſed tamen Quartam in primo adventu D. Theſaurarij & Dominorum Deputatorum ſolvere tenebitur. Ita in dicta Conſtit: *Anni* 1569. *fol*: 184. § **Jezliby komu ſługá.**

Idem lege perpetuâ ſtatutum eſt in Conſtitutione *Anni* 1667. *fol*: 4. *tit*. **Vmocnienie wárunku o Quarćie**, vt quilibet pro termino termini Quartam Ravæ ſolvat (exceptis caſibus in lege expreſſis) ſub amiſſione tenutæ.

Tempore præfixo D. Theſaurarius Regni cum Dominis Deputatis ad locum (vt ſupra) aſſignatum debent venire ſub pœna ſimilis ſalarij, quod ipſis à Repub: aſſignatum eſt, ibiq; per tres integras ſeptimanas manere propter receptionem proventuum, *Ita in d. Conſtit. Anni D.* 1569. *fol*: 184. § **Ná mieyſce y czas**. Si tamen legitimè impeditus fuerit D. Theſaurarius, vel aliquis D. Deputatus, poteſt in locum ſuum Nobilem poſſeſſionatum & honeſtũ cum ſufficienti mandato & ſigillo ac clave ſuis, mittere. *d. Conſtit*: 1569. *fol*. 185. § **Niebytność Páná Podſkárbiego.** Similiter ſi Dominus Theſaurarius, vel Deputatus deceſſerit, poſſunt ſuperſtites omnia expedire, aviſato Sereniſſimo Rege ſuper hoc. *Ibidem* § **A iezliby śmierć.** &c.

Salarium autem tale aſſignatum eſt: Domino Theſaurario mille floreni: Deputatis ex Senatu trecenti floreni: aliis autem ducenti floreni, *d. Conſtit: Anni* 1569. *fol*: 186. § **Opátrzenie**, Domino Capitaneo Ravenſi, floreni ducenti, ex quo & ipſe adeſſe debet Domino Theſaurario, vel eius Officio & Deputatis, vt ſciat quantum illatum ſit ad hunc theſaurum. *Ita Anno D.* 1588. *fol*: 470. *tit*: **Chowánie Quarty**, vbi & hoc cautum eſt, ſi aliquis ex Deputatis in perſona ſua non veniſſet, ſalarium non perciperet D. Deputati.

Domini Deputati debent jurare de fideliter exercendo officio ſuo, & quòd tempore Interregni vnà cum D. Theſaurario non diſponent pecuniam Reipublicæ, niſi cum voluntate & mandato Ordinum Regni. *In d. Conſtit: Anni* 1569. *f*. 186. § **Pánowie Deputáci** & § **A gdyby**. vbi pœna peculatûs ſtatuta eſt contra Dominũ Theſaurarium & Deputatos, ſi abſq; ſcitu & voluntate Ordinum Regni diſponerent.

Similiter & Capitaneus Ravenſis tenetur jurare, quòd D. Theſaurarium & Dominos Deputatos ad arcem Ravenſem, etiam tempore Interregni admittet, & theſaurum communem Reipub: in abſentia D. Theſaurarij, cuſtodiet ab omni furto. *Ibidem* § **Staroſtá mieyſcá tego.** *vide & Conſtitutionem Anno* 1588. *fol*. 470. *tit*: **Chowánie Quarty**.

Theſauro huic communi Reipublicæ **vim inferens, aut impediens** D. Theſaurarium & Deputatos, in diſpoſitione ſupra deſcripta Theſauri, aut D. Capitaneus loci illius D. Theſaurarium & Dominos Deputatos ad Arcem non admittens, & Ordines Regni contemnens, pœnam peculatûs ſubit. *d. Conſtit: 1569. fol: 186.* § **A gdyby przypádło** *Interregnum.*

Palatinatui tamen Sandomirienſi viſum fuit, vt ſub tempus Interregni, Quarta hæc ex Palatinatu illorum, Ravam deveheretur, & conſervaretur vſq; ad futuram Electionem Regis. *Ita ſub tit:* **Konſtytucye Woiewodztwá Sándomierſkiego**, *fol: 426* § **Iż też ná tym wiele należy.**

Jn Confœderatione Generali Varſavienſi *Anno D. 1648. fol. 7.* § **A iż.** ſtatutum erat; Cùm propter periculum, non poſſent tunc omnes Ravam cum Quarta venire, vbicunq; ad manus Domini Theſaurarij Regni illam reddiderint, & quietationem ab illo obtinuerint, talis quietatio ejuſmodi valoris ſit, acſi Ravæ Quarta eſſet perſoluta, ſed hoc pro vna vice tantùm, non derogando quidquam diſpoſitioni antiquæ de ſolvenda Quarta Ravæ.

Anni D. 1562. fol. 22. tit. **O wiſzczeniu Podſkárbiego** ſtatutum eſt. Ne D. Theſaurarius Quartam convertat in alium vſum, **iedno ná ſłużebne obrony potoczney.** hoc eſt: niſi pro milite Quartuario, idq; ſub privatione officij, & quòd non ſuffragabuntur illi quietationes Regiæ aut aliorum, ſi in alium vſum convertiſſet. dataq; eſt facultas Nuntijs Terreſtribus inſtigandi. Idem & in Conſtitutione *Anni 1613. fol: 3 tit:* **Wárunek o Qwarcie/** ſed ibi pœna peculatûs appoſita eſt. *vide Anno D. 1627. fol. 3. tit.* **Obrona Vkráiny/** & *Anno 1647. fol: 1. tit.* **Zátrzymanie woyſka Kwárciánego**, *vide & 1635. fol. 6. tit.* **Obroná.**

Dominus Theſaurarius in Comitijs Generalibus coram Ordinibus Regni tenetur rationem diſpoſitionis Quartæ reddere & quietationem obtinere. *A D. 1562. f. 22. tit.* **O Podſkárbim.** *vide & Anno 1569. fol: 185.* § **Liczbę czynić**, & retentores deferre, *d. Conſtit: Anni 1569. fol. 185.* § **Ktoby nie oddał/** hoc addito in § ſequenti, vt ſi aliquis Tenutarius ante annum, quo debebat reddere Quartam moriatur, Succeſſores illius non plùs ſolvant, quàm ſpectet, reliquum Succeſſor Tenutarius & donatarius ſolvat. Vnde *Anno D. 1569. fol. 184.* § **Regeſtrá** *&* § **Xięgi** ordinatum eſt. Vt tam Dominus Theſaurarius, quàm Deputati Regeſtra ſeparata habeant penes ſe omnium perceptorum & expenſorum, ſubſcripta ab omnibus inſi-

mul,

mul, & sigillis propriis communita, habendo vnum librum, in quo quietationes omnes sint descriptæ, qui remaneat penes proventus redditos, & alium librum similem, ad Comitia deferendum. *vide & Constit. Anni 1661. fol. 6. & sequ. tit.* **O stárcy Quitácie.**

Quietare vnumquemq; debet Dominus Thesaurarius, sub sigillo Officij sui & cum subscriptione Dominorum Deputatorum, *d. Constit. 1569. fol. 184. §* **Quitowáć.**

Dominus Thesaurarius & Deputati debent numerare pecuniam militi Quartuario pro medio anno, & eam per vnum Deputatum è medio sui electum, Leopolim transmittere, cuius medietatem (hoc est: pro vno Quartuali) is idem Deputatus, ad manus D. Notarij Campestris cum scitu Domini Ducis Exercitûs, & aliam medietatem, in prætorio Leopoliensi ad conservandum reponere, sub sigillis Notarij Campestris, Capitanei, vel Vicecapitanei, Leopoliensis Proconsulis & Civitatis ejusdem, quam medietatem pecuniæ depositam, D. Notarius Campestris, nonnisi adveniente secundo quartuali levare, ad solvendum militi. Et sic pro secunda medietate anni faciendum esse, *d. Constit: 1569. f. 184.* **§ A naprzód** *cum §§ sequentibus.* Deputatus hic in vectura pecuniæ & sustentatione sui debet moderatum sumptum facere; quinimo omnes expensas connotare, vti calculum & rationem exinde redditurus. *Ibidem fol: 185. §* **Deputat.**

Anno D. 1590. fol: 575. tit. **Sposób y wárunek.** Quarta dupla pro bello Turcico constituta est, pro vna vice; & vt citiùs, quam in jure præfixum est, hoc est vnâ septimana ante festum Pentecostes sub pœnis de Quarta, solveretur, statutum est.

A. D. 1590. fol. 526. tit. **Quarta z Woiewodztw Wolynskich/** ex Palatinatibus Volyniæ, ex bonis Regijs, hoc est: **Lucka, Wlodymierzá & Krzemienca,** in Palatinatu Bracłaviensi, & Capitaneatibus Bracłaviensi & Vinnicensi, in futurum concessa, conservando in toto summas ante vnionem illatas.

Eodem Anno 1590. fol: 585. tit. **Quártá z Wielkiego Xiestwá Litewskiego,** ex bonis & proventibus mensæ Regiæ, Quarta concessa est pro vno, idq; pro conservatione eiusdem mensæ Regiæ; non derogando quidquam juri alicuius, nec cautiones & ordinationes in literis vnionis factas in dubium vocando. Tempus solutionis assignatum est festum S. Ioannis; locus Vilnæ, vtq; in spatio duarum septimanarum solveretur & redderetur ad manus Illustrissimi Domini Thesaurarij Terrestris Magni Ducatûs Lithuaniæ, aut

ad manus locum tenentis eius. A Dominis Senatoribus & Tenutarijs prævio juramento Officialium suorum, (aliàs Urzędników) aut juxta revisionem in thesauro factam, minores autem Ordines (seu Stany) juxta proprium juramentum, aut juxta eandem revisionem thesauri, integraliter, sub pœna Sowitośći, quod credo sub pœna dupli, prævià citatione ad Comitia. Exceptis ab hac Quarta, Gródno & Brzeście/ & his bonis, ex quibus non iuxta arendam, quota ad thesaurum singulis annis solvitur, exceptis quoq; bonis reformationi Serenissimæ Reginæ subiectis.

A. D. 1601. fol. 729. § Ci tedy, dupla ad duos annos concessa est *A.D. 1613. sub tit.* Uniwersał poborowy W.X. L. titulo Quartá constituta est pro vna vice triplex Quarta, sub pœnis de Quarta, quarũ vna debebat cedere pro milite Quartuario in Podolia, & duæ pro milite contra Moschum.

Anno Dni 1619. fol: 2. tit. O Quárćie. Quarta dupla pro milite Quartuario, aliàs Kwárćiánego. Ab hac tamen dupla exceptæ erant Oëconomiæ in jure specificatæ, Zupy/ Cłá/ Wielkie rządy. & omnes alij proventus mensæ Regiæ, ex quibus simpla tantùm solvatur; similiter & bona reformationi serenissimæ Reginæ subiecta. Et ex his Capitaneatibus & Tenutis quas nonnulli per arendam aduitalitialem tenebant, vt Thesaurus Regius alteram Quartam simplam provideret, statutum est.

Anno D. 1620. fol: 13. tit: Quarta. Dupla ordinata est; vtq; eam Capitanei & Tenutarij per duas rathas Ravæ: primam feriâ secũdâ post festum Purificationis B. M. V. sub pænis in jure descriptis, & alteram, iuxta morem antiquum, pro festo Pentecostes solverent, statutum est. Insuper ordinatum, pro vna vice, vt ex his Capitaneatibus, qui summis antiquis onerati erant, Capitanei & Tenutarij, florenos quinque, ex quolibet laneo, pro festo Pentecostes juxta quietationes antiquas Poborowych/ sub pœnis publicis solverent. Ex bonis autem Regijs Oëconomicis, & Reformationi Reginali subiectis, & ex his bonis, quæ per arendam advitalitialem tenebantur. juxta Constitutionem, *Anni 1619.* solveretur.

A. D. 1621. tit. Quartá w Uniwersale Poborowym; Ex bonis Regiis, quæ Capitanei & Tenutarij tenebant, & ex illis Quartã antiquam solvebant, ex Oëconomiis Regiis in iure specificatis, tum ex bonis Reformationi Reginali subiectis medietas Quartæ ordinariæ, Ravæ pro festo S. Martini, & altera medietas pro festo Pentecostes ibidem Ravæ solveretur: & vt Domini Deputati ad Quartam,

pro

pro vtraq; sessione, vno salario essent contenti, ordinatum erat.

Anno D. 1627. f. 9. tit. **Quartá**, Dupla Quarta pro necessitatibus Reipub: statuta est, reassumẽdo in toto Constitution: *Anni 1620.*

Anno D. 1632. in Pactis Conventis cum VLADISLAO IV. *f. 11.* § **A iż appárát.** Quarta duplex pro Oëconomia bellica constituta est. Idem & in Pactis Conventis cum JOANNE CASIMIRO *Anno D. 1648. f. 15.* § **A iż áppárat woienny.**

Anno D. 1635. fol: 6. **Obroná y bespieczeństwo Vkráiny.** Quarta hæc pro milite in Vkraina ordinata erat, de consensuq; Reipublicæ, ad hunc militem Vkrainæ, exercitus quoq; Zaporoviensis in regestris descriptus, admissus erat. Similiter & homines ex ordinatione Jllustrissimi Ducis Ostroviensis, Castellani Cracoviensis, tum & **Wybráncy Máłopolscy.**

Ibidem Quarta ex villis **Boiárskie/** in certis Capitaneatibus Vkrainæ sublata est, & ordinatum est; vt ad antiquum onus servitij bellici revertantur.

Anno D. 1637. f. 8. tit: **Quarta.** Quarta duplex pro apparatu bellico statuta est, *his verbis:* Quoniam à felici Coronatione post cessum vel decessum præteritorum Possessorum duplam Quartam reddunt ad thesaurum Reipublicæ, quæ Quarta ea intentione constituta est, vt convertatur in apparatum bellicum; Ideo authoritate præsentium Comitiorum constituimus, vt sub pœnis de Quarta antiqua, & hæc altera semper Ravæ reddatur; & postea D. Thesaurarius, ad manus senioris Præfecti supra armatam (qui debet esse Nobilis Polonus bene possessionatus & iuratus) eandem transmittat, & hic juxta assignationem Jllustrissimi Ducis exercitûs, à quo ex ordinatione Nostra debet dependere. Quam Quartam vt memoratus senior Præfectus, non in alium vsum, sed solùm in apparatum bellicum convertat, sub pœnis **O Quárcie/** statutum est. Et vt in Comitiis, circa rationes Reipublicæ, Ordinibus Regni rationem reddat. *vide & Constitutionem Anni 1641. fol: 9. tit: Ratificatio* **Oeconomiey woienney** *infra positam.*

Anno D. 1638. fol: 11. tit: **Oeconomiá** *bellica* ordinatum est. vt dicta Quarta altera, quæ pro apparatu bellico concessa est, Seniori armatæ Domini Deputati Ravæ reddant, tali modo, prout antiqua Quarta ad manus Domini Thesaurarii reddebatur. Et vt is senior Præfectus, eandem Quartam non in alium vsum, nisi in apparatum bellicum convertat. *vide* plura in eadem Constitutione de apparatu bellico constituta.

Anno D. 1641. f. 9. tit: Ratificatio. Pro apparatu bellico ordinationes istæ factæ sunt, armamentaria omnia Regni (aliàs **Cekáuzy**) sub dispositione solius Senioris Præfecti armatæ sint: isq; Præfectus sit Nobilis Polonus, Regnicola, bene possessionatus & iuratus. Et ne stationes vllas, (aliàs **Stanowiská**) cuiusvis statûs & conditionis personis, tam incolis, quàm externis, similiter & depositoria concedat, nisi solis Officialibus armatæ. Arma, pulverem tormentarium, & alia vtensilia bellica, pro necessitate solius Reipub: & non alterius personæ privatæ, extradat. Quod si alicui vexillo, vel legioni, vtensilia bellica concesserit, valorem illorum, circa solutionem stipendiorum huic vexillo, in thesauro Reipub: inquirat. Tormenta bellica sumptu Reipublicæ conflata, vt insignia Reip: impressa habeant.

Eodem Anno fol: 12. tit: **O podawániu dobr/** Reassumpta sunt omnia jura de distributione bonorum Reipub: novis possessoribus per Officium Thesaurariale scripta, constitutum est; vt quilibet ad possessionem quorumcunq; bonorum Reipublicæ, post decessum veniens, non alio modo possessionem illorum capiat, nisi priùs Officium Thesaurariale inventarium conscripserit, & juxta tale inventarium, eadem in possessionem eidem dederit. Et quidquid proventuum inventum fuerit, intra hoc tempus, antequam novo Tenutario post mortem antiqui fuissent tradita, id totum ad Quartam reddi debet.

Anno D. 1647. fol: 1. tit. **Ordynáryjne Prowentá**, cautum est, vt pro milite Quartuario Quarta hæc convertatur.

A. Dni 1653. fol: 12. tit: **Donátywa simplá W. X. L.** in Constitutionibus Magni Duc: Lit: ordinatum est, vt Quarta simpla, pro apparatu bellico convertatur, *idq; in hunc sensum.* Quoniam in dies maior diminutio proventuum pro apparatu bellico ordinatorum, dignoscitur, per quod, & in proventibus pro solvendis stipendijs exercitui laudatis, diminutio debet esse, cùm ex illis, pro apparatu bellico expensæ fiant. Ideo authoritate præsentis Conventûs statuimus, vt Jllustrissimus D. Thesaurarius M. D. L. quàm diligentissimè in Tribunali Thesauri, ineat rationes in repetitione retentorum donatæ simplæ; & in posterum Regestra sufficienter sint clausa, in literis, quæ pro intromissione in tenutam donatariis, ex Officio suo extradentur, donativa simplæ exprimatur, & specificetur iuxta quietationes Thesauri, ne aliquis ignorantiam allegare possit. Et hæc donativa simplæ pro munitionibus, tum pro solutione hominibus & vecto-

vectoribus penes armatam manentibus, convertatur juxta assignationes Supremi Ducis exercitûs, ad senioremq; Præfectum armaturæ, vel constitutum à Supremo Duce exercitûs transmittatur suppeditando sumptum cum scitu Illustrissimi Domini Ducis exercitûs pro comparatione armaturæ, juxta exigentiam necessitatis, ne Thesaurus Reipublicæ invtilibus expensis aggravetur. Ad hæc quoniam ex Palatinatibus Iudicialibus maioris momenti iste proventus, ad Thesaurum non perveniebat, vt novi Possessores eundem proventum extradant, salvis modernis.

Item in Constitutione M. D. L. *Anni 1659. fol: 6. tit:* **Quarta donátywy**, statutum est de solutione istius Quartæ simplæ; vt omnes post Constitutionem de donatione simplæ laudata, qui eandem simplam ad Thesarum non solverunt, in Tribunali Thesauri respondeant, & calculum cum Thesauro faciant, quantum quisq; non persolverit ab adeptione bonorum Reipub: & quidquid ex calculo patuerit, ibidem in continenti solvant, & integraliter satisfaciant (exceptis his quorum bona sunt merè **záwoiowáne**) sub pœnis de Quarta descriptis.

Insuper ibidem statutum est. *Quoniam* plurima bona *Reipublicæ* sint ita desolata; vt non possint respondere proventui antiquo: ideo habendo respectum, concedimus; si aliquis pro annis præteritis & præsentibus medietatem *Quartæ* in Thesaurum inferet, sit liber. Quod si aliquis, neq; hoc ob magnam desolationem inferre valeat, quantum posit, inferat, præstito tamen ibidem in Tribunali iuramẽto per se ipsemet Capitane⁹ aut Tenutarius, vel per Factores bonorum, Nobiles & possesionatos. *in eam rotam:* Quòd ego per hos annos non plus supra hoc, quod ad Thesaurum infero, provent⁹ justi pro Quarta simpla donata pertinentis; ex Tenuta hac percepi, nec ex præteritis retentis spero me aliquid percepturum.

Et in futurum, Quartam iuxta hoc juramentum, ad annos quatuor inclusivè à calculo in Thesauro facto solvant. Ex istis tamen Capitaneatibus & Tenutis, quæ in manibus hostis erant, Possessores qui illas non tenebant, liberi facti sunt à reddenda ratione per hoc tempus, per quod hostis easdem tenebat, sed hi, qui qualicunq; prætextu illas posidebant, ex desolatis bonis, simili prævio iuramento, eandem persolvant; ex integris autem, & quæ in hostico non fuerũt, integram juxta antiqua Regestra, & quietationes Thesauri, sub pœnis de Quarta ad thesaurum inferant.

Ad hæc ibidem statutum est; vt thesaurus M. D. L. hanc Quartam

ſolùm pro apparatu bellico, iuxta antiquam diſpoſitionem iuris, cum ſcitu & aſſignatione Jlluſtriſſimi Supremi Ducis exercitûs M. D. L. convertat.

Inſuper adiunctum eſt: quoniam hæc Quarta non ſufficit pro mutione: vt ex proventibus laudatis, Theſaurus M. D. L. cum ſcitu & aſſignatione Supremi Ducis exercitûs expenſas faciat neceſſarias.

Anno D. 1658. fol. 15. tit. Auctio **Prowentu**, ſtatutum eſt, vt abhinc in poſterum, poſt ceſſum vel deceſſum Capitaneorum vel Tenutariorum novi donatarii & Ceſſionarij & jus communicativum aut in ſolidum habentes, à tempore realis poſſeſſionis, pro primo anno eiuſmodi poſſeſſionis ſuæ, quadruplicem Quartam pro tempore præfixo & loco deſignato, & ſub eadem pœna & foro, ſemel pro ſemper, ſolvant, includendo in hoc ſolitam Quartam: quam ſummam ſubſequentibus annis vſq; ad vitæ ſuæ tempora, ex bonis iſtis ſolvere tenebuntur. Quodſi aliquis ſolutâ quadruplici Quartâ, ante lapſum anni fatis deceſſerit tali ductâ proportione temporis novus Donatarius, Ravæ, juxta computum & liquidationem Dominorum Deputatorum, quantum pertinebit (non includendo in hoc ſolitam Quartâ) ex Quadrupla à ſe pertinente reſtituat, & reliquum ad theſaurum inferat, vtq; iſte proventus ſeorſivè in Regeſtris theſauri (demptâ Quartâ ordinariâ) connotetur, vt Reipublicæ conſtet ratio eiuſmodi proventûs.

A. D. 1661. f. 6. tit. **O ſtárey Quarćie**, omnia jura antiqua de Quarta extradenda (quæ à temporibus antiquis pro ſolvendis ſtipendijs militi Quartuario ordinata eſt) reaſſumpta ſunt, vtq; Domini Capitanei & Tenutarii, integraliter, juxta luſtrationes recenter factas, Ravæ perſolvant. Ex his autem bonis, quæ non ſunt recenter luſtrata, juxta antiquas luſtrationes Quartam tam ſinplam, quàm duplam reddant, nullis decretis ſe defendendo, iuxta Conſtitutionem *Anni 1647*, ſi quæ tam ante, quàm poſt intercesſerint, Siquidem omnes tenentur illam perſolvere, etiam iſti, qui bona hæc in ſummis aliquibus poſſident, quæ per Conſtitutionem non fuerint cautæ, aut contra quæ, decreta Comitialia non intercesſerint, vbi plura videre licet.

Similiter *Anno D. 1667. fol. 4. tit.* **Vmocnienie wárunku**. Omnia iura antiqua reaſſumpta ſunt, & lege perpetuâ cautum, vt quilibet Tenutarius Quartam, Ravæ tempore præfixo ſolvat.

Ibidem ſtatutum eſt, ſi aliquis bonorum retentis Quartæ oneratorum

ratorum cessionem etiam de consensu Regio obtineat, teneatur omnia retenta, sub pœna & foro in legibus descriptis, Thesauro persolvere, salvâ eidem cessionario, vindicatione apud retentores, vel eorum successores, & executione juxta delata thesauri, & condemnata ab Instigatore Regni obtenta. Ex Cancellaria autem ne extradantur literæ consensûs ad cedendum de bonis, quousq; sufficienter non fuerit deductum, quietationibus thesauri, nulla retenta Quartæ remansisse super ijsdem bonis, sed integraliter Quartam esse persolutam.

Hinc adiunctum est. Quòdsi compertum fuerit ex Capitaneatu Livensi, retenta Quartæ àDomino Francisco Brochowski non esse persoluta, tunc eadem retenta is idem Brochowski, & non Capitaneus Successor persolvat.

Ad hæc ibidem, contra Jllustrissimos Dominos Senatores & Nuntios Terrestres, non solventes Quartam debitam, pœna statuta est, vt careant voce activâ in Comitijs, quousq; non satisfecerint thesauro. Quod extensum est, & ad Oëconomias bonorum mensæ Regiæ, & Reformationi Serenissimæ Reginæ subiecta bona; & de Quarta quadruplici.

Anno D. 1673. fol. 33. **Lustrácya Przemyslſka/** De Quarta & Capitaneatu Præmisliensi solvenda statutum est, vt Capitaneus à pensione sibi assignata, Quartam non solvat.

Eodem Anno in Constitutionibus M. D. L. *f. 4. tit:* **Simpla/** ordinatum est, vt omnes Possessores bonorum Reipub: respectu simplæ, pro artiieria Magni Duc. L. in Comitijs *Anno D. 1670.* laudatæ, certam quotam ex proprio suo proventu seu intrata, ad proportionem vnius contributionis fumalium, iuxta iuramenta sua pro præterito, ad Thesaurum M. D. L. in festo S. Ioannis Baptistæ, sub pœna triplicis pensionis in Iudicio Tribunalitio eiusdem Ducatûs exolvenda, solverent. In futurum autem, ad vlteriorem ordinem istius donationis simplæ, statutum est; vt omnes Tenutarii bonorum Reipublicæ, quietationes, & inventaria Tenutarum suarum in futuro Tribunali Thesauri, eiusdem Ducatûs Lithuaniæ producant, sub privatione Capitaneatûs; ex quibus Domini Deputati à Republicâ destinati, justam quandam, ratione istius simplæ sumendo proportionem, certam quotam donationis simplæ, qualis in posterum debeat solvi ex qualibet Tenuta constituent, & huius Constitutionis suæ relationem Reipublicæ, in proximè primis Comitijs facient, vt ex consensu communi lex perpetua formari possit. Qui tamen habent

quietationes, in posterum iuxta easdem quietationes simplam hanc solvant.

Anno D. 1667. in Constitutionibus M. D. L. *fol: 1. tit:* **Simpla/** hoc statutum est. Quamvis Constitutione *Anni 1659.* respectu desolationis bonorum Reipublicæ & Tenutarum in Magno Ducatu Lithv; ad quatuor annos, in solutione **donátywy/** ad Thesaurum Reipublicæ pertinentis, indultum sit, vt ex illis per medium, aut iuxta possibilitatem prœvio juramento, solveretur, declaratum fuerit. Quia tamen propter tam longum bellum, & bonorum Reipublicæ desolationem ad solutionem non poterat perveniri. Eadem Constitutio *1659.* reassumpta est, & ad annos quatuor post Comitia subsequentes prorogata est, constituendo; vt omnes retentores istius vectigalis, juxta prænominatam Constitutionem, pro præteritis annis, ad exspirationem quatuor annorum Constitutione advenienti **libertowánych**, respondeant. Donatiuam sub pœnis in volumine legum expressis, ad Thesaurum deferant, & juxta has quietationes in futurum, per quatuor annos, Thesauro Reipublicæ satisfaciant. Et quia in prægnanti Reipublicæ necessitate Domini Tenutarij, *A. D. 1663.* integrum annualem proventum, ex Tenutis suis, pro exercitu M. D. L. extradiderunt, ideo à solutione istius donativæ pro hoc anno liberi facti sunt. Post lapsum autem quatuor annorum per Comitia moderna prorogatorum, omnes simplam **donatywy/** ad Thesaurum Reipub: integram, ex Tenutis suis sub pœnis in iure descriptis inferre tenebuntur. Isti autem qui modò post pacem conclusam, Palatini, Capitanei, Tenutarii, ad possessionem bonorū & Tenutarum venerunt similiter, sive per se ipsos, sive per Factores bonorum nobiles possessionatos, prævio iuramento, juxta Rotam *Anni 1659.* quantum poterunt ad Thesaurum M. D. L. inferent, et in futurum solutio simplæ, iuxta hocce juramentum, ad annos quatuor inclusivè ipsis serviet.

Anno D. 1676. fol: 38. in posteriori editione, *tit:* **Deklarácyá** statutum est. Ut in Capitaneatu *Russiæ* & Volyniæ, Tenutarii, mediam tantum Quartam solverent, idq; ob desolationem bonorum per hostilitatem factam: in Districtu autem Trebovlensi tantùm ad rationem, idq; ad futuram lustrationem.

Eodem Anno in Constitutionibus M. D. L. *fol: 12. tit.* **Quartá simplá** ordinatum est. Ut Quarta simplex, nomine donationis seu **donátywy** pro apparatu bellico, juxta Constitutionem *1673.* in Tribunali Thesauri M. D. L. solvatur ab illis, qui non habent ad proporti-

portionem vnius contributionis fumalium. Habentes autem quietationes, & qui vsq; à Tribunali Grodziscensi solvebant Quartam, juxta has quietationes semper eandem solvere tenebuntur. In posterum autem, qualem modum solvendi eiusmodi vectigal, qui quietationes non habent, Tribunal adinveniet, in futuris Comitijs Ordines Regni informabit, & ad approbandum porriget.

Anno D. 1677. f: 10. tit: **Deklaracya Quarty/** ordinatum est, vt ob desolationem per hostilitatem ex bonis Regijs, in Districtibus Trębovlensi, Cremienicensi, in Terra Haliciensi, & in Districtu Zydaviciensi ad rationem tantùm Quartæ, ad Thesaurum inferant, Ex alijs autem bonis, quæ non ita per hostilitatem desolata sunt medietas Quartæ. Ex bonis autem integris & non desolatis, integra Quarta solvatur. Quod Tenutarij iuramento proprio, in Officijs Castrensibus facto tenebuntur confirmare in Thesauro, circa solutionem Quartæ,

Eodem Anno in Constitutionibus Magni Ducatûs Lithvaniæ, *fol: 11. tit:* **Wárunek y czás/** constitutum est. Ut omnes Capitanei & Tenutarij bonorum Regiorum, certam quotam, ex proprio proventu seu intrata, ad proportionem vnius contributionis fumalis, in *Anno D. 1677.* juramento firmatæ, ad Thesaurum M. D. L. quotannis, pro festo S. Ioannis Baptistæ importent, sub privatione Capitaneatûs. Forum in Tribunali Thesauri, cuius executio in Tribunali Thesauri in *Anno D. 1673.* debet extendi. Quæ quidem contributio convertatur pro apparatu bellico, seu artileria. Ab hac tamen contributione, Oeconomiæ, & sylvaticinia, aliàs **Leśnictwá/** ad mensam Regiam spectantia, cum aduitalitatibus, libera facta sunt, tum & à hyberna: & ne Tenutarij, in servitio bellico Reipublicæ existentes eandem contributionem, sibi detrahant, sub amissione Tenutæ statutum est.

Anno D. 1678. in Constitutionibus Lithuanicis *fol. 3. tit.* **Trybunał Skárbowy/** statutum est. Quoniam ab *Anno 1673.* post laudatam contributionem fumalium, loco Quartæ simplicis, nomine donationis, pro apparatu bellico, multa retenta remaneant; neq; Thesauro sufficiens numerus constare de hoc possit. Ideo auctoritate præsentis Conventûs statuimus: Ut omnes donatarij Nostri, Possessorum bonorum Nostrorum Regalium in Tribunali Thesauri, tam quantùm ab *Anno 1673.* intulerint, quàm quantùm ad annum præsentem retinuerint rationem reddant. Quod si aliquis ex donatarijs Nostris dictam contributionem Quartæ debitam, sive

in termino S. Ioannis Baptiſtæ, ſive ſub tempus Tribunalis Theſauri, non importaverit, aut rationem non reddiderit, talis pœnam privationis bonorum, juxta Conſtitutionem *Anni 1677.* ſubeat, & bona illa ſic vacantia, benemeritis conferantur.

Anno D. 1683. in Conſtitutionibus M. D. L. *fol: 10. tit,* **Quarta ſymplá/** ſic ſtatutum eſt. Quoniam documentaliter in modernis Comitijs, ex informatione Theſauri M. D L. deductum eſt, quòd tot Conſtitutiones latœ de Quarta, ad effectum non perveniunt, & totaliter, per renitentiam contemnuntur, per quod apparatus bellicus M. D. L. competenter erigi non poteſt; ideo reaſſumendo Conſtitutiones *1677.* & *1678.* ſeriò iniungimus; vt omnes Capitanei & Tenutarij bonorum Noſtrorum (penes quos multa retenta contributionis iſtius remanent) ab *Anno Domini 1673* vſq; ad annum præſentem pro feſto S. *Ioannis*, ad Theſaurum Mag: Duc: Lith: ex proprio ſuo proventu, & non à ſubditis exigendo; importent. In refragarios eædem ſuperiùs nominatæ Conſtitutiones reaſſumuntur; quas ſicut Theſaurus in executione habere tenebitur, ſic & Nos huic juri ipſo effectu ſatisfacturos declaramus. Qui autem non haberet quietationes antiquas, & eas hucuſq; in Theſauro M. D. L. non præſentâſſet, tunc ad inſtar vnius contributionis fumalis ſolvere tenebitur. Theſaurus quoq; ne aliquid à quietationibus prætendat, & licetſi aliqua decreta in contrarium lata invenirentur, eadem caſſamus.

Anno Dni 1685. in iiſdem Conſtitutionibus M, D. L. *fol: 3. tit:* **Quartá ſympla/** habetur. Habendo in ſpeciali reſpectu apparatū bellicum Mag. D. L. ſtatuimus, vt omnes retentores ab *Anno 1673.* ſub pœnis in *Anno 1677* deſcriptis pro feſto S. Ioannis in anno currenti pro omnibus annis ad Theſaurum Quartam importent. Similiter & in anno proximo, pro eodem feſto ſatisfactionem faciant, vſq; ad futura Comitia ſuper quo Tribunal Theſauri ſeriam animadverſionem facere, & ad executionem deducere Conſtitutionem *Anni 1677.* tenebitur. In futurum qualis Quarta ſolvenda erit, determinatio ad futura Comitia dilata eſt.

Reſpectu Quartæ nullus Tenutarius poterat olim citari, cuius bona non fuerint luſtrata, ſalvâ penſione retentâ poſt luſtrationem & ſalvis caſibus fortuitis. *Ita Anno D. 1569. fol: 188.* **ʒ Ciʒ Luſtrátorowie.** De hoc habetur & in *Anno 1590. fol: 576. tit.* **Sądzenie Quarty.** Sed hic abſolutè diſponitur, non reſervando penſionem retentam, ſed ſolùm vt mitterentur Luſtratores. Et ſi aliquis retentor

tor non fuerit ad Comitia secunda citatus, in tertijs Comitijs jam non teneretur respondere. Sed Dominus Thesaurarius si in delatis Instigatori non dedisset, vel Instigator si delata non vindicâsset. Forum respectu Quartæ in Regno, Tribunal Lublinense, inter causas Officij, *Anno D. 1590. fol. 576. tit.* **Sadzenie Quarty/** assignatum fuit: sed hoc pro vna tantùm vice.

Anno itaq; D. 1613. fol: 6. tit: **Sposob sądzenia** Tribunal Radomiense constitutum est. Quod quidem Tribunal fuit constitutum, ad judicandas causas omnium retentorum proventuum Reipublicæ; deputatiq; sunt Iudices seu Commissarij ex Senatu & Equestri Ordine, cuius Tribunalis ordinationem dicto *Anno 1613.* loco citato videre licet: in Magno autem Ducatu Lithv: Tribunal Thesauri Vilnæ ordinatum est. *Ibidem,*

Postea *Anno D. 1618. fol: 3. tit:* **Trybunał/** reassumptum est hocce Tribunal Radomiense juxta Constitutionem præfatam. *Anno Domini 1613.* Iudicesq; deputati.

Similis reassumptio & deputatio Iudicum facta est *Anno D. 1620. fol: 19. tit:* **Trybunał.**

Item *Anno 1621. fol: 13. tit:* **Trybunał/** vbi contra retentores, & eorum successores, triplex pensio, non recedendo à Iudicio solvenda statuta est, sed de hoc Tribunali Radomiensi & Magni Ducatûs Lith: latiùs infra lib: quarto, vbi de alijs Tribunalibus Regni & M. D. L. agemus.

TITVLVS DECIMVS OCTAVVS

De Senatorio Ordine.



CVM Respublica Polona, ex triplici Ordine composita sit: hoc est Regio, Senatorio, & Equestri seu Nobilitatis Absoluto Ordine primo Regio videndũ Nobis est, de secundo, hoc est Senatorio. Senatorum itaq; post Regem, est prima majestas, illaq; perpetua, non certo annorum tempore circumscripta. Quibus in Senatu sellæ concessæ sunt, vt de Reipublicæ negotijs, non festinanter, sed cum maxima deliberatione consulant.

Sic MAXIMILIANVS FREDRO IN HENRICO *fol: 29.* verba cuiusdam Mareschalci Equestris Ordinis ad Senatum refert. Sellas scitote datas esse Senatui, non ad quietem, non ad inutile otium, sed quia lon-

longum & cum labore de Republica consulere oportet, stando, autem fastidium brevi capitur, brevi autem fit, quòd stando perficitur.

Sunt vel Ecclesiastici vel Sæculares. Ecclesiasticis primus locus assignatus ab antiquo fuit. Sub ALEXANDRO tamen Rege *Sæculares* contenderunt, vt Ecclesiastici Senatores dextrum latus, illi verò saltem sinistrum locum à persona *Regis*, in collegio Senatorio tenerent. *Sic enim Cromerus in Chronica sua de rebus Polonorum lib. 30. fol. apud me 667. scripsit.* Contentio erat inter *Sæculares* & Ecclesiasticos Senatores, de prærogativa loci in Senatu, & immunitate. Contendebāt enim Sæculares, vt Episcopi alterum latus à Rege concederent, alterum vel dextrum vel sinistrum ipsi tenerent; deinde vt bona Ecclesiis addicta, perinde ac ea, quæ Nobilitatis essent; publica belli onera sustinerent. Tuebantur Episcopi prærogativas suas, quòd vtriq; Regio lateri, assidendi jus ipsi, & militiæ vacationem, Ecclesiastica bona antiquitus haberent. Post longam altercationem, Rex tandem controversiam ita diremit; vt Episcopis & Ecclesiis prærogativæ salvæ remanerent, *hucusq; Cromerus.* Quod & hodie servatur, vt *Senatores* Ecclesiastici primum locum ab vtroq; latere Regio obtineant. Latus enim vtrumq; *Serenissimorum* Regū Nostrorum tenent duo Archiepiscopi Gnesnensis & Leopoliensis, dextrum Gnesnensis, sinistrum Leopoliensis. Hos sequuntur Episcopi, tandem Castellanus Cracoviensis post eum Palatini, post hos Castellani alij maiores, & deinde Castellani minores, ultimo loco Officiales Regni & Magni Duc: Lithvaniæ, vt infra hunc ordinem ponemus.

Ideo autem Ecclesiastici Senatores, *Sæcularibus* immixti sunt, vt illorum authoritas, excitatos nonnunquam in *Republica* motus, efferrentemq; Regum licentiam componant, avitamq; Religionem intactam, inviolatamq; conservēt.

Nec sine ratione, in *Republica* Nostra, Regio Ordini, *Senatorius* adiunctus est, nisi vt consilia & actiones eius ad salutem Reipublicæ, iudicia, ad iustitiæ & æquitatis trutinam dirigerent. *Starovolscius in Polonia fol: apud me 240. sub tit: Regimen* Politicum. Nam infallibile est: solum Regem, totam Rempublicam pari curâ, prudentiâ, & diligentiâ gubernare & administrare non posse. *vt scripsit Miescovius in suo Polono jure Polito sub tit:* **Senator/** *à principio.* Et STEPHANVS Rex Poloniæ id expresse agnovit, *Anno Domini in literis confirmationis 1573. fol: 254; §.* **Czesto sie,** *& Anno 1576. fol: 276. §* **Czesto sie.**

Unde

Vnde rectè Cicero exclamat: Beatas esse Respublicas, si eas aut sapientes regant, aut qui regunt, omne suum studium in sapientia collocent.

Nec audiendus est Machiavellus, (qui asseruit: Principem non debere aliorum consilio vti: Quia bonum consilium, ex ipsius Principis mente ac prudentia nasci debet, non contra. Tum quia qui ipse per se non sapit, ei non facilè consilia dari possunt) Quia hæc doctrina eius communiter à Politicis reprobata est, & dato quòd in Monarchijs locum habere possit, non item apud Nos, vbi mixta Respublica est.

Unde Cardinalis Aldobrandinus, consilium appellat Reipub: firmamentum & Principum baculum.

Nam egens consilij faciliùs adhæret alterius judicio, & Princeps sapit, sapientum congressu. Fieriq; non potest (vt ait Osorius) vt vno imperio cuncta, quæ Regibus excogitanda sunt, præcidantur, aut vnius oculis, cuncta, quæ in Republica speculanda sunt, cernantur; aut vnius auribus omnia postulata, querelæ audiantur. Videndum tamen est Principi, vt hic Ordo Senatorius prudentioribus, experientiâq; rerum præditis demandetur. Senator enim à senio dictus est, eò, quòd non affectione turbetur, non appetitu adducatur, non ætate distrahatur, sed ratione gubernetur, consilio moderetur, senectute perficiatur. Mens enim & ratio in senibus prædominatur. *Ita Miescovius, vbi supra fol: 110.*

Hunc Ordinem Senatorium, nonnisi Nobilibus esse conferendum statuit SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex Poloniarum *Anno D. 1550. fol: 7.* § Iż stán Rycerski, *his verbis:* Quia Ordo militaris primas partes habet in Regno hoc, nullus debet esse in consilio Nostro, nisi ex militari genere, tam Spiritualis, quàm Sæcularis.

Nec prius admittuntur ad Senatum & consilia, nisi præstito juramento, cuius Rotam refert *Herburtus sub tit: Iuramentum fol: apud me 245. & Ianussovius fol: 269.*

Forma juramenti Consiliariorum Regis.

EGo, N. juro, quia Serenissimo Principi & Domino, Domino N. Regi Poloniæ, fidelis ero: pro Eiusq; Majestate, & Reipublicæ Regni sui, fideliter consulam: secreta, quæ mihi, per Suam Majestatem & Consiliarios ejus dicentur, contingentia vel Majestatem

Regiam, vel Rempub: aut vtrumq́, nemini in jacturam Regiam & Reipublicæ pandam: & pro posse meo, vtilitates Suæ Majestatis Regiæ Regni & Reipublicæ, augmentabo. Quidquid verò scivero, intellexero, aut sensero, Suæ Majestati Regiæ, Regno & Reipublicæ nocibile & damnosum, præcustodiam, & ne fiat, me opponam, & illud avertam. Sic me DEVS adiuvet, & hoc sacrum Evangelium (si fuerit Senator Ecclesiasticus) aut hæc sancta Crux, (si Sæcularis fuerit). Cui juramento sub SIGISMVNDO III. Rege Poloniæ, *Anno D. 1588. fol: 469. tit,* **O poprawie przysiegi Senatorskiey.** additum est ob rationem (quoniam in judicijs sententiam dicunt) *Et in judicio justè sententiam dicam.*

Ad quod præstandum etiam Senatores Magni Ducatûs Lithv: tam Spirituales, quàm Sæculares obligati sunt. *Anno 1564. fol: 54. § Item quilibet &* *Anno D. 1569. fol: 175. & sequ:*

Debent quoq; Senatores sæculares, non solùm esse jurati, sed & possessionati. *Herburtus in statuto Latino sub tit: Dignitates. vide quæ scripsimus sub titulo de Persona Regia.*

His Senatoribus M.D.L., assignatus est locus inter Senatores Regni, vti iam vnum corpus constituentibus. *In volumine Constitutionum sub tit:* **O Xiestwie Litewskim.** *fol: 179. §* **Mieysca Pánom Senatorom,** Senatoribus quoq; Volyniæ, Bracłaviæ post incorporationem harum Provinciarum Regno, assignatus est locus, in Senatu inter Senatores Regni, *Anno Dñi 1569. sub tit.* **O Ziemi Wołynskiey** *fol: 160. §* **A ták zá tákowym/** vbi & de juramento ab illis præstando.

Sic & Senatoribus Podlachiæ in volumine Constitutionum *sub tit:* **O Ziemi Podláskiey,** *fol: 152. §* **A Konsyliárze,** vbi & de juramento ab iis præstando.

De Senatoribus Livoniæ *Anno 1598. sub tit.* **Ordynácya/** *fol: 708. cum sequ. §* **Woiewod** *sic habetur:* Palatinos tres, quibus in Senatu locum assignamus, post Palatinos Regni & Magni D. Lith: Castellanos tres possessionatos, ex qualibet gente vnum constituimus, quibus locum in Senatu statim post Castellanos Regni, & Magni D. L. assignamus. *vide Constitutionem Anni 1677. fol. 29: tit:* **Ordynácya Xiestwá Inflántskiegó/** vbi tantùm Episcopus, Palatinus & Castellanus constituti, & vt iurent statutum.

Anno D. 1659. fol: 47. tit: **Dignitárstwá y Vrzedy/** de dignitatibus Senatorijs & Officijs in Palatinatu Kijoviensi sic statutum etat. Vt dignitates tales & Officia Incolis Palatinatûs ejusdem, Romani

mani

mani Catholici Ritûs, qui fidelitatem & virtutem tempore exilij *Serenissimo* Regi, & Reipublicæ fideliter conservârunt, tam in *Regno*, quàm in Magno Ducatu Lithv. conferantur, & penes *Statutum* à *SIGISMVNDO* I. *Anno D. 1510. datum*, Incolæ istius Provinciæ conservati sunt.

Hic apponendum censui ordinem, qualis nunc inter *Senatores* Regni, & M. D. L. est: nam differt ab ordine descripto in Constitutionum volumine post titulum **Potwierdzenie Vniey**, *fol: 180. & à Herburto in Statuto Latino, fol: 428. vide & Ianussovium lib: 3. f. 270. cum sequ.*

ORDO & NUMERUS
Senatorum Regni & Magni Duc: Lith:

ARCHIEPISCOPI.

Gnesnensis,
Leopoliensis.

EPISCOPI.

Cracoviensis,
Vladislaviensis & Pomeraniæ
Vilnensis } *Alternata*
Posnaniensis }
Płocensis,
Varmiensis seu Halsbergensis } *Alternata*
Luceoriensis }
Præmisliensis
Samogitiæ,
Culmensis & Pomesaniæ
Chełmensis
Kijoviensis & Czerniechoviensis
Camenecensis
Vendensis seu Livoniæ
Smolenscensis.

CASTELLANVS
Cracovienſis
PALATINI.
Cracovienſis. } *Alternata*
Poſnanienſis }
Vilnenſis
Sandomirienſis
Caſtellanus Vilnenſis
Palatinus Caliſſienſis,
Trocenſis
Siradienſis
Caſtellanus Trocenſis
Palatinus Łancicienſis
Capitaneus Samogitiæ
Palatinus Breſtenſis
Kijovienſis
Inovladiſlavienſis
Ruſſiæ
Vołyniæ
Podoliæ,
Smolenſcenſis
Lublinenſis
Połocenſis
Bełzenſis,
Novogrodenſis,
Płocenſis,
Vitepſcenſis
Maſoviæ,
Podlachiæ
Ravenſis
Brzeſcenſis
Culmenſis,

Mſci-

Mścisławienſis
Mariæburgenſis
Bracławienſis
Pomeraniæ
Minſcenſis
Derpatenſis
Vendenſis ſive Livoniæ
Parnavienſis
Czerniechovienſis

CASTELLANI MAIORES
Poſnanienſis
Sandomirienſis
Caliſſienſis
Woynicenſis
Gneſnenſis
Siradienſis
Lencicenſis
Samogitiæ
Breſtenſis
Kijovienſis
Inovladislavienſis
Leopolienſis
Camenecenſis
Volyniæ
Smolenſcenſis
Lublinenſis
Połocenſis
Bełſcenſis
Novogrodenſis
Płocenſis
Witepſcenſis
Czerſcenſis

Podlachiæ
Ravenſis
Brzeſcienſis
Culmenſis
Mſcisławienſis
Elbingenſis
Bracławienſis
Gedanenſis
Minſcenſis
Derpatenſis
Vendenſis
Parnavienſis
Czerniechoviẽſis

CASTELLANI MINORES

Sandecenſis
Medirecenſis
Viſlicienſis
Biecenſis
Rogoſnenſis
Radomicenſis
Zavichoſtenſis
Lendenſis
Sremenſis
Zarnovienſis
Małogoſtenſis
Vielunenſis
Premislienſis
Halicienſis
Sanocenſis
Chełmenſis
Dobrinenſis
Polanicenſis

Premetensis
Krivinensis
Czechoviensis
Naclensis
Rospiriensis
Biechoviensis
Bidgostiensis
Brzezinensis
Crusuicensis
Oswiecimensis
Camenensis
Spicimiriensis
Inovlodensis
Kovalscensis
Santocensis
Sochaceviensis
Varsaviensis
Gostinensis
Visnensis
Raciosensis
Sieprcensis
Wysogrodensis
Ripisensis
Zakrocimensis
Ciechanoviensis
Livensis
Słonensis
Lubacoviensis
Konariensis Terræ Siradiensis
Konariēsis Terræ Łancicensis
Konariēsis Terræ Cuiaviensis.

OFFICIALES

Ordinis Senatorij

Mareſchalcus Regni Poloniæ Supremus,

Mareſchalcus Magni Ducatûs Lithvaniæ Supremus.

Cancellarius Regni Poloniæ.

Cancellarius Magni Ducatûs Lith:

Vicecancellarius Regni Poloniæ.

Vicecancellarius M. D. L.

Theſaurarius Regni Poloniæ.

Theſaurarius Magni Duc: Lithvaniæ.

Mareſchalcus Curiæ Regni Poloniæ.

Mareſchalcus Curiæ Magni Duc. Lithv.

Hic ordo & numerus deſcriptus eſt ex Promptuario Magnifici D. Auguſtini Kołudzki Iudicis Terreſtris Iunivladislavienſis, *ſub tit: Status Dignitatum & Officialium Regni fol. 329.*

De alternata autem in *S*enatu inter Epiſcopum Poſnanienſem & Vilnenſem, Epiſcopum Varmienſem & Luceorienſem, ſimiliter inter Palatinum Cracovienſem & Poſnaniẽſem, ſciendum eſt: quòd hæc alternata accipienda eſt non de quotidiana ſeſſione in Senatu, ſed de alternata in Comitijs, quòd Epiſcopus Poſnanienſis, in vnis Comitijs locum obtinet priorem in Senatu ante Vilnenſem, & in alijs Comitijs Vilnenſis ante Poſnanienſem. Sic & Epicſopus Varmienſis cum Luceorienſi: Palatinus Cracovienſis cum Poſnanienſi, vt annotatum eſt in *S*tatuto Lithvaniæ non procul à principio, poſt deſcriptum ordinem *S*enatorum, *& Kołudzki in Promptuario par: 2. ſub tit: Status Dignitatum & Officiorum Magni Ducatûs Lit: fol: 158.*

*S*enatoriæ dignitates & officia, vt incolis Palatinatûs Kijovienſis, Romano-Catholici Ritûs, benemeritis in Regno & in Magno Ducatu Lithv: conferantur, & vt circa ſtatutum SIGIS*M*VNDI I. *Anno Domini 1510.* latum conſerventur, *Anno Domini 1659. fol: 47. ſub tit:* **Dignitarſtwá y Vrzędy**, conſtitutum eſt.

In Commiſſione autem Hadiacenſi **z w Woiewodztwie Kiiowſkim/** cautum eſt, quòd dignitates Senatoriæ non conferendæ ſunt, niſi Nobilibus *R*itûs Græci, capacibus eiuſmodi dignitatum.

In Palatinatibus autem Bracłaviensi & Czerniechoviensi ejusmodi dignitates Senatoriæ, alternatim conferantur, vt post decessum Senatoris Ritûs Græci, succedat Senator Ritûs Romani: in omnibus tamen tribus istis Palatinatibus natis, & bene possessionatis Officia conferantur, salvo iure modernorum possessorum.

Senatoriæ dignitates conferendæ sunt genere Nobilibus, & bene meritis, & in fama laudabiliter conservatis, ætate, intellectu, & prudentiâ bene vigentibus. Ita IAGELLO *Anno D.* 1443. CASIMIRVS III. *Anno D.* 1454. *vt refert Herburtus in Statuto sub verbo Dignitates.* SIGISMVNDVS AVGVSTUS in Constit: *Anni* 1550. *fol: apud me* 7. § **Iż stan Rycerski.** Contra alienigenas impetrantes dignitates, Castra, vel Officia, SIGISMVNDVS I. Rex statuit, si monitus, quæ obtinuit, non resignaverit, bona ipsius confiscentur, & ipse infamis sit, *vt refert Herburtus loco citato folio apud me* 143.

Et quidem Dignitarij & Officiales Terrestres deberent esse possessionati in illa Terra, in qua dignitas vel Officium vacabit, juxta dispositionem CASIMIRI III. *Regis, Anno D.* 1454. ALEXANDRI, *Anno* 1505. SIGISMVNDVS *Anno D.* 1510. *vt refert Herburtus vbi supra fol:* 142. Imò is idem SIGISMVNDVS eodem *Anno* 1510. *vt refert Herburtus vbi supra fol:* 143. concesserat. Quòd si alicui impossessionato ob aliquod insigne meritum dignitas vel Officium Terrestre, collatum esset; intra medium annum ab accepto Officio sub amissione dignitatis, vel officij possit acquirere possessionem.

Sed subsequenter *Anno* 1538. *vt refert Herburtus vbi supra fol:* 143. constitutum erat. Quòd dignitates, Capitaneatus, & alia omnia Officia Terrarum, non alijs possint, & debeant conferri, nisi illis, qui antehac haberent non fictam, aut coloratam, sed realem, veramq; bonorum hæreditariorum possessionem in illa Terra, in qua dignitates, vel Capitaneatus vacaverint, si ad alia assequêda habilis esse voluerit.

Sed & in Constitutione *Anni* 1562. *fol:* 25. *tit:* **Osiádłość Dignitarzow/** statutum est, & declaratum: vt non fictam, sed realem possessionem, idq; talem, in qua commodè habitare possit, habeat, sed jam non in Terra vel Districtu, vbi vacaret dignitas, vel Officium (vt supra statutum erat) sed in quocunq; loco illius Palatinatûs.

Tandem in Constitutione *Anno D.* 1563. *fol:* 42. tit **Osiadłość Dignitarzow/** declaratum & statutum est. Quòd Dignitarij Officiales Terrestres, debeant in illo Districtu aut in Terra habere veram,

ram, & in qua juxta statum suum manere possint, possessionem, idq; ante obtentam dignitatem, vel Officium, sub amissione dignitatis, aut Officij, & pœna ducentarum marcarum Polonicalium ad quodcunq; judicium seu Officium Terræ illius, in qua obtinuit dignitatem, vel Officium, aut ad Comitia Generalia Regni, ad instantiam cuiuscunq; citatus peremptoriè compareat, & in instanti sine beneficio appellationis, non recedendo à Iudicio dictas ducentas marcas parti solvat, dignitatem vel Officium dimittat.

Sed SIGISMVNDVS III. Rex in Constitutione *Anni 1613. f. 33. tit:* **Warunek osiádłosci Dignitarzow/** statuit sic, vt dignitates, Capitaneatus Iudiciales & Officia Terrestria, indigenis, possessionē non fictam, nec de novo acquisitam, in Palatinatibus & Terris, in quibus dignitates, Capitaneatus Iudiciales, & alia Officia Terrestria vacaverint, habentibus conferantur, sub nullitate Privilegij. Et si aliquis contumaciter, munia sive judicialia, siue alia prætextu Privilegij obtenti peragere audeat; omnia acta, ex quacunq; causa ab eo facta pro irritis & nullius momenti habeantur. Et præter privationem dignitatis vel officii, pœna aucta est contra donatarium, ad duo millia marcarum Polonicalium, respectu cuius forum in Iudicio Terrestri & Castrensi, finaliter in Tribunali Regni inter causas Officii, cum termino peremptorio, ex delatione cuiusvis Nobilis assignatur.

De istis dignitariis & Officialibus in M. D. L. *Anno 1569. f. 195* § **Dignitarze y Vrzędnicy/** sic statutum legitur: Dignitarij & Officiales in quolibet Districtu sint iurati & possessionati.

Ad hæc statutum est, ne Serenissimi Reges super dignitatibus Ecclesiasticis & Sæcularibus literas expectativas alicui dent, Ita VLADISLAVS JAGELLO *Anno 1433. vt refert Herb: in statuto fol: 140. sub tit: Dignitates seu Officia Regni.*

Ex Senatoribus itaq; Regni, Magni Duc: Lith: & aliorum Dominiorum Regno annexorum, solebant in singulis Comitiis ordinariis pro integro biennio, sexdecem Senatores, pro residentia continua ad latus Regium deputari:pro quolibet semestri quatuor, hoc est: unus ex Episcopis vel etiam Archiepiscopis,vnus ex Palatinis, & duo ex Castellanis eo ordine & turno, vt in Senatu sedent. *Ita A. D. 1573. fol. 254. & seq:* § **Często sie tež/** lege perpetuâ statutum est. *Item Anno Domini 1576. fol. 276.* § **Często sie.** Item *A. 1607. fol. 830 tit:* **O mieszkániu.** *Itē Anno Domini 1609. fol. 889. tit:* **O mieszkániu Senatorow.** Sed hodie in singulis Comitiis ordinariis viginti & octo Senatores pro residentia eliguntur. Inter quos quatuor E-

piscopi

piscopi sese ordine subsequentes, ita vt neq; Archiepiscopi excipiantur, quando ipsos ordo ad residentiam tangit. Deinde octo Palatini sese ordine subsequentes. Item Castellani maiores octo ordidine sese subsequentes. Et tandem octo Castellani minores itidem sese subsequentes, vt videre est in designatione DD. *Senatorum* ad residentiam ab *Anno 1641 & sequentibus annis.* Jjq; hoc motivo, vt Regi consulant. Quod SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex (*vt refert Herburtus in Statuto latino fol: 429. Ianussovius fol. 274.*) expressit. *his verbis.* Ne Rex Senatorum suorum consilium negligat, nunquam Nos commissuros esse, vt non communicato cum Senatoribus Nostris consilio, vlla de re quidquam statuamus. Jdem STEPHANVS Rex in literis confirmationis *Anno D. 1573. fol. 264.* **z Często sie/** &c.

Jtem, ne quis scrupulum habeat de vsurpando absoluto dominio contra leges Regni; hoc est: vt Reges nihil faciant contra jura & libertates communes, & dignitas eius conservetur. *Ita Anno D. 1607 fol: 830. tit:* **O mieszkániu Senatorow.**

Sed *Anno D. 1641. fol: 3. tit: de reddenda ratione Senatûsconsultorum & fol: 37.* ordinatum est, vt *Senatores Spirituales* per integrum medium annum, *Sæculares* autem, in quolibet medio anno, per tres tantùm menses resideant, sub pœnis pecuniarijs in Constitutione *Anni 1609.* expressis.

Respectu quarum pœnarum iuxta Constitutionem *Anni 1607.* talis non residens peremptoriè ab initio Comitiorum compareat, & ibidem statim ad instantiam Nuntiorum Terrestrium, sive compareurit, sive non, iudicetur, & pœnæ pecuniariæ in jure descriptæ contra eundem decernantur. Domini quoq; Thesaurarij vtriusq; Gentis has pœnas exigant, & iuxta præscriptum iuris convertant. *Ita in d. Constit. Anni 1641.*

Quæ residentia debet intelligi intra fines Regni, & M. D. L. non extra, vt declaratum est. *Anno. D. 1609. fol. 889. & sequ: tit:* **O mieszkániu Senatorow.**

Præter *Senatores* etiam ex Equestri Ordine, & quidem ex singulis Palatinatibus vnus ad residentiam penes latus Regium, *Anno D. 1590. fol. 563. tit:* **Deputaći do rády woienney,** vbi & iuramentum illorum *vide & 1649. f. 15. tit:* **Deputaći.**

Hi residentes quidquid statuunt, vim legis obtinet, *Anno 1590. fol. 563. tit:* **Deputaći do rády woienney/** *Anno 1641. fol: 4. ad finem tituli de reddenda ratione &c. & 1649. f. 15. tit.* **Deputáci.**

Non possunt tamen in eiusmodi Senatûs consultis tractari materiæ ad Comitia spectantes. *Ita Anno D. 1573. fol: 254.* § **Często się.** &c. Item *1588. fol: 457. tit:* **O niestánowieniu spraw/** & *Anno Domini 1662. f: 2. tit: de reddenda ratione Senatûsconsultorum*, aliàs omnia irrita sint: vide eandem Constitutionem, in qua enumerantur materiæ, quæ in Senatûsconsultis non possunt tractari.

Licitum tamen est vltra Deputatos Senatores ad residentiam penes latus Regium cuilibet alteri Senatori residere, consilijs assistere, & votum suum dare. Ita STEPHANVS Rex in literis confirmationis *fol: 255.* § **A wszáłże káżdemu/** & in Constitutione *Anni 1576. fol: 276.* § **Często się.** Nec Deputati Senatores plùs authoritatis habent, supra istos, præter hoc, quòd illi teneantur continuò residere penes latus Regium vsq; ad tempus præfixum. Ita in locis allegatis.

Hæc residentia, iuxta Constitutionem *Anni 1607. fol. 830. tit.* **O mieszkániu Senatorow/** debet incipi post quatuor menses lapsos à Comitijs. Sed *Anno 1641. fol: 3. tit: de reddenda ratione* statutum est, vt à prima Ianuarij inchoëtur.

Residentibus Senatoribus Sæcularibus, & Episcopis Russiæ, salarium ex thesauro vtriusq; Gentis assignatum est, singulis per florenos quingentos. Episcopis autem Regni nihil assignatum est, ex quo sint bene provisi. *Ita Anno D. 1573. fol: 255. Item Anno D. 1576. fol. 276.* § **A ći máią mieć.** Item *Anno 1607. fol: 830. tit:* **O mieszkániu Senatorow/** § **A my roskázuiemy/** vbi additum est: si Domini Thesaurarii solutionem hanc differant, de proprio solvant. Forum contra non solventes assignatum est in Tribunali, inter causas conservatas.

Senatores deputati, nullà legalitate impediti pro tempore præfixo debent convenire, & residentiam integraliter continuare, sub pœna mille marcarum, pro necessitatibus Reipublicæ convertenda, & à Senatoribus Regni, Ravæ persolvenda, à Senatoribus autem Magni Duc: Lithv: ad Thesaurum ejusdem Ducatûs comportanda. Respectu cujus pœnæ data est facultas Nuntijs Terrestribus, ab initio Comitiorum instigandi. Quam pœnam Senator Sæcularis tenetur solvere in duabus septimanis post inchoationem Comitiorum immediatè sequentium, sub pœna eadem duplici, & sub amissione dignitatis. Senator autem Spiritualis, sub pœna sex millium marcarum. *Ita Anno Domini 1607. fol: 830. & sequ: tit:* **O mieszkániu Senatorow/** statutum est.

Sed

Sed *Anno D. 1609. fol. 889. tit.* **O mieszkániu Senátorow**/ dicta pæna mille marcarum, aucta est contra Senatores Sæculares ad duo millia marcarum; vtq; statim à principio Comitiorum Nuntij Terrestres per Dominum Mareschalcum suum instent, & vsq; ad executionem tam contra Senatores Spirituales, quàm Sæculares promoveant, non obstante cuiusvis contradictione. Quas pœnas per Serenissimum Regem, tam contra præsentes, quàm contra absentes in contumaciam latas & obtentas, Instigator Regni, ad instantiam Thesauri, sub pœna bannitionis, à Sæcularibus ex bonis eorum hæreditarijs, à Spiritualibus autem, ex proventibus, bonisq; mobilibus & immobilibus (si quæ habeant) in Composito Iudicio inter causas fisci, processu summario, atq; statim ad banniendum (vti pro pœna publica) vrgeat, vindicet: in Magno autem Ducatu Lithvaniæ, in quovis termino. Eiusmodiq; pœnæ, tam à Senatoribus Regni, quàm Magni Duc: Lithv: exactæ, pro defensione Reipub: convertantur.

Anno autem D. 1677. fol. 36. tit: de residentijs **PP. Senátorow Koronnych/ y W. X. L.** Omnes Constitutiones antiquæ de residentijs Dominorum Senatorum latæ, reassumptæ sunt, cùm magna incommoda & dedecus Respublica ferat, propter hanc non residentiam.

Idem *Anno D. 1678. fol. 29. tit:* **O Rezydentách**/ factum est, cum hoc additamento; vt Instigator Regni contra non residentem jure agat, & pœnas in jure descriptas exigat, sub privatione Officij, & vt Nuntij Terrestres in conclusione Comitiorum super hoc instent. Ob legale tamen impedimentum non residentes, dictas pænas non subeunt. Imò si aliquis Dominorum Senatorum circa deputationem hanc in Comitijs, impedimento legali se excusaverit, statim sequens in ordine Senator in locum eius deputatur. *Ita Anno D. 1573. fol: 255. versu.* **A ieśliby ktory**/ Idem & *Anno 1576. f. 276. versu:* **A ieśliby ktory**/ & *Anno 1607. fol: 830. tit:* **O mieszkániu.** Item *Anno 1609. fol: 889. tit:* **O mieszkániu Senatorow.** similiter, si post deputationem, ob aliquod legale impedimentum non potuerit residere, liber à pœna remanet. *Anno Domini 1641. fol. 3. tit: de reddenda ratione.* Sed cessante impedimento, tenetur nihilominus officio suo satisfacere. Ita in juribus allegatis. *A. 1576. & 1607.*

Similiter & ille, qui ob non residentiam pœnam subijt; licetsi illam persolverit, tenetur iterum residentiam integram, toties, quo-

ties eandem neglexerit, absolvere. *Ita Anno D. 1641. fol. 3. tit: de reddenda ratione.*

Impedimenta autem legalia hæc adferuntur *d. Anno 1641. locis citatis. Primò*, vera infirmitas, quam allegans, tenetur tacto pectore in facie totius Reipublicæ, comprobare. Item si aliquis, sub tempus generalium contractuum in illis Palatinatibus, ex quibus deputatus esset, impeditus fuerit, tunc per quatuor septimanas, liber à residentia fit. Item, si aliquis sub tempus periculi Reipublicæ, ex officio servitium bellicum sustineat.

Sic *Anno D. 1649. fol: 9. tit:* **Uwolnienie od rezydencyey/** Illustrissimus Archiepiscopus Gnesnensis, ob ætatem ingravescentem & labores sub tempus Electionis & Coronationis susceptos liber fuit factus ab hac residentia in eodem anno, ita tamen; vt si necessitas Reipublicæ postulaverit, invitatus à Serenissimo Rege, ad consilium veniret, aut votum suum transmitteret.

Sic etiam Dux exercitûs Russiæ, à tali residentia liber fuit factus, vt videre licet in Constitutione *Anni 1659. ad finem Commissionis Hadiacensis fol. 54.* § **Do Bulawy wielkiey.**

Anno D. 1669. in Electione Serenissimi MICHAELIS Regis *tit: de secretis consilijs*, ordinatum est, quòd Seren: Rex non potest dare licentiam residentibus exceptâ solâ legalitate infirmitatis, quam in futuris Comitijs corporali juramento comprobare debebit, cui Instigator Regni attendat & deferat sub solutione pœnarum descriptarum.

Anno D. 1607. fol: 831. ad finem tituli, **Omieszkániu Senátorow/** statutum est; vt huiusmodi Senatûsconsulta, Cancellaria Regni scribat, & DD. Senatores subscribant, in Comitiisq; rationem eorundem reddant, & de hac ratione reddenda in Comitiis proximis ordinatum erat, *Anno Domini 1573. fol: 255. & 1576. fol. 276.* § **Czesto sie.**

Idem & *Anno D. 1641. fol: ad finem tituli de reddenda ratione Senatûs-consultorum*, statutum est in hunc sensum: Cancellariæ Nostræ, omnes DD. Senatores, qui Senatûsconsulto aderunt, & Officiales Regni, & M. D. L. subsellia in Senatu habentes, & Senatûsconsulto interessentes, tum & ipsamet Senatusconsulta, seu conclusiones scribent. Domini autem Senatores tam residentes, quàm advenientes, necnon Officiales Regni, & M. D. L. consilio interessentes & consentientes subscribent. Et hæc Senatusconsulta in proximis Comitiis post vota DD. Senatorum, in præsentia Ordinum

Reipu-

Reipublicæ legantur, & ſi aliquid dignitati, & Maieſtati Regiæ nec non juri communi contrarium inveniretur, Domini Reſidentes, & alij Domini Senatores, Officialeſq; vtriuſq; Gentis, ſuorum conſili- orum in facie totius Reipublicæ, rationem reddant: quod Nuncii Terreſtres vtriuſq; Gentis, poſt vota DD. Senatorum vrgeant. Et hoc jus, in ſuo robore remanere debet, ita prout in ſe ſonat, nec aliquid per aliquam interpretationem addi, vel diminui poteſt.

Jdem & *Anno D. 1662, fol. 2. tit: de reddenda ratione Senatûſconſultorum* vbi Conſtitutiones ſuper hoc latæ, videlicet *1576. 1588, 1607, 1641.* reaſſumptæ ſunt.

Jdem in Electione MICHAELIS Regis inter exorbitantias *Anno D. 1669.* vt DD. Senatores reſidentes ſuas ſententias diſtinctim, qualem quiſq; in materiis propoſitis dabit: ſimiliter & Officiales ſubſellia in Senatu habentes, & ad conſilia Reipub: pertinentes, ſub privatione officii ſubſcribant.

Et ne hæc reſidentia illis noceat, *Anno D. 1638. fol: 14. tit.* **Wárunek Pánom Senatorom**, proſpectum eſt; vt à judiciis cuiuſcũq; ſubſellii, in cauſis perſonalibus, aut ſi ageretur de bonorum amiſſione & damno, ſex ſeptimanis ante reſidentiam & ſex poſt reſidentiam exempti ſint: ita tamen, vt iſtæ cauſæ, poſt lapſum tempus hocce aſſignatum, in Tribunalibus Regni, feriâ quintâ ex ſpeciali Regeſtro, in Tribunali autem M. D. L. in quovis termino, abſq; adcitatione iudicentur, in minoribus autem ſubſelliis, in primis iudiciis poſt exſpiratum tempus exemptionis.]

Anno D. 1638. fol: 14. tit: **Wárunek Pánow Senátorow/** reſpectu DD. Senatorum, & Nuntiorum Terreſtrium, in Comitiis generalibus commorantium, exemptio à judiciis talis conſtituta eſt: ſi aliquis DD. Senatorum, vel Nuntiorum Terreſtrium, in Comitiis Generalibus exiſtens in Tribunali Regni, vel M. D. L. & in aliis ſubſelliis ſub hoc tempus Comitiorum habeat, illius cauſa in quocunq; genere actionum, etiamſi aliquid contrarium ex areſto ſuper illum, ſub hoc tempus obtentum eſſet, ad eum terminum, prout ſub tempus Comitiorum erat, reſtituatur, & poſt Comitia finita, in ſex ſeptimanis, præmiſsâ citatione contra partem adverſam, ex ſpeciali regeſtro iudicetur. Quæ Conſtitutio etiam ad Nuntios militares ibidem extenſa eſt.

Jn *Anno autem D. 1653. fol. 10. tit. Beneficium, & fol. 14. tit:* **Wárunek/** ſic ſtatutum eſt: Cauſæ DD. Senatorum, Nuntiorum Terreſtrium, & Officialium Regni, & M. D. L. Senatoriæ dignitatis, in

Comitiis modernis existentium, sive ex reatu, sive ex actoratu veniant, ad quatuor septimanas ab initio Tribunalis suspensæ sunt. Similiter ijdem omnes à lustro sub idem tempus incidens, liberi facti sunt.

Anno D. 1654. fol. 34. tit, **Vbespieczenie/** &c. prædicta Constitutio respectu DD. Senatorum & Nuntiorum Terrestrium reassúpta est cum hac declaratione. Quòd si in Regno & M. D. L. à Comitiolis electionis Nuntiorum ad Comitia, vsq; ad futura Comitiola relationum, non obstante exceptione huius exemptionis allegata, aut in contumaciam in quocunq; subsellio, sub hoc tempus interstitii decreta lata fuerint, eiusmodi causæ in integrum restituantur, & prævia citatione partium, de novo in foro & termino competenti post finita Comitiola relationum agitentur.

Hæc Constitutio *Anni 1654. reassumpta est Anno D. 1655. fol: 15. tit:* **Vbespieczenie/** pro lege perpetua declarata est, & quòd debeat intelligi ad reditum post Comitia.

Anno D, 1658. fol: 22. tit: **Vbespieczenie/** prædictæ Constitutiones *Anni 1641. 1653. 54.* ratione exemptionum DD. Senatorum & Nuntiorum Terrestrium in Regno & in Magno Ducatu Lithv: in toto reassumptæ sunt, & decreta in contrarium lata cassata sũt, & vt hoc jus pro lege perpetua habeatur, statutum est.

Item *Anno D. 1659. fol: 5. tit:* **Vbespieczenie Pánow Senatorow/** &c. Constitutiones omnes in proximè præteritis Comitiis, de exemptione DD. Senatorum, Officialium Regni, Commissariorum, Nuntiorum Terrestrium, Legatorum ad exteros, ac eorum pupillorum in toto reassumptæ sunt, & authoritate Comitiali declaratæ sunt, quòd decreta, condemnationes qualescunq; sive per controversias, sive in contumaciam à Comitiolis electionis Nuntiorum, contra DD. Senatores & Nuntios Terrestres ad Comitia generalia electos, in quocunq; Iudicio maioris vel minoris subsellij ad Comitiola relationum lata & obtenta, cassata & cassatæ sunt. Post Comitiola tamen relationis, in duabus septimanis, quilibet DD. Senatorum & Nuntiorum Terrestrium, in quocunq; Iudicio, ad instantiam cuiusvis respondeant, statutum est, & pro lege perpetua vt habeatur, declaratum est, hoc addito: quòd hoc jus Legatis ad externos Principes, Residentibus, Commissariis, serviat post expeditã functionem.

Anno D. 1661. fol: 29. tit: **O bespieczenstwie/** &c. sic habetur, Conformando nos Constitutioni *Anni 1659.* de exemptione DD. Senato-

natorum & Nuntiorum Terrestrium, omnia decreta & actus quoivis judiciales sub tempus Comitiorum modernorum & præteritorum, vsq; ad Comitiola relationis, tam in Tribunali, tum in quibusvis aliis subselliis, in præiudicium & aggravationem tam DD. Senatorum & Nuntiorum Terrestrium, quàm illorum vxorum obtentos, etiam in causa dotis & inscriptionum cassamus: & vt subsellia omnium judiciorum, in toto se huic juri conforment statuimus. Et vt hæc exemptio serviat etiam Lustratoribus bonorum Regalium ordinamus.

Sed Anno sequenti 1662. fol: 30. tit: **Deklaracya Konstytucyey o Lustratorach/** dicta clausula de exemptione Lustratorum abrogata est, & vt quilibet Lustrator, coram omni judicio injuriatis respondeat, nec dicta exemptio illis suffragetur, statutum est.

Anno Domini 1667. fol. 6. tit: **Deklaracya bespieczenstwa,** lege perpetuâ securitas Dominis Senatoribus Nuntiis Terrestribus & eorum famulis cauta est, *his verbis*: Licèt securitati Dominorum Senatorum & Nuntiorum Terrestrium ad Comitia electorum, antiquis juribus, & præcipuè statuto *1510.* à SIGISMVNDO I. Rege Antecessore Nostro satis provisum sit; nihilominus declarando hocce jus, vt celerior vindicatio criminum & iniuriarum in personas illorum & famulorum penes ipsos existentium sit determinata, & obviando ausui, perpetuâ lege cavemus, vt eiusmodi excessus & crimina si Dominis Senatoribus & Nuntiis Terrestribus Regni tam ante Comitia, quàm post in quatuor septimanis domi, vel in itinere, aut in ipsis Comitiis fuerint illata, citatio ad Tribunal, in vim termini tacti, cum præfixione termini in quatuor septimanis extradatur, relatio positæ citationis in Castro, vbi delictum patratum, fiat. In quo termino delinquentes vt peremptoriè respondeant, & ibidem statim scrutinium ab vtraq; parte expediatur, non permittendo inculpato ex sua citatione deductionem scrutinij, dilationes quoq; nullæ eidem reo concedantur, exceptâ verâ infirmitate in hoc solo termino, in quo lectis scrutiniis iuramentum iniunctum esset. Et sicut in istis causis, ita & in aliis criminalibus Comitialibus Tribunalitiis, testes, etiamsi sint ex Equestri Ordine, depositiones testimoniorum suorum iuramento comprobent; talesq; causæ, ex speciali regestro securitatis Iudiciorum, judicentur. Literæ moratoriæ (aliàs **Gleyty/**) super infamia, bannitione, quæ ex controversiis essent obtentæ, non

non suffragentur, sed executioni indilatæ subsint, hancq; executionem Domini Capitanei, & Officia Castrensia in personis & bonis jure victorum juxta præscriptum juris expediant, sub pœnis legum. Quæ Constitutio Dominis Commissariis, Legatis ad externos Principes ex Comitiis deputatis, vt serviat, declaratum est, non derogando præsenti lege causis judiciorum Comitialium. Securitas DD. Senatoribus M. D. L. in statuto illorum *cap: 1. art: 14.* provisa est. Quòd Senatori inijciens manum ad Comitia citetur; verbis dishonorans, ad Tribunal Genarale Lithvaniæ *dicto Anno 1667. fol: 13. tit:* **Vbespieczenie PP. Senatorow/** Constitutiones *Anni 1659. 1661.* de exemptione DD. Senatorum & Nuntiorum Terrestrium, & aliorum omnium, qui prænominatis Constitutionibus sunt assecurati, reassumptæ sunt, & pro lege perpetua declaratæ, hoc adiecto, quòd legalitatem præsentiæ suæ, & functionis in Comitiis non tenentur in Tribunali iuramento comprobare, sed solùm vt Domini Senatores, & Commissarii attestationem præsentiæ suæ à Domino Mareschalco quocunq; tunc in Comitiis præsente, Domini autem Nuntii Terrestres à suo Mareschalco, obtineant, & eâdem Iudicio Tribunalitio præsentatâ, super suspensionem causæ ex regestro incidẽtis, simpliciter respondeant. In contrarium autem quævis probationes iuratoriæ super suspensionem ex occasione prorogationis causæ contra præscriptum legis in quovis subsellio Regni, & Magni D. Lithv: decretæ, vti iuri contrariæ cassatæ & annullatæ sunt. Extensumq; est, vt hæc Constitutio contra decreta sub tempus præteritorum, & protunc Comitiorum lata serviat. Similiter vt suffragetur & his, qui ex dependentia Comitiorum illorum, in Comitiolis relationum ad Tribunal Thesauri electi erunt.

Anno D. 1678. fol: 17. tit: securitas **Wielmożnych Senatorow/** in Constitutionibus Regni, his verbis statutum est: Quoniam contra expressum jus de Dominis Senatoribus Regni, & Nuntiis Terrestribus scriptum in Tribunalibus Regni, exorbitatum est, quòd nonnulli in functione existentes decretis, nonnulli condemnationibus aggravati sunt. Ideo reassumendo omnes Constitutiones, & præsertim *Anni 1659. 1661.* item *Anni 1667.* talia decreta, & condemnationes omnes cassamus, & vt judicia Castrensia talia decreta, & condemnationes non audeant exequi, authoritate præsentis Conventûs statuimus; idq; sub privatione officij: & has executiones quæ sub tempus Comitiorum fiebant pro nullis & irritis declaram' salvo negotio principali. Cavendo hoc in posterum, si aliquis con-

tra DD. Senatores & Nuntios Terrestres, sub tempus per legem expressum, decretum aut condemnationem obtinere audeat, talis pœnam mille marcarum Polonicalium ex regestro DD. Senatorum & Nuntiorum vindicandam subeat, *hæc ex Constitutionibus.*

Jn Confœderatione autem Generali Varsaviensi, *Anno Domini 1632.* § Jeśliby kto/ constitutum erat. Quòd si Senator vel Nuntius Terrestris post electionem Nuntiorum tempore Interregni citatus, & decreto aggravatus sit Capturali, vigor ejusmodi citationis & decreti non debeat extendi, sed causa de novo intentetur.

Jtem in Confœderatione generali Varsaviensi *Anno D. 1648. fol: 7.* § Spráwy ktore/ ordinatum est, Vt omnes causæ sive ex scriptione partium (aliàs zrospisu) sive ex limitatione Commissariorum, & aliorum Iudiciorum, sive vigore contractûs terminum habeant assignatum, juxta vim istius limitationis, scriptionis, vel contractûs terminum habeant post Comitia felicis Coronationis Regiæ, ad maximum in sex septimanis, dum pars partem adcitaverit.

Jdem in Confœderatione Generali Varsaviensi, *Anno D. 1668. fol: 7.* § Jesliby kto/ habetur his verbis: Si aliquis in hac Convocatione Senatoriam, vel Nuntij functionem gerens sit post præteritam electionem Nuntiorum citatus, & modò judicio Capturali aggravatus, tunc vigor istius decreti contra illum non debet extendi, sed illi debet de novo causa institui, post Comitia relationis in duabus.

Jdem & in Confœderatione Generali Varsaviensi, *Anno Dñi 1648. fol: 6.* § Jeśliby kto/ & in Confœderatione Generali Varsaviensi. *Anno 1674. fol. 7.* § Jesliby kto.

ł Dominis Senatoribus non est liberum extra limites Regni proficisci absq; consensu totius Reipublicæ. *Ita Anno D. 1613. fol: 27. tit:* Pozwolenie odiáchániá/ & alibi passim in Constitutionibus videre licet de isto consensu Reipublicæ. Sed & sub tempus Interregni datur ista facultas DD. Senatoribus discedendi extra fines Regni, prout in Confœderatione Generali Vars: *Anno D. 1668. fol. 17.* data fuit Jllustrissimo D. Castellano Vilnensi.

DD. Senatores, tam Spirituales quàm Sæcul: tenentur interesse Conventibus particularibus Palatinatuum suorum, aliàs Comitiolis. Ita in Constitutione *Anni 1565. fol: 84. tit:* Seymiki Powiátowe.

Spectant quoq; DD. Senatores in Ducatu Masov: ad electionē Deputatorum ad Tribunal Regni, ad electionem Nuntiorum ad Co-


mitia, & Officialium Terrestrium, prout habetur in Constitutione *Anni 1598. fol: 702. tit.* **Seymiki y Elekcyę Mazowieckiego Woiewodztwa.**

DD. *Senatores* & Nuntii Terrestres, liberi sunt à lustro, si in aliquo Palatinatu, sub tempus Comitiorum Generalium, vel Convocationũ general: incidat. Ita in Confœderat: Generali Varsav: *A. D. 1648. fol. 6.* § **Od popisu tarze/** & in Confœderatione Generali Varsaviensi *Anno D. 1668. fol. 7.* § **Jeśliby kto/** statutum est. *Senatorum* vota si in judiciis discordent, *Rex* debet concordare. *Anno D. 1576. fol: 254.* § **Często się też/** Sed de hoc latiùs sub titulo *de Persona Regis* egimus, sicut & de possessione Dominorum *Senatorum*, & Officialium, qualis esse debeat. Unde ad dictum titulum, Lectorẽ benevolum remitto. Id vnicum adiungo, quòd nullus Senator, & Capitaneus Iudicialis potest habere cohortem militis Quartiani, vt habetur in Constitutione *Anni 1591. fol. 613. tit: Disciplina militaris* § **Jednák żaden Senator.** Ratioq; redditur ne per hoc impediantur in officiis suis Domini *Senatores*, qui ad Conventus particulares tenentur venire, & articulos vna cum Nobilitate conscribere & reformare (Polonicè **vćierać**) *Ita Anno 1565. fol. 84. tit:* **Seymiki Powiátowe.**

Pœna non venientium DD, Episcoporum quadraginta marcarum, Dominorum Palatinorum & primariorum Castellanorum viginti marcarum, Castellanorum minorum decem marcarum, fisco Regio applicanda, si videlicet temerariè se absentaverint, & legitimà excusatione se ibidem in Conventu non excusaverint. *Herburtus sub verbo: Comitia fol: 93.*

In Constitutionibus autem Provincialibus Gnesnensibus vtpote Gembiciana, *fol: 16. cap: 2.* statutum est, vt Illustrissimi Domini Episcopi in Comitiis Generalibus & Particularibus omnino intersint, sub pænis in antiquis Statutis Provincialibus latis, *libro 5. fol. 357. cap: 13.* hoc est: mille marcarum. Idem in Węzykoviana secunda *cap: 10.* Salvo legitimo impedimento.

In Palatinatu Masoviæ Domini *Senatores* ad electionem Deputatorum ad Iudicium Tribunalitium Nuntiorum & Officialium spectant. *Anno D. 1598. fol. 702. sub tit:* **Seymiki y Elekcye.**



TITV-

TITVLVS DECIMVS NONVS
De Archiepiscopo Gnesnensi.

Rchiepiscopatum Gnesnensem statim ab initio susceptæ Religionis fuisse fundatum, scripsit *Stanislaus Łubienski* Episcopus Płocensis in vitis Episcoporum Płocensium *fol: 314.* Nam Miecislaus Princeps Poloniæ eundem fundavit circa *Annum 965. teste Cromero in libro secundo de rebus Polonorum fol. apud me 47.* dum inquit: Mox totum se ad propagandam per omnem Principatum suum Religionē hortante & adiuvante Vxore convertit. Basilicas novem diversis in locis ædificat, easq; supellectili omnis generis pretiosâ, ornat. Duas quidem ex his, Archiepiscopis, nempe Gnesnensem & Cracov: reliquas verò, hoc est Posnaniensem, *Smorogoviensem*, quæ postea Bitinensis, ac demum Vratislaviensis dicta est, Crusuicensem, quæ Vladislaviam successu temporis translata est, Płocensem, Culmensem, Lubussensem, & Camenecensem, singulis Episcopis attribuit, iisdemq; decimas omnis generis frugum de suis, juxta ac Nobilitatis, plebisq; agris edicto perpetuò adscribit, ita quidem, vt eæ decimæ post messem, ab ijs qui dant, ad constitutum locum comportentur. *hucusq; verba Cromeri.*

Et hic Archiepiscopatus nunquam intermissa eâ dignitate ad nostra vsq; tempora per tot successores sedem & præëminentiam Metropoliticam retinet, vt scripsit Stanislaus Łubienski loco supracitato. Quidquid Dithamarus in contrarium scripserit, asserendo Archiepiscopatum Gnesnensem, & alios Episcopatus ab Ottone Imperatore Romanorum fuisse datos. Quem errantem corrigere volens Cardinalis Baronius, asserens hos Archiepiscopatus & Episcopatus authoritate Archidiaconi Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui cum Ottone Imperatore huic actui præsens adfuit, ordinatos esse. Sed *Stanislaus* Łubienski loco citato *fol: 313.* vtrumq; refutat & declarat Archiepiscopalem & Metropolitanam dignitatem semper & successivè nullo interiecto tempore fuisse: ad quem curiosum Lectorem remitto.

Hic idem Archiepiscopus Gnesnensis, non tantùm Metropolitanâ dignitate fulget, sed etiam Legatus Natus appellatur. Quem titulum Henricus Archiepiscopus Gnesnensis; Theodori Ducis Bernensis ex Eudoxia Polona Filius, dictus Kietlicz, *Anno Domini 1215.*

ſub tempus Concilii Lateranenſis ab INNOCENTIO III. PAPA ſibi & Archiepiſcopis Gneſnenſibus primus impetravit, *teſte Cromero lib: 7. de rebus Polonorum fol: apud me 189.* quod idem refert Jlluſtriſſimus Olſzovius de Archiepiſcopo Gneſnenſi, *cap: 2 art: 1.*

Vocatur etiam & Primas, quam Primatialem dignitatem, Nicolaus Trabá Archiepiſcopus Gneſnenſis in Concilio Conſtantienſi, *Anno D. 1416* (prout refert dictus Jlluſtr: Olſzovius *cap. 1. art: 1.* & Miechovita in Chronica *lib: 4. cap: 51.* cuius verba ſunt. Eodē *Anno (hoc eſt 1416)* Nicolaus Archiep: Gneſn: à Concilio Conſtantienſi Primatem ſe Poloniæ declarari per ſpeciale privilegium obtinuit: ab eoq; tempore ipſe, & ſui Succeſſores, Archiepiſcopum & Primatem Eccleſiæ Gneſnenſis ſeſe inſcribunt, *hucuſq; verba Miechovitæ.* Quo autem fine id fecerit præfatus Nicolaus Archiepiſcopus, cauſam adfert *Cromerus lib: 18. fol: 410.* Quia Elizabetha Pilecia Cōſors VLADISLAI JAGELLONIS coronata fuit ab Archiepiſcopo Leopolienſi Joanne Reſſovio, ideo Nicolaus qui tunc in Concilio Conſtantienſi propter ſplendorem gratioſus erat, vt ei Summus Pontificatus (ſi Długoſſo credere licet) conferretur, ne ſibi poſteriſq; ſuis Archiepiſcopis Gneſnenſibus, ea prærogativa coronandi Reges & Reginas præriperetur, obtinuit apud Concilium, vt Archiepiſcopus Gneſnenſis deinceps, Primas Poloniæ haberetur. Idem confirmat & Stanislaus Czarnkovius Epiſcopus Vladislavienſis *in libro de Primatu Senatorio Regni Poloniæ, Poſnaniæ impreſſo fol: 14. vide & Olſʒovium de Primatu & dignitate Archiepiſcopi Gneſnenſis cap: 2. artic: 1.*

Cumulavit ſplendorem Archiepiſcoporum Gneſnenſium & Ioannes à Łaſko Łáſki, Archiepiſcopus Gneſnenſis, SIGISMVNDI I. Regis Poloniæ, ad LEONEM X. Summum Pontificem, & Concilium Lateranenſe Orator, qui vtramq; præëminentiam tam Legati Nati, quàm Primatialis dignitatis, vno eodemq; Privilegio ſpeciali comprehenſam, à memorato Summo Pontifice, in Concilio ſecundo Lateranenſi *Anno D. 1515. Quinto Idus Iulij* conſecutus eſt. Cuius Privilegij originalis in Conſtitutionibus Provincialibus Gneſnenſibus inſerti, *libro 1. ſub tit. de Officio Ordinarij fol. 82. tenor talis eſt.*

Bulla Apoſtolica Legationis Natæ.

LEO *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Pro excellenti præëminentia Sedis Apoſtolicæ, in qua poſt B. Petrū*

Apoſto-

Apostolorum Principem, quamvis imparibus meritis, pari tamen authoritate constituti sumus, in agro irriguo militantis Ecclesiæ novas Legationes plantare & instituere, Pontifici dignum arbitramur, per novas plantationes, præsertim in locis Christi fidelium, infidelibus vicinis, ac in parte schismata sustinentibus, non solùm populorum devotio, verùm etiam hæc ipsa nova nominis & Fidei Domini nostri IESU Christi plantatio, Schismatumq; eradicatio, vt augeatur, commodiùsq; succedat, & animarum salus subsequatur, ac Provinciæ & Regna illustrentur. Idq; Nos eò libentiùs agimus in locis prædictis, in quibus tum ex varijs inter mortales occasionibus, tamen inprimis interitûs Schismatum ratione necessitatis, plerumq; subesse conspicitur, & ad hoc Catholicorũ Regum vota tendere noscuntur, vt assistentiâ & Authoritate Legati novi, & Alma Mater Ecclesia propagationis plantationis novæ, & genus humanum propositum felicitatis æternæ præmium feliciùs valeat adipisci. Attendentes igitur, quòd in toto Regno Poloniæ, vna Metropolitana Gnesnensis, videlicet: principalis Ecclesia existit, cui omnes aliæ Ecclesiæ dicti Regni Metropolitano jure, ac etiam Metropolitana Leopoliensis in Terris Russiæ ad Regnum ipsum pertinentibus, Primatiali jure sunt subiectæ. Et quod si Venerabilis Frater Noster Ioannes de Lasko, modernus & pro tempore existens Archiepiscopus Gnesnensis suæ Archiepiscopali Provinciæ & Ecclesijs, sibi Metropolitico ac prædicto Primatiali jure subiectis, non solùm Metropolitico ac Primatiali, sed etiam Legationis jure præësset, & ratione dignitatis ejusdem Primatialis, huiusmodi Legationis officium haberet, ex hoc profectò salubriori & diligentiori exercitio Metropoliticæ Primatialisq; jurisdictionis, & commoditati Ecclesiarum, quæ sibi Metropolitico & Primatiali jure subijciuntur; ac illis nunc & pro tempore præsidentium Prælatorum, necnon Cleri & populi, Civitatum & Diæcesium earundem, quæ in eorum opportunitatibus ad eundem Archiepiscopum & Legatum ratione eorum, quæ vigore Legationis huiusmodi exercere poterit, faciliùs & commodiùs recurrere possent, & eiusdẽ Ecclesiæ Gnesnensis, & præfati Regni, cuius Reges & Incolæ, Apostolicæ Sedi devoti & fideles semper esse consueverunt, devotioni ac venustati plurimùm consuleretur: considerantesq; in Regno Angliæ, olim & in Germania, Archiepiscopos aliquot Legatos Natos, per Prædecessores Nostros erectos fuisse. Eorundem Prædecessorum vestigijs inhærentes, & ad magnam instantiam, quam super hoc fecit, & facit charissimus in Christo Filius Noster SIGISMVNDVS dicti Regni Poloniæ Rex Illustris, debitum habendo respectum, ad Dei laudem & honorem, ac Fidei Catholicæ exalta-

exaltationem, prædictum Ioannem de Lasko modernum, ad Nos, & sacrũ Lateranense Concilium pro dicto Rege Oratorem destinatum, & pro tempore existentem Archiepiscopum Gnesnensem, Legatum Natum cum omnibus honoribus & oneribus consuetis, ita; vt de cætero suæ Archiepiscopali, & prædictæ Leopoliensi Provincijs & Ecclesijs sibi Metropolitico jure & Primatiali subiectis, non solùm Metropolitico & & Primatiali, sed etiam Legationis jure, præsit. Et ratione suæ dignitatis Primatialis & Legationis Officium in ipsis Provincijs habeat, authoritate Apostolicâ, & ex certa scientia Nostra facimus & constituimus, & etiam ordinamus; sibi nihilominus concedentes, vt omnibus & singulis privilegijs, libertatibus, præëminentijs, exemptionibus, immunitatibus honoribus & gratijs uti & gaudere: ac quoad omnia & singula facere & exercere ac mandare, ordinare, & exequi, quæ ad Legatos Natos, & huiusmodi Legationis officium habentes, quomodolibet pertinent, & quæ alij Legati Nati, præsertim verò Legatus Cantuariensis, qui in Provincijs suis de jure, privilegio, & consuetudine mandare, facere & exequi possunt, liberè & licitè valeat. Mandantes per præsentes vniversis & singulis Suffraganeis Leopoliensiq; Terrarum Russiæ Archiepiscopo & alijs, in dictis Provincijs existentibus, quatenus eidẽ Archiepiscopo & Legato Nato pro tempore existenti, in his quæ sibi ratione officij Legationis, sic vt præfertur, competunt, pareant & intẽdant. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac literis & privilegijs quibusvis concessis, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad præmissa, specialiter & expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscunq;. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ creationis, constitutionis, ordinationis, concessionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Domini 1515. Quinto Idus Iulij Pontificatûs Nostri Anno tertio.

Pro intelligentia præmissorum adnotandum censui. Legatorum Pontificiorum esse tres species, vt colligitur in *cap: penultimo de Officio Legati cap: 1. eodem titulo, in 6to & vtrobiq; glossa.*

Alij dicũtur Legati Laterales seu à latere; alij Nuntij Apostolici seu Legati missi, alij deniq; Legati Nati.

Legati à latere, ex vsu Curiæ Romanæ dicuntur soli Cardinales, ab ipsomet Summo Pontifice ex Vrbe & Curia Romana missi ad

si ad certam Provinciam administrandam, vel ad negotia cum Regibus, Principibus, aut aliqua Republica tractanda. Ideo verò dicuntur Legati à latere: quia quasi à latere Pontificis, cui adsistunt in consilijs & arduis negotiis, & veluti ex eius Senatu mitti solent. *cap: volentes 8. cum sequ: de Officio Legati.*

Nam Cardinales pars corporis Papæ censentur, & in locum Senatorum successerunt. *Can: Ecclesia 16. q. 1. glossa ad cap: Excommunicatis, verbo, Commissam, ibiq; Barbosa.*

Legatorum de latere facultates expressæ sunt in Corpore Iuris Canonici *sub tit: de Officio Legati,* hoc est: quia hic Legatus maius imperium post Summum Pontificem in Provincia sibi comissa habet. *cap: Abbatem § Huiusmodi, de electione in 6. cap: volentes de Officio Legati, ibiq; Barbosa,* Vnde potest excommunicatos propter manuum iniectionem in Clericos à tali excommunicatione absolvere, *cap: Excommunicatis de Officio Legati, ibiq; Abbas & Barbosa.*

Et dum tali legatione funguntur, Apostolicæ dignitatis insignibus vtuntur, *cap: Antiqua de Privilegijs.* Vide plures facultates eiusmodi Legatorum *apud Matthiam à Corona in tractatu de Legatis Apostolicis.* Tamen quia illorum potestas aliquando augetur, aliquando minuitur per literas Commissionis Apostolicæ; ideo non est credendũ illis, nisi suæ Legationis literas ostendant. *can: fin: distin: 97.*

Sic etiam *Gonzalez in § secundo proœmiali num: 6.* Nuntiorum facultates inspiciendas esse docet *per tex: in cap: Porro cap: Recepimus de privilegijs, & num: 64. ibidem* subiungit, quòd si agatur de aliqua causa beneficiali, facultates Nuntij sunt inspiciendæ, allegatq; *Rotæ Romanæ decis: 73. lib: 3. par: 3. diversorum.*

Legati missi dicuntur, qui non mittuntur de latere Pontificis, nec è numero Cardinalium sunt, sed à Summo Pontifice spectatim constituuntur, de consilio tamen Cardinalium, quamvis etiam absq; eo possit Pontifex Legationis officium alicui committere *cap. Novit. 7. de Officio Legati, ibiq; Abbas.* Et quanquam constitui possint quicunq; Clerici, solet tamen Pontifex Prælatos tantùm ad hoc munus deputare, *Valensis lib: 1. decretalium tit: 30.* de officio Legati § 1. mittunturq; passim cum potestate Legati à latere. *Matthias à Corona in tractatu de Legatis Apostolicis cap: 2. § 6. vide & cap. 1. de Iurisdictione in 6. ibiq; Doctores.*

Legati Nati dicuntur, qui dignitati suæ Ecclesiasticæ, officium & munus Legati Apostolici annexum habent. Talis in Anglia, Archiepiscopus Cantuariensis de quo *in cap: 1. de Officio Legati ibiq;*

Barbosa. Item *Archiepiscopus* Eboracensis, *cap*: *1. de appellationibus*, in Gallia *Archiepiscopus* Remensis cuius est Regem Franciæ vngere, de quo *in cap: per Venerabilem § Verum. qui filij sint legitimi*. In Aquitania superiori, Archiepiscopus Bituriensis de quo *in cap: fin*, de majoritate, & obedientia Valensis vbi supra. Gonzales ad dictum *cap: 1. de officio Legati*. *Plures* alios refert, Matthias à Corona in tractatu de Legatis *Apostolicis*. *cap: 2. § 4.* vbi etiam & *Archiepiscopum* Gnesnensem commemorat.

Dicunturq; ideo Legati Nati, quia simul atq; ad talem dignitatem eliguntur eiq; præficiuntur, vnà etiam veluti nascuntur Legati. *Ita Vallensis & Matthias à Corona locis citatis.*

Addit quartam speciem Legatorum *Apostolicorum*, *Matthias à Corona d. cap: 2. § 3.* nempe quando Summus *Pontifex* aliquem Cardinalem mittit ex Vrbe & Curia Romana, ad administrandam aliquam *Provinciam* ditioni *Romanæ* subditam, tam in temporalibus, quàm *Spiritualibus*. Unde dicuntur illius *Provinciæ* Præsides. Huiusmodi Legati sunt. *Avenione*, Bononiæ, *Ravennæ*, Ferrariæ, & alij vt refert Matthias à Corona loco citato. *Sed* hæc videtur sub prima specie comprehensa.

Quæret hic aliquis, dictum est in Bulla LEONIS X. PAPÆ Archiepiscopum Gnesnensem vti Legatum Natum posse omnia facere, mandare, & exequi, quæ ad Legatos Natos, & huiusmodi Legationis officium habentes quomodolibet pertinet, & alij Legati Nati (præsertim Legatus Cantuariensis) possunt, quænam potestas sit Legati Cantuariensis? Ad hoc quæsitum, ALEXANDER PAPA III. *in cap: 1. de officio Legati*, sic Episcopis *Angliæ* respondit: *Sanè licèt idem Archiepiscopus Cantuariensis, Metropolitico jure audire non debet causas de Episcopatibus vestris, nisi per appellationem deferantur ad eum: Legationis tamen obtentu universas causas, quæ per appellationem vel querimoniam perveniunt ad suam audientiam, audire potest & debet, sicut qui in Provincia sua vices Nostras gerere comprobatur.* hucusq; verba textûs: Unde Archiepiscopus Gnesnen: non tanquam *Archiepiscopus*, sed tanquam Legatus Natus potest omnes causas non tantùm per appellationem, sed & per querimoniam (seu vt alij dicunt per recursum) ad se pertinentes & devolutas audire.

Sed numquid Legatus Natus, causas contra exemptos institutas audire possit? Respondet. *glossa ad dictum cap. 1. in verbo: universas*, negativè, nisi ipsi exempti velint, & hoc de his, quæ in

eorum

eorum privilegiis continentur, & tota potestas sua consideranda est, ex forma privilegij. *Alii* verò Legati Cardinales, vel etiam alii, qui mittuntur de latere Domini Papæ, habent maiorem jurisdictionem, tam contra exemptos, quàm contra omnes alios, salvis his tantùm, quæ *S*edi *A*postolicæ specialiter reservantur: sed iste Episcopus Cantuariensis & consimiles non habent talem. *Argumento cap: Excommunicatis, de officio Legati: vbi sic habetur*: Excommunicatis pro iniectione manuum violenta, Ecclesiæ Romanæ Legati, qui de ipsius latere non mittuntur, extra Provinciam sibi commissam, vel ibidem, si huiusmodi manuum iniectores illuc contingat aliunde accedere: & qui Ecclesiarum suarum prætextu Legationis sibi vendicant dignitatem, etiam subditis (quamvis in Provincia sua existentes) beneficium absolutionis impertiri non possunt: nisi de speciali gratia illis & istis ampliùs à Sede *A*postolica concedatur. *Ita glossa.*

Ex quo colligunt Doctores, quòd Legatus Natus minorem jurisdictionem habet, quàm Legatus de latere Cardinalis, aut alius Legatus missus cum facultatibus Legati de Latere, prout id etiam adnotavit *glossa ad d. cap: Excommunicatis in verbo Commissam*, quã vide: sed cum ista materia de Legatis Apostolicis spectat ad Iudicia *S*piritualia, ideo calamum retineo, & ad propositum meum redeo.

Vocatur etiam Primus Princeps totius Regni. Quem titulum CASIMIRVS adhuc Magnus Rex Poloniæ in privilegio compositionis de decimis Illustrissimo Iaroslao Archiepiscopo Gnesnensi *Anno D. 1360. feriâ quartâ, post Dominicam Reminiscere, Posnaniæ* dato, & per SIGISMVNDVM AVGVSTVM *Varsaviæ duodecimâ mensis Octobris, Anno D. 1560.* confirmato dedit, referente Illustrissimo Domino Olszovio in opere suo, de dignitate Archiepiscopi Gnesnensis. Habebat & hanc prærogativam, quòd electionem Episcoporum confirmabat, *teste Cromero in historia sua fol: 109.*

Præter dictas prærogativas Archiepiscopus Gnesn: etiam & alijs gaudet. Et primò, quòd solus Regem & Reginam coronat ex privilegio à CASIMIRO Rege Poloniæ eius nominis Tertio, *A. D. 1451.* huic dignitati concesso, tum à SIGISMVNDO AVGVSTO Rege Poloniæ *Anno Domini 1550. vti refert Lascius in suo Statuto fol: 170.* & Nos ad tit: de Coronatione Regis diximus. Nunc addo Bullam SIXTI Quinti tenoris sequentis.

Bulla Sixti Quinti Papæ
De Coronandis Regibus Poloniæ.
SIXTVS EPISCOPVS
Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

PAstoralis Nostra sollicitudo, quâ pro tuenda vbiq; gentium & locorum, propagandaq; Catholica Religione suscipere tenemur, Paternaq; charitas, quam erga Inclytum Poloniæ Regnum in visceribus Christi præcipuè gerimus, & singularis zelus Orthodoxæ Fidei, sinceraq; erga Romanos Pontifices, sanctamq; hanc Sedem devotio, quam ipsum Regnũ, præsertim verò illius Prælati hoc maximè tempore persεferunt: jure optimo Nos inducũt; vt ijs, quæ pro conservatione ejusdem Catholicæ Fidei, & pro publica ejusdem Regni quiete & tranquillitate, piè ac prudenter à Prælatis præfatis statuta fuerunt, Apostolicæ confirmationis robur, eiusdem Præsulibus supplicantibus, benignè impertiamur. Nuper siquidem, sicut expositum Nobis fuit in Synodo Provinciali Petricoviensi de more celebrata, Venerabiles Fratres Nostri Archiepiscopi & Episcopi Metropolitanarum & Cathedralium dicti Regni Ecclesiarũ simul congregati, & convenientes in vnum, vt more vigilum Pastorum gregem Domini curæ suæ creditum ab imminentibus luporum periculis, incolumem, quantum in eis est, præservarent, simulq; vnioni & paci ipsorum Prælatorum, Procerum & populorum ejusdem Regni consulerent, inter alia sub Nostro & Sedis Apostolicæ beneplacito statuerunt, ordinârunt, & decreverunt.

Quòd tam in præsens, quàm in futurum, nemo vnquam agnoscatur, nec recipiatur in Regem Poloniæ, nisi fuerit verè Catholicus: quiq; sanctam Catholicam & Orthodoxam Fidem, quam sancta Romana & Apostolica Ecclesia tenet, docet, & prædicat palàm, & publicè profiteatur & sequatur, & in virtute ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ permaneat: Quòdq; pro tempore existens Archiepiscopus Gnesnensis, cui ius renuntiandi seu publicandi Regem ex privilegio competere dignoscitur, nominet, renuntiet, aut publicet, qui fuerit Fidei dubiæ, & non sit manifestè Catholicus. Ad tollendum verò dissidij & intestini belli periculum, nullus Episcoporum & Prælatorum, contra jus Archiepiscopi prædicti, post denuntiationem ab eo factam, scilicet de persona Catholica, & servatis Regni statutis & consuetudinibus, in Electione Regis audeat nominare, renuntiare, aut coronare alium in Regem: alioquin à regimine & administratione Cathedralis seu Metropolitanæ Ecclesiæ, cui præest in perpetuum eo ipso sit suspensus, atq; etiam omni-

bus

bus beneficijs Ecclesiasticis, quæ quomodolibet obtinet, privatus existat: Et nihilominus huiusmodi nominatio, renuntiatio aut coronatio, invalida & nulla censeatur, ac nullius sit roboris vel momenti.

Ne quis nominatus à Rege Poloniæ pro tempore existente in Episcopum vel Archiepiscopum ad Ecclesiam aliquam Cathedralem vel Metropolitanam, ex ijs ad quas pro tempore vacantiæ jus nominandi, ipsi Regi ex Privilegio Apostolico competit, assumat sibi honorem, & locum, nève in regimine & administratione Ecclesiæ huiusmodi, illiusq́ bonorum, quoquomodo se immisceat, nisi priùs à Sede Apostolicâ eidem Ecclesiæ de persona sua sic nominata provideri, seu in Episcopum, vel Archiepiscopum, Præsulem, & Pastorem præfici obtinuerint, literis Apostolicis desuper expeditis, si secus fecerit, ad illam & ad aliam, quamcunq́ inhabilis omnino censeatur.

Quicunq́ sive ex Senatoribus, sive ex Nobilibus in promovendo Rege Hæretico opem, consilium, auxilium, vel favorem præstiterit vel consenserit, aut ei jam promoto adhæserit, præter alias censuras Ecclesiasticas & pœnas, in quas eos incurrere sacris Canonibus & Constitutionibus Apostolicis constitutum est, tam ipse, quàm Posteri ejus & descendentes, ad omnes honores, dignitates & beneficia Ecclesiastica obtinenda, perpetuò inhabiles & incapaces sint, & esse censeantur.

Nullus Episcoporum seu inferior Prælatus audeat hæreticum hominem ad honores, dignitates, officia, vel beneficia spiritualia & temporalia promovere, vel promoveri facere, aut intercessione opibus, aut aliâ quâcunq́ ratione, ad ea assequenda juvare.

Quodsi id attentare præsumpserit, pœnam privationis omnium & quorumcunq́ beneficiorum Ecclesiasticorum, vel officiorum, quæ obtinet, necnon suspensionis vt præfertur, à regimine & administratione suæ Ecclesiæ ipso facto incurrat, & ad alia obtinenda, incapax prorsus existat.

Quicunq́ ex ijs qui pro Catholicis se gerunt, tepidis nimirum & falsis Fratribus, Apostolicæ Sedis authoritatem, jurisdictionem Ecclesiasticam & jura decimarū publicè vel privatim, directè vel indirectè in Conventibus, aut alijs in locis impugnaverit, tam ipse, quàm ejus posteri ab ordinibus, honoribus, dignitatibus, & beneficijs Ecclesiasticis in perpetuum arceantur, & ad illa semper inhabiles existant.

Quoties ex necessaria communi & publica causa, ac de licentia seu permissione sanctæ Sedis Apostolicæ conferendum est consensu

Aaaaaa publico

publico ex bonis Ecclesiæ subsidium seu donativum aliquod Regi, vel Reipublicæ, illud per Deputatos suos Episcopi exigant, ne subditi & bona Ecclesiarum, à Sæcularibus exactoribus expilentur, & prophanentur, ac varijs injurijs & damnis (prout plerumq; factum est) afficiantur. Si Episcopi aliter fecerint, pœnis in Concilio generali Lateranensi novissimè celebrato, & in Bulla Cænæ Domini legi solita, alijsq; sanctionibus Apostolicis contra eos, qui etiam sponte offerunt, inflictis, eo ipso subiaceant.

Demum quòd propter omnes subitas dicti Regni necessitates & improvisos eventus, Thesaurus sive Ærarium publicum & commune omnium Regni prædicti Ecclesiarum, in aliqua Ecclesiæ Arce seu Castro, providè & accuratè instituatur, & cum omni diligentia & custodia asservetur.

Quæ omnia statuta & decreta, quò firmiùs & accuratiùs perpetuis futuris temporibus observentur, ijdem Prælati, per dilectum Vincentium de Seve, Præpositum Łascensem & Internuntium, ab ipsa Synodo Provinciali ad Nos missum, Nobis humiliter supplicari fecerũt, vt illis Apostolicæ comprobationis robur adijcere, aliàsq; in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eorundem Prælatorum, ac ipsius Synodi pietatem, sanctumq; & laudabile propositum, plurimùm in Domino commendantes, eorumq; supplicationibus hac in parte annuentes: statuta, ordinationes, & decreta prædicta prout superiùs descripta fuerunt, ex certa Nostra scientia, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium perpetuò confirmamus & approbamus, eaq; præsentis scripti patrocinio cõmunimus, & illis perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adijcimus, ac per eos, quos illa concernunt & concernent in futurum, perpetuò firmiter, & inviolatè observari præcipimus & mandamus, omnesq; & singulos juris & facti ac solennitatum & substantialium, si qui in eis intervenerunt defectus supplemus; decernentes irritum & inane, si secus super his, à quoquam, quávis authoritate fulgente scienter vel ignorãter contigerit, attentare. Non obstantibus prædictarum Ecclesiarum, & quibusvis alijs contrarijs statutis, & consuetudinibus, etiam juramẽto, confirmatione Apostolicâ, vel quávis aliâ firmitate roboratis, & immemorabili tempore pacificè observatis; necnon Privilegijs, indultis, & literis Apostolicis quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua mentio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, ad effectum præsentium

dunta-

duntaxat, ac specialiter & expressè derogamus, illaq; omnia & singula, quatenus præsentibus literis in aliquo adversentur, penitus tollimus & abrogamus, & nolumus deinceps cuiquam suffragari, cæterisq; contrarijs quibuscunq; aut si ijsdem Prælatis, vel eorum alicui, seu alijs personis communiter vel divisim ab Apostolica Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit, per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem.

Volumus autem, quod præsentium literarum transsumptis, etiam impressis Notarij publici manu subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem vbiq; fides adhibeatur, quæ ipsis Originalibus adhiberetur, exhibitis vel ostensis.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, approbationis, communitionis, adiectionis, præcepti, mandati, suppletionis, decreti, derogationis, sublationis, & voluntatis infringere, vel ei, ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo octuagesimo nono. Quinto Idus Februarij, Pontificatûs Nostri Anno Quinto.

E. Cardinalis Pnat, Barbianus.

Locus sigilli, plumbi in filo. variegato serico pendente

Andreas de Alexijs M. Vestrius.

Concordat cum suo Orignali.

(L. S.)

Ioannes Witkowski V. I. D. Protono arius Apostolicus, Archidiacon: Curelovienfis mpp.

IN defectu tamen Archiepiscopi Gnesnensis vel si legaliter impeditus sit, aut hanc functionem peragere nolit, Vladislaviensi Episcopo hæc prærogativa, ex decreto Ordinum *die* 25. *Aprilis Anno D.* 1576. vti Carncovius *lib: 3.* Epistolarum Jllustrium virorum refert. Sic *S*tanislaus Karnkowski Episcopus Vladislaviensis, STEPHANVM Regem coronavit, eò; quòd Iacobus Vchanski Archiepiscopus Gnesnensis, partes Maximiliani tueretur, *teste Piasecki in sua Chronica fol: 3*

Sic *Petrus* Tylicki Episcopus itidem Vladislaviensis, ex quo Cardinalis Macieiowski nondum pleno jure possessionem Archiepiscopatûs Gnes: adierat, Constantiam Reginam coronavit, *teste eodē*

Piasecki sub Anno D. 1605. fol: 273. & Stanislao Łubieński, in libro de motu civili.

Sic Jllustrissimus Andreas Trzebicki Episcopus Cracoviensis, Celsissimo Casimiro Floriano Duce in Klewan Archiepiscopo Gnesnēsi, sub tempus Comitiorū ElectionisRegis gravi infirmitate laborante, ijsdem Comitijs præsidebat; & JOANNEM III. electum Regem nominavit, consentiente (cum præcustoditione tamen) *R*everendissimo Gembicki, protunc Episcopo Vladisl:

Et quidem possunt coronare absq; licentia Episcopi Cracoviensis, si coronatio hæc in Ecclesia eius Cathedrali Cracoviensi celebretur. Prout ortâ controversiâ & lite, movente illam Jllustrissimo Andreâ Trzebicki Episcopo Cracoviensi, contra Jllustr: D Nicolaum Prázmowski, & Andream Olszowski Archiepiscopos Gnesn: Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, Episcoporum partibus auditis respondit: Actum prædictæ solennis coronationis spectare ad Dominum Archiepiscopum Gnesnensem, etiamsi in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi celebretur, licentiâ Domini Episcopi Cracoviensis non requisitâ, sine tamen præiudicio jurium ejusdem Domini Episcopi Cracoviensis, quoad cætera. *Romæ sextâ Decembris, Anno D. 1675.* *subscriptio.*

Cardinalis Gaspar Carpineus Archiepiscopus Genuensis Secretarius.

PRout hanc declarationem refert Jllustr: Olszovius *in suo opere de dignitate & Primatu Archiepiscopi Gnesnensis.*

An autem Archiepiscopus Gnesnensis Nominatus tantùm & nondum à *S*ummo Pontifice confirmatus, munia Interregis exercere possit? non semel excitata fuit quæstio. Pro affirmativa parte, allegabatur exemplum. Nam Constantiam Austriacam SIGISMVNDI III. *R*egis Poloniæ Vxorem, non Bernardus Maciejowski Cardinalis & Episcopus Cracoviensis, destinatus ad Archiepiscopatum Gnesnensem, sed Petrus Tylicki Episcopus Vladislavien: coronavit, *teste Łubieński lib: 1. de motu Civili f. 39.* vt non paulò supra mentionem fecimus.

In contrarium adest exemplum in *C*asimiro Floriano Czártoryski, Duce in Klewan, qui licèt tantùm esset nominatus ad *A*rchiepiscopatum Gnesnensem, tamen sub tempus Interregni *S*erenis: MICHAELIS Regis functus est officio Archiepiscopi Gnesnensis, & Interregis: dum sub suo titulo literas vniversales denuntiantes

vacati-

vacationem Throni Regij, & intimantes tempus futuræ Convocationis ſub titulo & ſigillo extradidit.

Sed ad hoc exemplum reſponſum fuit, quia erat ante nominationem ad Archiepiſcopatum Gneſnenſem, Epiſcopus Vladislavienſis, ad quem abſente, vel impedito, aut nolente Archiepiſcopo Gneſnenſi, ſpectant munia Archiepiſcopalia ſeu Interregis. Oritur ſecundum dubium; in abſentia Archiepiſcopi Gneſnenſis, & etiam Epiſcopi Vladislavienſis, an Epiſcopus Poſnanienſis, hæc munia obire poſſit? ex quo hæc functio ad Epiſcopos Majoris Poloniæ ſpectare videatur. Et pro Epiſcopo Poſnanienſi certatum eſt. Nec obſtat; quòd mortuo dicto Caſimiro Floriano Czartoryſki in præſentia Gębicij Epiſcopi Vladislavienſis, Andreas Trzebicki Epiſcopus Cracovienſis, Regem electum nominaverit, & quaſi totum actum Electionis peregerit. Nam Stephanus Wierzbowſki protunc Epiſcopus Poſnanienſis, certis ex rationibus ſe excuſavit & Gębicius Epiſcopus Cuiavienſis, tunc præſens cum cautione & præcuſtoditione jurium Epiſcoporum Vladislavienſiũ, in Andream Trzebicium Epiſcopum Cracovienſem conſenſit. Reſpectu cuius, deciſio ad Rempub: ſpectat, ego ad vlteriora procedo.

Ejus dignitati additæ ſunt aliæ prærogativæ.

Nam crux argentea publicè ante eum defertur, & etiam in Senatu Crucifer ſellæ Archiepiſcopali adſtans, erectam tenet.

Vtitur Mareſchalco, idq; ex Caſtellanis minoribus, qui cum baculo, Regiæ authoritatis inſigni, per plateas ad rhedam Archiepiſcopi eques præcedit, & in Curia ſeu Aula Regia ante eum defert, nec illum demittit verſus terram, niſi præſente Rege, imò abſentibus alijs Mareſchalcis cum hoc baculo Regem in Comitijs publicè prodeuntem antèit.

Ex itinere ad Palatium venienti Rex obviam Succamerarium Regni, vel alium ex præcipuis Aulæ Officialibus, ad inferiora graduum ſalutandum mittit. Mareſchalcus autem Curiæ, ad caput eorundem graduum præſtolatur, tandem Rex jam vicinum ſibi ſtans recipit, & aliquot paſſibus it obviam.

Antequam menſa ejus ferculis inſtruatur, tympanum maius (Polonicè **Kotły**) pulſatur.

Privilegium monetæ cudendæ fuit datum à Præmislao ſecundo Duce Poloniæ, *Anno Domini 1284. Indictione 12. Calendas Augusti* in Cłodyna, Jlluſtriſſimo Domino Iacobo Archiepiſcopo Gneſnenſi eiuſq; Succeſſorib⁹ Archiepiſcopis, *vt refert Crom: lib: 8. hiſtaria*

riæ Polonæ fol: 199. & Illustrissimus Olßovius in opere, de dignitate Archiepiscopi Gnesnensis.

Rex in literis suis ad eum dat titulum, Reverendissimo in Christo Patri.

Mortuo Rege, Comitia Ordinibus indicit, Comitijs Electionis Regis præsidet, Regem ab Ordinibus electum nominat & publicat. Expeditionem generalem Nobilitatis necessitate suadente indicere potest: hinc Interrex & Gubernator Regni appellatur.

Quæ potestas, Sacro Principi delata est, quia sicut cura divinorum ad eum in provincia sua principaliter spectat, ita & regimen Politicum. Tum quia suspicio affectati imperij in initiatos sacris Ordinibus minimè cadere potest.

Imò & in absentia Regis convocare Ordines potest. *Cromerus in libro de Republica & Magistratibus Polonorum,* Sic SIGISMVNDO III. Rege Poloniæ in Sueciam profecto, ob rumorem belli Turcici in Ungaria excitati, ac pro auxilijs cùm ab Imperatore Rudolpho interpellati essent Proceres, Stanislaus Carncovius Archiepiscopus Gnesnensis, Conventum Varsaviæ Proceribus indixit & celebravit. *Teste Piasecio in Chronica sua fol: 140.* vbi tamen subiungit, quòd absente Rege, cùm de summa rei decernere non possent, nec pacem cum Turcis stabilitam auxilijs Cæsari dandis infringi tutum Reipublicæ fore judicarent, Cæsaris Nuntio illud solum responderunt, quòd exercitus Regni cum Duce Zamoyscio Cancellario, Tartaros, ne in Vngariam transirent, distinere deberet. *Idem refert & Stanislaus Lubienscius, in profectione Sigismundi III. in Sueciam fol: 12.*

Sic Regnante SIGISMVNDO seniore, absente à Regno, & in Lithuania degente Petrus Gamratus Archiepiscopus Gnesnensis Petricoviæ Comitijs Regni præsidebat, Senatusconsulta faciebat, Constitutiones publicabat.

Is idem Gamratus præsente eodem Rege, sed ægrotante, in aula sua Archiepiscopali sæpe præsidebat Senatui.

SIC SIGISMVNDO AVGVSTO regnante, eodem modo apud Nicolaum Dźierzgovium Archiepiscopum Gnesnensem, aliquoties publicè consultatum est.

Sic Ioannes Wężyk Archiepiscopus Gnesnensis, cùm VLADISLAVS IV. Rex electus febriculâ distentus, ad diem Coronationis præfixam non veniret, absoluto sacro in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi pro Comitijs feliciter inchoandis ad Curiam arcis Senatoriam descen-



descendit, consilio publico Senatorum & Nuntiorum præfuit, *vt videre licet apud Piasecium in sua Chronica sub Anno 1633. statim à principio fol: 545,*

Imò vivente Rege, si Rex contra jura aliquid committat, potest Regi se opponere, Ordines ad consilium convocare, de quo videatur Constitutio *Anni 1609. fol: 888. tit:* **Deklaracya Artykułu/** & Nos supra diximus. Exempla vide *apud Stanislaum Łubienski in monitis de gerendo Episcopatu fol: 295,*

Sic & Matthias Łubienski Archiepiscopus Gnesnensis, ad instantiam multorum Procerum Regni, præcipuè autem Stanislai Lubomierski ¦ Palatini Cracoviensis, VLADISLAO IV. Regi, quòd bellum in Turcas, inconsultâ Republicâ agitaret, obstitit, & primò per epistolam expostulavit, postea Varsaviæ Regem adijt, tandem in Comitijs generalibus *Anno D. 1646. fol: 1.* ad petitionem Ordinum svaviter monuit, persuasitq;, vt ab incepto proposito desisteret, exercitumq; partim ex Polonis, partim ex Germanis collectum exauctoraret & dimitteret. *vide Piasecium in Chronica fol: 605.*

Sic Ioannes Wężyk Archiepiscopus Gnesnensis, matrimonium VLADISLAO IV. Regi, cum Filia Friderici Palatini Rheni hæretica acerrimè dissuasit, de quo matrimonio ineundo, vide diversos sensus Senatorum *in Chronica Piasecij fol: 572. & fol: 574. & sequ:*

De potestate & authoritate Archiepiscopi Gnesnensis, sub tempus Interregni quanta sit, sat fusè in Confœderationibus supra positis diximus, ad quas benignum Lectorem remitto.

Jllud non prætereo, quòd in præsentia Archiepiscopi Gnesnensis verba iniuriosa proferens, pœnam trium marcarum; vulnerans autem aliquem, vel saltem gladium evaginans, quatuordecem marcarum subit. Ita CASIMIRVS Rex *Vislicia Anno D. 1368.* statuit. Nec illud omitto, quòd Ecclesiam Gnesnensem Martinus Archiepiscopus *Anno 1097. primâ Maij* consecravit *teste Długosso fol: 305. tomo 1.*

TITVLVS VIGESIMVS

De Archiepiscopo Leopoliensi.



ANno D. 1361. CASIMIRVS Magnus Rex Poloniæ missis Avinionem ad VRBANVM Quintum Pontificem Maximum INNOCENTII Successorem Oratoribus, impetravit, vt in Russia Cathedra Metropolitica institueretur, Primusq; Archiepisco-

episcopus Leopoliensis fuit Cristinus homo Equestris Ordinis, quã-quam non memoratur, cuius generis fuerit, à Gnesnensi Archiepiscopo præsente Rege consecratus, *vt refert Cromerus in Chronica sua libro duodecimo, fol: apud me 314.*

Deinde libro 28. fol: 623. subiungit. Ad principium huius anni id est 1477. Gregorius *A*rchiepiscopus Leopoliensis, Vir in studijs humanitatis, & bonarum literarum non mediocriter versatus, cùm sanus apud *R*ohatinum degeret in cubiculo pronus, distensis manibus, mortuus repertus est. Post quem plùs quàm duobus annis Vrbs illa caruit Archiepiscopo.

Libro autem decimo septimo fol: apud me 402. is idem Cromerus Archiepiscopum Russiæ, non Leopoliensem, sed Haliciensem vocat. *Vide eundem & libro 14. fol: 330. cum sequenti,* vbi dicit Leopoli fuisse Episcopatum & Haliciæ Archiepiscopatum, & postea Leopolim translatum esse.

Hinc disceptatio est inter Doctores, an Ecclesia Leopoliensis fuit statim à principio Archiepiscopatûs, Metropolitana? an autem Haliciensis? Iacobus *S*crobissevius, Canonicus Leopoliensis, in vitis Archiepiscoporum Leopoliensium firmiter per Bullas Summorum Pontificum, & alia instrumenta deducit: quòd CASIMIRVS Magnus Rex Poloniæ, Metropolim fundavit Haliciæ, successu verò temporis, VLADISLAVS JAGELLO pientissimus Princeps sedem *A*rchiepiscopalem Leopolim transtulit; vti ad locum tutiorem, nec tam crebris hostium insultibus obnoxium; vnde cum accessione Archiepiscopalis dignitatis Civitas hæc novum splendorem induere cæpit. Prælatos, Canonicos fundavit & dotavit. *A*d quem curiosum Lectorem remitto.

*S*uffraganei seu Episcopi huius *A*rchiepiscopi sunt. Luceoriensis, qui antea vocabatur Vlodimiriensis, Præmisliensis, Chełmensis, Kijoviensis, Camenecensis, erat & Cerenensis in Moldavia, in cuius locum Bacoviensis successit. *Ita Scrobissevius loco citato, vbi etiam fol: 9. refert.* Episcopatum Haliciensem translatum fuisse Cameneciam. Similiter *fol: 13.* dicit Leopolim & Lemburgam antiquitus idem fuisse. Leopolim verò ideo esse dictam, quia à Leone Russiæ Duce condita fuit, *teste Kochowski libro 1. Annalium fol: 81.* & ante eum *Cromer: lib: 10. ab initio fol: 247.* Episcopatum Vlodimiriensem & Præmisliensem LVDOVICVS Rex fundavit, *teste Cromero lib: 14. fol: 330. ad finem,* quem videre licet.

*A*b Episcopis Russiæ, vel eorum Officialibus, appellatio est,



ad Archiepiscopum Leopoliensem, ab *Archiepiscopo* autem Leopoliensi ad Archiepiscopum Gnesnensem, vti ad Legatum Natum, prout in dicta Bulla LEONIS X. superiùs allata expressum est. Sed hodie statim recurritur ad Nuntium *Apostolicum* Varsaviam, ob vicinitatem loci, & alias ob causas.

Archiepiscopo Leopoliensi, & eius Suffraganeis Episcopis Russiæ permissum est, propter tenuitatem proventuum eorundem Episcopatuum, vt in supplementum, beneficia alia, vti *Præposituras* vel Abbatias possint à Rege impetrare, & illa possidere, ex illisq; proventus percipere, prout in Constitutione *Anni D. 1633. fol:* 28. sub tit: *Incompatibilia* habetur: vbi & Episcopo *Samogitiæ* & Vëdensi idem concessum est. Sic & respectu residentiæ penes latus Regium, concessum est illis certum salarium, quod aliis Episcopis Regni denegatum est, vt supra sub tit: de *Senatoribus* diximus.

Archiepiscopus Leopoliensis & eius Episcopi *Suffraganei*, tenentur ad Synodum Provincialem Gnesnensem venire, vel si legitimè impediti fuerint, Nuntios suos mittere. Ita manifestè & expressè colligitur ex Synodo Provinciali Gnesnensi Gembiciana *fol:* 2. & Wężykoviana secunda *fol: 1. cum sequ:*

Hic annectere placuit, quòd Joannes Długossus Historicus *Polonus* primò fuit Canonicus Cracoviensis, deinde ad Archiepiscopatum Leopoliensem ob præclaram suam virtutem & animi dotes, destinatus fuit *Anno D. 1480.* sed morte præventus & Archiepiscopatum non adijt, & historiæ suæ finem imposuit. *Ita Cromerus lib: 29. historiæ suæ fol:. 633.*

TITVLVS VIGESIMVS PRIMVS

De Episcopo Cracoviensi.

ECclesia Cathedralis Cracoviensis, statim à principio, Archiepiscopum habuit. Huncq; Archiepiscopatum vnà cū Gnesnensi Miecislaus Princeps Poloniæ, & primus Religionis Catholicæ Romanæ propagator circa *Annum Domini 996.* fundavit. *Cromer: libro 2. historiæ fol: apud me 47. & Stanislaus Łubieński in vitis Episcoporum Płocensium, f. 314. dum inquit*: Duo erant ab initio susceptæ Religionis in Polonia fundati Archiepiscopi, Gnesnensis & Cracoviensis, ille quidem (hoc est Gnesnensis) nunquā intermissā eā dignitate ad Nostra vsq; tempora per tot Successores, quos prope septingenti anni continuò suppeditārunt, retinet

ſedem & præëminentiam Metropoliticam; hic verò (hoc eſt Cracoviensis) cùm eâdem etiam ab initio dignitate fulgeret, ſeptem *Archiepiſcopos* ſibi invicem ſuccedentes habuit, quorum vltimus fuit Aäron ex *Abbate* Tinecenſi, per CASIMIRVM I. Monachum ad Archiepiſcopatum Cracovienſem promotus, & à GREGORIO VI. *Romano* Pontifice, *Anno Chriſti milleſimo quadrageſimo ſexto* confirmatus. Eius ſucceſſor Lambertus Zula primus non petito à *Summo* Pontifice LEONE novo pallio, dignitate Epiſcopali contentus fuit. Huic cùm *Stanislaus* Epiſcopus, vitæ ſanctitate & coronâ Martyrij Orbi Chriſtiano notus, electione liberâ ſubrogatus eſſet, nec ille ob eximiam animi ſubmiſſionem intermiſſo ab Anteceſſore ſuo titulo ſplendeſcere voluit. *hucuſq; Łubieński.* Sed ante eos idem ſcripſit *Długoſſus tomo 1, libro 2. hiſtoriæ ſuæ fol: apud me 91. cuius verba ſunt: Anno D. 996.* Rudimenta fidei ſuſceptæ nuper & initiatæ Miecislaus qui & Mieſzko Polonorum Princeps poſt ſacros ſuſcepti Baptiſmatis latices, aucturus, apud cæleſtem Regem ſuorum meritorum cumulum & fulgorem ſui diffuſurus Principatûs in ſoliditatem perfecti operis, cæteris Principibus nihil omnino inferior eſſe, ad ſacrorum locorum dotationem, miniſtrorumq; Dei inſtitutionem, fideli & devotâ Conſorte Ducíſsa Dambrowka ſuapte Religioſorum & ferventi devotione refertum animum mariti & Principis ſui inſtigante, omnem curam & cogitationem ſuam convertit; & primùm quidem in locis magis celebribus, Gneſnæ videlicet & Cracoviæ duas fundat Metropoles: Gneſnenſem videlicet in titulum & honorem excellentiſſimi Dei, & Eius Genitricis Virginis *MARIÆ*, à qua plenitudo totius ſalutis & gratiæ manavit: Cracovienſem verò ad inſtantiſſimas preces Conſortis ſuæ Dambrowka in titulum *Sancti* Venceslai novi eo tempore Martyris, cuius eadem Dambrowká Ducíſsa germana erat neptis Et quamvis in natione Slavonica primus martyrio & ſanctitate inſigni refulſiſſet, Gneſnen: tamen ſuperiorem eſſe voluit, & apud illā decus principale conſiſtere; Cracovien: verò ſecundam. Itaq; Eccleſia Cracovienſis præripuit Gneſnen: ne eſſet vna; Gneſnen: verò præripuit Cracovien: ne eſſet prima. Pro quarum honore Metropolitico, ſeptem alias Eccleſias, videlicet Poſnanienſem, *Smogorzovienſem*, quæ nunc Vratislavienſis, Kruſuicenſem quæ nunc Vladislavienſis, Płocenſem, Culmenſem, Lubecenſem & Camenecenſem fundavit. Quas ſeptem Eccleſias jure Metropolitico Gneſnenſi & Cracovienſi Metropolibus voluit eſſe ſubiectas. Duæ autem *Suffraganeæ* quas nominavimus,

mus, Smogorzovien: & Crusuicien: propter locorum transmutationem, etiam titulos suos variare coactæ sunt. *Smogorzoviensis* enim primùm in Byczynam Oppidum Districtûs Brzegiensis, sed propter vberiorem situm tandem Wratislaviam translata est, & vltimi loci sortita est appellationem: Crusuiciensis verò propter sollicitudinem loci, in quo primùm fundata erat, Vladislaviam meruit transferri: cæteræ Ecclesiæ Cathedrales, & loca & nomina originaria retinent in hunc diem. Smogorzoviensem seu Vratislaviensem *S.* Ioanni Baptistæ, *principatum post intemeratam Virginē inter omnes Sanctos retinenti.* Posnaniensem *S*anctis duobus præcipuis Apostolis Petro & *P*aulo: Crusuiciensem seu Vladislaviensem *S*anctæ Mariæ Virgini: Płocensem *S.* Sigismundo Regi & Martyri: Culmensem *S.* Cruci, Cameneçensem *S.* Ioanni Baptistæ: Lubecensem S. Ioanni Evangelistæ in titulos erexit, & in honorem eorum Basilicas præfatas dedicari disposuit. *hucusq; Długossus.*

Tandem *fol: 93.* subiunxit: Ægidius Episcopus Tusculanus Cardinalis Poloniam à *S*ummo Pontifice Ioanne III. missus, singulos Episcopatus Poloniæ, videlicet biduas Metropoles Gnesnensem & Cracoviensem: Item Posnaniensem, Vratislaviensem, Vladislaviensem, Płocensem, Chełmensem (forsan voluit scribere Culmensem,) Lubecensem & Camenecensem Cathedrales Ecclesias confirmavit, & singulis Diœcesibus terminos posuit & distinxit, de quo etsi singulæ Ecclesiæ eiusdem Ægidij Cardinalis & Legati privilegia & literas habuissent, singularum tamen Ecclesiarum singulæ literæ, aut parùm solerti cura custoditæ, amissæ sunt, aut frequentibus, cùm tunc in Polonia non frequentes forent muri, periêre incendijs. *Hucusq; Długossus.*

Hinc Basko Custos Posnaniensis non audiendus est, scribens. quòd Episcopi Cracovienses à principio fuerint, & demum tempore Casimiri Monachi *Anno D. 1046,* Aäronem Abbatem Tinecensem natione Gallum à Benedicto Papa IX. primum Archiepiscopum Cracoviensem renuntiatum esse; eam verò prærogativâ Lābertum Zulam vocatum, Aäronis proximum *S*uccessorem, quòd in tempore, pro sacro dignitatis Archiepiscopalis Pallio non misisset, hoc decus *A*rchiepiscopale, Ecclesiæ Cracoviensi amisisse. *Sed Długossus tomo 1. lib: 3. fol: 212. cum sequ:* aliter scripsit. *P*ost mortem Rachelini Archiepiscopi Cracoviensis Casimirum Regem *P*oloniæ à Benedicto *P*apa IX. dicto Aaroni Pallium Archiepiscopale impetrâsse, & hanc dignitatem in Lamberto ob incuriam &

negligentiam eius desijsse, tandem is idem *Długossus loco citato fol: 213.* subiunxit: justum & Reipublicæ Polonæ decorum & necessarium esse, vt illam dignitatem Metropoliticam aliquando benignitate Divinâ, & Regum Poloniæ, Gnesnen: quoq; & Cracovien: *Pontificum* operâ, resumat. Gnesnensi siquidem non tenuis splendor, sed amplior honor accederet, si potiùs non ad vnius Leopoliensis *Archiepiscopalis Ecclesiæ*, sed ad duarum, *Cracovien:* videlicet & Leopoliensis respectum, Primas vocaretur. Hæc vota Długossij. *Satagebat* restitutionem huius splendoris Metropolitici, Ivo *Episcopus* Cracoviensis apud GREGORIVM Papam IX. & obtinuerat, sed *Româ* discedens, febri correptus, cùm in pristinum Burgum devenisset, *die 21. Iulij Anno D. 1229.* mortuus est, & in Mutinensi maiore Ecclesia sepultus fuit, tandem ossa eius post aliquot spatium annorum per Fratres Ordinis *S.* Dominici domûs Cracoviensis, quam ipsemet Ivo fundaverat Mutinâ Cracoviam ad *Ecclesiam Sanctissimæ* Trinitatis allata sunt, & ibidem in medio chori, in sepulchro honorificè extructo recondita sunt. *teste Długosso lib: 6. historiæ suæ fol: apud me 575. & sequenti.* vbi etiam subiungit; quòd sumptibus istius Ivonis Episcopi, & sui testamenti Executorum solicitudine, cùm Ecclesia Cathedralis Cracoviensis plumbo tegeretur, operario negligentiùs ignem tractante, carbo ignitus ex foco, fortuitò decidit, & proxima laquearia arida reperiens facilè nocte incendit, vniversamq; Ecclesiam, roboratum ignem pluribus mortalibus necquicquam restinguere aut inhibere audentibus, exussit.

Is idem *Długossus tomo 1. libro 6. fol. apud me 530. refert:* quòd Fulco aliàs Pełka *Episcopus* Cracoviensis apud *Sedem Apostolicam* obtinuit, vt Episcopus Cracoviensis omnibus alijs *Episcopis* Poloniæ loco & voce prior sit, & primus Archiepiscopo Gnesnensi in consecrando, manum imponat. Hunc ab VRBANO Papa III. consecratum fuisse Veronæ, refert Benedictus à *S.* Ioseph *Scholarum* Piarum, in vitis Episcoporum Cracoviensium sub nomine illius *fol: apud me 101.*

Episcopus Cracoviensis est tredecem Civitatum Dominus, Ducatûs Severiensis *Supremus* Princeps. Capitulum eius triginta sex Prælatis & Canonicis constat. *Ita Starovolscius in descriptione Poloniæ fol: apud me 47.*

Mille octodecem Templa (inter quæ tredecem Ecclesiæ Collegiatæ numerantur) sub jurisdictione sua complectitur, Lublinensisq; Palatinatus eidem subest. *Starovolscius vbi supra fol: apud me 91.*

Abba-

Abbates habet. Tinecensem Ordinis S. Benedicti quinq; Civitatum, & centum villarum Dominum. *Starovolscius in descriptione Poloniæ fol: 67.* qui Abbas est etiam perpetuus Canonicus Cracoviensis, vt *Starovolscius fol: 68. ibidem.* (sicut in Cathedra Posnaniensi Abbas Lubinensis, Ordinis itidem *S.* Benedicti) Mogilnensem, *S*ciricensem, Andreoviensem, Ordinis Cisterciensium; *A*bbatem Sandacensem, Hebdoviensem Ordinis *P*ræmonstratensis; & Præpositum Miechoviensem.

Boleslaus Dux Poloniæ, veteri numero Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis Crac: sat angusto, ad viginti auxit, constituit & dotavit, quibus & Radosius Episc: Crac: decimas multas manipulares largitus est. Omnium tamen Canonicatuum & *P*ræbendarum tunc se, & Radostone Episc: Cracov: fundatarum & dotatarum collationem, & jus patronatûs voluit in perpetuum, circa Rodostonem Episcopum, & suos *S*uccessores Episcopos Cracovienses consistere. *Długosſus tomo 1. libro 4to. fol: 383.*

Primam tamen dignitatem post Episcopalem, sicut & in alijs Ecclesijs Cathedralibus Rex, ex indulgentia *S*ummorum Pontificum confert, reliquas regulariter Episcopus. *Crom: lib: 2. de Republica & Magistratibus Polonorum fol: 106. & fol: 118, scripsit.*

Collegium Psalteristarum in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi, dotatum esse ex salisfodinis á Vladislao Jagellone Rege Poloniæ refert *Cromerus libro decimo quinto historiæ suæ fol: 363.* De his etiam Psalteristis in Eccl: Cathedr: Crac: scripsit. *Starovolscius in descriptione Poloniæ fol. 47.* quòd in Ecclesia hac Cathedrali Crac: perpetuò cantetur, & nusquam silentium fiat, *S*acerdotibus in certas classes ob id dispositis, qui per totam noctem psallunt. Quod idem in Ecclesia B. M. Virginis in circulo Cracov: quæ *A*rchipresbyterum Infulatum habet, seruari, testatur is idem *Starovolscius vbi supra fol: 48.* quòd videlicet totis noctibus assiduò psalterium cantetur.

Vincentius Kádłubek Episcopus Cracoviensis, cùm Basilicæ Cracoviensi, cuius suppellex vniuersa, tacto de cælo ærario conflagrarât, multa contulisses, decimas quoq; nonnullas, collegio eiusdem Basilicæ in distributiones quotidianas, & in lucernam, quæ perpetuò in Templo arderet, addixit. *Crom: lib. 7. historiæ suæ f. 188.* vide & *Długosſū lib: 6. f. 552.* Hic *Długosſus quoq; lib: 6. historiæ suæ fol: 551,* sic de hoc Vincentio Episcopo Cracoviensi connotavit. *Anno D. 1215.* Nobilem & Jllustrem Cracoviensem Ecclesiam Vincentius Cracoviensis Episcopus, sui Pontificatûs tempore ampliùs illustraturus

Dddddd pro

pro habendis quotidianis refectionibus, vndecem decimas manipulares, & septem pecuniarias in villis circùm circa Ohcow oppidum sitis, ad mensam suam Episcopalem pertinentibus donatione perpetuâ contulit & donavit. Ex quarum introitibus in vino, luminaribus, cæterisq; suis necessitatibus procuratur Ecclesia Cracoviensis, & Prælatis Canonicisq; Ecclesiam ipsam frequentantibus distributiones frequentes ac quotidianæ largiuntur. Huic Ecclesiæ VLADISLAVS Magnus Rex Poloniæ, crucem insignem, quam Leopoli deportârat, cum inclusa portione ligni Crucis Christi testamento legavit, *teste Cromero libro duodecimo historiæ suæ ad finem f. 318.*

Hic idem VLADISLAVS Rex in arce Cracoviensi, duo Templa, quorum alterum S. Michaëlis alterum S. Georgij, nomine dedicatum. E conspectu verò eiusdem Arcis, Rupense Divi Stanislai cæde nobile, itemq; Prochodochium sive Hospitale Stradomiense condidit, *teste eodem Cromero vbi supra fol: 319.*

Est etiam Academiæ Cracoviensis Cancellarius, ex consensu & approbatione VRBANI V. Papæ, *vt refert Starovolscius in laude Academiæ Cracoviensis*, (nam antea erat Cancellarius Regni, vt colligitur ex privilegio studiosis Academiæ Cracoviensis infra posito) Creat Procancellarium ex primarijs Doctoribus Vniversitatis Cracoviensis ad promovendos Doctores nomine suo in Vniversitate Cracoviensi. Placuit mihi de hac Academia Cracoviensi (cuius Matris solius vbera suxi) aliqua adferre.

§

De Academia Cracoviensi.

ACademiæ Cracoviensis inceptum fuit opus Casimiriæ vicinæ Civitati Cracoviensi, à CASIMIRO II. Rege Poloniæ, Magno appellato, sed morte eiusdem intermissum. Invidêre ipsi fortassis fata hanc gloriam, vt integra solidaq; VLADISLAO JAGELLONI Regi Poloniæ maneret. *Cromerus in historia lib: 12. fol: 314.* Itaq; VLADISLAVS IAGELLO Privilegium erectionis edidit, quod Herburtus ex Bibliotheca Academiæ Cracoviensis desumptum, in Statuto suo Latino *sub verbo: Schola Cracoviensis, folio apud me 437* refert, & post eum, *Ianussovius itidem in Statuto parte 4. libri 2di f. 215.* Sed sufficientiùs ex libro Privilegiorum Authentico eiusdem Academiæ patet.

Lite-

Literæ Erectionis Academiæ Cracoviensis, ex Libro Privilegiorum authentico ejusdem Academiæ.

In Nomine Domini Amen. Ad rei memoriam sempiternã.

VLADISLAVS Dei gratiâ Rex Poloniæ, necnon Terrarum Cracoviæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiaviæ, Lithuaniæ Princeps supremus, Pomeraniæ, Russiæq; Dominus & Hæres &c.

SIgnificamus universis quibus expedit præsentibus & futuris præsentium notitiam habituris. Quòd cùm supernæ dispensationis provisio, cui consilia non communicant aliena Nos ineffabili dignatione de gentilitatis erroribus ad lucem, de tenebris ad sui nominis agnitionem eduxit misericorditer, & mirabiliter vocavit, ac tandem ad Regalis dignitatis fastigium & gloriæ solium licèt Nostris insufficientibus meritis gloriosiùs exaltavit. Ad hoc laboriosæ meditationis indagine propositorum Nostrorum studia dirigimus, curamq; Nostræ diligentiæ præstantiùs extendimus: vt quos olim in erroris vetusta caligine constituti socios tenebrarum habuimus, signanter Indigenas Terræ Nostræ Lithuaniæ, quos illo volente, qui cælestia simul & terrena dirigit ad assumptionẽ & integritatem fidei Catholicæ feliciter attulimus, per assuefactionem & exercitium piorum operum, sine quibus ipsa fides vacua fore noscitur & inanis, in lucis filios convertamus: horum tamen ope pariter & operâ, quorum animos candor æternæ lucis doctrinæ & sapientiæ plenitudine decoravit, in fundamentis videlicet, & profunditatibus scripturarum expertorum, quorum ex approbata prudentia consilijs altissimis Thronus roboratur Regius, & actibus virtuosis Reipublicæ stabilitas semper salubribus proficit incrementis. Sanè dulcescebat in auribus Nostris crebriùs Nobis repetita & diutiùs inculcata memoria illorum devotissimorum Principum, qui in suarum Provincijs Regionũ studia Gymnasiorum instaurabant, & vocatione gratuitâ doctarum personarum defectus & errores Patriarum suarum eliminare funditus & evellere satagebant, quorum exemplis clarissimis cor Nostrum & animus refloruit, ac ad executionem votorum piâ consideratione suscitatum cæpit medullitus aspirare. Videmus equidem, & certo certiùs experimur, qualiter Parisij per convocationem & congregationem peritorum & prudentum Franciam irradiãt & venustãt. Padua cum Bononia totam Italiam clarificat & exornat. Praga Boëmiam illuminat

& extollit. Almaniam Oxonia clarificat & fœcundat. Profectò ad hoc summi dispositione præsidij plurimarum gentium, & diffusarnm Regionũ obtinuimus Principatum, & Regni Poloniæ prædicti recepimus diadema, vt ipsum Regnum doctarum personarum studijs illustremus, quorum doctrinis ignorantiæ cæcitate sublatâ, de medio Regnum ipsum in tempore Nostri regiminis felicis, cæteris Regionibus possimus coæquari, non dubitantes id ipsum Regni Nostri subditis salubriter profuturum. In Civitate Nostrâ Cracoviensi locum, in quo studium vigeat Generale in qualibet licita facultate de voluntate, scientia, consensu specialiter, & indulto Sanctissimi in Christo Patris, & Domini D. Bonifacij, Divinâ provideutiâ Papæ IX. Sacrosanctæ Romanæ ac vniversalis Ecclesiæ Summi Ponitficis, ipsum studium benignè per suarum Bullarum largitionem, & concessionem confirmantis, vtpote in Theologica seu sácræ scripturæ juris Canonici, Physicæ, Legum, & artium Liberalium facultatibus, nominándum eligendum constituendum, ponendum & ordinandum, ac erigendum dignum duximus, & tenore præsentium facimus, & instituimus temporibus perpetuis duraturum. Sitq; ibi scientiarum prævalentium Margareta: vt viros producat consilij maturitate conspicuos, vtrtutum ornatibus redimitos, & variæ facultatis doctrinis eruditos, fiatq; illic fons doctrinarum irriguus, de cuius plenitudine hauriant vniversi, literalibus cupientes imbui documentis, eiusdem studij Generalis, quòd in prædicta Civitate Nostra Cracoviensi Deo propitio, ad decus honorem & gloriam Nostræ sacræ Coronæ Poloniæ sic, vt præfertur, fundavimus, & ereximus, & instituimus incrementa felicia desiderantes ampliare frequentiùs, & longinquarum Incolas Regionum ad ejus allicere cupientes accessum. Pro cuius quidē studij firmiori stabilimento ac dilatione, & vberiùs incrementum. Neophitarumq; prædictæ Lithaniæ, cæterarumq; gentium clariorem salutis illuminationem, vberemq; & perfectam præsertim ad fidei Catholicæ propagatiónem Nostræ humanitatis viribus assurgere, & aspirare præcordialiùs cupientes. Studium Generale prædictum Almœ Vniversitatis Cracoviensis infrascriptorum stipendijs, & incorporationibus beneficiorum ad Nostram, vtpote veri Patroni collationem, prœsentationemq; portinentium, singularem ad id gerentes pietatis affectum, prout ad hoc ex assumpto dignitatis officio noscimur obligari, de Nostra munificentia speciali prœhonorando, & benigniùs largiendo dignum duximus consolandum, vt de tanto suœ philaucia celsitudinis causâ, in exteras Nationes per floridam fructuum salutiferorum multiplicationem, & Magistrorum doctorum ac prœdicatorum creationem, & Cœlestis prolis

fœcun-

fœcundam generationem sparsim dilatare ac diffundere possit feliciter & valeat, quo se latoribus beneficiorum & refectionum curialitatibus, & munificentijs de Nostræ liberalitatis intimis senserit consolatum. Damus itaq; donamus, conferimus, adscribimus, adiungimus, & incorporamus perpetuis temporibus affutur: ejusdem Studij Generalis Cracoviensis Sacræ Theologiæ Professoribus, Doctoribus, & Magistris ac Vniversitati, Cancellarias Nostras Regales tres, duntaxat Terrarum Nostrarum videlicet Majoris Poloniæ, Łanciciensis, & Siradiensis, necnon jus-patronatûs omnium & singulorum beneficiorum, dignitatum, personatuum, Officiorum, Canonicatuum & Præbendarum Ecclesiæ S. Floriani in Suburbio Nostræ Civitatis Cracoviensis prædictæ, Præpositurâ, tum & Custodiâ ejusdem Ecclesiæ & duabus villis Nostris Regalibus quas ad præsens Honorabilis D. Sethegius Cantor Vislicensis & Cancellarius Siradiensis provisionatus Noster in hac parte de Nostra speciali gratia possidet, duntaxat exceptis, ita tamen; vt huiusmodi beneficijs assequendis ille Sacræ Theologiæ Professor, Doctor sive Magister, qui primus existat tempore, sit potior in jure, & qui onus diei & æstûs sentiendo pertulit, primus commodum, sic recipiat, & honorem, dummodo eidem promovendo cæteræ virtutes totæ ad assequendum huiusmodi beneficium latiùs suffragentur. Ipseq; Sacræ Theologiæ Professor, Doctor, sive Magister aliquod de ipsis assecutus beneficijs supradictis, tanquam memor accepti beneficij ad agendum gratias debitas Nobis & Successoribus Nostris perpetuò teneantur. Proviso, quòd quamvis in prioribus Nostris literis hæc clausula fuisset adiecta, quòd cum crescentibus inposterum temporibus memorati Sacræ Theologiæ Professores, Doctores & Magistri, in tantum de beneficijs supradictis, Cancellariatibus, dignitatibus, personatibus, Officijs, Canonicatibus & Præbendis assecuti fuerint, quod valor redituum huiusmodi beneficiorum assecutorum, & tunc pacificè per eosdem possessorum ad centum marcas & amplius se extenderit, extunc centum marcæ, de quibus eisdem Sacræ Theologæ Professoribus, Magistris & Doctoribus, aliàs juxta fundationem primariam studij supradicti per Nos provisum exstiterat, de quibus etiam centum marcis in alijs literis Nostris desuper datis clariùs expressum est, atq; tantùm ad Thesaurum Nostrum redire volumus integraliter & reverti. Eandem tamen clausulam eius, & omnia in ipsa contenta attendentes, quòd vergebat in Vniversitatis studij prædicti dispendium, exinanitionem, & elisionem omnimodam & totalem, habemus & haberi volumus pro infecta & infectis, ac ipsam & omnia in ipsa contenta revocamus, cassamus, annihilamus, & viribus penitus vacuamus, sim-

pliciter & absq; vlla limitatione præfatas centum marcas in Nostris primævæ fundationis literis contentas perpetuantes & perpetuis temporibus memoratis Professoribus Doctoribus & Magistris assignantes. Quas quidem centum marcas, vt præmittitur in dictis literis Nostris primævæ fundationis contentas simpliciter & prorsus omni conditione semotâ prælibatis Doctoribus, Professoribus & Magistris damus, donamus, inscribimus, ac perpetuò & irrevocabiliter assignamus prædictâ clausulâ penitus non obstante. Volumus insuper & omnino decernimus, quòd præfati Sacræ Theologiæ Professores, Doctores, & Magistri, postquam aliquod de beneficijs prædictis fuerint, vt præfertur, assecuti, more solito legere, & residentiam personalem facere in prædicta Vniversitate teneantur sub fide præstiti juramenti & privationis beneficiorum prædictorum, nisi infirmitate non fictâ præpediti, aut gravi senio confecti dignoscantur. Verùm quia artes sunt aliarum ministræ Facultatum. Volumus, vt primò centum marcæ ex vacatione beneficiorum occurrentes pro Magistris artium juxta priorum formam & modum divisionum principalius deriventur. Tandem Sacræ Theologiæ Professores, Doctores & Magistri cæteri, futurorum consolationes & vacationes beneficiorum stabiliter præstolentur, & vt omnia præmissa & singula perpetui roboris obtineant firmitatem, præsentes literas Nostras in fidem & testimonium præmissorum subscribi mandavimus, ac Nostri majoris sigilli pendentis munimine jussimus roborari. Datum in Nova Civitate alias Korczyn *Feriâ tertia infra Octavas Assumptionis S. Mariæ. Præsentibus Venerandis Patribus Dominis Nicolao Sanctæ Gnesnensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Petro Cracoviensi Episcopo, Vladislaviensiq; Ioanne de Tenczyn Castellano, Ioanne de Tarnow Palatino Cracoviensibus, Petro Kmitha Sandomiriensi, Chrisostomo de Ostrow Sandomiriensi, Clemente Visliciensi, Michaële de Bogumiłowice Lublinensi, Chrisosthomo & Coreglow Sandecensi. Nicolao de Michałow Woynicensi, Imramo Zavichostensi Castellanis. Zbigneo Mareschalco Curiæ Nostræ, Gniewosio Cracoviensi & Spytkone Kolczek Sandomirien: Succamerarijs, multisq; alijs Baronibus, Nostri consilij Nostris fidelibus. datum per manus Zadycze Cancellarij Aulæ Nostræ. Ad relationem Honorabilis Nicolai Præpositi Sancti Floriani Vice-Cancellarij Regni Poloniæ. Millesimo quadringentesimo primo.*

Confirmatio & Approbatio Papæ, Erectionis & Fundationis Academiæ Cracoviensis à Serenissimo Vladislao Iagellone factæ.

VRBA-

VRBANUS PAPA VLADISLAO Regi Poloniæ.

CVm nuper ad utilitatem Incolarum Regni Poloniæ, & aliarū partium vicinarum, laudabiliter intendens in Civitate Cracoviensi studium generale, in qualibet licita Facultate duxeris ordinandum, ac omnibus & singulis Rectoribus Universitatis Doctoribus, Magistris, Scriptoribus, stationarijs, & eorum familiaribus, ad Civitatem prædictam causâ studij huiusmodi se transferentibus, & ibi morantibus, nonnulla certa privilegia duxeris liberaliter concedenda, quæ dilecti filij Consules, Scabini, Iurati dictæ Civitatis, perpetuò tenere, & inviolabiliter observare promiserunt: prout tam in Tuis, quàm dictorū Consulum, Scabinorum, & Iuratorum patentibus literis, hinc inde confectis, Tuoq; magno, & ipsorum sigillis pendentibus munitis plenius continentur. Nosq; Tuis hac in parte supplicationibus inclinati, de Fratrum Nostrorum consilio per alias literas duxerimus statuendum, & etiam ordinandum: ut in dicta Civitate studium existat generale: illudq; perpetuis temporibus inibi vigeat: tam in Iuris Canonici & Civilis, quàm alia qualibet licita (præterquam in Theologica) Facultate, & quòd legentes & studentes ibidem, omnibus privilegijs, libertatibus & immunitatibus concessis Doctoribus, legentibus & studentibus commorantibus in studio generali, gaudeant & utantur. Ita Herburtus loco citato fol: 438. & Ianussovius fol: 216.

Confirmatio secunda.

URBANUS V. Episcopus, Servus Servorum Dei, Carissimo in Christo Filio CASIMIRO Regi Poloniæ Illustri salutem & Apostolicam benedictionem. Decet Regiam Celsitudinem non solùm ea, quæ per ipsam in favorem & utilitatem Reipublicæ liberaliter conceduntur observare, sed etiam illa gratiarum muneribus ampliare. Cùm itaq; nuper Tu ad utilitatem huiusmodi, necnon prosperitatem Incolarum Regni Tui Poloniæ, & aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens, Civitatem Tuam Cracoviensem eamq; insigniorem alijs Civitatibus dicti Regni & magis accommodam & idoneam, ut in ea vigeret Studium Generale in qualibet licita Facultate, duxeris ordinandam, ac omnibus & singulis Rectoribus Universitatis Doctoribus, Magistris, Scholaribus, Scriptoribus, Stationarijs, & Bedellis eorumq; familiaribus ad Civitatem prædictam causâ studij huiusmodi se transferentibus, & ibidem morantibus, nonnulla certa privilegia duxeris liberaliter concedenda, quæ dilecti Filij Consules, Scabini, & Iurati dictæ Civitatis

perpetuò tenere & inviolabiliter observare promiserunt, prout tam in Tuis, quàm dictorum Consulum, Scabinorum & Iuratorum patentibus literis inde confectis, Tuoq; magno & ipsorum sigillis in pendenti munitis plenius continetur. Nosq; deinde ad commodum & profectū Incolarum & Regni prædictorum Paternis affectibus anhelantes, Tuis in hac parte supplicationibus inclinati, de Fratrum Nostrorum consilio per alias Nostras literas duxerimus statuendum, ac etiam ordinandum, vt in dicta Civitate huiusmodi Studium existeret Generale, illudq; perpetuis temporibus inibi vigeret, tam in Iuris Canonici & Civilis, quàm alia qualibet licita, præterquam in Theologica Facultate, & quòd legentes & studentes ibidem omnibus privilegijs, libertatibus, & immunitatibus concessis Doctoribus legentibus & studentibus commorantibus in Studio Generali gaudeant & vtantur, quòdq; Episcopus Cracoviensis, qui pro tempore fuerit, vel si Ecclesia Cracoviensis Pastore carenat, Vicarius seu Officialis dilectorum Filiorum Capituli ipsius Ecclesiæ, promovendos in dicta Civitate ad Doctoratûs seu Magisterij honorem in illa Facultate, in qua fuerit examinatio facienda, juxta modum & consuetudinem in talibus observatos examinare studeat diligenter, eisq; si ad hoc sufficientes & idonei reperti fuerint docendi licentiam tribuat & honorem huiusmodi concedat, prout in dictis Nostris literis plenius continetur. Cupientes igitur vt tam Incolæ, quàm alij prædicti in eadem Civitate causâ huiusmodi studij moraturi vtilius prosperentur: volumus ac Serenitatem Tuam, quam votis Nostris conformem speramus & credimus, in hac parte rogamus & hortamur attentè, quatenus omnia & singula Privilegia huiusmodi per Te, vt præmittitur, concessa ratifices, & confirmes, & si expediens fuerit alia de novo Vniversitati, Doctoribus, & Magistris, Scholaribus & studentibus huiusmodi Regiâ liberalitate concedas, illaq; tam concessa, quàm concedenda studeas observare, & facias ab alijs, prout honori Tuo convenit inviolabiliter observari. Per hoc autem, articulum positum circa finem earundem literarum Tuarum, quo cavetur vt Cancellarius Tuus Cracoviensis qui foret pro tempore, approbandi examen privatum Scholarium in qualibet Facultate, quos per Doctores seu Magistros ad dictum examen more solito poni contingeret, supra illos tanquam supremus omnimodam haberet potestatem: volumus sub huiusmodi Tua concessione & confirmatione inde facienda aliquatenus includi: cùm hoc ad Nos duntaxat pertineat, qui examinationē & approbationem Scholarum huiusmodi fieri per dictum Episcopum, Vicarium seu Officialem duximus, vt præmittitur, ordinandum. Nulli ergo omnino hominū

liceat

liceat hanc paginam Nostræ voluntatis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Eius, se noverit incursurum. Datum Avinion: Idus Septembris, Pontificatûs Nostri Anno secundo, Anno D. 1364.

Confirmatio Studij Generalis cum designatione Cancellarij.

URBANUS V. Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In suprema dignitatis Apostolicæ specula licèt immeriti disponente Domino constituti, ad universas fidelium Regiones eorumq; profectus & commoda tamq; universalis Dominici gregis Pastor commissæ Nobis speculationis aciem, quantum Nobis ex alto permittitur extendentes, fidelibus ipsis ad quærenda literarum studia, per quæ Divini Nominis, suæq; Fidei Catholicæ cultus protenditur, justitia colitur, tam publica quàm privata res utiliter geritur, omnisq; prosperitas humanæ conditionis augetur, libenter favores grossos impendimus, & opportunæ commoditatis auxilia liberaliter impertimur. Cùm itaq; nuper pro parte Carissimi in Christo Filij Nostri CASIMIRI Regis Poloniæ Illustris Nobis fuit expositũ, quod Civitas sua Cracov: quæ in Regno suo Poloniæ cõsistit & insignior est alijs Civitatib⁹ dicti Regni Poloniæ à Studijs Generalib⁹ nimiũ distare noscatur, & propterea Iurisperitorũ & literatarum personarũ copia in eodẽ Regno minimè habeatur, multiq; ex Clericis Nobilib⁹ dicti Regni eundo ad Studia Generalia huiusmodi capti, alij verò in captivitate detenti morti traditi fuerũt. Nos præmissa, ac etiã eximiam fidei puritatem quantã ipse Rex & Progenitores Sui Poloniæ Reges, quàm eiusdẽ Regni Incolæ ad Sanctam Romanam Ecclesiã gessisse, prout ipse Rex & Incolæ gerere dignoscuntur, attentè considerantes, ferventi desiderio ducimur, quòd Regnum ipsum scientiarum muneribus amplietur, fiatq; literarum fertilitate fœcundum, ut Viros producat consilij maturitate conspicuos, virtutum redimitos ornatibus, ac diversarum Facultatum dogmatibus eruditos, sitq; ibi scientiarum fons irriguus, de cuius plenitudine hauriant universi, literarum cupientes imbui documentis. His igitur omnibus, & præsertim idoneitate dictæ Civitatis, (quæ ad multiplicanda doctrinæ semina & germina salutaria producenda magis congrua & accõmoda inter alias Civitates dicti Regni fore dicitur,) diligenti examinatione pensatâ, ad obviandum damnis & periculis verisimiliter proventuris ex distantia Studiorum huiusmodi Incolis dicti Regni volentibus acquirere scientiæ margaritam, &

& non solùm ad ipsorum, sed etiam aliarum Regionum circumiacẽtium Incolarum commodum & profectum Paternis affectibus anhelantes, dicti Regis in hac parte supplicationibus acclinati, de Fratrum Nostrorum consilio, authoritate Apostolicâ statuimus, & etiam ordinamus, vt in dicta Civitate Cracoviensi de cætero sit Studium Generale, illudq́ perpetuis temporibus inibi vigeat, tam in Iuris Canonici & Civilis quàm alia qualibet licita (præterquam in Theologica) facultate, & quòd legentes & studentes ibidem omnibus, privilegijs, libertatibus, & immunitatibus concessis Doctoribus legentibus & studentibus commorantibus in Studio Generali, gaudeant & vtantur, quòdq́ illi, qui processu temporis in illa Facultate, in qua fuerint exercitati, sibi licentiam, vt alios erudire valeant, ac Doctoratûs seu Magisterij honorem elargiri petierint; per Doctores seu Doctorem ac Magistros seu Magistrum illius Facultatis in qua examinatio fuerit facienda, Episcopo Cracoviensi, qui pro tempore fuerit, vel Ecclesiâ Cracoviensi Pastore carente, Vicario seu Officiali dilectorum Filiorum Capituli ipsius Ecclesiæ, præsententur. Idemq́ Episcopus, aut Vicarius seu Officialis Cracoviensis, Doctoribus & Magistris in eadem Facultate actu inibi legentibus convocatis, illos in his quæ circa promovendos ad Doctoratûs seu Magisterij honorem requiruntur, per se vel per alium, juxta consuetudinẽ & modum, qui super talibus in Generalibus Studijs observatur, examinare studeat diligenter, eisq́ si ad hoc sufficientes & idonei reperti fuerint, huiusmodi licentiã tribuat & Doctoratûs ac Magisterij conferat honorem. Illi verò, qui in eodem studio dictæ Civitatis examinati ac probati fuerint, ac docendi licentiam & honorem hujusmodi obtinuerint; vt est dictum, extunc absq́ examine, & approbatione alia legendi & docendi, tam in Civitate prædicta, quàm singulis alijs Generalibus Studijs in quibus voluerint legere, vel docere, statutis & consuetudinibus quibuscunq́ contrarijs Apostolicâ vel quâcunq́ firmitate aliâ vallatis nequaquam obstantibus, plenam & liberam habeant facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ ordinationis, constitutionis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ejus, se noverit incursurum. Datum Avinion: Calend. Septembris Pontificatûs Nostri Anno secundo, Anno D. 1364.

Sed cùm VRBANVS Papa prælectionem Theologiæ vetâsset, is idem VLADISLAVS IAGELLO supplicavit Summo Pontifici Romano vt & hanc prælectionem dignaretur admittere; vnde BONIFACIVS Papa

Papa eandem concessit, vt testãtur Herburtus, & Ianussovius locis citatis, & referunt tenore sequenti.

BONIFACIUS Theologiam concedit.

EXhibita Nobis nuper pro parte Regis VLADISLAI, & Reginæ petitio continebat: vt in eorum Civitate Cracoviensi ex statuto & ordinatione Sedis Apostolicæ, ab olim fuerit, & sit in vtroq; Iure, & alia qualibet licita Facultate, Studium Generale. Itaq; pro parte ipsius Regis ac Reginæ prædictorum, Nobis iterum fuit supplicatum; vt in Civitate prædicta statueremus & ordinaremus huiusmodi Studium generale, etiam in ipsa Theologia: idcirco statuimus & ordinamus: quòd in ipsa exnunc & semper, perpetuis futuris temporibus sit & esse valeat, etiam in eadem Theologia, huiusmodi Studium Generale: & nihilominus de vlterioris dono gratiæ concedimus: quòd studentes, & legentes pro tempore, in ipso studio, in eadem Theologia, Baccalaureatûs licentiæ, vel Doctoratûs gradum suscipientes, omnibus privilegijs, libertatibus, prærogativis, & indulgentijs gaudeant & vtantur, quibus in eadem Theologia, studentes, legentes, & similes gradus Parisijs *suscipientes gaudent, ac etiam quomodolibet potiuntur.* Ita Herburtus & Ianussovius locis citatis referunt.

UNIVERSITAS CRACOVIENSIS,

Serenissimorum Regum Poloniæ dilecta Filia

Et Schola Generalis Regni primæva sola.

D. VLADISLAI JAGELLONIS

Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lithuaniæ,

Fundatoris, in eandem Vniversitatem

Amoris monumentum.

Beatissime Pater Domine Benignissime.

POstquam Divinâ providentiâ gratiam Baptismi, & Regni mei Poloniæ *recepi diadema, quotidie meditatus sum, quomodo, qualiter-vè huius talenti mysterium, quo me, nullis meis meritis, sed immensâ pietatis suæ clementiâ, humilem dignatus visitare Altissimus, lucrifacerem: ne cum illo maledictis deputarer opprobrijs, qui præstiti sibi munus talenti absq; lucro restituit. tandem suasu Divini consilij ductus*

& Spiritûs Sancti, qui docet omnem scientiam, afflatus gratiâ, vt ipsâ præsente, Neophitos meos Lithuanos, qui in tenebris ignorantiæ, & in vmbra mortis sedentes, adhuc tunc vacillantes in fide, veluti cæci erraverunt, ad fidei plenæ cognitionem adducerem: & nihilominus in subditis meis Regni Poloniæ Indigenis, quorum mihi semper grata existit promotio salubriter proficerem, de diversis locis studiorum Doctores, Magistros & Scholares Facultatum, ad hanc Almam Civitatem meam Cracoviensem, quæ est locus insignior, & nidus Regni mei, ac Regalis Domicilij reclinatorium, cum sumptibus & expensis non paucis convocavi, auctoritateq; Sanctæ Sedis Apostolicæ, Prælatis meis opem mihi præstantibus, Studium institui Generale, & dotavi. Crescente autem eo & proficiente, D. Ioannes bonæ memoriæ olim Papa XXIII. in sua obedientia nominatus, volens, vt magis ac magis proficeret, & in tempore augeretur, de speciali gratia sua, & ad mearum petitionum devotarum instantiam, sibi certa beneficia in Ecclesia Civitatis Cracoviensis deputavit & incorporavit. Postquam verò B.V. ad apicem summi Apostolatûs, favente DEO est assumpta, etiam meis petitionibus intervenientibus præfati Domini Ioannis B. V. Prædecessoris, ratificando voluntatem, incorporationem beneficiorum ritè, dignè, & rationabiliter confirmavit. Sed antequam de Cancellaria B. V. Literas Incorporationis & Confirmationis, eadem B. V. expedire potuisset, multis & varijs fidei Catholicæ præpediti negotijs, & in ipsius propagatione velut Athletæ dignissimi, adversùs perniciosissimos Viclefitas & Hussitas, Fidei Orthodoxæ perversores, quorum spurcities & errores jam in Regno meo irrepserant, conflictu duro scripturarum dimicantes, prout confutatos, in conspectu magnæ multitudinis Populorum, & confusos, licèt callidissimis resisterent argumentis, publicè reliquerunt. Quidam Petrus de Regno meo famâ & conditione humilis, communi bono invidens, & quæstui proprio duntaxat intendens, huiusmodi Literas in Cancellaria B. V. prædicta arestari procuravit, per quod præfata Vniversitas, & ipsius suppositâ, patiuntur multa incommoda, & multis molestijs proinde affliguntur: nec ad confutationem Hæreticorum, quorum adhuc timentur in Terris meis, & vicinis locis latentes insidiæ, litium, & controversiarum vexati anfractibus, ingenia possunt priori perspicaciâ elevare. Et quia huiusmodi Vniversitatem, velut Filiam meam, piâ dilectione prosequor, & amplector purâ fide, velut Matrem, cuius dolori compatior, & cum ipsa coaffligor, nec magis in ipsius, quàm in meis dispendijs contabesco, cuius iniuriam, velut propriam & ampliùs, cogit me

defen-

defendere, illa fidei, quâ sibi innixus sum, necessitas, imò in ipsius offensa reputo meam læsam esse Regiam Majestatem. *Quapropter supplico B.V. dignetur huiusmodi Incorporationis Literas, ab Aresto huiusmodi relaxare, & dicto Petro, perpetuum imponere silentium, quòdq; Literæ B.V. dearestatæ perinde valeant, acsi fuissent tempore debito, & juxta Regulam Cancellariæ expeditæ, eadem Regula, & alijs Regulis, eiusdem Cancellariæ, non obstantibus quibuscunq;, ne ipsius pertinax importunitas, in dedecus dictæ Vniversitatis, & damnum, imò meum, adversum me prævalere videatur.* Si enim interventu meorum non movet supplex devotio, saltem Vniversitatis prædictæ Professorum obtineat petitio, *quos nedum huius rei æstimatione, sed & majorum donorum concessione, tanta solicitudo, quam in pugna illa Hæreticorum, pro salute Ecclesiæ, & fidei portaverunt augmẽto, fecit dignos. Hanc autem materiam, Honorabilis Derslaus, R. Ecclesiæ in Szydłow Decretorum Baccalaureus, dilectus, & devotus prosẽquetur, & coram B. V. exponet. Quem B.V. dignetur habere misericorditer recommissum, & in his, quæ ex parte dictæ Vniversitatis Cracoviensis, imò mea B.V. retulerit, fidem plenam, perfectam, & indubitatam adhibere, & paternè, intuitu devotionis meæ exaudire. Quam conservet feliciter Altissimus, in longitudine dierum, pro regimine Ecclesiæ suæ Sanctæ, & consolatione mea speciali Spirituali. Datum in Lubaw.*

Copia hæc literarum, ex parte D. VLADISLAI IAGELLONIS Regis Poloniæ, in facto Incorporationis quorundam beneficiorum, pro Vniversitate Cracoviensi, missarum Romam: per Dominum Derslaum Borzynowski, ex libro cui titulus est: Regestrum R. P, Zbignei olim Cardinalis & Episcopi Cracoviensis, diversas literas Regum Poloniæ, & aliquas Ecclesias Pontificales, continens, manu scripto, charactere antiquo, excerpta.

Placet hîc etiam adferre Incorporationem Præposituræ Sancti Floriani Academiæ Cracoviensi, tenoris sequentis.

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam.

SIGISMVNDUS III. Rex Poloniæ, Magnus Dux Lith. Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæq;, necnon Regni Sueciæ proximus Hæres & futurus Rex.

Significamus præsentibus literis Nostris quorum interest universis &

singulis. Quòd cùm Academiam Cracoviensem ac omnes, qui in ea honestissima studia tum profitentur, tum discunt, singulari benevolentiâ Nostrâ complectamur, tum verò aduitendum etiam Nobis esse intelligimus, vt eam ipsam ac qui in ea nomina dederunt & præcipuo patrocinio tueamur & benignitate foveamus, & deniq; munificentiâ liberalitateq; conservemus. Est enim Nostri officij, & monumentis hoc DD. Decessorum Nostrorum, è quibus sanguinem duximus, perpetuâ curâ tueri & conservare, & verò rectissimè in eo operam beneficẽtiamq; Nos esse collocaturos videmus, ex quo summa in Rempub: ornamenta reduudant. Ea enim nullâ re splendet magis & efflorescit, quàm Civium virtute, & doctrinâ: vtrumq; autem hoc ex illa præclara & virtutis & sapientiæ officina promanat. Nam qui animum liberalem & ingenuum honestissimis disciplinis à prima ætate imbuit & expolivit, is deinceps & humanitate quâdam singulari & summâ constantiâ officium in vita colit, & ad virtutem veramq; gloriam studio fertur incitato, & multâ variarum rerum cognitione Reipub: omni illius tempore præclarè deservit. Tales itaq; Cives cùm permultos superioribus temporibus Academia Cracoviensis ediderit, atq; etiamnum fœcundo partu procreët, omnibus & Nostris & Reipub: beneficijs vicissim jure optimo est benignissima. Idem cùm DD. Decessores Nostri Reges, SIGISMVNDVS AVGVSTVS Avunculus, & STEPHANVS, cui ita DEO volente successimus, animadverterent, quo viris in Academia illa magno suo labore, magno publico commodo docentibus, qui in ea difficili laboriosaq; Provincia pertenuibus instructi reditibus, inimica omnibus præclaris conatibus inopia in eo curriculo docendi retardantur, aliquid subsidij constituerent: Præposituram S. Floriani in Suburbio Cracoviensi Clepardia omnesq; illius fructus ad Vniversitatis illius corpus adiungendam, ac illi cum omnibus fructibus perpetuò tradendam censuerunt, eamq; rem vterq; diplomatibus authenticis confirmârunt. Quocirca Nos non tantũ Prædecessorum Nostrorũ exemplum sequuti; verùm etiam Nostrâ sponte ac ipsorum etiam Nuntiorum Terrestrium impulsu per Generosum Martinum Chełmski Vexilliferum Cracoviensem, ac ex illo Palatinatu Nuntium, eam istius Præposituræ S. Floriani incorporationem, auctoritate hac totius Reipub: ex consensu tum Nuntiorum Terrestrium, tum universi Senatûs, nostrâq; certâ voluntate profecta, approbandam, confirmandam, ratificandamq; hisce literis Nostris putavimus. Ac in vim rei perpetuæ & immutabilis vigore huius Conventûs approbamus, confirmamus & ratificamus, & eandem incorporationem ijsdem omnibus punctis, clausulis & conditionibus

bus quibus à DD. Decessoribus Nostris fuit instituta, integram & inviolatam perpetuò volumus permanere. In cuius rei fidem, præsentes manu Nostrâ subscriptas sigillo Regni Nostri consignari jussimus. Datum Varsaviæ in Conventione Regni Generali, die duodecimâ mensis Aprilis, Anno D. Millesimo quingentesimo nonagesimo. Regni verò Nostri Anno Tertio. Præsentibus Illustrissimis, Reverendissimis, Illustribus, Magnificis, Generosis ac Venerabilibus, Stanislao Karnkowski Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato & Regni Primate. Hieronymo à Rożdrazew Vladislaviensi & Pomeraniæ, Bernardo Maciejowski Luceoriensi, Alberto Baranowski Præmisliensi & Regni Nostri Vicecancel: Laurentio Goslicki Chełmensi, Iosepho Wereszczynski Kijoviensi, Dei gratiâ Episcopis & cæteris.

Privilegium respectu Nobilitatis, Doctoribus Academiæ Cracoviensis, à SIGISMVNDO Rege Poloniæ datum, ex Bibliotheca Academiæ Cracov: desumptum.

SIGISMVNDVS Dei gratiâ, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæq; Dominus & Hæres.

Significamus tenore præsentium quibus expedit universis. Quia grata habentes Vniversitatis Scholæ Nostræ Cracoviensis merita, quibus Regnum Nostrum in dies magis ac magis illustratur, cùm honestis literarum studijs ab ejusdem Gymnasij Nostri Doctoribus Iuventus erudita, tam ad pacis, quàm ad belli maturescit consilium, indeq; prodeunt cultûs Divini & Reipublicæ huius acerrimi defensores & propugnatores; & populus Nostro Regimini à Majestate Divina subiectus ad laudem Dei Omnipotentis, Ecclesiæ incrementum, Patriæ charissimæ decus & gloriam, sublata de medio ignorantiæ civitate, in omni doctrina & scientia eruditus cernitur: vt tanta hæc huius Scholæ erga Nos Regnumq; Nostrum merita non maneant irremunerata, Serenis: VLADISLAI IAGELLONIS Avi & Antecessoris Nostri Regis gloriosissimi vestigijs inhærentes, omnes Doctores Studij præfati, Sacram Theologiam, Ius Canonicum, Medicinam, Leges, aliasq; honestas scientias & artes liberales, profitentes, novis favoribus & gratijs augere volumus: quò eos ad vlterius de Nobis Regnoq; Nostro benemerendi studium tali benevolentiæ Nostræ testificatione accendamus. Proprio itaq; motu Nostro, præfata merita attendentes, quæ unicuiq; secundùm ju-

ſtitiam pari gratiâ remunerari debemus, de Prælatorum, Baronumq; Noſtrorum conſilio & aſſenſu, præſenti hoc Noſtro diplomate ſtatuimus, perpetuis deinceps temporibus, & in ævum ab omnibus cuiuſcunq; ſtatûs, conditionis, hominibus inviolabiliter obſervandum. Quod Doctores præfati & Profeſſores actu legentes, etiamſi non ex Nobilibus Regni Poloniæ Indigenis Parentibus progeniti fuerint, ad quaſvis in Regno Dominijſq; Noſtris dignitates, tanquam emeriti valeant aſcendere, nulliuſq; omnino dignitatis, muneris, vel officj tam Spiritualis, quàm Sæcularis, Senatorij & Equeſtris exiſtant inhabiles. Satiùs enim eſt, geſtis proprijs florere, quàm Maiorum opinione vti: nec maior Nobilitas eſt, eâ, quæ proprijs virtutibus comparatur. Bona quævis Terreſtria valeant acquirere & poſſidere; ac omnibus libertatibus, honoribus & Privilegijs, quibus Nobiles Regni Noſtri Indigenæ gaudent, ipſi quoq; gaudeant & fruantur. Quod etiam ad eos omnes extendimus, qui Scholæ præfatæ Rectoris Generalis ordinatione, ad Eccleſias, vel in alijs locis quibuſvis in Regno, ſcientias prælegunt, aut eaſdem quovis alio modo exercent & tractant. Et quoniam Romani Imperij legibus ſtatutum eſt, Doctores per viginti annos publicæ lectioni in Vniverſitatibus operam dantes jus nobilitatis non ſolùm in perſonam ſuam acquirere, verùm etiam ad Succeſſores ſuos legitimos in perpetuum transfundere: laudabilem hanc legem Nos quoq; Scholæ Cracovienſi in Regno dominijſq; Noſtris in perpetuum concedimus, & Regiâ munificentiâ Noſtrâ largimur. Statuimus, vt omnes Doctores & Profeſſores, qui in hoc Noſtro Regio Gymnaſio per viginti annos continuæ lectioni, publicè operam dederint, ad prolem quoq; ſuam ex legitimo matrimonio conceptam, omne jus prærogatiuæ & dignitatis Nobilitatis transfundant. Sitq; dicta Proles, cum ſuis legitimis deſcendentibus vtriuſq; ſexûs capax in æuum in Regno Dominijſq; Noſtris, omnium dignitatum, Libertatum & Prærogatiuarũ, tam Spiritualium, quàm temporalium Statum Equeſtrem concernentiũ, valeantq; accedere ad quoſvis Regni Noſtri honores, munia & officia. Bona quævis Terreſtria poſſint acquirere & acquiſita ſine quavis anguſtia, quocunq; vocabulo cenſeantur poſſidere, ſiue in eadem Schola in loco Patrum ſuorum permanſerint, ſive alio ſemet tranſtulerint, more aliorum Regni Noſtri Nobilium viuentes. Expeditionem tamen bellicam vnà cum alijs Nobilibus Regni Noſtri, ſi Profeſſores actu legentes non fuerint, ex poſſeſſionibus ſuis obire tenebuntur, more aliorum Nobilium, ſervientes juxta Regni Noſtri Statuta. Quæ quidem omnia & ſingula de plenitudine Regalis Noſtræ poteſtatis, præfatæ Scholæ Noſtræ

Craco-

Cracoviensi, eiusq; Doctoribus & Professoribus damus, donamus, & concedimus perpetuò & in ævum. Quod omni meliori modo esse volumus, ac defectus omnes, si qui in eadem donatione statutoq; Nostro fuerint, authoritate Nostrâ Regiâ supplemus. Non obstantibus quibuscunq; in contrarium præfatorum, quibus hisce Nostris, acsi eisdem inserta essent, pro hac parte derogamus. Per hanc autem donationem Nostram & Statutum, non intendimus derogare quidquam antiquis Prædecessorum Nostrorum Regum Poloniæ, & Nostris eidem Vniversitati concessis quomodocunq; privilegijs, imò eadem præsentibus, acsi hisce inserta essēt, approbamus, ratificamus & innovamus. Nulli ergo omnium hominum cuiuscunq; statûs, gradûs, & dignitatis fuerint, liceat vnquam præsentis Nostræ donationis statutiq; decreto & privilegio in aliquo contravenire, vel de eodem in contrarium judicare: quodsi attentatum aliquid fuerit, totum inane & irritum esse declaramus. Pro Serenissimis autem Successoribus Nostris Poloniæ Regibus promittimus: quòd ipsi hoc privilegium Nostrum in omnibus & singulis punctis manutenebunt, nec vnquam eidem publicè & privatim contravenire permittent, quinimo seriò in eiusmodi contraventores animadvertent, & contraventiones eiusmodi prout injustas & iniquas cassabunt & annihilabunt. In quorum omnium & singulorum fidem, robur, ac testimonium, præsentes manu Nostrâ subscripsimus, ac easdem sigillo Nostro communiri mandavimus. Datum Cracoviæ, feriâ quartâ in crastino S. Laurentij Martyris. Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto, Regni Nostri Anno vigesimo nono. Relatio Reverendissimi in Christo Patris Domini Petri Episcopi Cracoviensis, & Regni Poloniæ Vicecancellarij. Quarum quidem literarum Originale ijdem offerentes, illico ab Officio præsenti, receperunt.

PRIVILEGIA à VLADISLAO IAGELLONE
Studiosis Academiæ Cracoviensis concessa.

VLADISLAVS IAGELLO *Rex Poloniæ &c. Vniversis & singulis, Clericis, Laicis, & Scholaribus, cuiuscunq; ordinis, conditionis, & statûs existant & signanter Rectoribus Vniversitatis, Doctoribus, Magistris graduatis, Baccalaureis, Studentibus, Scriptoribus, Stationarijs ac Bedellis, ac eorum familiaribus quibuscunq;, qui se gratiâ studij in Civitatem prædictam Cracoviensem contulerint, & ibidem moram traxerint, articulos conscriptos in præsenti chyrographo con-*

tentos, irrefragabililiter tenere promittimus, & servare. Quos etiam favoribus gratiosis prosequi volumus: ipsosq; & eorum quemlibet in suis juribus, privilegijs, libertatibus, immunitatibus, statutis, gratijs, & consuetudinibus singulis, quæ in Studijs Generalibus tenentur & servantur, servare, tenere, defendereq; volumus ac tueri. Omnesq; & singulos Clericos, Scholares, Studentes, Laicos ad præfatam Civitatē Cracoviensem causâ studiorum (vt præmittitur) temporibus futuris accedentes, in accessu ad eam, & recessu ab ipsa, cum omnibus eorum rebus, scilicet equis, libris, vestimentis, lectisternijs, vtensilibus, pecunijs, & supellectilibus, ab omnibus damnationibus, solutionibus, passilibus, pontialibus, castris, custodijs, gabellis, pedagijs, pedalibus, decimis & oneribus, quocunq; nomine censeantur, ex certa Nostra sciētia eximimus, ac authoritate Regiâ liberamus: volentes; quòd à prædictis Scholaribus seu studentibus, qui sibi per seipsos, per amicos, aut per quascunq; personas promissiones facere voluerint, in esculentis, ac poculentis, ac victualibus, ad vsum vitæ spectantibus, in bladis, frumentis, farina, braseo, cerevisia tertiali, & quacunq; alia, vino, & alijs potionibus, lignis, & alijs necessarijs, per aliquas Terras, quas Regni, & Dominiorum Nostrorum complectitur amplitudo, nulla penitus telonea, & dationes requirantur, seu decimæ: nec eos lanigenæ, pistores, & molendinatores aggravent, & perturbent; ab ipsis Scholaribus & Studentibus, pro macellis, molendinis, & pistrinis, plus quàm à Civibus, & Incolis Civitatis Cracoviensis, exigere & extorquere præsumant.

Ne autem sub habitu & nomine studentium, à mercatoribus, vel alijs fraus in præmissis valeat exerceri: volumus in hac parte vt juxta qualitatem personarum, juramento ipsorum credatur, si à ducentibus provisiones huiusmodi meritò visum fuerit exigendum, vt testimonia literalia Rectoris Vniversitatis Studij supradicti ab ipsis recipiantur, quibus in hac causa fidem ab omnibus volumus plenariam adhiberi.

Præterea, si aliquis Studentium aut Scholarium ad Civitatem Cracoviensem ratione studij proficiscens, in Terris Regni Nostri per prædones vel maleficos spoliatus, prædatus, aut damnificatus fuerit, in rebus, vel bonis suis quibuscunq; publicè vel occultè: cum plena & totali diligentia operam apponemus, & apponi faciemus, vt prædicti malefici & prædones per Officiales Regni Nostri inquirantur: & ablata eorundem Scholarium & studentium ab eis repetantur: per ipsosq; Officiales Nostros tales malefici, pro possibilitate corrigantur.

Et vt

Et vt ordo debitus, & rigor ordinatus in Studio Generali Cracoviensi per Scholares jugiter observetur: volumus, vt omnes Scholares & studentes Cracoviam accedentes, ibidem causâ studiorum moraturi proprium Rectorem habeant, qui in Civilibus causis ipsos doceat, judicet, habeatq; jurisdictionem ordinariam super omnes, cui sub onere juramenti, debitam obedientiam præstare, & honorem exhibere teneantur. Nec vllus vnquam in eisdem Civilibus causis studentes & Scholares Vniversitatis Cracoviensis, cuiuscunq; statûs & conditionis fuerint, alibi coram Iudice alieno Ecclesiastico vel sæculari audeat convenire. A sententia autem Rectoris prædicti nullus appellare valeat, vel supplicare, aut restitutionem in integrum petere. Et si appellatum fuerit, ipsius appellatio non suscipiatur; nec appellans per aliquem Iudicem Ecclesiasticum, vel Sæcularem audiatur, sed Rectoris sententia, in suis clausulis inviolabiliter observetur. Verùmtamen si de nullitate, vel iniustitia argueretur, eadem Rectoris sententia, per Consiliarios Vniversitatis, de ipsius juribus & justitia cognoscatur: & quod iuridicum fuerit, per ipsos in ea decernatur.

Insuper Rector prædictus, Scholares & studentes suos, in causis criminalibus levioribus, vtpote pro capillatione, offensioneq; cum palmo vel pugno ad effusionem sanguinis, & contentione aliqua non enormi iudicet: nec ab hoc ipsi Scholares & studentes, vel eorum familiares atq; servi ad extranea Iudicia evocentur & trahantur. Si autem (quod DEVS auferat) Studens, Scholaris vel alius prædictorũ in furto, adulterio, stupro, homicidio, aut aliquo crimine capitali & ignominioso, notariè fuerit deprehensus, illorum cognitio non debet ad Rectorem pertinere: sed statim criminaliter deprehensus Scholaris, si Clericus fuerit, ad Episcopale Iudicium remittatur, si verò Laicus, Nostro Iudicio subiacebit. Et jam quilibet Scholaris Laicus, Bedellus, Stationarius, aut ipsorum familiaris, si de crimine homicidij, incendij, adulterij, membrorum mutilationis, aut lethali vulnere, vel quocunq; nefario excessu fuerit accusatus: extunc non secundùm consuetudinem Patriæ aut Regni Nostri, nec secundùm statuta ipsius, sed juxta leges, per Nos ad Iudicem deputatum, criminaliter accusatus, debebit judicari: quinimo per proborum hominum attestationes ad expurgationem illati criminis admittatur.

Porro: si aliquis Scholaris vel studens, aut quicunq; prædictorum pro quocunq; crimine, excessiuè, magno sive parvo, fuerit inculpatus: nullus ipsum capere vel retinere audeat, nisi cum Rectoris familia, & de ipsius requisitione speciali.

Item si Rector contra aliquem de sua jurisdictione justè processerit, & secundùm formam statutorum, ipsum de Vniversitate excluserit, studiorumq; commodis privaverit: ad requisitionem ipsius Rectoris talis privatus, de Civitate vtraq; tam Cracoviensi, quàm Casimiriensi, & alijs de novo locandis & Cracoviæ & Casimiriæ in posterum adiungendis, per Advocatos, Cives, & Incolas earundem protinus expellatur, nullusq; talem in suo hospitio aut mansione seu domicilio audeat colligere, & fovere: vel in necessarijs vitæ victu & amictu, aliquid ministrare.

Si autem Scholaris, vel studens, vel alius de prædictis, sententiæ vel mandato Rectoris non paruerit, & Rectori suo contumax fuerit & rebellis: ad requisitionem ejusdem Rectoris, teneantur Advocati & Consules Civitatum prædictarum, eorum familiam mittere, ad dicti rebellis pertinaciam compescendam.

Hæc autem statuta, in præsentibus literis contenta, sub pœna decem marcarum grossorum Pragensium, quæ fisco Scholarium debent applicari, statuimus firmiter observanda. quâ pœnâ statutorum præscriptorum & subscriptorum, punire volumus transgressores.

Statuimus etiam, vt quotiescunq; aliquos Scholares, in qualibet facultate per Doctores seu Magistros, ad privatum examen more consueto poni contigerit, super illos Cancellarius Noster, qui eo tempore fuerit, tanquam supremus, approbandi ipsum examen omnimodam potestatem habebit.

Item ordinamus prædictis Scholaribus vnum Campsorem vel Iudæum in Civitate Cracoviensi, qui habebit sufficientem pecuniam ad mutuãdum ipsis, super bonis oppignorandis, qui de vsura non plus exiget, nisi vnum grossum de marca qualibet, infra mensem.

Demum statuta, per Doctores & Magistros Vniversitatis prædictæ Cracoviensis condenda, quæ hic non poterunt contineri, quæ in aliorum Studiorum Vniversitatibus juxta possibilitatem servari poterint, volumus pro ipsorum studio confirmare.

Et vt Doctores, Magistri, Licentiati, Baccalaurei, studentesq; Vniversitatis Cracoviensis prædictæ, earum Lecturas, exercitia, & actus doctrinarum, liberiùs & magis commodè valeant & possint exercere: pro habitatione Magistrorum & pro quotidiano, & communi congressu studentium & Scholarium, Vniversitatis Studij prædicti Cracoviensis, Domum Nostram quæ Stephani Páncyrz fuerat & vocabatur, quam & Gersdoff olim Civis Cracouiensis habebat in platea S. Annæ sitam, prout in eius latitudine, longitudineq; & amplitudine

est

est limitata & distincta, decrevimus assignandam: ipsam ab omnibus solutionibus, tributis, exactionibus, judicijs, juribus, consuetudinibus, impositione onerum & angariarum liberantes, quam Vniversitati prædictæ appropriamus, incorporamus, adiungimus perpetuò, & in ævum, nihil juris in ea & dominij, pro Nobis & Successoribus Nostris reservantes; quam eisdem juribus libertatibus & gratijs, & signanter in libertate fugitivorum, & alijs quibus DEO dicatæ fruuntur Ecclesiæ, uti, frui volumus, & gaudere, per ipsos Doctores, Magistros, & Collegiatos, tenendam, habendam & temporibus perpetuis possidendam. Cæterùm pro maiori stabilimento Studij Generalis Cracoviensis prænotati; dignum fore arbitrantes, hos qui labores & onera sufferũt non repelli à mercede: Doctoribus & Magistris, ac Collegiatis Studij eiusdem Cracoviensis, qui fundamenta doctrinarum in eodem studio debent erigere, & lecturis ac informationibus ipsorum studentes instruere, & fovere, de centum marcis numeri Polonicalis ratione salarij anno quolibet animadvertimus assignan: quas eis in teloneo Nostro Cracoviensi deputamus, per ipsos à Telonearijs qui pro tempore fuerint, singulis quatuor temporibus anni cuiuslibet, per viginti quinq; marcas tollendas & levandas, quas ad requisitionem & quietationes ipsorum Telonearij sine omni excusatione & negligentia perpetuò solvere tenebuntur. Si autem Telonearij prædicti in solutione earundem pecuniarum negligentes fuerint, vel remissi, tunc Doctores & Magistri prædicti auxilium Capitanei, vel Nostri locum tenen: primò & secundò debent requirere ad exigendas pecunias memoratas; & si requisitio huiusmodi ipsis non fuerit profutura, tunc jure suo Spirituali per sententias Excommunicationum, aggravationum, & interdicti ab ipsis Telonearijs easdem pecunias memoratas, licitè poterint extorquere. Verùm; quia parum prodest libertates concedere, nisi qui eas tueatur & conservet, habeatur. Pro quo Studium prædictum Cracoviense in juribus, libertatibus, & statutis efficaciùs conservare cupientes, Episcopum Cracoviensem qui pro tempore fuerit, omnium & singularum libertatum, immunitatum, exemptionum, & statutorum Studij supradicti conservatorem constituimus, eiq; damus plenam & liberam potestatem ipsum conservandi & tuendi, libertatesq; eius exequendi ac in rebelles & malefactores Studij & studentium prædictorum pœnas, quas virtute præsentium, vel etiam secundùm leges, Canones, seu Statuta locorum meruerint, exigente ipsorum maleficio & contumaciâ, præviâ ratione declarandi. Qui etiam Episcopus cum Rectore Vniversitatis pecunias & salarium pro Magistris & Doctoribus distribuendi,

& commoda in Collegio dividendi, juxta exigentiam status & meriti cuiuslibet plenam & omnimodam habebit facultatem. Si quis autem has nostræ Erectionis Studij, concessionemq́; pro ipso libertatum & exemptionum ac jurium literas de Successoribus Nostris aut quibuscunq́; alijs violare & infringere præsumpserit, iram vindicem districti Iudicis & miserabilis infelicitatis horrendum & inopinatum eventum noverit se incursurum. Et vt hæc scripta in suo robore permaneant, & per Successores Nostros firmiter teneantur, præsentes Nostræ Majestatis sigillo fecimus communiri. Actum Cracoviæ feriâ secundâ proximâ post diem S. Iacobi Apostoli, Anno D. Millesimo quadringentesimo. Præsentibus his Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis, Petro de Radolina Cracovien, Nicolao de Kurow Vladislaviensi, & Alberto Posnaniensi Episcopis. Validisq́; Ioanne de Tęczyn Castellano Cracoviensi, Ioanne de Tarnow Sandomiriensi, Ioanne Ligęza Łancicien: Iacobo de Koniecpole Siradiensi, Sandzivogio Calissiensi, Matthiâ Gneucovien. & Creslao Brestensi Palatinis. Chrysostomo Sandomir: Chrisostomo Sandecen: Petro Kmitha Lublinen: & Imramo Zavichostien: Castellanis, multisq́; alijs Nostris fidelibus, fide dignis. Datum per manus Venerabilis in Christo Patris Domini Nicolai de Kurow Episcopi Vladislavien: prædicti. & validi militis Clementis de Moskorzow Regni Poloniæ Vicecancellarij, formatum autem per Nicolaum de Sandomirz Cracovien: & Sandomirien: Ecclesiarum Canonicum Aulæ Nostræ Notarium. Ad relationem D. Nicolai de Kurow Episcopi Vladislaviensis, & Clementis de Moskorzow Regni Poloniæ Vice-Cancellerij.

In hac pia intentione multùm juvit VLADISLAVM IAGELLONEM Serenissima HEDVIGIS prima Vxor illius, LVDOVICI Regis Hungariæ & Poloniæ Filia, CASIMIRI Magni Regis Poloniæ Neptis. Nam, vt refert *Cromerus libro decimo quinto* historiæ suæ ad finem, moriens, quidquid habuit reliquum in supellectili, partim egenis dilargiendum, partim ad excitandam Cracoviæ & consumandam Academiam, quam CASIMIRVS Magnus Casimiriæ inchoaverat, legavit, nuncupatis Executoribus vltimæ voluntatis suæ Petro Episcopo (Wysz ille fuit) & Ioanne Tęncinio Castellano Cracov:

Is idem *Cromerus ab initio libri 16.* historiæ suæ hæc de eadem pientissima Regina scripsit: Per hæc ferme tempora Academia Cracoviensis, ex testamento Heduigis Reginæ, & cumulatiore liberalitate Regis condita est: duæ Domus, sive duo Collegia excitata, alterum Philosophis & Theologis, in platea quæ Iudæorum tunc fuit,

fuit, nunc S. Annæ nomine nuncupatur: alterum Iure-consultis, quà ex vrbe ad Arcem itur. Accitiq; Magistri & Doctores omnis generis è Pragensi Academia; censusq; his in perpetuum attributi à Rege, ex salinis & teloneo; & adiuncta omnia Sacerdotia apud Ecclesiam Divi Floriani, præter Præposituram, vt vocant. Auctior deinceps ea ipsa Academia, & locupletior multorum & maximè Doctorum ipsorum beneficentiâ, reddita; magnopere quodam tempore studijs Dialecticis, Mathematicis, Philosophicis atq; Theologicis effloruit. *Hæc Cromerus.*

Dictus Petrus Wysz Episcopus Cracoviensis, in præsentia omnium, primam in Iure Canonico Lectionem prælegit, stupente Orbe ad tam magnifica Cracoviensis Academiæ initia, vt Episcopos etiam haberet Professores. *Ita P. Benedictus à S. Ioseph, Scholarum Piarum, in vita eiusdem Petri Wyß.*

Prædicto privilegio Vladislai Iagellonis studentibus Academiæ Cracoviensis dato & concesso, *Herburtus fol: 444. & Ianussovius fol: 221.* locis citatis adjunxerunt Privilegium Friderici I. (cognomento Ænobarbius) Imperatoris Romani, Scholaribus generaliter dato, *& in Authen: Cod. Ne Filius pro Patre, vel Pater pro filio conveniantur &c.* descripto, tenoris sequentis,

Omnibus, qui causa studiorum peregrinantur Scholaribus, & maximèDivinarum atq; sacrarum Legum Professoribus, hoc Nostræ pietatis beneficium indulgemus: vt ad loca, in quibus literarum exercentur studia, tam ipsi, quàm eorum nuntij veniant, & in eis securè habitent, dignum namq; existimamus: vt cùm omnes bona facientes, Nostram laudem & protectionem omni modo mereantur, quorum scientiâ totus illuminatur mundus, & ad obediendum DEO, & Nobis Eius ministris, vita subiectorum informatur, quâdam speciali dilectione eos ab omni iniuria defendamus. Quis enim eorum non misereatur? qui amore scientiæ exules facti, de divitibus pauperes, semetipsos exinaniunt; vitam suam multis periculis exponunt; vt à vilissimis sæpe hominibus (quod graviter ferendum est) corporales iniurias, sine causa perferant. Hac igitur generali & in perpetuum valitura lege decernimus: vt nullus de cætero tam audax inveniatur, qui aliquam Scholaribus iniuriam inferre præsumat; nec ob alterius cuiuscunq; Provinciæ delictum, sive debitum (quod aliquando ex perversa consuetudine factum audivimus) aliquod damnum eis inferat. Sciturìs huiusmodi sacræ Constitutionis temeratoribus, & etiam ipsis locorum Rectoribus,

qui hoc vindicare neglexerint, restitutionem rerum ablatarum ab omnibus exigendam in quadruplum, notaq; infamiæ, eis ipso jure irrogandæ, dignitate suâ se carituros in perpetuum. Verùm tamen, si litem eis quispiam super aliquo negotio movere voluerit, huius rei optione datâ *Scholaribus*, eos coram Domino vel Magistro suo, vel ipsius Civitatis Episcopo, quibus hanc jurisdictionem dedimus, conveniat. Qui verò ad alium Iudicem eos trahere tentaverit, etiamsi causa iustissima fuerit, à tali conamine cadat. hic oritur.

Quæstio: an Scholares alij in *Polonia*, gaudeant privilegio dato & concesso à Seren: VLADISLAO IAGELLONE Rege Poloniæ Scholaribus Academiæ Cracoviensis?

Andreas Lipski in Centuria observationum, observatione quartâ affirmat. Ratio ipsius est, quia æquitatis ratio id suadet, vt ad Scholares omnes, ea quæ in favorem ipsorum prolata sunt, producantur, idq; propter commodum Reipublicæ, quod ex doctrina & scientia *Scholarium* proficisci solet. Vulgati enim juris est; quòd vbi Legis ratio cessat, eò lex producenda sit. *per tex: in L. Ex facto, 3. ff. de vulgari & pupillari institutione, & in L. omni 13. ff. de Adoptionibus*, ita ex adverso, vbi eadem ratio, idem jus statuendum esse monet. *tex. in L. finali C. ad Legem Falcidiam*. Atqui, cùm eâdem esse rationem Academiæ Cracoviensis, quæ & aliorum locorũ est, in quibus bonæ literæ exercentur, nemo dubitare possit, meritò etiam eodem jure omnia huiusmodi loca gaudere debent. Ita argumentatur Lipski loco citato.

Pro contraria opinione negativa facit. *Primò*. Quia privilegia sunt stricti juris, vnde strictè, & prout sonant, accipienda, *cap. Porro de Privilegijs:* Nec privilegium vni concessum, potest ad alium extendi, propter identitatem rationis, vel licèt in alio, vel par, vel maior est ratio. *Vallensis in explicatione decretalium lib: 5. tit. 33.* hoc est: *de Privilegijs § 1. num. 2. per cap: Sanè, 9. de Privilegijs per cap: Quod alicui. de Regulis Iuris in 6.* Similiter nec ad alia loca, vel res, quàm quæ privilegij tenore exprimuntur, extenditur: *Vallensis ibidem per cap: Porro 7. de privilegijs*, facit *& tex: in cap. Quod nonnullis cap, Quidam. eodem tit.*

Secundò, quia in dubijs servanda est intentio dantis privilegium. *tex: in cap. Ex multiplici 3 de decimis & in cap. Inspicimus de Regulis Iuris in 6.* dicitur. Inspicimus in obscuris, quòd est verisimilius. sed verisimilius est, quòd VLADISLAVS IAGELLO dando hocce privilegium studentibus in Academia Cracoviensi, & eorum familiaribus,

ribus, non habuerit intentionem concedere communicativum jus istius privilegii studentibus in alijs locis, ex quo, speciali ratione eandem Academiam Cracoviensem adamaverat, appellando illam in eodem privilegio, Filiam, & Matrem suam.

Hinc Herburtus & Ianussovius vbi supra, compilatores Statutorum Regni, non sine ratione, allato privilegio VLADISLAI IAGELLONIS dato studentibus in Academia Cracoviensi, eorumq; familiaribus, statim subjunxerunt privilegium FRIDERICI I. Imperatoris Romani, datum generaliter omnibus Scholaribus vbicunq; studia tractantibus, acsi vellent insinuare Studiosos Academiæ Cracoviensis debere gaudere privilegio VLADISLAI IAGELLONIS, Scholares autem aliorum locorum privilegio generaliter *S*cholaribus concesso. Et hæc posterior opinio videtur mihi verior, & Iuri magis consona.

Jllud optimè subiunxit Lipski loco citato num. 9. Quòd hæc privilegia non competant eis, quorum nomina ob aliquod delictũ, deleta sunt ex *A*lbo seu Metrica Studiosorum, argumento tex: in cap: Ex literis de Constitutionibus.

Item Iis qui vagantur, nec audiunt publicas lectiones, *Argumẽto L. Qui sub prætextu. Codice de Sacrosanctis Ecclesijs, & L. vnica. Cod. de Collegiat: lib. 11. & in L. 1. Cod. de Tyronibus. Hinc Herburt: vbi supra fol: 441. Ianussovius fol: 224.* scripserunt. Scholares vagos, eos scilicet, qui Scholam dereliquerint, remisseq; & licentiosè vixerint, ex Civitatibus & Oppidis esse propellendos. *vide de hoc infra ex Constit: Provincialibus Gnesnensibus.*

Item, qui ab Vniversitate quinquennio abfuerint. *per L. 2. & 3. Cod: de Commeat. lib: 12.*

Item, qui Præceptores suos, re vel verbo offendunt, quos non minùs quàm Parentes honorare debent, & ideo tales infames fiunt, *per tex in can. Plerumq; 27. § Infames 2. Quæs: 7. & in Can. Infames, 6. Quæs: 1.* Hæc ex Statutis Regni, nunc descendo ad ipsasmet Constitutiones Regni, quid in illis statutum & ordinatum fuerit, de ista Alma Academia Cracouiensi.

Et imprimis in Constit: Anni Domini 1562. fol: 30. tit: O Szkolách/ sub SIGISMVNDO AVGVSTO Rege habetur: vt Schola Cracoviensis, Posnaniensis, Pultoviensis reformentur, & in bonum ordinem, per Jllustrissimos Dominos Episcopos, & Dominum Rectorem Academiæ Cracoviensis redigantur.

Item Anno D. 1590. fol: 588. Regnante SIGISMVNDO III Re-

ge Poloniarum *sub tit:* **Jnkorporácya** Incorporationem Præpoſituræ Eccleſiæ S. Floriani à piæ memoriæ SIGISMVNDO AVGVSTO Avunculo Noſtro, & STEPHANO Regibus, CollegioCracovienſi factam, authoritate Comitiorum modernorum, de vnanimi conſenſu Ordinum omnium confirmamus. Iuſpatronatûs quod ad Nos pertinebat perpetuis temporibus, in idem Collegium Cracovienſe tranſfundimus.

Item Anno D. 1613. fol. 9. tit: **Akádemia Krákowſka/** regnante eodem Sereniſſimo Rege SIGISMVNDO III. habetur. Quamvis Academia Cracovienſis bene jure firmata ſit, juxta fundationem piæ memoriæ Sereniſſimorum Regum Poloniæ, tamen illam & præſenti Conſtitutione ſtabilimus, omnia privilegia huic Academiæ data, prærogativas, & ornamenta in toto approbando, & in vſu antiquo integraliter conſervando.

Item in Conſtitutione Anni 1633. fol: 26. regnante Sereniſſimo Rege VLADISLAO IV. ſic ſtatutum eſt: Quandoquidem Iuſpatronatûs Academiæ Cracovienſis ad totam Rempub: ſpectat, & certa decreta Rotæ Romanæ in cauſa, inter Almam Academiam Cracovienſem, & Patres *Societatis* Ieſu, reſpectu erectionis & fundationis Scholarum interceſſerunt. Ideo Nos ſicut in Pactis Noſtris Nos obligavimus, procurando pacificationem iſtius Academiæ, ad *Summū* Pontificem Nos interponemus; vt causâ in integrum reſtitutâ, ad deciſionem Noſtram, & totius Reipub: cauſam hanc remittere dignetur, vbi & Iuſpatronatûs Reipublicæ, & jura Academiæ in toto conſervare promittimus, quæ illi tam à piæ memoriæ VLADISLAO IAGELLONE Rege, & ab alijs Anteceſſoribus Noſtris data & conceſſa, & inter alia iſtius Reipublicæ jura, in volumen legum inſerta ſunt, tam in toto, quàm in parte approbabimus.

Tandem in Conſtitutione Anni 1635. fol. 11. ſub tit: **Akádemia Krákowſka/** regnante eodem Potentiſſimo & feliciſſimo Rege VLADISLAO IV. ſic ſtatutum eſt: Confirmando omnia jura Academiæ Cracovienſis, juxta Conſtitutionē felicis Coronationis Noſtræ, & declarationem *Summi Pontificis*, *Scholas* omnes in genere à Patribus Societatis Ieſu, cum præpedimento eiuſdem Academiæ apertas occludimus, & in poſterum aperiantur, aut aliæ quocunq; prætextu erigantur perpetuis temporibus, abſq; conſenſu omnium Ordinum, in Civitate Noſtra principali Cracovienſi, & Civitatibus eidem adjacentibus, Caſimiria, Stradomia, Clepardia, cavemus. Monaſteriorum tamen privatis illorum ſtudijs pro

ſolis

solis eorum Religiosis secundùm usum & consuetudinem, non praeiudicamus; & praeterea jus Illustrissimorum Dominorum Episcoporum juxta Statutum, ad attendendum Ordini eiusdem Academiae Cracoviensis, totaliter conservamus.

Alia autem omnia Collegia Societatis Iesu, tam in Regno; quàm in Magno Ducatu Lithuaniae, & in Provincijs ad Regnum, & Magnum Ducatum Lith: spectantibus fundata, & quae postea cum consensu Reipublicae fundabuntur, respiciendo fructus in Ecclesia Dei ex labore illorum emicantes, & modernam erga Nos & Rempub: submissionem, non tantùm confirmamus, sed & sub protectionem Nostram & Successorum Nostrorum, & totius Reipublicae, non derogando quidquam juri Academiae Cracoviensis suscipimus.

Item in Constitutione Anni 1655. fol. 4. sub tit: **Wypráwa piechoty Lanowey z Akádemia Krákowská**/ haec Academia Cracoviensis liberata est ab expeditione militis peditati, ex laneis tam villarum ad mensam Vniversitatis & Contuberniorum aliàs **Burs**/ spectantium, quàm ex Domibus in Civitate Cracoviensi existentibus.

Item in Constitutione Anni 1658. fol. 39. tit: **Akademiá Krakowská** habetur. *Sciendo* optimè, quantū conducat Reipub: cuilibet invigilatio circa eruditionē & doctrinā juvenum, ex qua omnis felicitas ejus emicat: & volendo Professores Academiae Cracoviensis, ad solitam Filiorum Regni informationem animare, quamvis etiam singularibus à pientissimis Antecessoribus Nostris donata est praerogativis, illam tamen modò per hostem, in Ecclesijs, residentijs, Contubernijs *Studiosorum*, in censibus reëmptionalibus, maximè exviseeratam, ab omnibus contributionibus Civilibus de consensu vnanimi omnium Ordinum totaliter liberam facimus. Respectu tamen istius, quod concernit Civitatem Cracoviensem cum Jllustrissimo Domino Episcopo Cracoviensi, Academia conferat.

In electione Serenissimi Regis Anno D. 1669. fol. 17. **z Aná ostátek.** *Serenissimus Rex* MICHAEL, obligavit se confirmaturum omnia jura, libertates, immunitates, privilegia, statuta Regni & Magni D. Lith: Statui *Spirituali* & *Saeculari*, tum Academiae Cracoviensi justè & legitimè data.

In Constitutione Anni 1676. fol. in priori editione 41. in posteriori fol. 58. sub tit: **Academia Krakowská**/ *sub tempus Coronationis Serenissimi, IOANNIS III. sic habetur:* Academiam Cracoviensem notabiliter de hac Republica, ab aliquot centenis annis meritam, juxta sta-

ta statutum *sub tit Schola Regni*, ab omnibus oneribus liberam esse declaramus, & illam penes jura, privilegia, libertates, Constitutionibus Regni firmatas, perpetuis temporibus conservamus.

In Conventu Generali Corcinensi Anno D. 1669. mense Februario in favorem Almæ Vniversitatis Cracoviensis statutum est: *Academia* Cracoviensis, Mater & Magistra doctrinarum & scientiarum in Patria Nostra, ut penes sua jura & privilegia remaneat, & per erectionem novarum *Scholarum*, vti sine consensu Reipublicæ apertarum, non eneruetur, & apertæ sine scitu Ordinum occludantur, præcipuè recenter erectæ præter mentem Reipublicæ *Scholæ* Patrum Societatis Iesu Varsaviæ, reassumendo Constitutionem *Anni 1635*. Nec appendix in Constitutionibus *Anni 1667. sub tit. Approbatio Piarum Scholarum*, quidquam operetur: Isti enim Patres Piarum Scholarum obtinuerant subreptitiè Constitutionem *Anno Dni 1667. fol. 43. sub tit: Approbatio Piarum Scholarum*, talem: Fundationes in dominio Nostro Clericorum Pauperum Matris Dei Piarum Scholarum, cum annuali in salisfodinis Nostris Vielicensibus, à summa mille sexcentorum florenorum Polonicalium, provisione, authoritate modernorum Comitiorum approbamus, & vt iuxta institutũ suum doceant, concedimus, non derogando juribus & privilegijs Patrum Societatis Iesu iuxta Constitutionem *Anni 1635*. Quæ Constitutio in præsentia Ordinum non fuit publicè lecta, sed circa correcturam Constitutionum clam supposita: nam ego tunc ab Alma Vniversitate Cracoviensi Ablegatus missus fui, ideo qualiter factum sit optimè scio. Obtinuerant ijdem Patres aliam Constitutionem *A. D. 1677. fol: 32. sub tit. Approbatio Pauperum Matris Dei*, super fundandas Scholas Petricoviæ & penes Ecclesiam Parochialem & Hospitalis Chełmensem ad quam Lectorem remitto, sequitur.

Anno quoq; D. 1678. fol. 41. sub tit. Fundatio **Theologiey Wárszáwskiey**/ hæc fundatio per Constitutionem cassata est his verbis: Fundationem Theologiæ Varsaviensis, in præteritis Comitijs sine scitu Reipublicæ, in volumen legum cum iniuria privatorum inductam tollimus & cassamus. *In Anno autem 1677. fol. 33. sub titulo* **Fundácya Theologiey**/ talem Constitutionem Patres Societatis Iesu promovente Illustriss: olim Stanislao Swięcicki Episcopo Chełmensi Fundatore istius Theologiæ super omnibus bonis suis, exceptis **Milanowo** & **Horodyszcze**/ jure inchoato vindicandis, provt latius obloquitur ipsamet Constitutio loco citato. *Sed hæc intra parenthesim*, redeo ad Constitutiones Regni pro *Academia* Cracoviensi.

Itaq;

Itaq; *In Constitutione Anni 1685. fol: 18. sub tit:* **Konsens Akademiey Krakowskiey/** regnante eodem *S*erenissimo IO*A*NNE III. Rege *Poloniarum*, datus est consensus, ad emenda bona Terrestria, & approbata sunt omnia jura Almæ Vniversitatis Cracoviensis his verbis: Habendo respectum tenuis fundationis Academiæ *Cracoviensis*, ex qua *P*rofessores laborãtes, & Iuventus Nobilium in variis censuum fundationibus remanens, debitam provisionem habere non possunt: jura omnia à Nobis & *S*erenissim: Antecessoribus Nostris, Vniversitati data approbamus. Et vt pro summis, quæ fuerant modo reëmptionali ex bonis Terrestribus levatæ, hoc est summam sexaginta aliquot millium florenorum Polonicalium, in totum computando, non excedentem, pro sustentandis necessitatibus Vniversitatis, bona Terrestria in Palatinatu *C*racoviensi, emant, præsenti Constitutione concedimus. Salvis juribus Terrestribus & oneribus Reipublicæ.

Reperitur etiam in volumine Constitutionum Regni, Constitutio *Anno D. 1662. fol: 23. tit: Approbatio fundationis Garwascianæ, tenoris sequentis: A*d instantiam Exercitûs Nostri, Regni fundationem Perillustris & Admod: Rndi olim Garwaski Canonici *C*racoviensis pro filiis Nobilium, in Academia Cracoviensi factam, in toto approbamus, & villas ad hanc fundationem spectantes **Sierádzice** & **Wrzoßowice**/ in Palatinatu Cracoviensi iacentes, **od chlebow/ stánowisk/ przechodow żolnierskich/ y wßytkich woyskowych ćiężarow/** in perpetuum liberas facimus, & circa eadem jura Terrestria prout primitus erant, conservamus. Hæc ex Constitutionibus Generalibus Regni desũpta sunt; nunc venio ad Constitutiones *P*rovinciales Gnesnẽses *S*pirituales: in quibus hæc statuta sũt.

Imprimis: in Synodo Provinciali Gnesnensi *Petricoviæ, Anno D. 1542.* celebrata, præsidente Illustrissimo Petro Gamrato Archiepiscopo Gnesnensi. vt in *C*onstitutionibus *P*rovincialibus *lib: 4. fol: 260.* habetur, de salarijs *P*rofessoribus Academiæ Cracoviensis solvendis, decretum est, *his verbis.*

Pro reformanda Vniversitate Cracoviensi Matre Nostra, & proventibus Lectorum augendis, & aliunde vocandis, Legista, & duobus Literarum humaniorum Professoribus, *R*everendissimus Dominus Archiepiscopus Gnesnensis inhærendo deliberationi in proximè præterita *S*ynodo factæ, promisit in hac *S*acra *S*ynodo se daturum centum ducatos auri in auro, ratione Ecclesiæ Gnesnensis. Ratione verò Ecclesiæ Cracoviensis, similiter centum in auro ducatos. Cu-

iaviensis centum florenos in moneta per mediam sexagenam: & Płocensis, similiter etiam centum. Posnaniensis similiter centum per mediam sexagenam, ex decreto & ordinatione Synodi Reverendissimi Domini Posnaniensis & reliquorum Dominorum Episcoporum Nuntijs consentientibus, dare & soluere debebunt; ad quod Capitula Ecclesiarum prædictarum consensus suos præstare pollicita sunt: attento, quòd hoc sanctum propositum, in totius Regni vtilitatem publicam vergere dignoscatur; & quòd absentes Domini Episcopi admoneantur vigore præsentis Synodi, vt decretum præsens exequantur, & Capitulorum consensus obtineant, sub pœna centum aureorum Vngaricalium per Synodum seu aliàs Reverendiss: Dominum Archiepiscopum, à singulis exigenda ad vnius anni decursum. DD. verò Abbates in eadem Synodo præsentes, propter absentiam aliorum Abbatum, & Religiosorum, & quòd de ea re cum Fratribus suis tractatus & consilia non habuerunt, distulerunt hoc negotium in aliam deliberationem & responsionem. Debent autē Domini Archiepiscopus & Episcopi precibus supplicibus diligenter instare apud Sacram Regiam Majestatem, vt Eius Maiestas ad tam sanctum & laudabile & necessarium opus, de suis proventibus aliquem censum perpetuum prædictæ Vniversitati constituat. Deinde in Synodo Provinciali Lanciciensi, (prout in libro 4to Constitutionū Provincialium Gnesnensium, *fol: 257.* habetur) statutum est, vt Scholis maioribus Magistri & Baccalaurei præficiantur his verbis: Quoniam Ecclesia Dei, sicut pia Mater, providere tenetur; ne pauperibus, qui Patentum opibus iuvari non possunt, studendi & proficiendi opportunitas subtrahatur, vt sic Respublica & Ecclesia doctrinis illuminetur, & virorum eruditorum ingenijs decoretur, hoc Sacro approbante Concilio decernimus, vt Locorum Ordinarij, non solùm in Metropolitanarum, Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Scholis, Doctores, Magistros in artibus servent & foveant, foveriq; & servari faciant; verumetiam in maioribus & minoribus Oppidis, Baccalaureos, vbi Magistri sustentari non posŭt, in alijs verò locis inferioribus, Scholares maturos, idoneos & doctos, providentes: vt Rectores Scholarum servent in Scholis idoneos, bene morigeratos, & minimè licentiosos discipulos, quos dirigant bono regimine & laudabili disciplinâ. Si autem aliqui essent ex eis incorrigibiles, eosdem Ordinarijs vel eorum Officialibus deferant puniendos.

Item in Synodo Petricoviensi IV. (*prout in libro 4to Constitutio-*

stitutionum Provincialiũ, fol: 258. habetur) de Scholaribus vagis disposi-tũ est: Scholares vagos, eos videlicet, qui Scholã dereliquerint, remis-sèq; & licentiosè vixerint ex Civitatibus & Oppidis esse propellẽdos.

Item in Synodo Provinciali sub Petro Gamrato Archiepisco-po Gnesnensi, *Petricoviæ Anno D. 1542. (prout in libro 4to Con-stitutionum Provincialium Gnesnensium habetur)* statutum est: vt Archiepiscopi & Episcopi, eorumq; in Spiritualibus Vicarij, omnes Scholas reformare diligenter curent, præsertim Vniversitatem Stu-dij Cracoviensis veluti Matrem & Alumnam omnium studiosorum, in moribus & disciplina: inquiratur etiam diligenter per Archidia-conos & Inquisitores, de Pædagogis in domibus Nobilium & Ci-vium, ne aliquos libros suspectos legant, pueris eorundem, & eos in sacra fide corrumpant.

Anno quoq; Domini 1561. in Synodo Provinciali Gnesnensi Præ-sidente Jllustrissimo D. Ioanne Przerębski Archiepiscopo Gnesnen-si (vt habetur *in libro 4to Constitutionum Provincialium Gnesnensi-um fol: 263.*) decrevit Sacra Synodus: vt Scholæ in vniversum o-mnes, tam particulares, quàm vniversales reformentur, præsertim Studium Cracoviense juxta dispositionem Statutorum, Rńdissimus D. Episcopus Cracov: vnà cum suo Venerabili Capitulo reformet. Cæteri verò Reverendissimi DD. Lociordinarij Scholas particulares, tam circa Metropolitanas, Cathedrales & Collegiatas, quàm etiam in Parochialibus Ecclesijs reformare curent: ac Dominos Scholasti-cos, aut illos Prælatos ad quos de jure vel Erectione aut fundatio-ne, provisio Scholarum pertinet, Magistros & Præceptores, hone-stis salariis, præsertim si habeant Prælaturas suas bene dotatas, pro-videre compellant. Si verò aliqua dotatio antiqua particularibus Scholis per Parochos, aut quosvis alios fuerit adempta, per Visita-tores suos illam dotationem restitui mandent.

Item in Synodo Provinciali Gnesnensi sub Jllustrissimo Dño Bernardo Macieiowski S. R. E. Cardinali, tituli S. Ioannis ante por-tam Latinam, Archiepiscopo Gnesnensi *Anno Domini 1607.* Petri-coviæ celebrata, *fol: 14.* decretum est: Cùm Academia Cracovien: sit in hoc Regno vetus Ecclesiæ Dei, & Reipub: Seminarium, cuius eruditio & doctrina, in omnes Regni partes diffunditur: Rńdissi-mi DD. Archiepiscopus & Episcopi, rogatu totius Cleri, stipen-dium Professoribus eius, iam antea in Synodo Petricoviensi, *Anno Domini 1577.* constitutum, & per Sedem Apostolicã confirmatum, in executionem debitã deducere, illudq; quotannis pro festo Epipha-

niæ Domini, dare & conferre promiserũt, sub pœna dupli, in non solventes, per Jllustrissimum D. Archiepiscopum, pro tempore existentem, ad instantiam Rectoris eiusdem Academiæ, extendenda. Insuper ad augendum h c idem stipendium Reverendissimus D. Ioannes Zamoyski Archiepiscopus Leopoliensis, per Reverendum D. Valentinum Wargocki Decanum, Nuntium suum Leopoliensem, quadraginta; Rñdissimus verò Paulus Wołucki Episcopus Culmensis, triginta florenos pecuniæ, monetæ & numeri *Polonicalis*, se soluturos quotannis pro eodem festo Epiphaniæ Domini, synodaliter obtulerunt. Vt autem hæc extraordinaria stipendiorum accessio, cum f uctu studiorum distribuatur, Sancta Synodus *Reverendissimo* D. Episcopo Cracoviensi, ad quem potissima cura Academiæ, tanquam Cancellarium ipsius pertinet, commisit, vt per se, vel per aliquos viros prudentes & graves reformationi eiusdem Academiæ, diligentissimè intendat, iuxta præscriptum Constitutionis *Synodi* Provincialis, *Anni millesimi quingentesimi septuagesimi septimi.*

Item in Synodo Provinciali ab Jllustrissimo Dño Laurentio Gembicki Archiepiscopo Gnesnensi, *Anno Domini 1621. die 26. mensis April:* Petricoviæ celebrata, *fol: 29.* de stipendiis solvendis Professoribus *Academiæ* Cracov: sic habetur: vt Academia Cracovien: quæ Ecclesiæ Dei, & istius Regni antiquum est Seminariũ & ornamentum, debita Professoribus stipendia, anteriorum *Synodorum* Provincialium *Anno millesimo quingentesimo, septuagesimo septimo, & millesimo, sexcentesimo septimo.* decretis, per Sedem Apostolicam confirmatis, liberaliter constituta, ab Jllustrissimis & *Reverendissimis* Provinciæ Episcopis quotannis persolvantur: eadem Statuta Provincialia antiqua & recentiora innovat præsens Synodus, & in executionem deduci mandat. *Et* quia valor aureorum Vngaricorum, qui in dictis Constitutionibus specificantur, in tantum jam excrevit, vt æstimationem illius temporis, quo primùm ante octuaginta annos de augendis proventibus Professorum Cracoviensium, ordinatio Synodalis facta est, plus dimidio excedat, declaramus præsentis Synodi auctoritate, aureos in prædictis legibus debere intelligi de aureis, quorum singuli duos tantùm florenos *Polonicos* ex antiquo valebant, ita vt pro centum aureis, ducenti dũtaxat floreni Polonici, Academicis Professoribus numerari debeãt.

Item in *Synodo* prima Provinciali ab Jllustr: & Rñdissimo D. Ioanne Wężyk Archiepiscopo Gnesnensi. *Anno Domini 1628. die 22. mensis Maij. Petricoviæ* celebrata, *fol: 92.* de Academia Cracoviensi.

coviensi, hæc habentur: Quia nuper lis de jure legendi sive docendi Cracoviæ, inter Academiam & Patres Soc: Iesu exorta, ad Iudicium Sanctæ Sedis Apostolicæ est devoluta, monet & hortatur Synodus, ne ab vtrinq; scripta aliqua, quæ occasionem scandali Christi fidelibus præbere possint, edantur, aut imprimantur; sed vtraq; pars sententiã & decisionem Iudicij Sanctæ Sedis Apostolicæ, cuius supremæ authoritati omnes obedire debemus, expectet; illiq; vti debet pareat & obsequatur.

Alma Academia Cracoviensis habet Collegia tria.

Collegium Majus, in quo Sacræ Theologiæ & Philosoph: Doctores, & Professores resident.

Collegium Minus, in quo Philosophiæ Doctores & Professores manent.

Collegium Iurisperitorum, in quo Iuris vtriusq; Doctores & Professores habitant, & tam Iuris Canonici, quàm Civilis lectiones prælegunt. Medici enim, quia communissimè vxorati sunt, extra Collegium manent, quisq; in propria domo, & lapidea. qui in Lectorio Galeni Collegij Majoris, certis anni temporibus in Medica scientia lectiones tradunt.

Contubernia autem (quæ vulgò Bursæ appellãntur) habet numero septem.

Bursam Iurisperitorum à Dlugosso erectam, in qua Studiosi Astrææ, idq; Nobiles, manent.

Contubernium seu Bursa Pauperum, Iagellanianum.

Contubernium Philosophorum, Noscouianum appellatum.

Contubernium Hierusalem, seu Bursa Olesniciana.

Contubernium Zisinianum.

Contubernium Staringilianum.

Contubernium Smiescovianum.

Habet & Collegium, seu Classes artium humaniorum.

His adiunguntur Scholæ Parochiales numero quatuordecem sparsæ per Vrbem, in quibus Iuventus instituitur, rudimentis Grammaticæ, à Magistris Academiæ Cracoviensis.

Omnia præfata Collegia, Contubernia & Scholæ Parochiales à Magnifico D. Rectore Generali Academiæ Cracov: dependent, & eum pro capite suo agnoscunt.

Præter hæc Collegia, Contubernia, & Parochiales quæ intra & extra Vrbem sunt constitutæ, & ad Vniversitatem Cracovien: ipsiusq; Rectorem referuntur, sunt & aliæ Academiæ, Coloniæ & Pa-

rochiales Scholæ per alias Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ Provincias erectæ, ab Vniversitate & Academia Cracovien: tanquam Matre & generali Schola Regni, illiusq; Rectore pro tempore existente dependentiam habentes, & jurisdictioni eius subjacentes, præter Academiam Zamoscensem, quæ similibus gaudet privilegiis & immunitatibus quoad Doctoratus in Theologia & Iure conferendos: habetq; suum Rectorem, Doctores & Professores. Sunt autem Coloniæ generaliores sub jurisdictione Rectoris Cracovien: secundùm Formankovicium in suo Geographico lib: circiter 40. præcipuæ illlarum sunt Posnaniensis, Neocorcinensis, Vidaviensis, Albæ Ducalis, Culmensis, Leopoliensis, &c.

De Pułtoviensi Colonia *Łubienscius in serie Episcop. Płocensium fol: 378.* sic habet: Andreas NoszkowskiEpiscopus Płocensis, suasu & hortatu Stanislai Hosij, Cardinalis & Episcopi Varmien: Religiosos Societ: Iesu Pułtoviam induxit, nullo quidem suo sumptu, sed prædijs Episcopalibus aliquot in eum vsum à mensa Episcopali avulsis, fundavit, extincta veteri Pułtoviensi Scholâ, quæ certis quibusdam decimis dotata fuit, & ad quam Magistri ex Academia Cracoviensi evocari solebant. Iuventuti, quæ è Diœcesi Płocensi Cracoviam ad Academiam studiorum causâ se conferre vellet, Domû, Bursam Philosophorum postea appellatam, cocto latere struxit, ac datis decem millibus florenorum, censum annuum, ex quo aliqua pars victûs Studiosis illis confici possit, jure perpetuo emit.

TITVL: VIGESIMVS SECVNDVS
De Episcopo Vladislaviensi.



Ic Episcopatus ab initio Crusuicensis vocabatur, ex quo MIECISLAVS Rex Poloniæ Sedem Episcopalem Crusuiciæ fundaverat. *Cromerus in historia fol. 47.*

Sed successu temporis hinc Vladislaviam Oppidum ad fluenta Vistulæ fluvij in Palatinatu Brestensi situm, à VLADISLAO Monarcha I. Regis Poloniæ Filio conditum, & à nomine suo vocitatum, ab eodem VLADISLAO translatus est, hincq; Vladislaviensis appellatus. *Dlugossus tomi 1. lib. 1. f. 39.* Quod Oppidum nulla aliâ re, nisi hâc Cathedrâ Episcopali, memorabile est. Nulla enim propugnacula, nulla mænia habet, sed cuilibet ad diripiendum facilè expositum. *Dlugossus ibidem.*

Hoc

Hoc Oppidum ad Episcopum Vladislaviensem spectat, habetq; Templum veteris fabricæ, sed vasis argenteis, & varia supellectili ditissimum. Circa hoc Templum Cathedrale, Domus Canonicorũ, Schola & Seminarium extant. Est quoq; ibidem Arx ad confluenta Vistulæ fluvij sita, sicut & Oppidum domos latericias complectẽs. *Starovolscius in descriptione Poloniæ, fol: 39. Cromerus autem libro 12. ad finem fol: 320, sic scripsit.* Regnante CASIMIRO Magno Rege Matthias Golanzevius, gente Toporus, Episcopus Vladislaviensis, qui duos & quadraginta annos Episcopi munere functus est, Basilicam Vladislaviensem novam condidit in oppido, cùm priùs sub arce fuisset. Aliud item Templum S. Vitalis Martyris memoriæ dicatum, in eodem Oppido construxit, Arces Vladislaviensem & Racianzum cocto latere munivit.

Et licèt ibi sit sedes & Cathedra Episcopalis, Episcopus tamen communiter Volboriæ in palatio pulchro, ad aquas sito, habitat. Quod oppidum Volboria habitatoribus plenum est. *Starovolscius ubi supra fol: 32.*

Episcopus Vladislaviensis vocatur etiam Pomeraniæ, ad illius enim jurisdictionem in Spiritualibus pertinet. *Starovolscius ubi supra fol: 36.*

Episcopus primus Vladislaviensis in Dzwiczno, Ecclesiam Parochialem fundavit, & dotavit, in illaq; sepultus est, *ut refert Dlugossius in historia tomo 1. lib. 2. fol: 110.*

Episcopus Vladislaviensis gaudet hâc prærogativâ, quòd ad eum, mortuo, vel impedito Archiepiscopo Gnesnensi, Coronatio Regis & Reginæ Poloniæ spectet. prout latè superiùs in titulo de Archiepiscopo Gnesnensi scripsimus, nunc non repeto.

Crusuicia Oppidum, vetus quondam Regia, lacu amplissimo (Gopło dicto) circumcincta, in finibus Iunivladislaviensis *Satrapiæ* seu Palatinatûs posita est. Extat Templum extra Oppidum, sub titulo *S.* Petri Apostoli, ex quadrato lapide extructum, cum Collegio viginti quatuor Canonicorum. Arcem quoq; latericiam habet in insula lacûs Gopłensis, in qua olim Popielum Regem Poloniæ, Divinâ vltione permittente, mures devorârunt, quòd plurimos consangvineos suos regnandi cupiditate, veneno sustulisset. *Starovolscius ubi supra fol: 38.*

TITVLVS VIGESIMVS TERTIVS,
De Episcopatu Vilnensi.

ECclesia Cathedralis Vilnensis cum suo Episcopatu condita & reditibus amplis, atq; Sacerdotijs locupletata est à VLADISLAO JAGELLONE Rege, ac Divi Stanislai memoriæ à Bozenta Archiepiscopo consecrata est, institutusq; in ea Episcopus Andreas Vassilo Polonus gente Iastrembecius, è Franciscanorum Sodalitate: qui Elizabethæ Reginæ à Confessionibus fuerat, septemq; Parochiæ ab eodem Rege constitutæ, dotatæq; Volmiriensis, Missogolensis, Nemencinensis Mednicensis, Crevensis, Obolcensis, & Hainensis. His omnibus Templis, Heduigis Regina plurimam supellectilem ad cultum Divinum accommodatam largita est. *Ita Cromerus libro quindecimo historiæ suæ fol: 355.*

Episcopus Vilnensis Ducem se Ivanum scribit, lateq; suam jurisdictionem extendit, vt in tota Lithvania, atq; Alba Russia quæ tot Satrapijs constat, usq; ad confinia Moschoviæ, nonnisi illius Vicarij & Officiales sacris Christianis præsint, & invigilent: nullius alterius Diœcesis intervenit. *Starovolscius in descriptione Poloniæ sub tit. Lithvania fol. 96. cum sequ:*

In Ecclesia Cathedrali Vilnensi corpus integrum S. Casimiri Principis Poloniæ, Fratris germani SIGISMVNDI senioris Regis, olim Poloniæ sapientissimi, qui eum à LEONE X. Summo Pontifice Sanctorum Cathalogo inscribi curavit, honorificè colitur. Huic tanquam Avo suo Sereni: SIGISMVNDVS III. Poloniæ Rex, tumbam argenteam, tria millia librarum ponderis habentem fieri curavit: itemq; Altare argenteum, capellam marmoris exquisitissimi, campanam ingentem (similem Cracoviensi illi, quæ à SIGISMVNDO I. facta, nomen illius retinet) votum expugnati Smolensci, ad quam pulsandam, viginti quatuor robusti homines requiruntur: & demum, sub titulo & patrocinio illius Basilicam Italicæ Architecturæ, Societ: Iesu Clericis in medio Vrbis foro magnificentissimè erexit. Quæ prædicta Societas Collegium Studiosorum à Rege STEPHANO fundatum, in platea Castrensi superbè ædificatum ad Divi Ioannis Templum Parochiale, possidet: Novitiatum verò, in alio loco habet. Collegium istud sub titulo Vniversitatis erectum est à GREGORIO XIII. Summo Pontifice, *Anno Domini 1579.* vrgen-

te imprimis Fundatore Valeriano Episcopo Vilnensi, & STEPHANO Rege, alijsq; pijs Viris. *Hæc ex Starovolscio vbi supra fol: 98. cum sequentibus.*

Civitas Vilnensis habet Monasteria complura, tam Latinorum quàm Græcorum. Erat & Synagoga Calvinistarum, qui itidem suum gymnasium habebant, petitis ex Germania suæ impietatis Magistris: sed decreto Comitiorum Regni, prout & Racoviensium Arianorum funditus extirpata est. *Starovolscius ibidem fol: 101. cum sequenti.*

Palatinus Vilnensis est quoq; Vrbis Præfectus, exercetq; iurisdictionem suam in omnes, exceptis Magistratibus, qui ibi suam residentiam habent. Nam & Parlamentum seu Tribunal totius Lithuaniæ, prout cum adiacentibus sibi Provincijs extenditur, ibidem celebrandi mos est. *Starovolscius ibidem fol: 97.* de quo Tribunali Lithvaniæ infra libro 4to, Deo adiuvante dicemus.

Anno Domini 1638. fol: 45. sub tit: Commutatio **Tynná/** Capitulum Cathedrale Vilnense obtinuit consensum Reipub: super cōmutatione bonorum **Tynno** Capituli, cum bonis **Brażewice** Illustrissimi Stanislai Radziwił Cancellarij Magni Lithuaniæ in Palatinatu Bresciascensi iacen: cum translatione omnium onerum Terrestrium, servitij bellici ex Braszevice in Tynno, juribus Ecclesiæ illa incorporando.

Idem Capitulum Cathedrale Vilnense, obtinuit *Anno Domini 1658. fol. 44. tit.* **Assekurácya summy/** assecurationem summæ viginti millium florenorum, quam Rndissimus D. Georgius Białozor Episcopus Smolenscen: Custos Ecclesiæ Cathedr: Vilnensis pro maxima necessitate Reip: realiter numeraverat: vtq; hæc summa ex primis contributionibus M. D. L., Thesaurus solvat, ordinatum est.

Item Anno D. 1661. fol: 17. in Constit: Lithuanicis, sub tit: **Assekurácya summy.** Hæc eadem summa viginti millium florenorū, cum alia summa septem millium & quadringentorum florenorum ab eodem Illustrissimo Białozor, pro necessitatibus Reipub: numerata, assecurata est, & vt ad rationem istius summæ, Thesaurarius M. D. L. septem millia & quadringentos florenos solvat, iniunctum est. *Idem & in Anno 1685. in Constit. M. D. L. f. 6. tit: Reassumptio* **Długu/** iniunctum est. *Item Anno 1667. fol: 63. tit:* **Oswobodzenie ſtebrá.** Cùm præfatus Reverendissimus D. Białozor Episcopus Smolenscensis zelo boni publici ductus, ad dissolvendam Confœde-

rationem militarem argentum Capituli Vilnensis in summa decem millium florenorum oppignoraisset, statutum est, vt Thesaurus M. D. L. hoc argentum eximat.

Item Anno Domini 1677. fol. 22. Approbatur fundatio & nova donatio pro Capella Sancti Casimiri, & vt ex qualibet domo propinatoria, nullis exceptis, floreni duo & grossi 15. ad istam Capellam solvant, statutum est.

Quantum ad Collegium Vilnense Patrum Societ: Iesu, *Anno D. 1676* inter Constitutiones M. D. L. *fol: 14* posterioris editionis, *tit: Approbatio.* Omnia jura, immunitates & privilegia data authoritate Conventûs illius in toto approbata sunt.

Ibidem fol: 21. tit: Approbatio, Lapidea in Antocolo post Ecclesiam *S.* Petri & Pauli Novitiatui PP. *Soc.* Iesu Vilnæ per Jllustris: D. Michaëlem Pac, Palatinum Vilnensem &c. inscripta, huic Novitiatui & Ecclesiæ eius incorporatur, & inscriptio approbatur, salvis oneribus Reipublicæ.

Anno D. 1667. fol: 73. Ius ad Villam **Łoćiewicze/** in Districtu Osmianensi iacentem Collegio Vilnensi *Patrum Soc:* Jesu serviens, approbatur, salvis oneribus Reipub:

Item Anno D. 1678. fol: 13. tit: Approbatio **Przywilejow** Privilegia à Serenissimis Regibus *SIGISMVNDO* III. & *Successoribus* Eius pro lapideis Biłdziukowski & Eliaszowski in circulo Civitatis Vilnensis sitis, pro decantando Cursu B. M. V. tum pro Musica, Ecclesiæ & Bursa Collegij Vilnensis Soc: *Iesu* in omnibus punctis & clausulis, salvis oneribus Reipub: confirmantur.

Anno D. 1647. fol: 15. tit. **Approbácya/** Privilegium Patrum Grodnensium *Soc:* Iesu, primum respectu villæ **Horostow/** & prædij **Kiełbasin/** in Districtu Grodnensi iacentium à Magnifico D. Christophoro de Chalca Chalecki Ensifero M. D. L. in vim futuræ fundationis residentiæ prænominatorum Patrum in perpetuum inscriptæ. Aliud privilegium respectu fundorum in Civitate Grodnensi, in quibus Ecclesia & Collegium eorundem debet collocari. Et tertium privilegium respectu sex mansorum, aliàs **Włuk/** in Districtu Zascianensi, & quatuor in villa **Małachowo/** in toto approbantur, & immunitatibus Ecclesiæ adscribuntur, salvis oneribus Reipub: manentibus.

Anno D. 1659. fol: 17. Approbatio **Fundácyey.** Bona omnia Collegiorum, **Krosłiego/** & **Pożawskiego/** pro juventute Nobilium fundatorum, tanquam bona Nobilium in immunitatibus suis confirman-

firmantur, salvis oneribus servitij bellici & Reipublicæ.

Ibidem tit: **Approbacya Kámieniey.** Lapidea Vilnæ jacens pro Contubernio seu Bursa Grodnensi à Magnifico Andrea Odlaniski Poczobuta, Notario Terrestri Osmianensi fundato, authoritate Comitiali libertatur.

Anno D. 1667. fol. 73. tit: Approbatio **Fundacyey.** Fundatio Collegij PP. Soc: Iesu Grodnensis, à Reverendissimo Francisco Dołmata Haykowski, Episcopo Smolescensi, super bonis hæreditarijs **Swislozy**/ & alijs in Districtu Grodnensi iacen: approbatur, salvis oneribus Reipub: & expeditionis bellicæ.

Anno Domini 1673. fol: 15. in Constitutionibus Lithvaniæ, tit: **Approbacya kontráktu.** Contractus, inter Illustrissimum Ioannem Oginski, Palatinum Mscislaviensem, & Patres Societatis Iesu Collegij Grodnensis, respectu translationis fundationis ex bonis suis **Swisloczy**/ in alia bona sua, initus, authoritate Comitiali approbatur.

Ibidem Fundatio Patrum Societatis Iesu Collegij seu Residentiæ **Kowienskiey,** cum villa **Jiwgille,** in Terra Samogitiæ iacente approbatur.

Anno Domini 1677 fol. 20. in Constitutionibus Lithuaniæ, Iustina Sopochowná Rukiewiczowa circa jus sortis bonorum **Holowácow**/ cum Patribus Societ: Iesu Colegij Grodnensis, in toto conservatur, & Curia eius Grodnæ eximitur ab oneribus Civilibus.

Anno D. 1638. fol: 47. **Approbácyá**/ Fundatio Collegij Patrum Societatis Iesu in Civitate **Peryasław**/ ab Illustrissimo Domino Luca Zołkiewski Palatino Braclaviensi facta, aprobatur: & bona **Budow**/ super quibus dicta fundatio facta est, cum omnibus juribus, privilegijs attinentijs, areis, fundis, immunitati Ecclesiasticæ adscribuntur, & incorporantur.

Similiter & fundatio Collegij Patrum Soc: Iesu in **Nowogrodek**/ Severiensi approbatur, salvâ fundatione Patrum Ordinis S. Dominici, salvisq; oneribus Reipub: vide & *Anno D. 1647. fol. 36. tit:* **Approbácya**/ de approbatione Collegij Novogrodensis.

Anno D. 1690. fol: 16. tit. **Deklaracya**/ bona Collegij Orsanensis Patrum Societ: Iesu Faszczowska dicta, cum suis pertinentijs, ab omnibus exactionibus militaribus liberantur.

Anno D. 1635. fol: 23. tit: Collegium **Pinskie**/ Fundatio Collegij istius ab Illustrissimo Olbrachto Stanislao Rádziwił Cancellario Mag. Duc. Lith: facta approbatur, bona omnia pro ista funda-

 tione

tione ab eodem Fundatore data, similiter & fundi Civiles, libertati immunitatiq; Ecclesiæ adscribuntur in perpetuum. *Salvâ* conditione adiectâ in Constitutione præcedenti de ordinatione bonorum Reipub: apppofita.

Anno D. 1690. fol. 15. tit: **Approbacya.** Fundatio Collegij Witepscensis ab Jllustrissimo Alexandro Corvino Gaśiewski Palatino *Smolensci*, adhuc *Anno D. 1649.* facta, in toto approbatur, & bona, sicut bona Terrestria ab omni onere militari Hybernorum & quocunq; titulo militarium, eximuntur, salvo obsequio bellico Reipub: sub tempus expeditionis generalis bellicæ.

Anno D. 1676. fol: 74. tit: **Inkorporácya Wśi.** Villa **Płoski**, in Palatinatu Brestensi iacens, quæ Patribus Societat: Iesu Collegij Brestensis priùs ad vitã *Serenissimi* Regis data, nunc in perpetuum concessa.

Tandem *Anno D. 1676. fol. editionis posterioris 13. sub tit:* **Fundácyá Oycow Dominikanow/** per appendicem. Fundatio Patrũ *Societ:* Iesu Collegij Brestensis, seu Auctio tam in bonis, quàm in fundis, prout ad præsens erant, salvis oneribus Reipub: & sine præiudicio privatorum, in toto approbatur.

Refert Starovolscius in descriptione Poloniæ *fol: 107.* quòd in Civitate Brestensi Iudæi habeant *Scholam* suam in tota Europa celebrem, ad quam solent convenire Iudæi ex Italia, Germania, Silesia, Moravia, non modò studiorum, sed & promotionum causa vt Rabini postmodum fiant, & domum reversi, suas *Synagogas* dirigant.

Anno D. 1678. fol. 23. tit: **Libertácya plácow/** medius mansus, aliàs **Pułwłoczek** in **Łohiszyno/ Rosochácie/** & duo fundi vnus in platea Kobrynensi Innatowicza, & alter *Simonis* Sac, in Circulo, ad hæc tres horti, vnus Samuelis & *Philippi* Maliszewskich in platea Klecensi, alter Ochtoda y Remiszewskiego in platea Suina Patrum *Societ:* Iesu in **Łohiszyno** pro hospitali libertantur.

Anno D. 1676. fol: 14. tit. Approbatio **Oycow Iezuitow** in Constitutionibus M. D. L. bona hæreditaria **Hołowácze** dicta in Districtu Grodnensi iacentia pro Missionarijs Patribus Societ: Iesu Mereckich, ad Ecclesiam *Parochialem* Merecensem noviter introductis ab Jllustrissimo Michaële Casimiro Pac Palatino Vilnensi empta & legata, & Ecclesia cum ædificijs in Kotnica ab eodem erecta. *Salvis* oneribus *Reipub:*

Anno D. 1683. fol: 11. tit: Approbatio **Fundácyey/** in Constitutioni-

tionibus M.D.L. fundatio Collegij Patrum Societ: Minscensis ab Illustrissimo & Rndissimo olim Duce Sanguscio Episcopo Smolenscensi incæpti, & postea per Illustres Martianum de Kozielsko Oginski *Palatinum* Trocensem, & Marcibellam Annam Chlebowiczowna Oginska Palatinam Trocensem, tum *Cyprianum Paulū* Brzostowski Castellanum Trocensem, & Rachelem Barbaram Duninowna z *Raiec* Consortes, aucti & dotati, & cum fundis in Minsko datis & emptis, & cum istis, in quibus Ecclesia, Collegium, & Scholæ erectæ sunt, authoritate Comitiali approbantur, & immunitatibus Ecclesiasticis incorporantur.

Anno D. 1678. fol: 17. sub tit: **Darowzni Surwilißek**/ Donatio perpetua bonorum **Surwilißek**/ in Districtu Osmianensi cū omnibus attinentiis cum prædio **Wierzbuski**/ ad hæc prædij dicti **Guta**/ in Palatinatu Vilnensi, per Illustrissimum Alexandrum Hilarium Połubinski Mareschalcum M.D.L. pro Novitiatu Vilnensi Patrum *Societ:* Iesu facta, authoritate Comitiali approbatur, salvis oneribus Reipub:

Eodem *Anno fol. 18. tit.* **Fundacya Missionarzow**, Fundatio pro Missionarijs Societatis *Iesu* penes Ecclesiam Parochialem Mohiłoviensem à Perillustri & Admodum Reverendo *Z*danowicz Canonico *S*molenscensi, Parocho Mohiłoviensi facta, authoritate Comitiali approbatur.

Anno D. 1589. fol: 529. tit: **Wolności Kollegium**/ Bona pro Collegio Nieswiecensi Patrum *Societ:* Iesu, ab Illustrissimo Nicolao Christophoro Radziwił Duce in Ołyka & Nieswież data, hoc est, **Wolość/ Lipska/ Si.ki/ Tuchowice/ Swiecice/ Nowosiolki/ Rozdziałowice/ Zalipienie/ Załuże/ Uzonke/ Rudowa**/ cum omnibus pertinentijs approbantur, à servitio Terrestri bellico, tum à contributionibus & stationibus militum eximuntur, omnibus & singulis prærogativis, immunitatibus & privilegijs Ecclesiasticis, quibus cætera omnia Ecclesiastica bona in Regno *Poloniæ* & M.D. Lith: fruuntur & gaudent, adscribuntur. prout fusius privilegium super hoc datum obloquitur.

Hæc Constitutio reassumpta est, *A. D. 1661. f. 20. tit. Securitas* **Dobr**/ vbi ab omnibus oner: Reip: eximūtur bona supra specificata.

In **Biała** Palatinatus Brescianensis Illustris: Radzivilius Dux præter palatium pulcherrimum etiam Gymnasium publicū, Academ: cum erexit, vocatis ex Acad: *Crac:* Magistris & Professoribus in omnibus disciplinis peritis. *Starovolsc: in descriptione Poloniæ sub tit: Lithuania fol: 106.*

TITVLVS VIGESIMVS QVARTVS,

De Episcopatu Posnaniensi.


Episcopatum Posnaniensem MIECISLAVS Rex Polonorū erexit & fundavit. *Dlugossus tomo* 1. *lib:* 2. *fol.* 92. Primus Episcopus fuit Iordanus, natione Italus, qui per 45. annos Episcopatum rexit, post illum successerunt usq; ad Jllustrissimum olim *Stanislaum* Witwicki primò Luceoriensem, postea *Posnaniensem* Episcopum, inclusivè, numero sexaginta septem: inter quos in ordine 25. numeratur Nicolaus Professor Academiæ Cracoviensis, Scholasticus Cathedralis Crac: *ut videre licet in vitis Episcoporum Posnaniensium.*

Habet Ecclesiam Cathedralem sat magnificam, laminâ æneâ coöpertam, sub titulo *Sanctorum* Apostolorum Petri & Pauli erectam & consecratam. Habet Collegium Canonicorum, inter quos *Prælati* 10. *Præpositus*, Decanus, Archidiaconus *Posnan:* Cantor, Custos, Scholasticus, Archidiac: *Sremensis*, Archid: Pczevensis, Archidiac: Varsaviensis, & Cancellarius. Canonici numero 23. Fuerunt antea plures, sed Jllustris: Andreas Szołdrski videns tenuitatem proventuum Capituli, sex Canonicatus suppressit. Et adhæc tredecem millia aureorum, trecentos triginta tres aureos, ex censu annuo pro *Refectionibus* reliquit, & antea viginti millia florenorum Polonicalium pro ijsdem *Refectionibus* donavit. Abbas Lubinensis, & Eques Melitensis habent *Stallum* in eadem Ecclesia.

Eadem Ecclesia quinq; turribus ab Jllustrissimo & Reverendiss: olim Andrea Szołdrski Episcopo Posnaniensi, in ordine 64. inter Episcopos *Posnanienses*, extructis & laminâ æneâ coopertis; Eiusdem Jllustrissimi & Rndissimi, Episcopi sumptu extructum & deauratū est altare maius, imaginem *S.* Petri Apostoli pictam in medio sui habens, pavimentum Ecclesiæ lapide secto stratum. Imagines circum circa in Ecclesia in tela depictæ, historias Sanctorum Apostolorum Petri & *Pauli* repræsentantes, affixæ pendent, organum magnum deauratum & depictum, cum fundatione pro Musicis novem. Eiusdem Jllustr: & Rndissimi Episcopi sumptu Capella à meridie extructa laminâ æneâ coöperta ab intra pulcherrimè depicta, portas duas ex marmore habens: in qua ex fundatione eiusdem Jllustrissimi singulis diebus, à sex Sacerdotibus cum septimo Organario Missæ votivæ de Angelis cum organo ad Altare marmoreum decantantur. In eadem Capella Epitaphium marmoreum eiusdem Illustr: & Rndis-

& Rndissimi Domini Episcopi, pavimentum ex lapide secto.

Est ex alia parte à semptemtrione altera Capella laminâ æneâ coöperta, ab intra sat decenter depicta, portas duas marmoreas & pavimentum ex marmore secto habens. In hac Capella exstat Imago sculpta Christi Domini Crucifixi miraculis clarissima, in altari ligneo, depicto & deaurato apposita. In hac Capella Cursus de Passione Domini & votivæ singulis diebus, à Mansionarijs ex fundatione Jllustris: & Rndissimi olim Alberti Tholibowski Episcopi Posnaniensis decantatur.

Tertia Capella ab oriente post altare maius, in qua Sanctissimum Sacramentum in altari marmoreo asservatur, laminâ æneâ ab extra coöperta. In qua Cursus de Beata M. Virgine singulis diebus à septem Mansionarijs fundationis Illustris: & Rndissimi olim Adami Nowodworski Episcopi Posnaniensis, in ordine sexagesimi secundi, cum auctione ab Illustrissimo prænominato Szołdrski, similiter decantatur.

Sunt & aliæ Capellæ, sed minoris decoris, splendoris, & ornamenti, inter quas est Capella Regia appellata. *de hac Capella Cromerus in historia libro tredecimo fol: apud me 324. scripsit.* Prodigium insigne Posnaniæ accidit. Basilica enim cum adhærente sibi turri dextra de cælo tacta est, ita vt perrupto culmine & angulo turris parvâ fissurâ factâ in fornice, in sacellum Regium fulmen penetraret: ac cæteris rebus intactis, solas Præmisli Regis & Rixæ Vxoris eius imagines confringeret. Quæ verba Cromeri ad perpetuam rei memoriam, in marmorea tabula, parieti imposita, aureis literis sculpta hucusq; reperiuntur. Quod accidit *Anno Dni 1371. die 15.* Aprilis Dominicâ Iudica, regnante Ludovico Rege Poloniæ.

In hac Ecclesia Cathedrali Posnaniensi sepulti sunt, Miecislavs I. Princeps Poloniæ Catholicus, Pater Boleslai Chrobri. *Miechovita lib: 2. historiæ suæ cap: 1. ad finem.* Ipsemet etiam Boleslavs Chrobri, cuius sepulchrum ex lapide albo simplici in medio Ecclesiæ exstat Epitaphium verò in tabula columnæ proximæ sepulchro appensa descriptum tale legitur, prout & Stanislaus Łubieński Episcopus Płocensis, in vita Martialis Episcopi Płocensis illud descripsit, quod incomptis quidem, nec satis suis numeris constantibus, rude illud sæculum versibus conscripsit:

Hic jacet in tumba Princeps veneranda columba,
CHROBRI Tu es dictus, sis in ævum benedictus
Fonte sacro lotus, servus Domini puta totus

Præcidens comam septennij tempore Romam.
Tu possedisti velut Athleta Christi,
Regnum Slavorum Gotthorum seu Polonorum,
Cæsar præcellens, à Te Ducalia pellens.
Plurima dona sibi, quæ placuêre Tibi,
Huic detulisti, quia divitias habuisti.
Inclyte Dux Tibi laus Serenissime BOLESLAE
Perfido Patre natus, sed credula Matre,
Vicisti terras faciens bellum quoq; guerras,
Ob famam bonam Tibi contulit OTTO coronam,
Propter luctamen sit Tibi salus Amen.

MIECISLAVS quoq; II. seu vt alij MIECZLAVS in eadem Basilica Posnaniensi in Paterno sepulchro sepultus est. qui in Castro Posnaniensi 15. *Martij Anno D.* 1034. *ætatis suæ* 44. *obijt. Miechovita lib.* 2. *cap:* 11.

CASIMIRVS quoq; I Filius MIECZLAI II. & Rixæ Monachus, *Anno D.* 1058. *Regni* 18. post gravem morbum vnius mensis *die* 28. *Novembris*. Posnaniæ mortuus, consepultusq; est in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi cum cineribus Aui sui & Patris. *Miechov: lib:* 2. *c.* 14.

Item PRÆMISLAVS Princeps Dux Vladislaviensis OTTONIS Filius trigesimum sextum annum ætatis agens, mortuus in Castro Posnaniensi, sepultus in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi, *teste Critio in Chronica sua libro* 3. *cap:* 53. *fol:* 163. *circa annum* 1257.

Item *Anno D.* 1296 feriâ 4tâ Cinerum in Festo Sanctæ Dorotheæ. PRÆMISLVS sive PRÆMISLAVS Rex in Rogozno occisus, sepultus in Ecclesia Cathedrali Posnaniensi, in sepulchro Patrum suorum, Regum Poloniæ, *vt refert Miechovita in historia sua lib:* 4. *cap:* 1.

Hic regnavit mensibus septem diebus vndecim, *Miechovita vbi supra*, & post BOLESLAVM Audacem, recuperavit coronam, coronatusq; Gnesnæ à Iacobo Swinka Archiepiscopo Gnesnensi. *Pastorius lib:* 2. *cap:* 15.

§

De Academia Lubransciana Posnaniensi.

NOn procul ab Ecclesia Cathedrali versus septemtrionem extat Gymnasium Academicum ex latere cocto ab Illustrissimo & Reverendissimo olim Ioanne Lubranski Episcopo Posnan: in ordine quadragesimo sexto, memoriâ omnium sæculorum & laude dignissimo, sat magnificè extructum. Qui Cracoviensis Academiæ (in

qua & ipse doctrinâ singulari perpolitus Vtriusq; Iuris Lauream suscepit, vt *Starovol: in descriptione Poloniæ fol. 17. testatur.*) Professoribus curandum reliquit, quos hucusq; Alma Vniversitas Cracoviensis quolibet triennio mittit, videlicet: Directorem, qui in Iure Canonico & Civili Lectiones prælegeret, Philosophum, Mathematicum, Rhetorices, Poëseos & Grammaticæ Professores, qui alijs studijs invigilarent, Capituloq; Ecclesiæ Cath: Posnanien: (sub cuius & primariò Jllustrisimi & Rndissimi Domini Lociordinarij, Episcopi Posnanien: cura, & tutela vivunt) præsentat.

Quod Gymnasium Academicum, cùm per iniuriam & calamitatem temporum esset ruinosum; sumptu Rndissimi olim Ioannis à Rozdrazew Rozdrazewski Suffraganei Vladislaviensis per Executores testamenti eius, & præcipuè Perillustrem & Admodum Rndum *S*tanislaum Kokálewski de Armis *S*amsoniorum restauratum est.

Fundatio & erectio Academiæ Posnaniensis in summis infra scriptis.

ANno. D. 1520. die SS. Fabiani & *S*ebastiani in Conventione Generali Torunensi à Serenisimo *SIGISMVNDO* Rege *Poloniæ*, Jllustrisimo & *Rndisimo* D. Ioanni Lubranski Episcopo *Posnaniensi* consensus datus censuandi, pro summa duorum millium octingentorum sexaginta septem florenorum ex Oppido Stawiszyn/ & villis ad id spectantibus in Terra & Districtu Calisiensi, pro salariandis & instituendis Doctoribus & Magistris ad Collegiū particulare circa Ecclesiam Cathedr: *Posnanien*: per supra nominatum Jllustrissimum Lubrański erectum.

De qua summa fit mentio in Constitutionibus Provincialibus Gnesnensibus in *S*ynodo Varsaviensi, *Præsidente* Ioanne *Przerębski* Archiepiscopo Gnesnensi. *Anno D. 1561. his verbis*: *S*cholam quoq; Posnaniensem per Rndissimum Ioannem Lubrański fundatam Reverendissimus D. Episcopus Posnan: cum suo Venerabili Capitulo reformet, & in meliorem statum restituat, ac pecuniâ ex Stavisiensibus bonis repositâ certum censum emat, ex eaq; ædificia Collegij ipsius restauret, & idoneos Magistros in ea foveat.

Similiter & in *S*ynodo ab Illustris. & Rndissimo D. Bernardo Macieiowski, *S*acræ Rom: Eccl: Cardinali, Tituli S. Ioannis ante

portam Latinam, Archiepiſcopo Gneſnenſi Petricoviæ *Anno Dni 1607: ſub tit: de Reformatione Collegij Poſnanienſis. fol: 15. ſic habetur.* Ad poſtulationem Nuntiorum Venerabilis Capituli Poſnanienſis, decrevit Synodus, monendum Rndiſſimum D. Epiſcopum Poſnan: Synodaliter, prout præſenti Conſtitutione monet, vt Scholam circa ſuam Cathedralem Eccleſiam per Rndiſſimum olim Ioannem Lubrańſki Prædeceſſorem ſuum ſumptuosè fundatam & magnificè extructam reformet, & in ſtatum meliorem reducat; cùm ex ea deſolata, magnũ Eccleſia, & cultus Divinus, detrimentum patiatur. Itaq; præfata ſumma duorum milliũ octingentorum ſexaginta ſeptẽ floren: *A. D. 1595. feriâ ſecundâ poſt feſtum S. Iacobi Apoſtoli, in villam* **Głupczyno/** *in Diſtrictu Naklenſi* tranſportata eſt, pro qua cenſus reëmptionalis florenorum Polonicalium centum octuaginta Collegio Lubranſciano quotannis pro feſto Circumciſionis Domini, per Hæredes illius villæ ſolvitur.

Deinde *Anno D. 1612.* prælibatus Rndiſſimus Ioannes à Rozdrazew Rozdrażewſki Suffraganeus Vladislavienſis, ſupraſcriptæ fundationis Lubranſcianæ auctionem fecit, & ſummam viginti octo millium florenorum Polonicalium, pro ſalariandis Profeſſoribus eiuſdem Collegij, tum & menſa ſeu victu illorum communi, necnon Alumnorum ex Familia ſua Rozdrazeviana juxta ordinationem ſuam inſcripſit. Quæ ſumma primò locata fuit & inſcripta in bonis Oppidi **Nowe Miáſto/** & villis **Boguſzyn/ Chroniec,** & **Kruczyn.**

Deinde *Anno D. 1692.* prædicta ſumma Rozdrazeviana viginti octo millium floren: Polonicaliũ, tranſportata eſt in bona **Krempe/ Oſtrow/ Záchárzew/** in Diſtrictu Caliſienſi, & inſcripta corã Actis Caſtrenſibus *Poſnanienſibus*, juxta quam inſcriptionem ſolvitur ad præſens cenſus Collegio Lubranſciano Academico duabus Rathis, prima pro feſto S. Ioannis Baptiſtæ, mille centum floreni, ſecunda, pro feſto *S.* Martini Epiſc:

Anno autem D. 1622: in craſtino feſti S. Ioannis Baptiſtæ. Coram Actis Caſtrenſibus *Poſnanienſibus* Perilluſtris & Admodum Rndus D. Sebaſtianus Łacki Poſnanienſis & Caliſſienſis Canonicus, ſuper villa maius **Łacki/** in Diſtrictu Coſtenſi exiſtente, ſummam duorum millium trecentorum florenorum *Polonicalium* inſcripſit, ex cenſu annuo 160 flo renor: ordinatioq; talis eſt: vt floreni centũ, annuatim, per Perilluſtrem & Admodum Rndum D. Procurato-
rem

rem Venerabilis Capituli, *Præposito* Collegij Lubransciani Academici solvantur pro pisis, pulmentis varii grani, tum pro lignis ad focum & hypocaustum commune. Reliquum autem census balneatori in Ostrowko pro lavandis studiosis eiusdem Collegij, necnon pauperibus Sacerdotibus, quolibet mense. *Studiosi* autem vnà cum Professoribus Anniversario & Missæ intersint, officium defunctorum vel *Psalmos* Pœnitentiales, sive Coronam B. M. V. sive alias preces recitent. Deficiente autem Collegio Lubransciano, totus census mensæ Venerabilis Capituli accrescat. Quæ ordinatio connotata est in Actis Capitularibus Posnaniensibus, sub *Anno D. 1624. mense Ianuario.*

Tandem *Anno D. 1644.* post festum *S.* Martini, prælibatus Jllustris: & Rndissimus D. Andreas à Szołdry Episcopus Posnaniensis æterna memoria & laude dignissimus, summam decem millium florenorum *Polonicalium*, pro augendis salarijs Directoris, & Professorum eiusdem Collegij Lubransciani Academici, donavit, à qua summa Perillustris & Adm: Rndus olim D. Petrus Ciwicki, *Scholasticus* Posnan: censum solvebat, vti in bonis suis hæreditarijs assecuratum. Quæ summa postea transportata est in bona **Strzyżewo**, & per Reverendissimum Dominum Alexandrum Szołdrski modernum Custodem Prælatum Ecclesiæ *Cathedr: Posnanien:* inscripta & assecurata est.

Anno D. 1668. in Generali Capitulo SS. Apostolorum Petri & Pauli cum consensu Jllustris: & *Rndissimi* D. olim Stephani de Magna Chrząstow Wierzbowski Episcopi Posnaniensis, Venerabile Capitulum *Posnaniense*, areas certas in Oppido **Piotrowo**, ab omnibus oneribus tam Reipub: quàm Venerabilis Capituli immunes Collegio Lubransciano donavit.

Is idem Jllustris: & *Rndissimus* D. *Stephanus* Wierzbowski, molendinum Łaczny dictum desolatum, seu locum vbi fuit, cum omnibus suis attinentijs, Collegio eidem Lubransciano Academico, accedente consensu expresso Venerabilis Capituli Posnanien: *Anno D. 1676.* die 4tà Octobris, donavit & incorporavit. Quod molendinum Collegium Lubransciano sumptu proprio non exiguo à fundamentis extruxit.

Erexit etiam toties nominatus Jllustr: & Rndissimus D. Andreas *Szołdrski* Contubernium non procul a Palatio Episcopali distans, ex latere cocto, cum horto, pomario & piscinis, pro decem Alumnis ex Familia sua, emptis ad eum effectum bonis **Kiekrzewo**, &

wo & Koráblewo in ſuburbio Coſtenſi ſitis. Quæ bona vt juribus & privilegijs bonorum Terreſtrium gaudeant, obtinuit Conſtitutionem *Anno* D. *1649. fol. 8. tit:* Wolność od ſtacyey/ tenoris ſequentis: villæ Kiełzewo & Korablewo/ in Diſtrictu Coſtenſi ab Jlluſtriſ: & Rndiſſimo D. Andrea *Szołdrſki* Epiſc: Poſnan: pro educanda Iuventute Nobili in artibus liberalibus, fundatas, & proventu ex illis ordinato, bonis Terreſtribus, ita adæquentur, vt à ſtativis aliàs Stanowiſk/ penſionibus militaribus, ſint liberæ, lege præſenti perpetuâ cavemus, ſub pœna mille marcarum per tranſgreſſorem ſuccumbenda, reſpectu cujus forum in Caſtro Poſnanienſi ſine appellatione aſſignamus. Salvo ſervitio bellico, quod ex iſtis bonis pro expeditione generali expediri debet.

Has tam præclaras fundationes pro Eccl: Cathedrali, Capitulo, Academia, & pauperibus, Jlluſtr: & *Rndiſſimus* Dominus Andreas Szołdrſki Epiſcopus *Poſnan:* fecit, cuius munificentiam ſæcula ſæculis porrigent, & memoria æterna in cordibus omnibus manebit. Nam omnes fere Illuſtriſſimos & Rndiſſimos DD. Epiſcopos *Poſnanienſes*, tam Anteceſſores, quàm *Succeſſores* tam inſigni munificentiâ & liberalitate erga Eccleſiam, Capitulum, Academiam & pauperes ſuperavit. Faxit Deus! vt alij Jlluſtriſſimi & Rndiſſimi Domini Epiſcopi eundem imitentur.

Anno D. *1675. Sabbatho* poſt feſtum *Sanctorum* Omnium, Perilluſtris & Admodum *Rndus* D. olim Matthias Kotwic Krzycki Canonicus Poſnanien: Vir de literis bene meritus, ſummam decem millium florenorum *Polonicalium*, pro Alumnis ex Familia Kotwiciana deſcendentibus coram Actis Caſtrenſibus Poſnanienſibus inſcripſit, ſuper bonis Wieckowice/ eorundemq; Alumnorum curam Directori & Profeſſoribus Collegij Lubranſciani commiſit, & pro menſa eorundem Alumnorum dictam ſummam, & cenſum ab ea provenientem ordinavit.

Hæc ſumma tranſportata eſt *Anno* D. *1689.* poſt feſtum Viſitationis B. M. V. ex bonis Wieckowice/ in bona Sielec & Brzezie/ Palatinatûs Poſnanienſis, pro qua cenſus quotannis pro feſto *S.* Ioannis Baptiſtæ, debet ſolvi.

Anno 1685. Academia *Poſnanienſis* vnà cum Vniverſitate Cracovienſi jurium & immunitatum ſuarum, cōſervationem & confirmationem circa actus promovendorum ad omnes facultates obtinuit à Sereniſſimo IOANNE III. Rege Poloniarum, cuius Regij reſcripti tenor talis ſequitur.

Actum

Actum in Castro Posnaniensi, Sabbatho post festum S. Francisci Confessoris proximo *Anno Domini 1685.*

Ad Acta præsentia personaliter veniens N. Matthias Pawłowski M. R. G. Officio præsenti notus, sanus, liberè in præsentia Nobilium Pauli Kozłowski, & Thomæ Antonij Łągocki, hic personaliter stantium & præmissa attestan: recognovit se literas infra scriptas de tenore tali: IOANNES III. Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux &c. Czerniechoviæq;. Significamus præsentibus literis quorum interest, vniversis & singulis Religiosis, Provinciali Provinciæ Polonæ, tum Rectori, Vicerectori, *Scholarum* Præfecto, totiq; Collegio *Societ:* Iesu in Civitate Nostrâ Regia Posnaniensi sito, fideliter Nobis dilectis gratiam Nostram Regiam. Religiosi fideliter Nobis dilecti. Ea est Regalis clementiæ virtus, vt cuilibet ad thronum suum suppliciter accedenti, gratiæ & liberalitatis suæ effundat sinum. Ideo plurimùm evenire compertum est, vt Rescripta *Principum* tanquã ad vnius partis supplicationem, & quandoq; ad sinistram informationem obtineri solita, sibi invicem contraria extradantur. Facile & efficax suprema Regum authoritas istiusmodi negotiis adhibet temperamentum, cùm perhabitâ sufficienti informatione, discrepantijsq; pensatis ac æquitatis legumq; publicarum ratione ponderatâ, id quod legibus magis adæquatum viderit, per inviolabile demum edictum approbat, confirmatq;. Idcirco & Nos, dum nuper Iavoroviæ in *Anno 1678. die 18. mensis Augusti.* Privilegium certis Gratijs Pontificijs in vnius partis favorem olim emanatis conforme, super promotionibus Scholarium quorumlibet in Collegio dictæ *Societatis* in Civitate Nostra Regia Posnaniensi consisten: Cursus Philosophiæ & Theologiæ peragentium, ad quoscunq; Baccalaureatûs, Licenciaturæ, Magisterij & Doctoratûs gradus obtentis & emanatis magis subreptitiè, quàm motu proprio, concessisse Nos intelleximus: præfatum verò privilegium Nostrum, privilegijs Vniversitatis Nostræ Cracoviensis à Serenissimis *Prædecessoribus* Nostris Nobisq; ipsis, & tota Republica datis, concessis, & indultis sit contrarium: siquidem ijdem *Serenissimi Prædecessores* Nostri & tota Respub: Scholam Cracoviensem voluerunt esse Regni Generalem, Iusq; patronatûs nedum Nobis ipsis, sed simultaneè etiam toti Reipublicæ ad illam competit, summaq; perplexitas tam respectu privilegij Nostri, quàm eius contentorum oriatur. Proinde ex his & alijs causis animum Nostrum permoventibus, præcavendo, ne antiquis juribus Generalis Regni *Scholæ Cracoviensis*, tum quoq; legibus

gibus & Constitutionibus Regni occasione Vniversitatis Cracovien: sancitis praeiudicium inferatur, de expressa scientia & voluntate Nostra, praesenti Rescripto Nostro declarandum esse censuimus, declaramusq; praesentibus, quatenus Fidelitates Vestrae non obstante privilegio per Fidelitates Vestras à Nobis extorto, ab illius vsu abstineant, à conferendis gradibus Baccalaureatûs, Licentiaturae Magisterij & Doctoratûs, tam in scientia Philosophica, quàm Theologica, exnunc supersedeant, ad finalem vsq; per Nos in praemissis decisionem, secus Fidelitates Vestrae non facturae pro gratia Nostra: & sub poenis contra convulsores Rescriptorum Regni sancitis, ac nullitate quorumcunq; in contrarium praesenti voluntati Nostrae per Fidelitates Vestras attentantur. In cuius rei fidem, praesentes manu Nostrâ subscriptas, sigillo Regni communiri iussimus. *Datum Varsaviae die 7. Martij, Anno D. 1685. Regni Nostri duodecimo anno.*

Ioannes Rex,

Locus sigilli Maioris Cancellariae Regni.

G. Taranowski Cracovien: Varsavien: Canonicus, S. R. M. Secr.

Cancellariatu Illustrissimi Domini Ioannis Comitis in **Piestkowá, Skálá, & Zywiec,** Wielopolski, Supremi Regni Cancellarij, Minoris Poloniae Generalis, Cracoviensis, Neoforien. Dolinen: Bochnensis &c. &c. Capitanei susceptum, & inductum ad Acta Metrices Regni Cancellariae Maioris. Nicolaus Szulc *Sacr.* Reg: Majestatis *Secr:* mpp. Actu descripta in claustri fortalitio PP. Collegij Soc: Iesu hîc Posnaniae sito, scamnoq; eiusdem claustri, praesente ipsomet eiusdem Collegij Praefecto, atq; Ianitore, & alijs studiosis posita & relicta sunt.

Hinc dum aliqui in Collegio Posnaniensi Patrum Societatis Iesu ad Doctoratum promoti, Canonicatum in Ecclesia Metropolitana Doctoralem obtinere volebant, reiecti sunt, ex quo non fuerint in aliqua Vniversitate Generalis Studij promoti, prout Brevia Apostolica Leonis X. & *Pauli* III. *Summorum* Pontificum in favorem Capitulorum Cathedralium, in Regno Poloniae expressè volunt & requirunt, quae Bullae vtraeq; in Constitutionibus Provincialibus Gnesnensibus *libro 3. fol: 149.* cum sequentibus, reperiuntur. Et inhaerendo istis Bullis Pontificijs, etiam Capitulum Nostrû Posnaniense Canonicos ad Canonicatus Doctorales aspirantes, & non promotos in aliqua Vniversitate Studij Generalis aliquoties non

admi-

admisit. Nec Vniversitas Vilnæ Patrum Societ: Iesu potest rectè appellari Vniversitas: quia non habet omnes facultates, quæ requiruntur ad dicendam Vniversitatem Studij Generalis.

Et quamvis Patres Soc: Iesu, in ipsa Vrbe Posnaniensi habeant suum Collegium, in quo studiosam Iuventutem erudiunt, nihilominus & Lubranscianum Athenæum floret, & Iuventus Nobilis cõfluit ob Mathematicas disciplinas, & in vtroq; Iure prælectiones. *Starovolscius in descriptione Poloniæ sub titulo: Major. Polonia, fol: 18.* Et frequentior confluerer, si commoditas mansionum in Suburbijs esset, nec distaret tanto intervallo loci ab ipsa Civitate Posnaniensi.

Reliqua de Episcopatu Posnaniensi.

Epitaphium prælibati Jllustr: & Rndissimi Ioannis Lubranski Episcopi Posnan: in medio Ecclesiæ Cathedr: extat, ex marmore porphyretico extructum. In Thesauro Ecclesiæ Cathedr: asservatur pars gladij S. Petri Apostoli à Iordano I. Episcopo Posnaniensi allata, & in certis temporibus visenda exponitur.

Ad Episcopatum Posnaniensem, spectat Civitas Varsaviensis, neq; unquam fuit Episcopus Varsaviensis. Collegium Prælatorum, & Canonicorum, & item Vicariorum in templo & Parochia S. Ioannis Baptistæ Varsaviensi, Ioannes Dux Masoviorum fundavit & dotavit, luculentis reditibus de bonis suis, ac de decimis à Plocẽsi Episcopo, permutatione quadam acquisitis, atq; Parochias aliquot, & quædã Sacerdotia; suppressis veteribus titulis addixit, & ab Alberto Iastrzembecio Episcopo Posnaniensi erigi procuravit. *Cromerus lib: 16. de rebus Polonorum fol: apud me 374.*

Capitulum hoc Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis obtinuit à Repub: dispositionem, ne Canonici & maximè Prælati, in gremium assumantur, nisi Nobilitate generis clari, non aliter ac in Cathedralibus Ecclesijs Regni, salvis quatuor Doctoralibus Præbendis pro plebeijs, de quo in Exorbitantijs in Comitijs Electionis Serenissimi Regis MICHAELIS *Anno D. 1669. tit:* O Opactwách/ Sed Ecclesiæ Cathedrales obtinuerant confirmationem Sedis Apostolicæ super præmissa ordinatione Reipub: quam nescio, an Collegiata Varsaviensis habet.

Pro coronide istius tituli adijcio, quòd Paulo Episcopo Posnaniensi eiusq; Successoribus Vladislaus dictus Plwacz, latinè Sputator dederat jus monetæ cudendæ, donavit præterea Ecclesiæ Posnaniensi, & eius Episcopo Paulo villam Sulkowá/ Krobia/ largos præbentem introitus. *Dlugossius tomo 1. lib: 6. fol: 581. idem scripsit & Cromerus lib: 7. de rebus Polonorum fol: 199.*

TITV-



TITVLVS VIGESIMVS QVINTVS

De Epiſcopatu Płocenſi.

SIcut alios Epiſcopatus Regni, ita & Epiſcopatum *Płocenſem* MIECISLAVS I. Poloniæ Princeps Chriſtianus fundavit & dotavit, vnicuiq; Epiſcopatui decimis manipularibus omnium frugum, tam ex Nobilium, quàm agreſtium bonis & agrorum culturis conceſſis & donatis,(quæ olim, antequã Chriſtiana Religio illuxiſſet, Principibus debebantur, & in horrea Regia devehebantur, *teſte Łubienio* in vita I. Epiſcopi Płocenſis). Płoſcum in quo Eccleſia Cathedralis Nobilis exſtat, ſitum eſt in ripa eminentiore fluvij Viſtulæ, vnde proſpectus in omnes partes amæniſſimus patet.

Baſilica Cathedralis in Arce non inelegãtis ſtructuræ collocata, argento, auro, & clenodijs pretioſis abundat: inter quæ viſitur caput S. SIGISMVNDI Regis, à *Sereniſſimo* Rege Poloniarum III. loco illi (quòd nimirum Baſilica ipſa ſub titulo *S. Sigismvndi* erecta ſit) donatum, thecæ auri obryzi incluſum, gemmis & lapidibus pretioſis ornatum.

Capitulum iſtius Eccleſiæ vix non æquales reditus cum Epiſcopo habet. Nam ipſe *Præpoſitus* integrum Territorium poſſidet, eſtq; ſupremus Dominus Nobilitatis illius, quæ ibi manet, ſicut & Epiſcopus *Płocenſis*, Pułtovienſis Territorij ſupremus eſt *Princeps*, nec ab illo datur provocatio ad Regem, ſed ita Nobiles ſunt ipſi ſubditi, ſicut & Epiſcopo Cracovienſi in Ducatu *Severiæ*, aut Varmienſi in ſuo Epiſcopatu. Habet etiam Epiſcopus *Płocenſis* Oppidum Gwizno dictum in totoq; illo Territorio iuriſdictionem ſuam exercet.

Patres Societ: Ieſu Collegium erudiendæ Iuventutis ibidem habent, ſed eſt etiam Gymnaſium Caſtrenſe ſub cura Venerabilis Capituli, ad quod Magiſtri ex Academia Cracovienſi vocantur.

Eſt etiam in Arce Płocenſi Abbatia Ordinis S. Benedicti. In ſubvrbio autem Monaſterium Monialium, *Sanctæ* Mariæ Magdalenæ.

Epiſcopus Płocenſis reſidentiam ſuam latericijs domibus & arce in ſcopulo ſeu inſula *Narvæ* fluvij navigabilis exſtructam, hortiſq; ac pomarijs nobilem *Pułtoviæ* habet. Vbi quoq; adeſt Collegium Canonicorum, & ſtudium *Patrum Soc:* Ieſu. *Starovol: in deſcript: Pol: ſubtit: Maſovia.* quod Noſcovius Epiſ: *Płocen:* fundavit, extincto veteri, in vim cuius, Cracoviæ Contubernium Philoſophorum erexit. *Łubieńſki in ſerie Epiſc: Płocenſium, fol: 378.* Epi-

Episcopatus Płocensis gaudet hâc prærogativâ, quòd Archiepiscopus Gnesnensis sit Canonicus natus in Ecclesia sua Cathedrali *Płocési*. Nam cùm Ioannes Zaplá Iurisperitus, Vladislaviensis & Płocensis Scholasticus, Ducatûs Masoviæ Cancellarius, custos & moderator Casimiri Filij Conradi Masoviæ Ducis, ab ipsomet Conrado datus, ex sola suspicione, quòd Casimirus contra Conradum Patrē consilio Zaplæ molimina strueret, revocato illo per literas à Casimiro, non cognitâ causâ, in carcerem coniecit, ac mox quæstionibus & torturis subiectum furore correptus, in patibulum egit. Cuius cadaver Patres Ordinis S. Dominici Monasterij Płocensis, ante aliquot annos à Conrado conditi deposuerunt, cùm Christiano ritu funus deducerent, Agathia Vxor Conradi mariti furori suffragata eripuit, & in plaustro bobus duobus contumeliæ causâ vectum, novâ furcâ ad id ex tempore ad ædem & Monasterium Patrum Dominicanorum ex adverso Basilicæ erectâ, iterum suspendi jussit, nec tamen deterriti sunt Patres Dominicani, quin iterum illud deponerent; atq; honorificè sepelirent. In quo, quidem evidenter Divina justitia apparuit: scelestâ ac sacrilegâ Tyranni manu ad vltionem patrati priùs à Ioanne illo sceleris vsâ, propterea: quòd is iniustæ & nefariæ necis Cristini Palatini Płocensis author & incentor sanè fuerat. *de quo Cromerus libro 7. de rebus Polonorum fol. apud me 190. scripsit.*

Hoc Conradi facinus, & patratum in Sacerdotem Dei parricidium Andreas Episcopus Płocensis non est ausus vindicare, ne quid & ipse à Tyranno pateretur. Cæterùm Petrus Archiepiscopus Gnesnensis maiore animo, vniversæ *Płocensi* Diœcesi sacris interdixit. Quam ob rem excanduit quidem primò Conradus, sed ad se postea reversus, agnovit culpam, & Łanciciam ad Archiepiscopum vt ille jusserat, venit, de admisso scelere, Archiepiscopi arbitratu, satisfecit. Łoviciam quondam villam cum adiacentibus sylvis Archiepiscopo Gnesnensi sempiterno jure donavit, eâ quidem lege, vt Archiepiscopus Gnesnensis semper Canonicus natus Płocensis esset, & libram seu marcam auri Duci Masoviæ, eorum bonorum nomine, quotannis penderet. Vladislaviensi autem & *Płocensi* Ecclesijs, idem Conradus multa largitus est, atq; ita Archiepiscopus interdictum suum relaxavit, & Conradus Dux, à Delegatis Gregorij IX. Summi Pontificis, Episcopo Vratislaviensi & Scholastico Cracoviensi, à crimine absolutus est, cùm ea quæ Archiepiscopo & Vratislaviensi & Płocensi Episcopis legaverat ac donârat,

vnà cum filijs suis confirmâsset. *Hæc Cromerus lib: 8. de rebus Polonorum, fol: apud me 205. scripsit, ad quem curiosum Lectorem remitto.*

TITVLVS VIGESIMVS SEXTVS,

De Episcopatu Varmiensi.



Riginem, fundationem & erectionem istius Episcopatûs *Ioannes Plastwig Decretorum Doctor, Ecclesiæ Varmiensis Decanus, & Thomas Treter Custos & Canonicus Varmiensis, ad vitas Episcoporum Varmiensium sic descripserunt.* Innuit quoq; *Miechovita lib. 3. cap: 35.* Cum Conradus Dux Masoviæ etiam auxiliantibus Crucigeris, (quos is idem Dux in Culmensi Terra collocaverat, prout *Dlugossus tomo 1. lib: 6. fol: 555.* de hac prima Crucigerorum vocatione scripsit *his verbis:* Conradus Masoviæ Dux, cùm per frequentes Polouconum hoc est Pruthenorum incursus, Terra eius devastaretur, & depopularetur impunè, coactus est invocare auxilium. Henrici Ducis Vratislaviensis, ad cuius persuasionem, barbaris repressis, & Terra Chełmensi in suum statum restitutâ, Fratres Cruciferos in sui auxilium advocat, & ipsis Terram Culmensem à Pruthenis defendendam assignat.

Idem reiteravit id, *eodem tomo, & libro, fol: apud me 578.* hoc addito, quòd de consilio Cristini seu Cristiani Episcopi Culmensis Religiosi, de Ordine Cisterciensi, eos accersivit: in primarioq; eorũ adventu in Castro **Dobrzyn/** à quo Fratres Dobrzynenses appellati erant, locavit, & processu temporis multa Oppida & villas ijsdem contulit.

Id *idem Miechovita libro 3. cap: 31. scripsit his verbis:* Conradus Dux Masoviæ & Cuiaviæ, Crucigeros in auxilium contra Pruthenos vocavit, & Pruthenis repressis Terram Culmensem & Castrum **Dobrzyn** illis assignavit, de hoc *is idem Miechovita eodem tomo, lib: 3. cap: 35. latiùs scripsit:* ad quos curiosum Lectorem remitto) impar esset contra Pruthenos seu Prussos, Masoviam, Terrasq; vicinas, continuis incursionibus devastantes. Inito maturo consilio, tantas devastationes & excidia, Sedi Apostolicæ exposuit, defensionisq; auxilium postulavit. Itaq; Sedes Apostolica, auditis precibus Conradi, tantisq; calamitatibus mota, Legatum suum misit: sacrũ bellum Crucis, per vniversam Germaniam & Poloniam contra in-

fideles

fideles Prussos seu *Pruthenos* promulgari fecit. Cui bello tam sancto Conradus Dux Masouiæ, Lasconogus Maioris *Poloniæ*, *Semovitus* Cuiaviæ, Lesco Cracoviensis, Henricus Legnicensis, Filius S. Heduigis, Suantopelcus & *Samborius* Fratres, *Pomeraniæ* Duces, cum suis militibus, nomina *Anno D.* 1225. dederunt. Accesserunt, Vratislaviensis, Lubuscensis, & Olomucensis Episcopi, & alij Fidei Catholicæ Romanæ zelatores: Hermanoq; Balke Magistro Crucigerorum, & viginti octo Fratribus Teutonicis Sanctæ Mariæ, centumq; eorum peditibus juncti, cum Legato Apostolico ad Vogelsandum in ripa Vistulæ fluvij exstructum, processerunt; & sine mora, per Vistulam fluvium congelatum die S. Simonis Apostoli ad Slemum Pruthenorum munitionem (quæ nunc Garsa nominatur) transierunt. Quibus visis, Prutheni summo impetu eosdem adorsi sunt, certatumq; est ab vtrinq; ingentibus animis, totâ die, victoriâ penes Exercitum Christianum manente. Vnde Prutheni videntes se victos & profligatos, pacem à Christianis Principibus petierunt, quæ in diem *S.* Martini Episcopi & Confessoris, his conditionibus confecta est. *Primò* vt Prutheni deinceps Principibus fideles & tributarij essent. *Secundò*, vt Fratribus Teutonicis subditi forent, ab ipsisq; in Christiana Fide se instrui paterentur. *Porro* Principes supradicti, re feliciter contra Pruthenos infideles gestâ, Terras Prussiæ *Summo* Pontifici Romano (cuius nutu & auspiciis victoria parta erat) obtulerunt: orantes, vt omnes modos & rationes iniret, quibus Christiana fides in hisce Terris plantari, & deinceps propagari posset.

INNOCENTIVS itaq; IV. *Summus Pontifex*, præter alios doctos & religiosos Viros, ac pios *Sacerdotes*, quatuor ad Monasterium Torunense misit, qui in *Christiana* fide populos illos erudirent: videlicet Doctorem Henricum, Canonicum Brunensem in Moravia, Fratrem Henricum, & Fratrem Ernestum, Ordinis Prædic: & Fratrem Anselmum, Ordin: *S.* Francisci.

Ut autem certa ratio & modus iniretur, quibus *Provincia Prussica* in augmentum Divini cultûs faciliùs regi & contineri possit, supranominatus INNOCENTIVS IV. Papa *Anno D.* 1241. Legatum suum Vilchelmum (*vel juxta Cromerum lib. 8. de rebus gestis Polonorum, fol: apud me* 214. *Guilelmum*) Episcopum Mutinensem (qui postea factus fuit Papa & vocatus ALEXANDER III.) misit, qui Torunij in Monasterio Beatissimæ Mariæ Virginis Patrum Franciscanorum *Synodum* celebravit. Cui Synodo Archiepiscopus Gnesnensis, Vla-

dislaviensis, *Płocensis*, & Vratislaviensis Episcopi: plurimiq; alij Ecclesiarum Prælati, Abbates, & Sacerdotes interfuerunt: Constitutumq; est in eadem Synodo, vt *Prussia* in tres partes divideretur, cuiuslibet autem partis tertia pars, cum omnibus præëminentiis & Regalibus, pro fundatione converteretur, duæ autem reliquæ partes Crucigeris cederent, vt onera belli sufferre, securitatemq; *Provinciæ* præstare possent. In quibus etiam Domini Episcopi jurisdictionem suam exercere deberent: vtq; quælibet Ecclesia post obitum primi Episcopi, liberã electionem haberet; nulliq; Domino, præterquam Summo Pontifici, immediatè subiecta esset.

Fundatiq; sunt in eadem *Synodo* Episcopi Varmiensis, *Sambiensis*, & Pomesaniensis (*vt Cromerus loco citato*) & per præfatum Legatum Apostolicum ordinati & consecrati: Culmensis autem Episcopus, vt iuxta concordata, cum Incolis suæ Diœcesis, & Fratribus Ordinis Teutonici portione contentus sit. Episcopi Pomesaniensis fuit sedes in Civitate Quizinum, quam Germani Marieverder vocant, *scripsit Cromerus in libro de situ Poloniæ & gente Polona.*

De Sambiensi & Pomesaniensi Episcopatibus, *Cromerus in lib: de Repub: & Magistratibus Polonorum, scripsit sic:* Ea pars Prussiæ, quæ nunc Ducalis dicitur, ex eo tempore, ex quo devictis barbaris populis sub Christi potestatem missa est, simul cum Episcopis suis, Sambiensi & Pomesaniensi ad Nostra vsq; tempora Ordini Teutonicorum paruit, & paulò infra subiungit. Ex eo igitur tempore, quo pars illa *Prussiæ* Alberto Marchioni cessit, duorum Episcopatuum suppressione aucta est.

Ecclesia Varmiensis sub titulo Beatissimæ M. Virg: & S. Andreæ Apostoli consecrata est. Varmia *Provincia* à Varmo Filio Vidervuti Prussiæ *Principis*, quam ipsi *Pater* hìc, circa divisionem Prussiæ inter alios Filios assignaverat, nomen accepit. *Treterus loco citato.*

Electio Episcoporum Varmiensium, quòd ad Capitulum spectet, ex nominatis quatuor á Serenissimo Rege, quos Serenissimus Rex non debet nominare, nisi veros Indigenas Terrarum Prussiæ: *scripsit Cromerus loco citato.*

Et exstat privilegium Capituli Varmiensis à SIGISMVNDO Rege *Poloniæ* in Conventu Generali Petricoviensi *Anno D. 1512- die Martis, septimâ mensis Decembris*, alias in Vigilia festi Conceptionis B. M. V. datum, sed in praxi non est.

Præpositum Ecclesiæ Varmiensis Rex Serenissimus Poloniæ præsentat,

sentat, Episcopus præficit, alios Canonicos Capitulum cum Episcopo alternis vicibus eligunt, Summus Pontifex confirmat, sed neq; Episcopus, neq; cæteri tres Prælati, locum & suffragium in Capitulo habent, nisi sint etiam Canonici: Prælati & Canonici iurare debent intra mensem posteaquã ad Collegium coöptati sunt. Bona Episcopi sic divisa sunt, vt duas partes Episcopus, & tertiam partem, Capitulũ obtineat, *vt scripsit Cromerus lib: de Republ: & Magistratibus Polonorum.*

Episcopus Varmiensis, in suo Episcopatu seu Principatu Nobilitatem habet ab omnium Regiorum Magistratuum jurisdictione exemptam, non aliter vt Episcopus Cracov: in Ducatu suo *Severiæ*, qui jure municipali eodem, quo *Prutheni* cæteri vtuntur. *Starov: in descript: Poloniæ sub tit: Prussia. Crom: loco citato.*

In Senatu Prussiæ, quem Consiliarios Terrarum *Prussiæ* vocãt, Episcopus Varmiensis est *Princeps*, & moderator eiusdem, deinde Episcopus Culmensis, consequenter *Palatini*, Culmensis, Mariæburgensis & Pomeraniæ: *Castellani* Culmensis, Elbingensis, & Gedanensis: ad hæc *Succamerarius* Culmensis, Mariæburgensis & *Pomeraniæ*. Tandem ex tribus *Civitatibus* primarijs Torunensi, Elbingensi & Gedanensi, Legati, Thesaurarij autem, Præfecti Arcium, Gladiferi, Iudices, Scabini in hoc consilio locum non habent. juxta *Starov: loco citato*, videatur & *Cromerus loco citato.*

Episcopus Varmiensis sub tempus Interregni, post Convocationem Generalem Varsaviensem ante Electionem novi Regis, literis suo nomine dimissis, Ordines Prussiæ, vtpotè Episcopum, Palatinos, Castellanos, *Succamerarios*, *Civitates* maiores, Ordinem Equestrem, minoresq; Civitates ad Conventus Generales & *Particulares Prussiæ* habendos convocat, certumq; tempus assignat.

Limites Diœcesis Varmiensis extenduntur, vsq; ad Regiomontũ ad Pragelam, ad Episcopatum Vilnensem; meridiem autem versus ad Episcopatum Plocensem, ad lacum Drãusem & Habum. *Treterus vbi supra.* Subditi Episcopi & Capituli eodem, quo cæteri Prussi, jure municipali vtuntur, sed habent etiam peculiaria inter se autem communia instituta, quæ Landtsordnung, hoc est: Terræ Constitutiones vocantur. *Cromerus ibidem.*

Primária Vrbs Varmiensis Provinciæ est Heilsberga domiciliũ Episcopi (Cathedra autem supra Fraumbergam est) deinde Brunsberga vbi PP. Societ: Iesu habent Collegium à Hosio Cardinali, Episcopo Varmiensi fundatũ. His Vrbibus non multùm cedunt Gut-

ſtadium, Alleſteinum, Reſelium ſeu Resla, Vormditum ſeu Vormita, Meslacum, Vartemburgum, Scheburgum, & aliæ Civitates Capitulo directè ſubiacentes. *Starovol: & Treterus locis citatis.*

Refert *Cromerus loco citato*, quòd antiquitus Civitas Elbingenſis cum ſuo Territorio ad Varmienſem Diœceſim pertinebat.

Epiſcopatus Varmienſis vocatur nunc & Sambienſis, teneturq; unà cum Capitulo ſuo venire ad Synodum Provincialem Gneſnenſem: nam licèt Epiſcopi Varmienſes prætenderent ſe immediatè eſſe ſubiectos Sedi Apoſtolicæ, juxta ſcripta à Nobis paulò ſupra, & conſequenter non teneri venire ad Synodum Provincialem Gneſnenſem, nihilominus in Synodo Provinciali ſub Laurentio Gembicki Archiepiſcopo Gneſnenſi, *Anno Domini 1621. Petricoviæ* celebrata, *capite 4.* determinatum eſt. Quoniam ſacrum Concilium Tridentinum *ſeſſione 24. de Reformatione cap: 2. de Epiſcopis,* qui nulli Archiepiſcopo ſubſunt, ita diſertè diſponit: quòd ipſi debeant ſibi eligere viciniorem Metropolitanum, à quo ad Synodum Provincialem vocati, quamvis non jure ſubiectionis, ſed jure electionis venire, & omnia in Synodo ſtatuta obſervari facere debeant, ſupplicandum Suæ Sanctitati eſſe cenſuit, vt Sua Sanctitas mandet Rndiſſimo D. Epiſcopo Varmienſi, ipſiuſq; Capitulo, ne qui jam pridem ad Sacroſancta Concilij eiuſmodi decreta obſervanda, ſe ſe juramento obſtrinxerunt, in legem Concilij hoc ipſo committant, dum Metropolitanum Gneſnenſem, quo viciniorem neminem alium habent, ad Synodales actiones, ipſam etiam Varmienſem Eccleſiam concernentes, eligere negligant. *hucuſq; verba Synodi.* Ex occaſione, quæ à principio huius tituli, de Epiſcopatu Varmienſi ſcripſimus; quòd Conradus Dux Maſoviæ, Crucigeros in Culmenſi Terra collocaverat, eorumq; operâ vſus eſt contra Pruthenos Maſoviam Terraſq; vicinas devaſtantes, placuit de origine & principio Teutonici Ordinis hîc inſerere. Alexander Guagninus Veronenſis, Eques Auratus, in deſcriptione *Sarmatiæ* Europeæ, ſub titulo Michłovia *Provincia*, in diviſione duodecem Provinciarum *Pruſſiæ*, á Veneduto Principe Pruſſiæ, inter duodecem filios, *Anno D.373.* facta, ſic connotavit.

Anno D. 1188. cùm Balduinus Rex Chriſtianus Hieroſolimis regnaret, Saraceni & Barbari ex arce nomine Ptolomaida, latinè Acona, germanicè Agris dicta, varijs excurſionibus ſanctam Terram infeſtare ſolebant. Quamobrem Rex contra Barbaros, Saracenos auxilium petijt á Chriſtianis. Longobardi igitur ſexaginta galeras, & in his

in his quinquaginta millia virorum in subsidium miserunt, cum quibus multi homines probi, piæ peregrinationis causâ, in Terram sanctam profecti sunt. Horum numerus erat quingentorum partim ex Saxonia, partim ex alijs Provincijs Germaniæ, qui omnes in vnam navim congregati, Aconam vsq; pervenerunt, vbi per integrum annum cum infinita multitudine Christianorum, Aconam antequam caperetur, oppugnaverunt, in oppugnatione multi Christianorum, telis barbarorum læsi erant, unde in morbum inciderunt, passimq; sparsi, cùm neminem in Terra aliena, qui sublevaret inopiam, haberent, multi fame perierunt. Erant autem ex peregrinis præcipui octo boni & pij Teutones, qui cùm viderent Christianos tam miserè interire, commiseratione ducti, curam illorũ susceperunt, diligentiâq; illorum plurimi infirmi convaluerunt. Postea Xenodochium sive Hospitale, sub titulo Beatæ Mariæ Virginis, Aconæ erexerunt.

Imus. Xenodochij Præfectus, Henricus de Vualpot electus est Magister ex Germania oriundus: Hic maximam diligentiam, in fovendis infirmis & egenis adhibuit, ibiq; Aconæ vltimum diem peregit & sepultus est. *Anno D. 1190.* Postea Baldvinus Rex, Hierosolymis Templum & Xenodochium, pro pauperibus; & plurimis Nobilibus infirmis, qui in bello Aconiensi læsi erant, exstruxit sub titulo B. M. V. Tandem *Anno D. 1191.* Clemens III. Papa hunc Ordinem confirmavit, & intitulationem dedit, Fratribus Teutonicis Xenodochij Hierosolymitani Beatæ M. Virg: Præterea Regulam S. Augustini illis servandam imposuit, stemmateq; cum Cruce nigra, eos insignivit. Postea Patriarcha Hierosolymitanus singulos Fratres Teutonici Ordinis, á Papa confirmatos, albâ chlamide, ex vtraq; parte crucem nigram habente ornavit, sicq; illi habitum susceperunt. His loricâ indutis, gladio accincto, Missam celebrare concessum erat, nullusq; barbam tondebat, & super saccum stramine impletum, regulâ jubente, dormiebant: sed statim hæc, mirâ quadam metamorphosi immutata sunt.

2dus. Henrico de Vualpot successit Otto de Karpen Nobilis Germanus, sexto anno mortuus, Aconæ sepultus.

3tius. Hermanus Bart Olsacensis, electus, præfuit officio quatuor annis, Aconæ sepultus.

4tus Hermanus á Salzen, Nobilis Misnensis, *Anno D. 1210.* electus est, sub illo Fratribus Ordinis Teutonici à Saracenis Hierosolymâ pulsis, Prussia concessa est sub Conrado Duce Masoviæ.

Quorum viginti millia in Prussiam venerunt, *Prussosq;* Gentiles ex Terra Culmensi eiecerunt.

5tus. Conradus Thuringorum & Cathorum Landgravius electus, habitum Mariæburgæ in Prussia suscepit. Cum Prusis Gentilibus multa bella gesit, magnoq; labore fines Regionum Ordinis dilatavit, & ruinosa resarcivit, mortuus, Mariæburgæ sepultus.

6tus. Poppo ab Osternaw electus, multa præclara bella cum Pruthenis, Livoniensibus & *S*uantopolco Duce Pomeranorum gessit. Tandem à Tartaris ante Legniciam Civitatem interemptus, Vratislaviæ in Basilica *S.* Adalberti sepultus. Huius Magistri tempore Regiomontum constructum est.

7mus. Ioannes *S*angemusensis. *Anno D. 1263.* electus, Pruthenorum vires mirabiliter diminuit: Monasterium PP. Dominicanorum Torunij fundavit. Brandeburga quoq; Civitas cum Arce eius temporibus ædificata est *Anno D. 1266.* Tapia quoq; munitio erecta est, præfuit annis 12. sepultus Treveris.

8vus. Hartmanus Comes Heldrigensis, Nadraviam, *S*udaviamq; Regiones Prussiæ debellavit, sub illius regimine Menia Civitas ædificata est, Castrum Mariæburgense *Anno D.* 1281. erectum. Venetijs mortuus & sepultus.

9nus. Burchardus à Suenden, eo præsidente Fratres sui Ordinis, cum Prussis infidelibus bellum acre & sanguinosum gesserunt, eosq; in integrum ad obedientiam compulerunt. Post annos septẽ Magistratu se abdicavit, mortuus Rhodijs, ibiq; in Basilica *S*ancti Ioannis sepultus.

10mus. Conradus de Feuchtwangen, septem annis Magistratum gessit, Pragæ mortuus, Trebniciæ sepultus.

11mus. Gotfridus Comes de Hohenloch electus. Hic Venetiis cum multis Fratribus in *Prussiam* profectus, decem annis officium gessit, tandem Comitijs celebratis Magisterium resignavit, in Germaniam profectus, è vivis excesit.

12mus. Sigfridus de Feuchtuangen, *Anno D. 1307.* electus. *S*edem Venetiis in Prusiæ castrum Mariæburgam transtulit. Nam in Terra Sancta Venetijs, Neapoli, & in Anglia Sedes suas, & præclara ædificia, propter quasdam simultates amiserant. Duobus annis præfuit, Mariæburgæ fatis cesit.

13tius. Carolus Beffart *Anno D. 1309.* electus. *Anno D. 1312.* Memula arx in Curlandia Regione Prusiæ fundata, ad propulsandos Lithuanorum incursus; à Summo Pontifice respectu certi criminis,

Romam

Romam citatus, victor in causa, Romà discedens, Viennæ mortuus, ibiq; tumulatus.

14tus. Vernerus Vrselensis *Anno D. 1322.* electus, brevi, à certo Fratre Ordinis sui, cùm ex vespertinis precibus egrederetur, interemptus est.

15tus. Ludolphus Dux Brusuicensis electus, Vir pius & sapiens, justus, in Fratres Ordinis liberalis.

16tus. Districhus Comes Aldemburgensis octogenarius electus, Templum B. M. V. Mariægurgæ exstruxit, Torunij obijt, Mariæburgæ in Templo S. Annæ sepultus.

17mus. Rudolphus Dux Saxoniæ. Hic *Anno D. 1341.* magnas copias conscripsit Neumanoviamq; oppugnavit. Interim Lithvani Prussiam invaserunt, eamq; fere totam igne & cædibus consumpserunt, multos captivos obduxerunt, ob quam causam in amentiam venit, ab officio depositus præ mærore vitam finivit, in Marienverder Civitate sepultus est.

18vus. Henricus Dusmariensis cum Lithuanis & Ruthenis bellum egregium in die Purificationis B. M. V. gessit, Divinoq; auxilio decem millia hostium prostravit. Cænobium Monialium Lebenich dictum Regiomonti erexit. Mortuus Mariæburgæ tumulatus.

19nus. Henricus Kniprodiensis *Anno D. 1348.* electus, annis triginta vno præfuit, tandem Mariæburgæ vitam finivit, ibidemq; sepultus est.

20mus. Conradus Zolner. *Anno D. 1379.* multa bella & facinora, contra gentiles, Lithuanos, & Samogitas, temporibus Keystudi, Iagellonis, Vitoldi & Suidrigillonis Ducum Lithuaniæ gessit. Regimen octo annis tenuit, Mariæburgæ debitum naturæ persolvit.

21mus. Conradus Valenrodensis, vehemens, iracundus, & totis viribus bello incumbens, Monachos & Ecclesiasticos omnes odio persequebatur, nullumq; in hora mortis ad se venire passus est. Sub eo Fratres Ordinis *Anno D. 1391.* armatâ manu, per fluvium Crononem, Lithuanis Nemen dictum, ad Arcem Caunensem in Lithuaniam navibus, terraq; pervenerunt, ibiq; tres munitiones celerrimè exstruxerunt, Newerder, Riteverder & Meremburg appellatas, & ex his Crucigeri Lithuanis magna damna & cædes inferebant.

22dus. Conradus de Iyngingen vir probus, pacificus, præfuit annis duodecem: obijt Mariæburgæ in Templo Divæ Annæ humatus est.

23tius. Viricus de Iungingen, Conradi Frater, strenuus & bellicosus, cum *Polonis* & Lithuanis multa bella gessit, quem postea Iagello Rex Poloniæ & Magnus Dux Lithuaniæ cruento bello profligavit, in quo bello & ipsemet cecidit: Lithvanorum tamen, in Castris Polonorum militantium, septem millia desiderabantur.

24tus. Henricus Comes Pławensis, volebat vlcisci injuriam Crucigeris illatam, sed antequam quidquam inciperet ab officio deiectus, & Engelsburgæ in carceres coniectus, deinde adLeksteg missus, septimo anno in vinculis peracto, fatis cessit, Mariæburgæ sepultus.

25tus, Michaël Sterbergensis, Imperatoriæ Culinæ Præfectus. Primo anno eius regiminis Iagello Rex Poloniæ, & Vitoldus Dux Lithuaniæ, Osterrodam, Helsburgensemq; Episcopatum, Resenburgam, Elbingam & Cristburgam Civitates depopulati sunt, Argentoratum obsederunt, re tamen infectà discesserunt. Novem annis ordinem rexit, tandem illo postulante ab officio depositus, Gedani vitam finivit, Mariæburgæ verò sepultus est.

26tus. Conradus, ab Erlingshausen nullum bellum gessit, nimio dolore ob Fratrum perversitatem consumptus, mortuus Mariæburgæ, ibiq; sepultus est.

27mus. Ludovicus ab Erlinghausen creatus, *Anno D. 1450.* Tempore istius Magistri Prussia ab ordine descivit, ad Regem q; Casimirvm Poloniæ, maior pars eorum defecit Milites quoq; Ordinis Præsidiarij Mariæburgam cum alijs *Castris* & *Civitatibus* Casimiro Regi, *Anno D. 1457.* pro summa 476000. florenorum vendiderunt. Postea Rex captà Arce *Choynice,* pacem cum Crucigeris inijt, atq; ab hoc tempore Pomerania Regno Poloniæ adiuncta fuit, pro qua Poloni centum triginta annis perpetuò cum Crucigeris belligerabant.

28vus. Henricus Rhewos, Comes Pławensis, vndecem tantùm hebdomadis præfuit, Regiomonti in Cathedrali Ecclesia sepultus.

29nus. Henricus Comes Richtenbergensis, *Anno D. 1470.* officium suscepit, Fuit Vir rigidus, furibundusq; Theodorum Episcopum *Prussiæ* captum in vinculis fame peremit, Præfuit Ordini annis septem, Regiomonti sepultus est.

30mus. Martinus Truchses Weczhausensis. *Præfuit* Ordini duodecem annis, Casimiro Regi Poloniæ obedientiam præstitit, Regiomonti mortuus est, & ibidem sepultus.

31mus. Ioannes de Tiefen ex Helvetia, celebri familia oriundus, offici-

officium suscepit *Anno D. 1489.* eodem Anno Poloniæ Regi juramentum præstitit. Postea eidem Regi Ioanni Alberto, auxilium contra Valachos ferens cum exercitu profligatus, ipseq; peremptus Regiomonti sepultus est.

32dus. Fridericus Dux Saxoniæ Thuringorum & Hermandorum Marchio *Anno D. 1498.* Regiomonti creatus; nunquam Regi Poloniæ juramento se obstringere voluit: qua de causa, á Polonis sæpiùs infestatus, in Patriam suam Hermanduriam profectus, ibidem mortuus est.

33tus. Albertus Marchio Brandeburgensis CASIMIRI Regis Poloniæ Nepos, cum ingenti pompa Regiomonti *Anno D. 1512.* in Magistrum Ordinis præfectus est SIGISMVNDO I. Regi Poloniæ Avunculo suo juramentum præstare noluit, sed arces omnibus necessarijs munivit, magnum & diuturnum bellum cum Rege Poloniæ habuit, in quo ex vtraq; parte multi ceciderunt. Wolfangus Dux Schonemburgensis cum decem millibus peditum, & quatuor millibus Equitum Gedanum oppugnavit, ex monte Episcopi (vt vulgò vocant) innumeros globos tormentorum bellicorum in Civitatem frustra tamen exoneravit, tantâq; miseriâ & penuriâ omnium, milites Crucigerorum afflicti erant; vt multis suorum desideratis, quibusq; captis, fugâ sibi ab obsidione consulere cogerentur. Interea Rex Poloniæ in subsidium Gedanensibus duodecem millia Equitũ electorum misit, qui milites Crucigerorum ab obsidione Gedani discedentes insecuti sunt. Postea Exercitus Regius Dirschoviam & Stargerdum arces occupavit; Choynicz quoq; arx cum Civitate capta est, cæteræ Civitates & arces ultro se Regi obtulerunt, & sic milites Ordinis vnà cum Crucigeris ex Prussia eiecti sunt.

Itaq; Albertus ille vltimus Magister Crucigerorum belli cum Rege Poloniæ pertæsus, frustratus speratis à Germania auxilijs, Regem sibi per Internuntios Fratres & affines suos reconciliavit, Cracoviamq; veniens, juramentum solenniter Regi Poloniæ SIGISMVNDO I. in Majestate Regia ad id in medio foro fabricata, sedenti, Regalibusq; induto præstitit. Ibiq; prædictum Albertum Marchionẽ Brandeburgensem, post juramentum solenniter prœstitum SIGISMVNDVS I. Rex Poloniæ Principem Sæcularem, Equitemq; (vt vocant) Auratum creavit: Terrasq; omnes Prussiæ, certis sub conditionibus, eidem vt Feudali, clientiq; & subdito suo concessit; vexillumq; illi suum sub insignijs Polonicis dedit, atq; sic finem Ordo ille Crucigerorum in Prussia. *Anno D. 1526.* habuit.

Huic Alberto Prussiæ Duci, Soror Regis Daniæ, in matrimonium data fuit, ex qua suscepit Filium, Albertum Fridericum Ducem postea Prussiæ, qui post mortem Patris sui Regi Poloniæ juramentum homagiumq; in Comitijs Generalibus Lublini solenniter præstitit hoc modo: Amplissimum suggestum (sive Majestas vti dicitur Regia) tectum sericeis & stragulis in suburbio Lublinensi, erectum fuit, vbi Rex sessurus erat, interim Maiestas Regia ex Arce ad Thronum profecta, cinctus splendidâ Senatorum Procerumq; Vniversi Regni coronâ, præcedentibus Consiliarijs & Aulicis. Vexillum pulchrum & amplum albi coloris novo Duci, de more, cum insignibus donandum Filius Cancellarij Regni prætulit. Induta Majestas Regia ornamentis Regalibus, in certa domo suggesto Regio vicina, in suggestum processit, inter Archiepiscopum Gnesnensem, Iacobum Vchanski & Episcopum Cracoviensem Padniewski præcedentibus & subsequentibus primarijs Consiliarijs gladium evaginatum ancipitem Gladifer Regni prætulit, pomum aureum cruce insignitum & sceptrum primarij Palatini prætulerunt. Cùm itaq; Sacra Regia Maiestas in solio sedit, quatuor Germani Proceres Prussiæ nomine Ducis sui supplices venerunt, & genibus flexis vnus eorum orationem ad Sacram Regiam Maiestatem habuit. Oratione finitâ Serenissimus Rex quatuor Consiliarios suos, cum illis quatuor Germanis ad Ducem accersendum misit. Veniens itaq; Albertus Fridericus Princeps: brevi sermone singularem fidem, & subiectionem testatus est. Cui & eius Consiliarijs, nomine Regio responsum est, exprimendo omnem gratiam & favorem ac defensionem. His finitis accessit Princeps Albertus ad solium, & pedes Regios genu flexus summa cum veneratione accepit, deinde è manibus Serenissimi Regis vexillum album insignitum Aquila nigrâ cum literis S. & A. colligatis in pectore, cum institutione ore Regio facta, his verbis: Nos SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, annuentes Vestris, & Vestrorum subditorum precibus tradimus, & concedim⁹, Illustritati Tuæ, prout Parenti Tuo Jllustrissimo tradideramus in Feudum, Terras Civitates, Oppida & Arces in Prussia, & ad eas Jllustritatem Tuam investimus per huius vexilli traditionem, ac instituimus gratiâ & benignitate Nostrâ, quâ Jllustritatem Tuam, vti Nepotem Nostrum Charissimum complectimur, speramusq; quod eius beneficentiæ Nostræ, & memor & grata, fidelisq; Jllustritas Tua sit futura. Deinde Princeps Prussiæ caudam vexilli tenens, super libro Evangeliorum in hæc verba juramentum præstitit.

Ego

Ego Albertus Fridericus Marchio Brandeburgensis, Setinensis, Pomeraniæ, Slavorum, Cassubiorum Dux, Princeps Rugiæ, & Burgravius Norimbergensis, promitto & juro, quòd Serenissimo Principi ac Domino, Domino SIGISMVNDO AVGVSTO Regi Poloniæ Invictissimo, Magno Duci Lithuaniæ, Russiæq; ac omnium Terrarum Prussiæ Domino & Hæredi, sicut meo naturali, hæreditarioq; Domino, & eius Sacræ Maiestatis Successoribus Regibus, & Regno Poloniæ, ero fidelis & obsequens, Eiusq; Majestatis, & Successorum Regũ, & totius Regni Poloniæ bonum procurabo, & damnum præcavebo, ac omne id faciam, quod ad fidelem Vasallum feudalemq; pertinet. Sic me Deus adiuvet, & hoc sanctum Evangelium.

Accepto huiusmodi juramento Regia Majestas, gladium ancipitem à Gladifero Regni accepit, novumq; Ducem ter præcinxit inclinatum, de more dicens: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. *Postea* ei torquem auream Regio munere non indignam imposuit. Mox omnis Ordinis Nobiles, qui ad Equestre munus contendebãt præcincti sunt. Quibus omnibus peractis, depositis Regalibus indumentis, cum toto suo comitatu, Ducéq; Prussiæ cum suis præcedente, in Arcem Serenissimus redijt. *Hæc ex Guagnino.*

Hinc Prussia duplicem denominationem nacta est, quòd alia sit Regalis, alia Ducalis. Regalis dicitur, quam Serenissimus Rex Poloniæ possidet, & neminem alium pro Principe superiore, & Domino agnoscit & veneratur, nisi illum. Est tribus distinctã Satrapijs, Culmensi, in qua Michałoviense Territorium continetur, Mariæburgensi & Varmiensi. Primarias Civitates habet, Thorunium, Elbingam, & Mariæburgum cum Arce nobilissima & munitissima, in qua milites præsidiarij à Serenissimo Rege solent asservari, tum etiam præcipui ex hostibus captivi. *Guaguinus & Starovolscius locis citatis.* Et quamvis eodem cum Polonis Regno contineatur, tamen leges peculiares, ac belli gerendi rationem diversam habet, nec Nobilitas tempore expeditionis Generalis publicæ extra fines procedere tenetur. Ærarium quoq; peculiare & Thesaurarium habet.

Ducalis Prusia vocatur, quæ Ducem Marchionem Brandeburgicum Regi Poloniæ vectigalem & Vassallum habet. Et qui Serenissimi Regis Poloniarum gratia in eadem, Civitates & Arces possidet, hincq; Vasallus & feudalis ac Beneficiarius Regni

Poloniæ existit. Regiomontum Vrbem emporio claram, tribusq; Oppidis & Arce magnificâ insignem pro Metropoli habet. In qua Civitate Albertus ex Magistro Ordinis primus Dux Collegium cõmunis studij erexit & fundavit. *Guagninus vbi supra.* Sed quia Hæreticis Possessoribus regendam commisit, ideo nunc non efflorescit ingenijs, Civesq; ibi varijs sectis infecti, Templa, Lutheri adhuc temporibus Catholicis erepta, suis ministris dederunt. *Starovolscius vbi supra.* Quare SIGISMVNDVS III. Rex Poloniarum cum à Duce illo *Anno D. 1621.* homagium Varsaviæ reciperet (vt infra dicemus) legem imposuit, vt Catholicis liberum Religionis exercitium maneret. Duxq; ipse Templum illis à fundamentis erigeret; & omnibus requisitis ornaret; Clerumq; insuper sufficientissimè ditaret, idq; sub pœna privationis Ducatûs, *Starovolscius loco citato.* Nunc de Ducibus Prussiæ videamus.

Primus Albertus Marchio Brandeburgensis, trigesimus quartus & vltimus, Ordinis Teutonici Magister à SIGISMVNDO I. Rege Poloniæ, Dux Prussiæ Feudatarius creatus fuit, vt supra mentionẽ feci, & innuit *Cromerus in Oratione in funere SIGISMVNDI I. Regis Poloniæ habita, & historiæ de rebus Polonorum annexa, fol: apud me 694.*

Huic Alberto successit eius Filius Albertus Fridericus Anspachius Dux, sed cum in amentiam incidisset, datus est ei à STEPHANO BATHOREO Rege Poloniæ Curator, Georgius Fridericus Marchio Brandeburgensis in Onoldsbach, post hunc Ioachimus Fridericus tandem Ioannes Sigismundus Marchiones. Brandeburgici, *juxta Piasecki in Chronica fol: apud me 328.* de qua curatela latius habetur in Constitutionibus Regni 1611. prout hæc omnia ad calcem istius tomi adiungemus. Qui Albertus Fridericus Ducatum Prussiæ per se, & Illustrissimos Curatores per annos quadraginta novem administravit, & tandem *Anno D. 1618.* fatis cessit.

Interea Ioannes Sigismundus Marchio, & Elector Brandeburgicus fiduciariam successione in Ducatu Prussiæ sibi à Republica concedi petijt. In Comitijs Varsaviensibus, *Anno D. 1611.* Et post multas consultationes, eidem Ioanni Sigismundo & Fratribus eius, Ioanni Georgio, Ernesto, & Gulielmo Prussia jure Feudi concessa est, & possessio illius Ioanni Sigismundo decreta est certis cum conditionibus, vt refert *Piasecki loco citato,* & extat constitutio *Anno D. 1611. sub tit:* Lenno Pruskie/ *fol: 3.* vbi sic habetur. Post mortem Alberti Friderici infirmi succedere debet Illustrissimus Ioannes Sigismun-

gismundus Kurfiestr, & Marchio de Brandeborg, deinde *Proles* eius masculina, hac deficiente Joannes Georgius Ernestus, & Vilhelmus Fratres eius Germani, his deficientibus proles illorum masculina legitima, prout quisq; juxta senium **na Kurfierstwo** succedet. His omnibus deficientibus Ducatus Prussiæ ad *Regnum* Poloniæ redeat. Ad hæc imposita est conditio (quæ tamen in ipsa cõstitutione non est expressa) vt *Serenissimus* Dux, tributum triginta millium florenorum annuum, ad ærarium *Regni* Poloniæ solvat, & alia triginta millia florenorum, quotiescunq; in Comitijs Generalibus, Provincijs *Regni* istius contributio agrarie indicetur, plurimæ aliæ conditiones additæ sunt, de quibus in Actis & decretis Commissionum *Sacræ Regiæ* Majestatis Poloniæ *Regiomonti* in *Anno 1609. & 1612.* habitarum expressum est, quæ ad finem istius primi tomi apponi fecimus.

Finitis Comitijs, Elector præfatus Joannes Sigismundus mense Octobri Varsaviam venit, & obvium habuit Serenissimum *Regem* in campo suburbano Civitatis viâ *Zacrocimensi*, quem primus ex equo descendens Elector postquam salutasset, & ad Palatium deduxisset, ipse quoq; ad Palatium villæ *Regiæ* **Jazdowo**/ comitatus est à Delegatis *Regijs*, secessit ac insequenti die insumpto moderandis conditionibus committendæ fiduciæ, seu Feudi huiusmodi die tertio ad Serenissimum Regem super pegmate in area Bernardinorum ad hoc erecto, habitu Regali, considentem venit, flexusq; genu vtroq; iuramentum Fidelitatis, vti Cliens Serenissimo Regi præstitit, prælegente verba jusjurandi Archicancellario *Regni*; qui tunc erat Laurentius Gembicki Episcopus Vladislaviensis, & Rege vexillum cum insigni Regni Poloniæ Aquila alba, ac leges Feudi conceptas scripto ipsi tradente. Episcopus autem Fulinatensis Simoneta, vti Nuntius Apostolicus denuntiavit interpellationem *Summi* Pontificis de Episcopatu Sambiensi, & Fomesaniæ ab illis Ducibus suppresso & de jure, quod Cruciferi Sedi Apostolicæ in illa Provincia quæsierunt. *Quæ omnia ex Chronica Piasecij dicto fol. 328. desumpta sunt.*

Mortuo Ioanne SIGISMVNDO *Anno D. 1619.* eidem Georgius Vilhelmus Elector Brandeburgicus Filius eius à SIGISMVNDO III. Rege *Poloniæ*, Varsaviæ *Anno D. 1621.* ritu solenni, recepto ab eo juramento Fidelitatis, inauguratus est Dux Prussiæ, *teste Piasecki in Chronica fol: 411.*

Quem Serenissimus Rex SIGISMVNDVS III. cum Senatoribus extra

tra Vrbem, cum bis mille ſplendidiſſimorum Equitum per turmas & agmina diviſorum, & cum totidem peditum, obviam progreſſus ſummo cum honore recepit. *Stanislaus Łubieńſki in cenſura Iullij Belli, Laureæ Auſtriacæ ſcriptoris.*

Tentavit ille, vt Pruſiam jure ſupremi dominij teneret, ſed id efficere nequivit. Fridericus itaq; Vilchelmus Filius eius, in regimine *Pruſiæ* eidem ſuccedens, à IOANNE CASIMIRO Rege Poloniæ per Pacta Bidgoſtienſia *Anno D. 1657.* inita, & *anno ſequenti 1658.* in Comitijs Generalibus (vt in Conſtitutione Regni, eiuſdem Anni *ſub tit:* **Approbacyą** *Pactorum* **z Kurfiſtrzem JegoMośćią** expreſſum eſt.) confirmata, effecit hoc apud Rempub: Noſtram, ut Ducatum Pruſiæ ijs finibus circumſcriptum, quibus illum olim, jure Feudi ante bellum *Sueticum* exortum poſsidebat, ipſemet, & eius *Proles* maſculina jure ſupremi Dominij, abſq; omnibus antehac præſtitis oneribus poſsideant & regant. Deficientibus autem maſculis ex præmemorata Linea legitimâ Electorali deſcendentibus, Ducatus Pruſiæ iterum ad Regem Regnumq; *Poloniæ* redeat. Jn caſu autem non exiſtentium deſcendentium maſculorum, ex Linea legitima præfati *Sereniſſimi* Electoris Friderici Vilhelmi promiſſum eſt, quòd ſpecialis reſpectus habebitur Ducū Onolsbacenſium & Culmbacenſium, cum ijs tamen conditionibus, prout Sereniſſimus Elector, Anteceſſoreſq; eius, dictum Ducatum Pruſſiæ vigore Inveſtituræ poſſederunt. Promiſſa quoq; eſt Sereniſſimo Electori Vrbs Elbinga, poſtquam à *Suecis* recepta fuerit, & quidē nomine hypothecæ pro quadringentis millibus talerorum. Prout latiùs in dictis *Pactis* Bydgoſtienſibus ſuper his omnibus deſcriptum eſt.

Pace cum Suecis compoſitâ, cùm ab vtraq; parte Commiſſarij eſſent miſsi, ad hoc negotium Elbingenſe componendum Commiſſarij Brandeburgici, multas controverſias excitàrunt. *Primò* reſpectu amotionis Poſtarum Gedanenſium. *Secundò* in reſtitutione Brunsbergæ. *Tertiò* in defalcatione eorum, quæ Civitas illa in præſidium erogavit: Tandem reſpectu confirmationis jurium Civitatis Elbingenſis; ſicq; ſupremi juris dominij traditio reiecta eſt, ad illud tempus, & determinationem *Reipublicæ*. Tandem reſpectu prætenſionum ab vtrinq; inter *Rempub:* Polonam **y Kurfiſtrzem JegoMośćią Brandeburſkim/** fuit Commiſsio *Anno D. 1578.* decreta, vt in volumine Conſtitutionum Regni *Anno eodem fol: 12. tit:* **Obeſpieczenie Miáſtá Elblągá/** habetur: ſed quia effectum ſu-

um

um non est sortita, ideo alba Commissio decreta est. *Anno Dni* *1683.* vt in volumine Constitutionum Regni *Anni eiusdem fol: 12.* *sub tit:* **Kommissya z Kurfisterzem JegoMościa** habetur. *Tandē Anno 1690. fol. 26. sub tit:* **Kommissya z Kurfistrzem.** Fuerunt & aliæ commissiones decretæ, vt pote *Anno D. 1670. 1676.1677. fol: 16.* respectu differentiarum intervenientium, ex proximitate vicinitatis inter Ducatum Masoviæ & *Podlachiæ*, & Ducatum *Prussiæ*, occasione Fundorum, limitum, sylvarum, subditorum profugorum, sed nunquam ad effectum fuerunt deductæ.

Serenissimus Elector Brandeburgicus *Anno D. 1632.* post mortem SIGISMVNDI III. Regis *Poloniæ* in convocatione ante Comitia Electionis novi Regis expostulavit, cur ad eum Conventum non fuerit vocatus; cum tamen ad consilia Regni, vti membrum, & Civis Reipublicæ *Polonæ* pertineret, hocq; ipsum in diplomate à SIGISMVNDO I. Rege *Poloniæ*, Ducibus Prusiæ Antecessoribus suis dato, expressum sit. *refert Piasecki in Chronica sua fol. 529.*

Idem Serenissimus Elector & Dux Prussiæ *Anno D. 1633.* obtinuit, vt iusiurandum fidelitatis pro Ducatu Prussiæ redderet VLADISLAO IV. Regi, idq; per Procuratorem seu Plenipotentē suum, & non in Comitijs, & in facie totius Reipublicæ, sed extra Comitia. Quod factum erat contra communem consensum Senatorij & Equestris Ordinis, exceptis primarijs Senatoribus & Serenissimo Rege illis annuente. Contrarium sentientium erat motivum, quòd Serenitas sua, in bello *Suetico*, non satis probasset fidelitatem suam. *Ita Piasecki in Chronica sua fol: 549.*

Eidem Serenissimo Electori Brandeburgico, & Duci Prussiæ, eiusq; Proli masculæ Serenissimus Rex, ac Respublica Polona dedit jure Feudi duas Præfecturas, Lemburgensem & Bytoviensem (alij Butoviensem) liberando eundem, & *Prolem* suam ab omni juramento, tributis exactionibus quibuscunq; ratione dictarum arcium & Oppidorum præstandis, prout olim Ducibus Pomeraniæ eædem *Præfecturæ* concedebantur.

Dictas Præfecturas Lemburgensem, & Butoviensem SIGISMVNDVS I. Rex Poloniæ concesserat Georgio Duci Pomeraniæ (ex cuius *Sorore* dictus Georgius natus erat) in feudum juxta privilegiū tenoris sequentis.

Ad perpetuam rei memoriam Nos SIGISMVNDVS &c. Vniversis & singulis præsentibus, & futuris harum seriem inspecturis manifestum facimus: Quia vigentibus olim bellis inter Serenissimum

felicis memoriæ CASIMIRVM Regem, Parentem ac Prædecessorem Nostrum, ac inter Ordinem dictum sanctæ memoriæ Teutonicorum in Prussia, Illustris olim Princeps Dominus Ericus Stetinensis, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ Dux & Princeps Rugiæ multa in ipsis bellis & controversijs favoris benevolentiæ, & obsequij sui erga prædictum Serenissimum Parentem Nostrum officia exhibere, & suppetias non vulgares, illius Majestati defunctæ adversus hostes eius præstare solitus erat, ac ob eam causam illi arcem **Bytow** vnà cum Oppido ibidem consistente, necnon Civitatem Lavenburg cum vniversis fructibus, & proventibus ad illam pertinentibus, idem Serenissimus Parens Noster ad arbitrium & beneplacitum suum concesserat, vt id ex literis & alijs monumentis abundè constat. Deinde verò ob eandem benevolentiam & coniunctionem, quæ inter Serenissimos Prædecessores Nostros, & prædictum Dominum Ducem Ericum, ac posteros eius intercesserat, etiam affinitas & necessitudo accessit, quæ ad hæc vsq; tempora, mutuis officijs & amore coaluit, ita: vt prædictas Arces & Oppida, repetita quidem aliquoties, tamen non gravatim & Nos & Serenissimi Fratres, ac Prædecessores Nostri possideri à nominatis Ducibus Pomeraniæ, citra jurium Regni sui detrimentum ferebant. Cùm postremò Nos ad has Terras Nostras Prussiæ venientes, inviseret officiosissimè Illustris Princeps Dominus Georgius Stetinensis Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ Dux & Princeps Rugiæ, Nepos Noster ex Sorore charissimus & suam ac Illustris Fratris sui Germani Domini Barvini singularem erga Nos propensionem animi, & observantiam declaravit, remisitq; Nobis & Successoribus Nostris de dote, Illustrissimæ olim Dominæ Annæ Sorori Nostræ, à præfato Serenissimo Domino Rege CASIMIRO, Patre Nostro, promissa quatuordecem millia aureorum Hungaricalium, volentes vicissim erga Illustritates eorum vberiorem amorem Nostrum testari, & illas, earumq; Successores Nobis ac Regno Nostro arctiori benevolentiâ & coniunctione devincere, attamen juribus Regni Nostri non deesse, illis & earum hæredibus masculis, Arces & Oppida prædicta **Bytow**/ & Lavenburg cum omnibus & singulis eorum subditis, Vasalis, fructibus, libertatibus, eminentijs, censibus, proventibus, juribus & pertinentijs vniversis, sicuti illa ad arbitrium & beneplacitum (vt dictum est) Serenissimorum Prædecessorum Nostrorum, & Nostrum hactenus vsu, & fructu tenuerunt, de consilio & consensu Dominorum Consiliariorum, tam Spiritualium, quàm Sæcularium Regni Nostri, tenendi, habendi, fruendi, vtendi & possidendi in perpetuum, jure Feudi, pro Nobis & Successoribus Nostris

stris Regibus Poloniæ dedimus ac concessimus, ac illos de eis ipsis Arcibus & Oppidis Bytow/ & Lavenburg investimus, & tenore præsentium damus & concedimus, illosq; & eorum hæredes, de amplior gratia & benevolentia Nostra, ac omni juramento, necnon tributis & axactionibus, quibuscunq; Nobis & Posteris Nostris, ratione dictarum Arcium & Oppidorum præstandis, dimittimus, & liberos facimus. Pollicemur præterea dictos Principes, in prædictis Arcibus, & eorum pertinentijs (quantum in Nobis est) defendere ac tueri; tenebuntur tamen, & obligati esse debent præfati Domini Duces, & eorum Successores ad singulas Successorum Nostrorum Regum Poloniæ Coronationes vel venire ipsi, vel Consiliarios aut Officiales suos mittere, qui hoc ipsum jus feudale, de præfatis Arcibus & Oppidis ad Regnum Nostrum pertinens (ita, vt jam dictum est) recognoscent; & literas eius recognitionis, & renovationis ipsius Feudi (quæ gratis debent illi dari) à Nobis Regibus accipient. Quodsi aliquâ legitimâ causâ impediti, hoc officium & debitum in Coronationibus Successorum Nostrorum non fecerint, nihil ea negligentia afferre illis detrimenti debebit: dummodò alio brevi tempore, post Coronationem id præstare curaverint. Vbi verò ipsi Principes Domini, Georgius & Berninus Duces Pomeraniæ sine legitimis masculis Feudi hæredibus, vel eorum legitimi masculi Feudi hæredes, non relictâ Prole virili decederent, stirpsq; & progenies eorum mascula & legitima deficeret, & tunc prædictæ Arces & Oppida Bytow & Lavenburg, cum omnibus suis bonis, subditis, Vesallis fructibus, libertatibus, juribus, eminentijs & pertinentijs universis, ac cum pleno jure & possessione, citra omnem difficultatem, ad Nos & Posteros Nostros Reges Poloniæ redire debebunt: salvâ tamen Iurisdictione interim perpetuò proventibus, decimis, seu Episcopalibus, cum villis, bonis, & piscaturis, ac libertatibus ad Reverendum Ioannem Episcopum, & Ecclesiam Vladislaviensem ex antiquo pertinentibus. In cuius rei testimonium, sigillum Nostrum est præsentibus appensum. Actum & datum in Civitate Nostra Gedanensi, die Inventionis Sanctæ Crucis. Anno D. 1526. Regni Nostri Anno vigesimo.

Hoc privilegium refert *Przyluscius lib: 5. cap. 4.*

Quo Feudo finito, Respublicæ dictæ Præfecturæ incorporatæ remanserunt, prout habetur in Constit: *Anni 1637. fol: 9. tit.* **Reincorporácyá Powiátow Lemberku/** &c.

Tandem subsequenti *Anno 1638*, (prout in Constitutionibus Regni eiusdem anni *fol: 10. sub tit:* **Kommissya do Bytowá/** habetur, fuit commissio decreti his verbis: Quoniam isti Districtus ad

Coronam Regni Poloniæ redierunt. Jdeo Domini Commiſſarij à Nobis deſtinati, qualitatem & quantitatem iſtorum Territoriorum & incolarum genere Nobilium, qui collatum olim Feudum Ducibus Pomeraniæ in ſtatu Nobili, in dictis Diſtrictibus præceſſerũt (Polonicè **Poprzedzili**) ſimiliter Civitates, villas &c. fideliter conſcribant, & in proximis Comitijs Generalibus omnium præmiſſorũ relationem faciant.

Subſequenter *Anno D. 1641.* ordinatio horum Diſtrictuum facta eſt, vt videre licet in Conſtitutione eiuſdem *Anni 1641. fol. 13. ſub tit:* **Ordynácyá Powiátow/** his verbis. Quoniam poſt deceſsũ Ducis Pomeraniæ, Lemburgenſis & Bitovienſis Diſtrictûs, prout ad Coronam Regni illos incorporavimus, & juramentum ab Incolis Ordinis Equeſtris & Oppidorum ad illos ſpectantium recepimus, ita ordinationem illorum modo infra ſcripto authoritate præſentis Conventûs facimus: adiungendo illos Terris Pruſſiæ & Palatinatui (à quo olim abſtracti fuerant) Pomeraniæ. Ideo Nobilitas illa ex antiquis Familijs ibi exiſtens, juribus, libertatibus, Privilegijs, prærogativis & præeminentijs, ſupranominati, & aliorum Palatinatûs Pomaraniæ Diſtrictuum, tam reſpectu judiciorum Terreſtrium, ad quæ Iudices juxta correcturam jurium, & conſvetudinem aliarum Terrarum Pruſſiæ eligent. Et judicijs in Civitate Lemburg tempus poſt alios Palatinatûs Pomeraniæ Diſtrictus, iuxta hoc idem jus correctum, ſicut & ad Iudicium Petricovienſe, inſimul cum alijs Incolis Palatinatûs Pomeraniæ, ſimiliter & ad Electionem Deputatorum ad Tribunal in loco ſolito **w Stárogrodzie** ſpectare debent. Nuntios quoq; duos pro Comitiis Generalibus Terrarum Pruſſiæ & Comitiis Regni, exemplo aliorum Diſtrictuum eiuſdem Palatinatûs eligent & mittent. Donationes, decreta, ſucceſſiones, contractus omnes ſub regimine Ducum Pomeraniæ factos, finitos & ad executionem deductos in toto conſervamus. Pendentes autem in proceſſu, jure Regni, & correcturarum Terrarum Pruſſiæ determinentur. Nobilitas quoq; antiqua, & non advenæ dictorum Diſtrictuum circa omnes libertates & jura, prout alij Incolæ Regni exemplo aliorum Nobilium Terrarum Pruſſiæ, conſervari debet. Luſtrum ſuum (alias **Okázowánie/**) ſub Lemburg, prout in Diſtrictu **pogránicznym** peragatur. Salvis proventibus ad Capitaneatum Bitovienſem pertinentibus, *hucúſq; verba Conſtitutionis.*

Sed poſtea iſtæ præfecturæ & Diſtrictus *Anno Domini 1658.* **Kur-**

Kurfistrzowi JegoMości per Pacta Bydgostiensia *Anno D. 1657.* inita, & *anno 1658.* confirmata (vt in Constitutione eiusdem *Anni 1658. fol: 3. sub tit:* **Approbacya** Pactorum habetur) in feudum cesserunt, prout in dictis Pactis Bydgostiensibus latiùs. Et ne per eiusmodi alienationem aliquod præiudicium Nobilitas in dictis Districtibus existens pateretur. In Constitutione *Anni 1659, fol: 31. sub tit.* Securitas jurium provisum est: *his verbis:* Quoniam Districtus Lemburgensis & Bitoviensis **Kurfistrzowi JegoMości Brandeburskiemu/** per Pacta Conventa in præteritis Comitijs approbata in Feudum cesserunt. Ideo ne per hanc alienationē Incolæ status Equestris, in præëminentijs suis mutationem aliquam subeant. Ad instantiam Nuntiorum Terrestrium *Palatinatûs* Pomeraniæ, prout ijsdem Incolis immunitates in Pactis Conventis sufficienter cavimus, ita & nunc rescriptum Nostrum Posnaniæ *die 19. mensis Decembris Anno D. 1657.* ex minori Cancellaria Nostra extraditum, & omnes alias prænominatis Districtibus hoc nomine datas assecurationes, & declarationes authoritate præsentis Conventûs in toto approbamus, illos penes antiquas libertates, honores prærogativas, consuetudines, & bonorum Trerestrium, vti hæreditariorum allodialium liberam dispositionem, sicut in Regno, ab immediata incorporatione ad Regnum vtebantur, conservando, propter quod Inscriptiones authenticæ & manuales, contractus, intercisæ, & quævis publicæ & privatæ transactiones, processus, decreta quævis ac Tribunalitia suum robur: & valorem debent habere. Et in casu amissorum, vel quovis modo amittendorum bonorum Terrestrium, liberum ad Nos & Rempublicam recursum illis, & eorum posteris relinquimus. Salvo jure bonorum, & Personarum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quarum vsus & exercitium Religionis cum plena, prout ante, jurisdictione Episcopali, & Iure-patronatûs, ad quem de jure pertinet, absq; vllo impedimento debent in toto conservari, *hucusq; verba Constitutionis.*

Ad extremum in Constitutione *Anni 1667. fol. 20. sub tit.* **Kommissya Lemburská/** &c. ad instantiam Nuntiorum Terrarum Prussiæ decretum est, vt Commissio Lemburgensis & Bitoviensis Districtuum **Kurfistrzowi JegoMości Brandeburskiemu/** traditorum ad Metricam, per Illustrissimum Dominum Palatinum Pomeraniæ, vti protunc Commissarium deputatum, porrigatur; in qua descriptæ sunt, Familiæ Nobilium dictorum Districtuum cum eorundem bonis, ne alij sub Indigenatum **podšywali** jura & li-

bertates Regni & Terrarum Prussiæ sibi non vsurpent.

De securitate jurium, & libertatum dictorum Districtuum Lemburgensis, & Bitoviensis lata est Constitutio *Anno D. 1699. fol. 50. tit:* **Vtwierdzenie/** securitatis jurium, & Constit: *Anni 1659.* reassumpta est, vt Incolæ Nobiles illorum, penes antiquas libertates, honores prærogativas, consuetudines, & integram bonorum Terrestrium possessionem, & liberam illorum dispositionem conservati sint. Iudicia etiam Terrestria Castrensia, & Tribunaltiia Officialibus loci illius in integro remaneant, & in omnem casum alicuius pressuræ vel periculi, liber recursus illis & eorum posteris iuxta mentem, prætactæ Constitutionis ad Serenissimum Regem, & Rẽpublicam relictus est.

Pomerania est Regio amplissima, ab Holsatia ad Livoniam vsq; longo tractu iuxta mare Germanicum extenditur, vnde & nomen habet. **Pomorze** enim Slavis mari adiacentem regionem significat. In hac Regione natio Slavonica antiquitus consederat, sed nunc Germani magna ex parte eam incolunt. Civitates quas habeat hæc Provincia, Alexander Guagninus in descriptione Regni Polonici sub titulo Ducatûs *Pomeraniæ* descripsit, Inter quas, Gedanum sive Dantiscum huius Regionis Metropolim vocat, & eius amplitudinem, situm, munitionem, magnificentiã, emporium, judices, & similia sat pulchrè descripsit, & quòd Pomerania Aquilam nigram, in collo coronatam, gladium evaginatum manu humana tenentem pro stẽmate in vexillo habeat. Quodq; pro hac Provincia Poloni cum Pruthenis gentilibus, & Crucigeris longo tẽpore acriter decertarint, subiungit.

Elbingæ quoq; mentionem facit, quòd sit Civitas insignis, ad ostia Albis fluvij in littore maris magnificentissimè, & sumptuosè exstructa, splendidis Ciuium opibus, & mercatorum divitum frequẽtiã clara & spectabilis. Qui Guagninus non tantùm totam Prussiam, sed & omnes alias Provincias Regni Poloniæ sat sufficienter descripsit, ad quem curiosum Lectorem remitto. *Starovol: autẽ in descriptiõne Poloniæ, sub titulo Pomeraniæ,* sic eam describit: Pomerania dicitur ille tractus, qui inter Oderam & Vistulam fluvios extenditur ad littus Balticum. Cuius partem citeriorem *Rex Poloniæ* possidet, vlterior proprium Principem habet, ad Imperium Germanicum spectantem. Qui tamen nomine olim Lemburgi, & Bitoviæ, Regis beneficiarius fuerat, jurabatq; ritu solenni in verba eius, quemadmodum & Dux Prussiæ: sed nunc jam ad Coronam

Polo-

Poloniæ rediit, & Provinciæ Prussiæ adscripta est sub jurisdictione Palatini *Pomeraniæ*. Nam Regiæ Pomeraniæ, quæ iisdem moribus & legibus, cùm Prussia est, nec nisi titulo solo ab illa differt, & fluvio Vistulâ disjungitur. Dividitur in septem Territoria, & totidem judices habet. In Sluchoviense, Tucholiense, Suecense, Dersaviense, Zuchoviense Puscense, & Mirachoviense. Quibus etiam Craina & Cassubia, tractus Terræ non contemnendi adiunguntur: in quorum illo priore Abbatia Coronoviensis præpinquis est; in isto Præfecturæ aliquot Regiæ, *Puckum*, præcipuum Oppidum *Satrapiæ*, cum Arce munitissima ad mare sita, quam interceperat Suecus, vti locum sibi ad invadendam totam *Provinciam* valde opportunum, sed virtute Nostrorum expulsus, multis militibus suis amissis. Nec multùm illi cedit. Sluchovia, Stargardia, Neimarcum, Meva, Choinicia, Dersavia, quæ Arces sibi adiunctas habent. Habet Abbatias quoq; hæc Provincia prædivites, affabrèq; facta Monasteria, Olivæ, *Peplinia* Cistercienſium: Zarnoveciæ ad littus maris, & *Zukoviæ* Monialium, & quod vnicum tantùm huius Ordinis in tota Prussia est, prope Dantiscum, Carthusianorum. *Hæc ex Starovolscio de Pomerania.*

Pro coronide istius tituli addo; quòd licet aliæ Civitates Regni Serenissimo Regi Poloniæ coronato, regulariter in Comitijs coronationis juramentum Fidelitatis præstare soleant, tamen Civitates *Prussiæ* alio tempore illud præstant. Nam post Coronationem peractam non in Comitijs coronationis, sed commodò tempore Serenissimus Rex Legatum suum mittit, & coram eo Civitates maiores, vt pote Torunium, Gedanum, & Elbinga, publicè eiusmodi juramentum præstat, vt praxis continua habet.

Forma juramenti Consiliariorum Terrarum Prussiæ.

Ego N. juro Serenissimo Domino Dño Regi Poloniæ &c. & Successoribus suis fideliter consulere: pro honore & statu suo Regali, ac proventibus suæ Majestatis: ac pro communi bono Terrarum Prussiæ, & Regni Poloniæ consilium suum secretè tenere, & eum in omnibus præcustodire. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Crux. Herburtus in Statuto Latino sub verbo juramentorum formæ.

Juramentum Consiliariorum Prussiæ.

Iuro quòd nunquam scienter ero in Consilio, auxilio, aut facto, in tuã læsionem injuriam, aut contumeliam, vt honorem, quem habes, aut

habiturus es. Et si contra aliquid audivero, pro posse meo, ut non fiat, impedimentum præstabo: aut Tibi, quantò citiùs potero nunciabo. Secreta mihi manifestata sine Tua licentia nemini pandam, vel per quod pandantur faciam. Similiter Tibi & Reipup: consulam prout videbitur, magis expedire, & nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quòd pertinet ad Tuam & Reipub:contumeliam vel jacturã. Sic me Deus adiuvet &c. Herburtus loco citato.

Istud quoq; speciale Prussia habet, quòd judicia Capturalia non in Conventibus particularibus (prout in Regno) sed in Conventu Generali illorum constituuntur, & aliquot Nobiles ex singulis Palatinatibus eliguntur, qui in suis Palatinatibus, simul cum Palatino vel eius Præside causas concernentes, hæc judicia, judicãt.

TITULUS VIGESIMUS SEPTIMUS
De Episcopatibus Luceoriensi, Præmisliensi, & Samogitiæ.

EPiscopatus Luceoriensis, sive Lucensis in Volhynia est fundatus à Boleslao *Pudico* Principe Poloniæ, & ab Vrbano IV. Summo Pontifice ad instantiam dicti Boleslai erectus & creatus. prout refert *Cromerus libro 9. de rebus gestis Polonorum, fol: apud me 234.* licet Neugebatrus in libro 3tio Polon: historiæ contendat esse sub Lvdovico Rege conditum. Episcopus cum Capitulo habet Cathedram in Arce Vrbis; ibidemq; est Collegium PP. Societ: Iesu pro erudienda Iuventute. In Vrbe autem ipsa est Episcopus seu Vładica (sic enim illorum Episcopi vocantur) Ruthenorum, nec multùm inde est Civitas Volodimiria, in qua itidem Vładica Russorum sedem suam habet, & latè jurisdictionem exercet. Stanislaus *Radzivilus* Supremus Cancellarius Lithvaniæ, Civitatem suam Ołykam, arce munitissimâ atq; elegantissimâ, Collegiata Ecclesiâ aureâ supellectili celeberrimâ, & Academiâ bonarum Artium illustrem reddidit, erecto in Ecclesia Collegiata Præposito Infulato, & monte Pietatis. *Starovolscius in descriptione Poloniæ sub tit: Russia Rubra.*

§ I.
De Episcopatu Præmisliensi.

HVnc Episcopatum Lvdovicvs Rex Poloniæ & Vngariæ fundavit, missâ legatione ad Gregorium X. Papam Auinioni tunc residen-

residentem, pro illo erigendo, *teste Cromero lib: 14. de rebus gestis Polonorum fol: apud me 330. & in libro de situ Poloniæ, & gente Polona.* Vrbs Præmisliensis Arce in scopulo sita, præter Episcopum & Capitulum Cathedrale, & Religiosos diversorum Ordinum, Collegio quoq; Societ: Iesu, pro studiosa Iuventute erecto, cohonestata est. *Ita Starovol: in descript. Poloniæ sub titulo Russia rubra fol: apud me 118.* vbi etiam refert, quòd in eadem Civitate Episcopus Ruthenus Ritûs Græcani erat, sed nunc sanctæ Vnioni fertur subscripsisse.

§ II.

De Episcopatu Samogitiæ.

EPiscopatum hunc aliter Mednicensem vocatum VLADISLAVS IAGELLO Rex Poloniæ fundavit, attributis agris & reditibus, Parochos duodecem (tot enim Territorijs Samogitia continebatur) vt tamen iidem Canonici Mednicenses essent, instituit. Quanquam hæc quarto demum anno post à Ioanne Archiepiscopo Leopoliensi, & Petro Vilnensi Episcopo consumata sunt, *refert Cromerus lib: 18. de rebus gestis Polonorum, fol. apud me 406. Miechovita libro 4. cap. 46.* qui refert primum Episcopum Mednicensem fuisse Matthiam origine Almanum seu Germanum, Vilnæ natum & educatum. Ecclesiam autem Cathedralem consecratam esse in honorem Sanctorum Martyrum Alexandri, Theodori, & Evaricij. Episcopus Samogitiæ ab Vrbano VIII. Summo Pontifice obtinuit, vt esset simul Episcopus Curonensis, sive Piltinensis vt scripsit Albertus Wiiuk Koialowicz in Miscellaneis *fol 89.* Summus huius Provinciæ Toparcha, vulgò Capitaneus locum in Senatu Regni habet, cùm alijs omnibus hoc non sit concessum: *teste Starovolscio in descriptione Poloniæ sub tit: Samogitia,* vbi etiam refert, quòd in vicinia Medniciæ est Præpositus Infulatus Ordinis S. Augustini, cruce rubeâ signatorum, quos quidem è Prosapia Ducum Gedruciorum in villa sua hæreditaria fundavit.

TITVLVS VIGESIMVS OCTAVVS

De Episcopatu Culmensi.

EPiscopatum Culmensem fuisse fundatum *Anno D. 996.* à Miecislao I. Principe Polonorum Christiano, *scripsit Dlugossus tomo 1. lib. 2. fol: 92. sed Cromerus lib: 2. de rebus gestis Polo-*

509

norum, fol: 47. huic opinioni Długossi non assentitur, dum inquit: de Culmensi Episcopatu Długosso non assentior. Longè enim posteriùs eam esse conditam, ac de Płocensi quasi deductam, certa extant monumenta literarum cum alibi, tum in Archivio Regio Cracoviensi quemadmodum suo loco indicabimus. Nisi fortè initio quidem à Miecislao conditam, posteriùs verò à *Prussis* subactâ eâ Regione deletam, ac deinde à Conrado Masoviorum Duce, denuò resuscitatam potiùs, quàm conditam fuisse, existimare volumus, & deinde *lib. 7. fol. 190.* Conradus Masoviorum Dux, cum *Prussorum* incursionibus esset impar, Cruce signatos in auxilium contra barbaros vocavit, quorum ope, cum Culmensem & Lubaviensem tractum in potestatem suam redegisset. Christianum ibi primùm Episcopum constituit, quo per eum Barbari ad religionē Christianam adducerentur, eiq; & Successoribus eius Episcopis *Prussiæ* sive Culmensibus, partem tractûs Chełmensis seu Culmensis, in quo fuerant Arces Grudentum, Vapscum, Coprinum, Villisazum, Colnum, Ruch, Rissinum, profundum Turnum, *Pinum* & Plochum, cum omnibus villis & prædijs, ac centum præterea pagis, jure sempiterno donavit. De cæteris verò agris, quos ipse retinebat, Decimam omnium frugum ipsi addixit. Adiecit etiam Gedeon Episcopus *Płocensis*, assentiente toto Collegio Sacerdotum, Tarnoviam, quæ fortassis Torunium est, & *Papoviam*, cum omnibus item pagis ac prædijs adiunctis, itemq; omne jus Ecclesiasticum quod habebat in ditione Chełmensi, hoc est Culmensi. Id adeo *Anno Christi 1222.* actum est, vti videre est ex diplomate, à Conrado & Gedeone supra memoratis, pariterq; à Lesco Poloniæ, & Henrico Silesiæ Ducibus, Vincentio Archiepiscopo Gnesnensi, Cracoviensi, Vratislaviensi, Lubasensi & Cujaviensi Episcopis, consignato: cuius exemplum exstat in Archivio Regio. *hucusq; Cromer: quem videre licet.* Facit, quæ scripsit Ioannes Plastwicz in vitis Episcoporum Varmiensium, *fol: 2.*

Episcopus Culmensis vocatur etiam Episcopus *Pomesaniæ*, nam antea cum *Prussia* fidem Christianam susceperat, erant quatuor Episcopatus, Culmensis, Varmiensis, *Pomesaniensis* & *Sambiensis.* Nunc Pomesaniensis, & Sambiensis à Ducibus Prussiæ suppressi sunt, *vt refert Piasecius in historia, fol: 328.* & ante illum Cromerus libro de Republica, & Magistratibus Polonorum. Et nunc solùm titulo Episcopi Pomesaniensis vtitur Episcopus Culmensis, sicut Varmiensis titulo *Sambiensis. Guagninus in descript: Prussiæ*

Episco,

Episcopus Culmensis olim anteibat Varmiensem, *vt refert Cromerus lib. supra de Repub. &c.*

Culma *Prussiæ* Regio est, à Principe Culmo nomen accepit. A Polonia & Pomerania, Vistula fluvio discernitur, à Pomesania autem flumine Ossa, à Michałovia & Territorio Dobrinensi fluvio Drewnicz fines suos dirimit; & Serenissimo Regi Poloniæ subest. *Guagninus in descriptione Prussiæ.*

Civitas Culmensis cum antea in ditione Regia fuisset, nunc paret Episcopo, fuit antea in magna æstimatione, & in ea studia literarum floruerunt, vt & ad præsens florent, ibiq; per Viros Academicos Nobilissima Iuventus instituuntur, ita vt ab ea cætera Prussia & Masoviæ pleraq; Oppida jus peterent, quod jus Culmense dictum.

Cathedra Episcopi in Oppido Culmsa dicto tribus milliaribus à Culma distante exstat. *Cromerus lib. de situ Poloniæ, & gente Polona. Starovolsc: in descriptione Poloniæ, sub titulo Prussia,* vbi subiungit, quod Lubauia ad Episcopum Culmensem spectat.

Huius satrapiæ sunt, & alia Oppida præcipua, Brodnica, Graudentum, Radinum, Golubia, Rogozna, Brathianum, Covalia, Copriunica, qvæ omnia fere mænibus cincta sunt, & Arces validas habent: sed primarium locum obtinet Torunium Vrbs in ripa Vistulæ sita. *Starovolscius vbi supra.*

Et sicut, Episcopus Varmiensis, ita & Culmensis tenentur venire ad Synodum Provincialem Gnesnensem, vt habetur in Constitutionibus Provincialibus Gnesnensibus *libro 1. fol. 93.* Item in Synodo Provinciali Gembiciana *fol. 7. & sequ.* Et *Domálewicz in vita Ioannis Gruszczyński Archiepiscopi Gnesnensis refert,* quòd sub regimine istius Archiepiscopi ad Metropolim Gnesnensem iterū accessit. Nam cum *Anno 1466.* operâ Rudolphi Laventini Archiepiscopi, Pontificij Legati pax inter Casimirum, & Crucigeros coaluisset, hæc conditio, inter alias apposita fuit, vt Ecclesia Culmensis amotis Crucigeris ad jus Matricis Gnesnensis rediret. Eiusq; Episcopatu, Vincentius Kiełbasa ac simul Pomesaniensi potiretur, eo verò mortuo, Pomesaniensis in Crucigerorum ditionem recideret, quod authoritate Papæ firmatum est. Ita *Damalewicz in serie Archiepiscoporum Gnesnensium.* Sic & *Cromerus de origine & gestis Polonorum à principio libri vndecimi* de Culmensi Episcopatu sic scripsit. Culmensis à Crucigeris priùs in ordinem redactus erat, tunc autem, vt nihil prorsus commune cum Polonis haberent, à Gnensi Archiepiscopo abstractus, Rigensi subiectus est. TITV-

TITULUS VIGESIMUS NONUS.

De Episcopatu Chełmensi.

EPiscopatum Chełmensem, seu Vlodimiriensem fundatum fuisse in Russia rubra á LVDOVICO Rege Poloniæ, misso Legato Avenionem ad GREGORIVM XI. Papam, *scripsit Cromerus libro 9. de rebus gestis Polonorum fol. apud me 330.* Et postea *lib: 20. fol. apud me 453. scripsit.* Basilicam Chełmensem á VLADISLAO IAGELLONE institutam esse, & Episcopo attributam, ad hunc Episcopatum Ioannem Theologum, Sodalitij Patrum Dominicanorum extulisse, & in gratiam eius omnẽ Lublinensem tractum, á Gracoviensi Diœcesi abstrahere, & Chełmensi adiungere conatum esse, nisi Sbigneus Episcopus Cracoviensis constanter se opposuisset. Cathedra Episcopi translata est Crasnoslaviam ad Voprum fluvium sitam, ibiq; Arx & palatium recentioris architecturæ Episcopus, seu Władica Ruthenus Chełmæ manet. Non procul á Crasnosłavia Ioannes Zamoyscius Vrbem Zamoscium in villa sua hæreditaria munitissimam fundavit; mænibus, fossis, vallo atq; propugnaculis arte Geometrica communivit; in illa Templum Canonicorum (quorum Decanus Infulatus est) pro summa in Deum pietate, magnificentissimè erexit, & sufficientissimè dotavit. Et vt erat maximus ingeniorum liberalium educator, artiumq; omnium Pater, evocatis ex Academia Cracoviensi viris doctissimis, Academiam instituit, & sic non modò Zamoscium suum Civitatem, sed totam etiam Russiam Musarũ splendore illustravit. Addidit Collegium Sacerdotum, & Seminarium Clericorum, Catharina Ostrorogia, Thomæ Zamoyscij Regni Cancellarij Vxor, auxitq; numerum Canonicorum & Professorum. *vt refert Starovolscius in descriptione Poloniæ sub tit. Russiæ rubra.*

TITULUS TRIGESIMUS.

De Episcopatu Kijoviensi & Camenecensi.

EPiscopatum hunc VLADISLAVS IAGELLO Rex Poloniæ fundavit, *teste Cromero libro 20: de rebus gestis Polonorum, fol: apud me 453.* Residentia Episcopi Fastoviæ, unde Patres Societ: Iesu Collegium suum Kijoviam transtulerunt, Est

quoq;

quoq; Kijoviæ Metropolita seu Arch episcopus Russorum omnium, quotquot sunt in Regno Poloniæ Græcanici ritûs, qui summo Pontifici Romano obedientiam nunc præstat, *teste Starov: in descriptione Poloniæ sub tit: Russia rubra.* Subiungens ibidem esse quoq; Archimetritam cum Monachis suis Schismaticis, rebellibus Sedi Apostollicæ, habentem centum pagos maximos adscriptitios.

§

De Episcopatu Camenecensi.

TRanslato Archiepiscopatu ex Halicia Leopolim, Episcopatus Leopoliensis translatus est Cameneciam, vt scripsit *Cromer: lib: 14. de rebus gestis Polonorum fol: apud me 330. cum sequ:* Camenecia est Vrbs cum Arce, naturâ loci, manuq; permunita, triginta milliaribus distans à Leopoli versus ortum hybernum, *Cromerus lib: de situ Poloniæ & gente Polona.*

Quam cùm vidit Osmanus Imperator Turcarum, eamq; à monte vicino prospectans, cùm munitionem, quam non sperarat, videret, & vnus ex adstantibus interroganti, à quo fuisset munita? à Deo munitam (loci naturâ mirabili) dixisset, respondisse fertur: Itaq; Deus eam ipsemet expugnet. Exustoq; in eo monte Fano Armenorum ligneo, vlteriùs processit. *Piasecki in Chronica folio apud me 410.* Patres Societ: Iesu in Vrbe illa Collegium habebant sed hæc Vrbs & Arx sub Serenissimo MICHAELE Rege Poloniæ ob malum Ordinem, & simultates nonnullorum, in potestatem Turcicam venerat. Nunc per tractatus cum Turcis sub felicissimis auspicijs Serenissimi AVGVSTI II. moderni Regis Poloniæ initos, est restituta.

TITVLVS TRIGESIMVS PRIMVS.

De Episcopatu Vendensi & Smolenscensi.


Piscopatus hic oridinem habuit sub STEPHANO BATOREO Rege Poloniæ, qui Livoniâ á Moscho recuperata hunc Episcopatum instituit: vt testatur *Starovol: in descriptione Poloniæ sub titulo Livonia & Piasecius in historia fol: apud me 60.* dum inquit: Religio Catholica tunc in Livonia totaliter exulabat, ita, vt ne quidem vestigia illius ibi apparerent, præter Basilicas & Ædes Religiosorum, quorum opulentos fundos & possessiones partim Ri-

genses, partim Nobiliores occupaverant: nec sine gravi tranquillitatis ibi tunc coalescentis discrimine, ad statum pristinum hæc revocari poterant, sed tamen & istis, quantum post tantam rerũ perturbationem licuit, est consultum. Et loco Archiepiscopatus Rigensis, ac aliarum Ecclesiasticarum in ea Provincia dignitatum, instituit ibi Rex STEPHANVS Episcopatum Vendensem, ad quem promoveri fecit primum Ioannem Patritium Polonum, genere quidem plebeium, sed insigniter eruditum, pro ipsius provisione attributa Volmaria. Introduxit etiam in Civitatem Rigensem Religiosos Societatis Iesu, & vnam & Basilicis in ea Civitate, ab antiquo sacris Sancti Iacobi dictam cum suo Cænobio illis addixit, vbi Collegium tenerent, & Iuventutem in studiis literarum exercerent, Religionemq; Catholicam promoverent, sed hæc perpetua fuit turbarum Rigensibus materia. obstinatiores enim isti pro hæresi, continuis dissidijs insectabantur Rem Catholicam, tantoq; tempore ex Civibus vix aliquis ad Fidem Catholicam est conversus, & nonnisi ab advenis ex Lithuania frequentabatur ille locus. Ac demum eò temeritatis ibi proruperat plebis Vrbanæ audacia, vt concitato tumultu, vim intulerit illi loco sacro, & eijcere voluerit de Civitate ipsos Religiosos. Vnde subsequenti tempore acerbiora odia & flamma discordiarum, quæ non tam facile extinqui posset, est exorta: dum Religiosi illi juris via, & Regijs mandatis securitatem exercitio Fidei Catholicæ, & sibi, ac possessionibus; fundisq;, quos eorum Ecclesiæ Rex addixerat, procurarent; & Magistratus Civitatis, assiduè in Aula Regis impensa gravi aleret Syndicos, & Causidicos pro obiectis purgandis, & trahendis litibus, quæ nunquam sopiri potuerunt, & tandem juverunt Suecos in capienda ea Civitate. Nam GVSTAVUS Rex (*vt Piasecius ibidem fol: 413. continuat*) ea opportunitate vsus (quod SIGISMVNDVS III. Rex Poloniæ bello Turcico implicatus fuit) *Rigam* obsedit, & oppugnavit. SIGISMVNDVS Rex cum non succurreret tempestivè, tum quod non pauci, tam ex Senatorijs, quàm ex plebeijs exacerbati erant jurgijs, controversijs forensibus continuis apud judicium Regium cum Religionis Societatis Iesu Collegij Rigensis agitandis, Civitas Rigensis subdidit se Sueco. Unde metuentes sibi Patres Societ: Iesu ex Civitate Rigensi & alijs in Lithuaniam se contulerunt, hæc intra parenthesim. Nunc redeo ad Episcopatum Vendensem.

Huic Episcopo locus in Senatu post Episcopum Camenecensem assignatus

gnatus est, vt habetur in Constitutione *Anni 1593. fol. apud me 647. sub titulo* **Mieysce w Radzie.** Et consequenter *Anno Dñi 1598. fol: 710.* & **Osoblimie** in Comitijs Generalibus Dominis Commissarijs commissum est, vt hic Episcopus juxta fundationem STEPHANI Regis ad omnes proventus perveniat, salva advitalitate protunc Capitanei Derpatensis, & aliorum Nobilium.

Sed hic Episcopatus per Pacta Olivensia *Anno D. 1660.* cum Rege Sueciæ inita, quoad proventus sublatus est, titulum tamen & locum in Senatu habet, prout nūnc Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Nicolaus Popławski, Nobili genere procreatus, Vir pietate & devotione insignis, & cultui Divino addictissimus, eundem collatum sibi quoad locum in Senatu, vnà cum Abbatia Obrensi sibi in administrationem data retinet.

Episcopus Vendensis tenetur venire ad *Synodum* Provincialem Gnesnensem, *vt in Constitutione Provinciali Gnesnensi Gembiciana cap. 4. fol. 8. habetur.*

§ I.
DE LIVONIA.

Livonia sive Lieflandia est Regio amplissima, extenditur milliaribus germanicis nonaginta in longitudinem, in latitudinem quinquaginta cum sinu maris Baltici adiacenti. Conterminata est Moschis, Suecis, Philandiæ, Lithuaniæ, & non nihil Prussiæ. A principio gens barbara falsos Deos colens fuit. Tandem cum Friderici Primi ex Ducibus Germaniæ Romanorum Imperatoris temporibus, mercatores cum varijs mercibus per mare Balticum, in eam navigassent, Sacerdotes paulatim se illi admiscere cæperunt: Et Meinardus nomine in Lubeca Civitate, pietate & sanctimonià vitæ insignis, vnà cum Mercatoribus conscensa navi *Anno Domini 1200.* traiecit, vnius famuli convictu contentus, commorari ibidem constituit, casamq; sibi ex arbustis ad tempestates cæli arcendas construxit: postea paulatim hominum familiaritatem captando, sensim Incolas à vano Idolorum cultu, ad observantiam Christianæ Fidei, adducere aggressus est, & cum plures convertisset, ex pietate Basilicam exstruxerunt: nec multò post Meinardus ab Archiepisc: Bremensi in Episcopum Livoniæ consecratus est, mortuo Meinardo, Bertoldus Cistercïensium Abbas eidem successit, sed cùm contra Christianæ Fidei hostes, vna cum peregrinis militibus pugnasset, equo infreni in mediā barbarorum aciem proiectus cōfossus

remansit. Successit illi Albertus, & cùm hostibus barbaris vndiq; invalescentibus subsistere non possent, Teutonicorum Fratrum Ordini in Prussia se coniunxerunt. Cùm enim audissent, quòd Ordo hic Teutonicus Cruciferorum in tota Germania proficeret, Volquinus Præpositus illorum, à Conrado V. in Ordine Magistro Prussiæ olim Comite Turingensi, in Ordinem Teutonicorum *Anno D. 1234.* susceptus est, suffragijsq; eiusdem Conradi Gregorius IX. Papa iussit vbiq; & præcipuè apud infideles Pruthenos & Livones proclamari, quòd Ordo Fratrum à gladio in Livonia (qui nondum confirmatus erat) Teutonico Ordini in Prussia vnitus, & adscriptus esset. Itaq; Fratres à gladio, Livonenses, susceperunt crucem habitumq; more Fratrum Teutonicorum in Prussia: & semper ab hoc tempore Magistri Prussiæ, à Magistris Livoniensibus, certa tributa & obedientiam exigebant, vsq; ad tempora Alberti Marchionis Brandeburgici Magistri Prussiæ, qui maluit pecuniam, quàm obedientiam accipere ab illis: sicq; datâ certâ præscriptâ pecuniæ summa, ab obedientia illa liberi manserunt. Prædicti Livonenses Cruciferri habitu Fratrum Teutonicorum in Prussiâ accepto, Magistrum sibi eligebant, qui cum Commendatorib⁹ seu etiam Præfectis totam Regionem gubernabant. *Præter* Magistrum erant in Livonia Episcopi quinq; qui munia sua strenuè & magnificè vti Principes obibant, hoc est Archiepiscopus *Rigensis*, Derptensis, Habselensis, Oseliensis, Curlandiæ, *Revaliæq;* Episcopi. *Hæc ex Guagnino in descriptione Livoniæ.*

Cromerus autem de Origine & gestis Polonorum libro 3tio fol: apud me 61. sic de Livonibus scripsit. Livonum sive Livoniorum appellatio, à Libone (nisi forsan debebat scribere Livone) Duce certo Romanorum sumpta est; qui ad ea littora Venedici sinûs, quæ ad Orientem solem spectant & Russis finitima sunt, vel vi tempestatum, vel certo cursu, Cæsarum Tyrannorum sævitiam effugiens, successerat. Apud illos Livones cum Meinardus Episcopus, & post eum Albertus (in quo cum *Guagnino* non convenit) Christianam religionem propagare cæpissent. Albertus alter, quò faciliùs barbariem inde extirparet, Ordinem sive societatem, quæ militiæ Christi dicta est, instituit, ac tertiam partem redditaum Rigensis Episcopi attribuit. *Cromerus vbi supra fol apud me 184. circa annum 1295.* Inde Liuonenses Ordinis Teutonici Magistro Generali, qui tunc in Germania, & postea in Prussia sedem habuit sese submiserant, & leges ab eo acceperant.

Tan-

Tandem cùm Guilhelmus Furstenbergius Livoniensium Equitum Magister, Lutheri errores professus esset, templaq; hæreticis tradere cæpisset: Guilhelmus Archiepiscopus Rigensis illi se opposuit, quo commotus Furstenbergius, Comitia Vendam indixit, & in iisdem Archiepiscopum accusavit, falsis indicijs deducendo, quòd Archiepiscopus cum SIGISMVNDO AVGVSTO Rege Poloniæ, Consobrino suo, & Alberto Duce Prussiæ societatem inijerit, & Alberto Duci Curlandiam, SIGISMVNDO autem AVGVSTO Livoniam promiserit, prodiderit.

Quibus Comitijs finitis dictus Furstenbergius, aperto bello bona Archiepiscopi Rigensis aggressus est, & in arce Konkenhusana captum in carcerem coniecit (quem Furstenbergium à Moschis capto Felino, captum & in vinculis consumptum fuisse, refert *Piasecki in Chronica sua, fol: apud me 58.*)

Quo tristi nuntio accepto SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Anno Dñi 1557.* bellum Livoniæ intulit, & eam subiecit. *Hæc ex Koiáłowicz libro 8vo Historiæ Lithvanicæ.*

Interea temporis Ivanus Moschoviæ Dux, longè lateq; arma victricia circumferre cæpit. Unde SIGISMVNDVS AVGVSTVS Gothardo Kettlero novo post Furstenbergium Livoniæ Magistro opem tulit, eundemq; Gothardum Kettlerum concessâ ipsi Curlandiâ & Semigallia in feudum, primum Ducem Curlandiæ fecit, simulq; ditioni eius Episcopatum Curoviæ seu Curlandiæ & quidquid inter Dunam & Samogitiæ, Lithuaniæq; terminos continetur, concessit: reliquam verò Livoniam Regno Poloniæ adiecit. Acta hæc sũt, *Anno D. 1561. vt videre licet apud Koiáłowicz in Historia Lithuanica. Videatur & Piasecius in Chronica apud me f. 57. qui tamen in multis non convenit cum superioribus.*

Sed vix SIGISMUNDUS AUGUSTUS Livoniam in fidem & tutelam suam recepit, Dux Moschoviæ continuis bellis illam infestare cæpit. Et cum Revalienses eius potentiæ non valerent resistere, auxilium implorárũt primò Christiani III. Regis Daniæ, sed eo renuente Erici XIV. Regis Sueciæ patrocinium susceperunt. Gothardus autem Kettlerus SIGISMVNDI AUGUSTI Regis opem contra Moschos invocavit. Quo factum est, ut Livonia in duas partes scissa fuerit.

Ericus itaq; Rex Sueciæ, affirmando à Ferdinando Imperatore Liuoniæ tutelam sibi commissam esse, Habsalam, Lethalam, Parnauiam, aliaq; loca eiectis Polonis occupauit.

Et quia Ioannes Princeps Sueciæ, Frater Erici Regis, Dux Finlandiæ, Catharinam SIGISMVNDI AVGVSTI Regis Sororem in matrimonium duxerat; Ericus Rex ob suspicionem affectati Regni ex tali connubio subortam, dictum Ioannem captivavit, & per quinque annos sub custodijs vnà cum Vxore Catharina, & Filio SIGISMVNDO (qui postea fuit Rex III. eiusdem nominis Poloniæ. *ita Piasecki in Chonica fol: apud me 11.*

Historici autem Germanici addunt; quòd postquam dictus Ioannes Finlandiæ Dux, & Sueciæ Princeps, prænominatam Catharinam in Vxorem duxit, SIGISMVNDO AVGVSTO Regi Poloniæ octuaginta (alij centum viginti) millia talerorũ mutuò dedit: SIGISMVNDVS autem Augustus pro eiusmodi summa sibi mutuò data, hypothecæ loco in Livonia, Arces, Vittesteinum, Karchisa, Frichatũ, Helmultum, Ermisium, Ruia, & Bortuicum tradidit: exindeq; tam respectu matrimonij, quàm istius summæ datæ inter Ericum Regem & Ioannem Fratrem eius Ducem Finlandiæ, dissensiones exortas esse.

Sed sicut Ericus Ioannem Fratrem suum captivavit, & in carcere detinuit, sic fortunâ mutante, operâ Procerum Sueciæ, quibus Ericus ob crudelitatem exosus esse cœperat, liberatus, eundem Ericum insimulatum delirij vinxit, tenuitq; vsq; ad mortem in custodia, *vt refert Piasecki loco citato.*

Mortuo Erico Rege Sueciæ, & SIGISMVNDO AVGVSTO Poloniæ, Dux Moschoviæ, Magnum Ducem Holsatiæ, Regem Livoniæ creavit, eundemq; Livoniæ magnâ vi imponere voluit.

Tantis periculis imminentibus Ioannes Dux Finlandiæ, & postea eius nominis Tertius Rex Sueciæ, cum STEPHANO BATHOREO Rege Poloniæ societatem inivit, vt communibus viribus Livoniam contra Moschos assererent.

STEPHANVS itaq; BATHOREVS Rex Poloniæ *Anno Domini 1579* bellum Moschis intulit. Ademerat enim Dux Moschoviæ Smolenscum & Severiensem Provinciam, & temporibus SIGISMVNDI AVGVSTI Livoniam Estoniamq; demum verò Połociam, cum toto illo tractu, nec vllis justis medijs induci poterat, vt sponte cederet, quæ cum iniuria occupaverat.

Et dum STEPHANVS BATHOREVS Rex Połociam & Arcem Sokoł dictam occupavit; Dux Moschoviæ Legatos suos misit pacem expostulando, sed Legati eius reiecti sunt ad futura Comitia Generalia, quæ Rex STEPHANVS Varsaviæ indixerat. In istis Comitijs, cũ resti-

restitutionem Severiæ & Livoniæ denegârunt, Rex STEPHANVS alteram expeditionem *Anno D. 1580.* contra Moschos fecit: & Civitatem **Wielkoluki** dictam, Moschoviticam, aggrediendam esse censuit, & dum progrederetur cum exercitu suo, Oppidum **Wielis** & **Vświátę/** oppugnare mandavit: Duce Zamoyscio Wielissia, Vswiata, Duce Mieleccio, captæ sunt. His captis ad expugnationem **Wieloluki/** processit, & eam incendio expugnavit. Tandem Mieleccius Nevellam aggressus, eandem oppugnavit & expugnavit. Zamoyscius autem Zavołociam oppugnavit & cæpit, in qua expugnatione Christophorus Rozdrazevius occubuit.

Quibus successibus STEPHANI Regis, commota Riga, Metropolis Livoniæ, Regi STEPHANO se submisit & juramentum *Anno D. 1581.* fidelitatis coram Demetrio Sulicovio ad hoc misso præstitit, & tota Livonia deditionem testata est, *Piasecki in Chronica fol: 59. cum sequ:* Unde Dux Moschoviæ Legatos suos misit ad Gregorium XIII. Papam, vt pacem inter illum & Polonos tractarẽ dignaretur: promittendo fidem Catholicam Romanam in ditionibus suis se recepturum.

Excepit hanc Legationem Ducis Moschoviæ Gregorius XIII. Papa, misitq; ad STEPHANVM Regem, Antonium Possevinum Religiosum Societ: Iesu pro componenda eiusmodi pace. Et quamvis interim Poloni contra Moschos viribus magis invaluissent, cùm nimirum tertiâ expeditione in penitiora Moschoviæ penetrantes, Ostroviam cæpissent, & Plescoviam Civitatem amplam gravi obsidione premerent, adveniens tamen Possevinus Regem STEPHANŨ ad pacem induxit. Itaq; apud Plescoviam in castris institutus est tractatus pacis, in eoq; stetit, quòd Moschus ex tota Livonia præsidia sua omnia abduceret, eamq; liberam cum apparatu bellico Regi Poloniæ cederet, & vicissim ille **Wieloluki/** & Arces Moschoviticas à Polonis captas reciperet. Et cùm pax perpetua non posset stabiliri, nisi restituto insuper Smolensco, Severiâ, & Estoniâ, quam interim nemine defendente (Revaliam Ericus Rex Sveciæ, dum Livones à Moscho multis cladibus acceptis, in summo discrimine versarentur, paulò ante *Annum D 1561.* interceperat, operâ Christophori Ducis Michelburgensis Coadiutoris Archiepiscopatûs Rigensis, qui postea ob talem defectionem à Polonis, eodem anno captus, in Arce Ravensi sub custodijs mansit, donec in Comitijs *Anni 1569.* ad intercessionem Principum Germaniæ fuit liberatus) Moscho nimirum bello tam difficili cum Polonis implicato,

Suecus Rex inuaserat, induciæ tantùm ad annos sex fuerunt conclusæ, quibus durantibus plenâ ablatorum restitutione secutâ, pax firmior iniretur. Et quidem Estoniam uti membrum Liuoniæ unà cum ista, in formula induciarũ addixerat Polonis Moschus: sed uidendum erat, si eam *Suecus* sponte dimitteret, vt si negaret, in subsequenti pacis tractatione, Moscho, qui eam amiserat, eiusdem recuperandæ necessitas imponeretur. *Hæc ex Piasecio in Chronica fol: 6. 7. 10. & 11.* Tandem *fol.* 12. continuat de Estonia per Ioannem III. *Sueciæ* Regem, nullâ denuntiatâ hostilitate cæperat. Post compositionem cum Moscho STEPHANUS Rex per Legatos suos, à JOANNE Rege Sueciæ restitutionem Estoniæ requirebat, sed hic fretus cognatione *Regij* sanguinis in Polonia quæsitâ, moras nectendo negotium trahebat: & etiam opponebat hæreditatem Lithuaniæ, dotemq; Vxori suæ debitam, ac maximè mutuum numeratæ, ut aiebat, *Regi* SIGISMUNDO AUGUSTO pecuniæ, quàm potiùs donationis specie ipsi dederat, quo eum sibi deuinctiorem pro consequendo illo matrimonio redderet, & postea eo demum defuncto, apud ignaros rei, traxit in debitum: hæc tamen singula aliâ Ciuiliori ratione, non hostili Prouinciæ inuasione repetenda fuisse respondebatur, pro Rege *STEPHANO*. Dominicus Alamanius Culinæ *Regiæ* Præfectus, Varseuicius, & Laurentius Goslicki, tunc Præpositus Cracouiensis & Decanus Płocensis in *Sueciam* missus, istam restitutionem Estoniæ tractauit, & deinde Stanislaus Kucinski, eandem Legationem obijt, irrito omnes euentu, præter, quòd *Regina* Catharina operam suam ad componendum illud dubium, interposuerat, ut arma sisteret, quæ *STEPHANUS Rex* ex Moschouia rectà in Estoniam conuertere decreuerat. *Hucusq; Piasecki loco citato.*

Postquam *STEPHANUS* Rex ex Liuonia Moschos expulit, Liuoniæ gubernandæ modum instituit, ac imprimis Rigam liberam manere permisit, & nonnisi à proprio Vrbano Magistratu gubernari uoluit; uectigalq; tantùm in illo portu de mercibus maritimis & nauibus pendi solitum, in signum Regij Dominatûs Fisco suo *Regio* (tertiâ parte relictâ pro restauratione portûs illius) addixit, & Arcem illi Ciuitati coniunctam in sua potestate retinuit, ita; ut nonnisi Præfecto genere Polono aut Lithuano custodienda committi posset, ac alteri Arci Dinamunt dictæ, à Riga duobus milliaribus distanti, mariq; imminenti præsidium suum imposuit, quo eum portum ab inimicis tutiorem præstaret, aliaq; multa statuit. *vt refert Piasecki in Chronica fol: 60.*

Sed

Sed mox Rigenses ex occasione PP. Societ: Iesu & Ecclesiæ S. Iacobi illis datæ, Regi Sueco sese faciliter subdiderunt, cùm Gustavus Rex Sueciæ videns nostros gravi bello Turcico implicitos Rigam obsedit, regnante jam SIGISMVNDO *III.* vt supra mentionem fecimus, *ex Piasecki in Chronica fol: 61. & 413.*

Post mortem STEPHANI Regis, SIGISMVNDVS III. prænominati Ioannis III. Regis Sueciæ Filius in *R*egem Poloniæ electus est, cui Respublica Nostra inter alias conditiones hanc apposuit, vt eam Livoniæ partem, quam occupaverant Sueci, Regno Poloniæ SIGISMVNDVS Rex adiungeret. Sed Ioannes *R*ex Sueciæ Pater SIGISMVNDI Regis, circa restitutionem Estoniæ multas difficultates movit, ac propterea adventum SIGISMVNDI Regis electi, in Poloniam retardavit, & cùm SIGISMVNDVS Rex electus ad portum Gedanensem venit, quæstiones de restitutione Estoniæ cæperunt disputari, sed tandem hæ quæstiones ad Comitia Coronationis rejectæ sunt, & non priùs coronari Eum Ordines Regni permittebant, nisi dubia Pactorum Conventorum præsertim de restituenda Estonia cōponerentur. Difficilis illa fuit cōtroversia, & propter eam vix SIGISMVNDVS à Regno non excidit. Eo enim processerat ista disputatio, quòd SIGISMVNDO ab Ordinibus Regni fuerit dictum, quandoquidem nollet stare Pactis Conventis, non deberet iniquè ferre, si Ordines ipsius Electione eo ipso irritâ factâ, ad aliam transirent. Vice versâ à parte Regia responsum datum, Eum potiùs Regnum istud relicturum, quàm conditioni tali assensurum. *ita Piasecki fol. 79.* vbi subiungit, quòd postquam Livonia jugum Crucigerorum excussit, Regno Poloniæ ac Lithuaniæ Ducatui sese adiunxit. Occupatâ vero postea Livoniâ (cuius Estonia pars erat) à Moscho, cùm eam vt propriam Poloni bello repeterent, & ad eam sibi restituendam Moschum compulissent (vt supra tetigimus) Interim dum restitutio Livoniæ paratur; Moscho omnia Livoniæ vti Poloniæ debitæ, negligente, & Polonis á *S*ueco fœdere pacis sibi tum juncto, nihil tale suspicantibus, iste ex ea detraxit Estoniam. Et quidem STEPHANVS *R*ex bello vindicandam decreverat, cùm Suecus eam reddendam differret, missis vltro citroq; Legationibus. Tandem res eò stetit, vt quæstio hæc remaneret, quousq; SIGISMVNDVS Rex defuncto Patre suo Ioanne Rege Sueciæ possessionem Regni *S*ueciæ adiret. *Ita Piasecki vbi supra.*

Itaq; *Anno Dni. 1589.* SIGISMVNDVS Rex in Estoniam abijt &

Revaliam pervenit, vbi Patrem Ioannem Regem Sueciæ inuenit, ibiq; secretioribus inter Reges colloquijs omnia agitabantur. Et cùm Proceres qui cum SIGISMVNDO erant, rogarent Ioannem Regem Sueciæ, vt SIGISMVNDVM in Poloniam mitteret, Ioannes petitiones severioribus responsis reijciebat, & in Sueciam deduci eum destinaverat. Tandem permissus est redire in Poloniam, & Revaliâ movens Rigam, inde per Borussiam Varsaviam venit. Consiliorum, quæ SIGISMVNDVS cum Ioanne Patre habuit, nullus ex Polonis conscius fuit.

Mortuo Ioanne Patre Sigismundi: SIGISMVNDVS vti hæres Regni Sueciæ ad assumendam coronam Regni illius iter paravit. Sed cùm Regi discessus extra Regnum sit jure Polono prohibitus, Comitia Generalia Varsaviæ Rex indixit, & cùm discessum in Sueciam vrgeret, post multas contradictiones, tandem consensus datus est, cum cautione de reditu intra vnius anni decursum, & quòd compositis rebus Regni *Sueciæ*, in Polonia perpetuò resideret, & cùm per Torunium & Elbingam iter ageret, in ijsdem Civitatibus vnum Templum pro Catholicis tradi fecit. Quod & Gedani Rozdrazevius Episcopus Vladislaviensis vrgeret, & Beatæ Mariæ V. Templum magnum vindicaret, Magistratus Gedanensis pertinaciùs restitit. Sed Rex SIGISMVNDVS dissuadentibus *Suecis*, ne populi Suetici eo exemplo reformandæ Religionis terrerentur, nihil certi in eo negotio decernere voluit: sed ibi paulùlum commoratus inde solvit in Sueciam, sed postridie aduerso Aquilone navigatores disiecti, alij ad portum Gedanensem alij aliò aberrârunt, Rex ipse cum prætoria, & paucis minoribus navibus Helam evasit, ibiq; hæsit, donec post octiduum tota classis recollecta esset, atq; felicioribus ventis in Sueciam appulit, & Stocholmiam *Regni* sedem intravit, pompâ Regiâ à Proceribus Sueciæ exceptus, sed difficiliorē, quàm putârat rerum ibi statum invenit. Carolo Sudermano Duce Patruo suo, cùm apertè regnum petere non posset, varijs technis omnia intervertente, quo sibi viam aliquando ad idem Regnum pararet, de quibus omnibus *vide Piasecium fol: 128. & seq: & fol. 133. cum sequentibus.* Hoc solùm appono, quòd SIGISMVNDVS Rex, postulatis *Sueticis* annuit, eo vnico per longas ratiocinationes ægrè impetrato, vt Catholicis in *Suecia* liceret degere, dummodo nulla officia gererent, Ecclesias non haberent, & quietè viverent, præstito *Suecis* juramento, & vicissim à *Suecis* recepto fidelitatis & obedientiæ jureiurando, SIGISMVNDVS Rex &

Anna

Anna Regina ab Archiepiscopo Vspaliensi Hæretico (licet Rex à principio id recusaret) in Ecclesia Hæretica coronati sunt. Sicq; compositis rebus, in Poloniam rediit. *Piasecius ibidem fol: 140.* Sed postea SIGISMVNDVS III. Rex Poloniæ excidit è Regno Sueciæ, & multa bella gesta sunt inter eum & Carolum Sudermanum, qui in locum SIGISMVNDI III. Regis Poloniæ à Suecis substitutus erat, seu potiùs absente SIGISMVNDO III. administrationem Regni Sueciæ suscepit; Suecos partium SIGISMVNDI Regis exulare coëgit, Stocholmam absoluti juris sui fecit, præsidijsq; suis munivit, Finlandiam in suam potestatem redegit; *vt videre licet apud Piasecium fol. 173. cum sequ.* Quibus auditis SIGISMVNDVS Rex misit in Sueciam Legatum Samuelem Łaski cum querimonijs contra Carolum Sudermanum, sed hic Legatus nihil æqui à Suecis obtinuit, & vacuus rediit. *Piasecius fol. 183* vnde SIGISMVNDVS iter in Sueciam assumere cogitavit, cui in Comitijs datus est consensus cum cautione de redeundo. Zamoysciusq; suadebat Regi, vt nonnisi cum exercitu valido in Sueciam iret, sed SIGISMVNDVS nonnisi unam legionem peditum Vngarorum, quæ non plùs mille militibus constabat, & aliam stipatorum corporis custodem vnà cum Comitatu Aulico conducendam decrevit, paucis peditum cohortibus ex Prussia adiunctis SIGISMVNDVS postquam Calmariam appulit, statim inde Samuelem Łaski ad occupandam Stocholmiam misit, quam nemine resistente vnà cum Arce in potestatem Regis SIGISMVNDI recepit, sicq; inter SIGISMVNDVM & Carolum multa bella intercesserunt, *vt videre est apud Piasecium in Chronica à fol: 183.* continuavit hæc bella Gustavus Adolphus, qui fere totam Livoniam in potestatem suam redegit, præter Dineburgum cum suo Territorio, *vt Piasecius fol. 454. cum sequ.* Tandem *Anno D. 1625.* induciæ sex annorum factæ sunt, hoc est: vsq; ad *Annum 1635.* his conditionibus, Quòd Brodnicia, Vormditum, Melsacum, Stumum, Dirsavia restitueretur Polonis, Marjeburga traderetur in depositum Electori Duci in Prussia, qui vtilitates annuas ex illa Insula prouenientes in ærarium Regis Poloniæ inferret, & inducijs finitis, nisi pax plena interim constitueretur, Arcem illam & Civitatem vnà cum Dirsavia Suecus reciperet, ac loco pignoris interim haberet portum cum arce Memelense Ducatûs Prussiæ, & Elbingam, Brunsbergam, portumq; Pilaviensem ac omnia, quæ eousq; in Livonia occuparat, teneret. Rex & Ordines Regni Poloniæ conventionem hanc confirmarent.

Ad quod Comitia Varſaviæ fuerunt celebrata in maxima perturbatione, tum propter peſtem ibi graſſantem ex caſtris Pruſſicis delatam, tum quòd talem pactionem cum Sueco reprobaret. Exoratus tamen à Senatu, vt bellum illud tam difficile ad feliciora Reipublicæ tempora differret, eam ſuſcepit, approbariq; publico Ordinum decreto permiſit. *Piaſecki fol: 487.*

Finitis inducijs ſex annorum, VLADISLAVS IV. Rex Poloniæ, accinxit ſe bello contra Suecos. Sueci quoq; Mariæburgam, Dirſaviam, à Duce Pruſſiæ Sequeſtro, ex pacto induciarum præteritarum ſibi redditam, novis præſidijs munierunt, ſummoq; feruore vtrinq; bellum apparabatur. Sed Legati Galliæ & Angliæ Regum, & Ordinum Belgij intervenerunt, vt arma ad paucos dies continerentur, vt interea temporis colloquium de tractanda pace poſſit haberi. Et licèt VLADISLAVS Rex magis propenderet ad bellum, maximè, quòd Legatus Imperatoris ſuaderet bellum, quo Sueci à rebus Germanicis reuocarentur, tandem permiſit habere dictum colloquium. Ad hoc itaq; inducijs brevibus proclamatis, delegati ſūt ex Comitijs Generalibus Commiſſarij, qui convenientes Stumdorfij poſt longas controuerſias tam de prærogativis, ac titulis ſui cujuſq; Regis, quàm de literis fidei ac mandati, tum quòd VLADISLAVS Rex juri ſuo ad Regnum Sueciæ renuntiare noluit, induciæ ad annos viginti ſex, nempe ad vndecimam Menſis Iulij diem Anni D. 1661. fuerunt ſtabilitæ, his conditionibus.

Quòd Rex VLADISLAVS ac Eius Succeſſores Reges Poloniæ, totumq; Regnum Poloniæ, & Magnus Ducatus Lithvaniæ cum Provincijs Principibuſq; ſibi ſubiectis nil hoſtile moliri debeant iſtis inducijs, contra Chriſtinam Reginam, Regnumq; Sueciæ, & eius Provincias ac Civitates; & nullâ claſſe armatâ vſuri, neq; eam alijs quibuſcunq; ſubminiſtraturi ſint contra illud Regnum. Atq; Ordines Regni Poloniæ & M. D. L. fide iuberent, neq; ipſummet Regem VLADISLAVM, neq; ipſius Germanos Fratres violaturos eaſdem inducias, & Dux Pruſſiæ atq; Curlandiæ, Civitaſq; Gedanenſis præcavere teneantur, ne ex ipſorum portubus vlla claſſis prodeat in damnum Regni Sueciæ. Quòd viciſſim Regina & Regnum Sueciæ, nihil hoſtile terrâ mariq; contra Regnum Poloniæ, & Magnum Duc: Lith: eiſq; ſubjectas ditiones tentatura ſit, durantibus eiſdem inducijs.

Quòd Elbingam, Marjæburgum, Dirſaviam, Brunsbergam, Pilaviam, omniaq; loca occupata in Pruſſia, poſt confirmationem horum pactorum Regina Sueciæ, reſtituat Regno Poloniæ, & circa reſtitutio-

nem,

nem, omnis supellex Templorum Catholicorum, ac tormenta, omneq; instrumentum bellicum, quod tempore occupationis alicubi fuit, & circa restitutionem invenietur, similiter & Actorum publicorum Archivia in locis suis relinquenda sint.

In Livonia autem, quidquid vtraq; pars sub inducijs præteritis possedit, id sub istis quoq; inducijs possideat.

Quòd Rex Poloniæ condonaret omnes offensas illis, qui secuti fuerunt partes Sueticas, actionesq; juridiciales contra eos propterea fortè institutæ aboleantur.

Civitas Elbingensis retineat salvas suas immunitates & privilegia antiqua, (reiectis illis, quas fortè obtinuit à Gustavo Rege Sueciæ) ac jus libertatis Religionis Evangelicæ, relicto tamen Templo majori seu Parochiali pro vsu Religionis Catholicæ, & præstito jureiurando fidelitatis Regi, Regnoq; Poloniæ.

Si quispiam ex Civitatibus seu locis restitutis alio migrare, & bona sua divendere velit, id ei sit liberum, triennio durante.

Exules Sueci in Patriam redire possint, à Regina Sueciæ literis securitatis impetratis.

Durantibus istis inducijs, agi debeat de pace perpetua, & si semel & iterum non successerit talis tractatus, nihilominus induciæ eædem integræ maneant & serventur.

Commercia mutua inter Civitates populosq; istorum Regnorum sint libera; ac etiam navigatio fluvij Duna ad portum Rigensem secura præstetur; tum & vectigalium ibidem exigendorum modus, qui fuit ante hoc bellum retineatur.

Pro iniurijs circa confinia inter populos istorum Regnorum obvenientibus, vtrinq; deligantur Iudices, qui eas dirimant.

Pacta hæc decreto Comitiorum Generalium Regni Poloniæ confirmentur, ac à Rege VLADISLAO, & Christina Regina, Administratoribusq; Regni Sueciæ subscribantur, ac eorum exemplaria prototypa cuiq; partium consignentur. Actum Stumdorfij die 12. Mensis Septembris. Anno Christi 1635.

Atq; ita restitutionis Livoniæ, ac vsus tituli Regis Sueciæ, successionisq; hæreditariæ in Regno Sueciæ negotio ad aliam tractationẽ se posito, restitutâ Elbingâ, locisq; Prussiæ, in statum pristinum coaluit tunc pax inter Polonos & Suecos: ac ad eam publicâ authoritate comprobandam, indixerat VLADISLAVS Rex duarum hebdomadarum Comitia Varsaviæ *ad diem vigesimam primam Novembr: istius anni 1635* In quibus citra vllam controversiam pacta hæc cum

Suecis Ordines Regni Poloniæ rata habuerunt,ac lege publicâ firmarunt: vicissim Sueci bonâ fide præstiterunt, quæ pepigerant, & pacificatio huiusmodi integrè ante finem huius anni completa fuerat, *Hæc ex Piasecio in Chronica fol: 373. cum sequ.*

Tandem sub IOANNE CASIMIRO Rege Poloniæ *Anno D. 1654.* cùm Moschi Lithuaniam latè, longèq; depopularentur, Carolus Gustavus Rex Sueciæ, nondum finitis dictis inducijs viginti sex annorum, bellum Regno Poloniæ intulit, inter alias causas moti belli hanc adferendo; quòd Delegatus Regis Poloniæ contra Successorem Caroli Gustavi, Socolmiæ protestatus esset, & per hoc inducias violâsset. A principio Rex Sueciæ felices successus habuit, sed cùm Dani Provincias eius Sueticas depopulâssent, & Poloni reassumptis animis & viribus fortiter bellaverunt, Poloniam deserere, ac ex illa non sine ignominia sui exire coâctus est.

Mortuo Carolo Gustavo Rege Sueciæ; *Anno D. 1660.* in Monasterio Olivensi prope Gedanum, pax coäluit inter Regnum Poloniæ & Sueciæ, certis conditionibus, inter quas hæ primæ fuerũt.

Vt IOANES CASIMIRVS Rex Poloniæ, in perpetuum renuntiaret omnibus prætensionibus ad Regnum Sueciæ; & Principatum Finlandiæ.

Item, vt IOANNES CASIMIRVS Rex Poloniæ solùm vteretur titulo Regis Sueciæ ad vitæ suæ tempora, excepto si scriberet ad ipsum Regem Sueciæ tribus tantùm etcæterationibus adiectis.

Item, vt Provinciæ Livonicæ Transdunanæ Sueco concederentur. Prætensiones ad Estoniam, & Osiliam dimitterentur: Et ea loca Livoniæ Cisdunana, quæ Suecus tenuit tempore induciarum, Livoniam Australem, in qua Duneburgum, Rositen, Luzen, Marienhusen, & alia Oppida & Civitates continentur, Rex Poloniæ teneat. De quibus omnibus in Pactis Olivensibus sufficientiùs Lector videre poterit, quæ Pacta ad calcem istius tomi primi apponi fecimus. Hæc ex Historicis desumpta sunt, videre etiam licet *Starovolscium in descriptione Poloniæ sub titulo: Livonia.* Nunc videndum est, quid in Constitutionibus Regni de hac Provincia Livoniæ statutum est.

Et imprimis in Constitutione *Anni 1569. fol: 182.* ʒ **Ziemiá Inflántská**/ Livonia ad Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ vti membrum eiusdem Reipub: assumpta, & defensio illi sicut alijs provincijs: Dominijsq; promissa.

Item *Anno D. 1588. sub tit:* **Reces Seymu Koronácyey**/ deputati erant Commissarij ad exdividendum, quæ pars Livoniæ ad

M. D. L. spectare debeat, & quæ ad Regnum ipsum Poloniæ.

Item in Constitutione *Anni 1607. fol: 844. sub tit:* **Ordynácya Ziemie Inflantskiey/** concessum est Livonibus in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ, bona hæreditaria Terrestria emere, aut per viam contractûs matrimonij acquirere, & illa sub tali iure & prærogativa tenere, sicut Incolis Nobilibus utriusq; gentis, hoc est *Polonicæ* & Lithuanicæ. Hoc adiecto, quòd perfidi ipso facto bona sua, Tenutas, jura & prærogativas amittant. Et si aliquis horum, ad malè narrata, obtineat aliquid à Rege in Terra Livoniæ, data facultas vnicuiq; talem deferre, & cōtra illum instigare, & bona post illum impetrare. Respectu cuius, forum assignatum est coram Duce Exercitûs, qui protunc jurisdictionem à Rege in Terra Livoniæ tenebit, salvâ appellatione ad Sacram Regiam Majestatem.

Ad hæc ibidem cautum est;ne eiusmodi perfidis, aliquis audeat bona sua vendere, donare, oppignorare, aut alio modo concedere, sub pæna mille marcar: Polonical: delatori solvenda. Emptor autē vel summam in vim oppignorationis dans, tam bona, quàm pecuniam amittat, respectu cuius forum coram Sacra Regia Majestate.

Item ibidem constitutum erat,vt Nobiles Livoniæ in competenti foro conueniantur, salvâ appellatione, nec Nobilem possessionatum Livoniæ ad Iudicium Civile sub prætextu Aresti trahat.

Item in Constit. *Anni 1635. fol: 28. sub tit. Benemeriti* **Ziemie Inflántskiey/** promissum est & ordinatum, quòd post recuperationem eiusdem Provinciæ, bona in eadem Provincia Nobilibus Polonis Lithuanis & Liuonis benemeritis, & fidelitatē servantibus eo modo, prout antea habebant, conferrentur. Simile quid constitutum erat in Constit: *Anni 1601. f. 7566. tit:* **O zostáwieniu/** Post recuperationē istius terræ omnes possessores ad bona sua restituentur tam gentis Polonæ, quàm Lithuanicæ & Livonicæ, qui nobis fidelitatem conservabunt. Et si aliquis in hoc bello occubuerit, tunc Proles illius ad bona hæreditaria juxta jura sua redibit. Similiter in bonis Nostris Regalibus proli eiusmodi aduitalitates dabimus, conservando tamē in suo robore Constit: *Anni 1598.* in distribuenda perpetuitate.

Quantum ad Senatores Livoniæ, constitutum erat in Constit: *Anni 1598. sub tit:* **Ordynácyá Ziemie Inflántski y z Woiewodow trzech/** *fol: 709.* quod in locum Præsidentium tres Palatini essent, & locum in Senatu post Palatinos Regni & M. D. L. haberent. Similiter Castellani tres, vnus ex qualibet gente, possessionati, locum haberent in Senatu post Castellanos Regni & M. D. L.

Sed in Constit: *Anni D. 1677. fol: 29. sub tit:* **Ordynácyá Xięstw á Inflántskiego/** aliter ordinatum est.

Quantum ad Capitaneatus in Liuonia: in Constit: *Anni 1589. f. 508. sub tit:* **Starostwa Inflantskie/** Enumeratis omnibus Capitaneatibus ordinatum erat; ut in Livonia. Capitaneatus maiores alternatim Polonis & Lithuanis, hoc est: post mortem Lithuani Polono, post decessum Poloni Lithuano conferantur, vtq; Domini Cancellarij huic attendant sub amissione officij. Obtinentes aliter, pœnâ infamiæ notentur, & bonis obtentis & impetratis priventur. Respectu cuius forum in Comitijs ex citatione (quam liberum erit Delatori aut Actori ex quacunq; Cancellaria, & sub vno sigillo) cuiusvis criminaliter edita, assignatum est. vtq; eiusmodi causæ in primis & immediatis Comitijs Generalibus ante omnes causas criminales in termino incidenti judicentur & definiantur.

Capitaneatus tamen Derpatensis, & alter aliquis Capitaneatus pro Oëconomia Regia vt convertatur, sed tamen, vt tantùm Polonis & Lithuanis alternatim in administrationem dentur.

An autem Livones ad id spectare deberent? Commissarij ad eum effectum deputati erant in Comitijs, vt in Constitutione *Anni 1598. fol. 708. & sequ: sub tit:* **Ordynácyá Ziemie Inflántskiey, y A iż naybárdziey.**

Tandem in Constit: *Anni 1607. fol: 844, sub tit:* **Ordynácyá Ziemie Inflantskiey/** ad omnes dignitates & officia, & ad alternatam Capitaneatuum Livoniæ & aliarum Tenutarum in Livonia, æqualiter cum gente Polona & Lithuanica, vti vnius Reipublicæ Incolæ admissi sunt. Idem & in Constitutione *Anni 1635. fol: 28. sub tit: Bene meriti* vt supra paulò mentionem fecimus.

Tenutas autem & alia minutiora bona, quòd possint tenere in Constit: *Anni 1589. fol: 511 tit:* **Dzierżawy/** *& minutiora bona*, his verbis ordinatum est. Nostras Arces & bona præter superiùs (hoc est in eadem Constitutione *fol: 508. tit.* **Stárostwá Inflántckie/**) enumeratas Arces, debent etiam Nobilibus Livoniæ benemeritis in administrationem dari. Minutiora autem bona minutioris fortunæ hominibus benemeritis gentis Polonæ, Lithuanicæ, & Livonicæ æqualiter, in vsum fructum, aduitalem. Capitaneatus Livoniæ ne absq; consensu Comitiali Ordinum omnium vtriusq; gentis summis onerentur cautum, est, in Constit: *Anni 1589. fol: 511. tit.* **Vznanie summ Inflántckich.**

Capitanei Livoniæ, vt juxta Constitutionem in Electione Hen-

RICI Regis latam jurare tenentur, quòd tempore Interregni Arces & Civitates in damnum Reipublicæ nulli tradent, nisi *Regi* Poloniæ, & M. D. L. liberè & concorditer electo & coronato. Et quòd Reipublicæ Polonæ & simul Magni Ducatûs Lithuaniæ erunt. Ita in Constit: *Anni 1589. fol: 509. tit:* **Przysięgá Stárostw Inflántskich.**

In Constitutione *Anni 1589. fol. 509. tit:* **Opátrzenie dochodow Inflantskich.** ordinatum est, vt omnes proventus tam Capitaneatuum, Tenutarum, quàm teloneorum Livoniæ ad Thesaurum Regum spectantes, vno anno, ad Thesaurum Regni, præuià quietatione Thesaurarij Regni, altero autem anno subsequenti ad Thesaurum M. D. L. prævià quietatione Thesaurarij Terrestris M. D, L. & sic consequenter perpetuis temporibus alternatim, sub amissione Capitaneatûs & Tenutæ, deferantur. Hoc addito, vt Thesaurarius Regni expendat cum scitu Thesaurarij Terrestris M. D. L. Thesaurarius autem Lithuaniæ cum conferentia, aliàs **porozumieniem/** Thesaurarij Regni, ex mandato *Regio*, & cum scitu Consiliariorum vtriusq; gentis ad latus Sacræ Regiæ Majestatis residentium. Ab vtroq; autem ratio in Comitijs Generalibus reddatur: sub Interregno autem vterq; Thesaurarius istos proventus recipiant, nō tamen illos disponant, absq; consensu vtriusq; gentis in Electione Regis, sub pœna peculatûs, respectu cuius vterq; illorum in Comitijs, citatione sub quocunq; sigillo, sive *Regni* Poloniæ, sive M. D. L. emanatâ respondeat. Qui omnes proventus omnium Arcium, per *Revisores*; aut Lustratores taxati, & in tres partes divisi, quarū vna ad Thesaurum *Regiū Regni* & M. D. L. post annum alternatim, vt supra; altera pars pro defensione ejusdem Provinciæ, & tertia pro Capitaneo assignetur: ex qua tertia parte Capitaneus sub tēpus pacis, Arcem reparare & custodire obligatur. Quos proventus tam ad Thesaurum Regium, quàm pro defensione illius Provinciæ Livonicæ assignatos, hoc est, duas partes, Serenissimus Rex jam exnunc non tenebitur conferre, sed tantùm tertiam partem; quæ Capitaneis & Tenutarijs fuerit consignata. Et si aliquis auderet id à Serenissimis Regibus impetrare, is à Capitaneatu & Tenuta totaliter cedat. *Hucusq; verba Constitutionis præfatæ.*

In Constit: *Anni 1677. fol. 29. tit.* **Ordynácya Xięstwá Inflánskiego/** statutum est, vt in *Livonia* contributiones ordinariæ in Comitiolis constitutæ & laudatæ alternatim conferantur prævià cum M. D. *L.* liquidatione, vno anno ad Thesaurum Regni, alte-

 ro anno

ro anno ad Thesaurum Magn: Duc: Lithu: vt infra habetur.

Quantum ad Iudicia Livoniæ, In Constitut: *Anni 1589. f. 510. sub tit:* **Prawá Inflantskie/** ordinatum erat. Quoniam Provincia Livoniæ ad hoc vsq; tempus non habuit jus suum, interea temposti permissum erat, vt jure Magdeburgensi seu Saxonico vteretur, ris ad normam Terrarum Prussiæ judicia, & administrationem ju-&tiæ expediret.

Tandem in Constitutione *Anni 1598. fol: 708. tit.* **Ordynacyá Ziemie Inflantskiey/** constitutum est: vt modum judiciorum, qui à Stephano Rege Poloniæ, illi Provinciæ sub sigillo Regni est datus, & postea à Sigismvndo III. Rege Poloniæ in *Anno 1589.* extraditus, ab omnibus tribus gentibus Polonica, Lithuanica, & Livonica non tantùm conseruetur, sed etiam ad effectum deducatur. Propterea superioritates (aliàs **Przełożeństwá**) & Magistratus certis personis, quas sibi tenebuntur, æqualiter eligere in primo Conventu, & Regi præsentare. Quodsi illos protunc non eligeret, tunc Rex pro hac vice daret, personas dignas. Aut si vacarent, Commissarijs, qui ex Comitijs ad Livoniam debebant ex tribus gentibus æqualiter, mitti, qui exnunc ex ordinatione ista judicia & officia sua sibi commissa inciperent, & absq; ulla dilatione absolverent. *hucusq; dispositio dictæ Constitutionis Anni 1598.*

Anno D. 1635. fol. 28. tit. **Forum w spráwách Powiatu Bráctáwskiego.** Incolis Livoniæ in causis cum Incolis Palatinatûs Braclaviensis Forum in Tribunali M. D. L. assignatum erat, Deputatiq; erant tres, vnus ex Polonia, alter ex Lithuania & tertius ex Livonia assignati. Post recuperationem autem Livoniæ, vt in hoc Tribunali non possint conveniri, sed jure suo in judicijs vterentur ordinatum est. In Constitutione autem *Anni 1607. sub tit.* **Ordynácya Ziemie Inflantskiey/** ordinatum erat, vt Nobiles Livoniæ coram Commissario ibidem existente, durante bello convenirentur. Ad judicium autem Civile, vt nullus Nobilis possessionatus prætextu aresti trahatur.

Privilegia & aliæ literæ, vt sub sigillo Regni & M. D. L. simul extraderentur ad istam Provinciam, statutum erat, sub nullitate privilegij, vel literarum in Constit: *Anni 1589. fol: 508. tit:* **Odpráwá listow.** similiter vt & Literæ pro Conventibus Particularibus in eadem Constit: *fol. 509. tit.* **Seymiki Inflantskie.**

Citationes tamen respectu non observatæ alternatæ, sub sigillo cuiuscunq; Cancellariæ poterant extradi: Ita in Constit: *Anni 1589. fol: 508. tit:* **Stárostwa Inflantskie.** In

In Constitutione autem *1598. fol: 708. tit:* **Ordynácyá Ziemie Inflantskiey**/ statutum erat, vt citationes ad judicia Comitialia & post Curiam, sub sigillo Terrestri extraderentur.

Quantum ad judicia Terrestria & Castrensia in hac Provincia Livoniæ peragenda, & respectu electionis Officialium Terrestrium talis ordinatio in d. Constit: *Anni 1677. fol: & titulo* allegatis, facta est.

Primò: vt Succamerarius, Vexillifer, Iudex, Subiudex, & No-
tarius Terrestris sint, & vt quatuor Candidati ad quodlibet offici-
um ex supra nominatis, quatuor candidati liberè eligantur, & Se-
renissimo Regi præsententur: Serenissimus autem Rex pro arbitrio
suo Regio ex illis quatuor, vnũ in illa Terra bene possessionatũ eligat
& privilegium ex Cancellaria Regia, sub sigillis vtriusq; gentis extra-
datur. Quæ electio in crastino post Comitia relationum protunc
fiat. Quodsi aliquis non haberet possessionem in illa Terra, datur
est facultas emẽdi eam. Qui Officiales, privilegijs Regijs constituti &
roborati, in primo ingressu, iuramento, iuxta Rotam Terrestrẽ in Sta-
tuto Lithuanico descriptam præstito, omnes causas ad officia sua spe-
ctantes, tenebuntur iudicare, iuxta Constitutiones Comitiorum
Generalium, & iura in Statuto Magni Ducatûs Lithuaniæ descri-
pta. Fundando jurisdictionem suam, terminorum Terrestrium (ali-
as **Rokow Ziemskich**) in loco ad judicia peragenda maximè com-
modo, in Curia Regia Civitatis Dineburgensis tribus vicibus in an-
no hoc est: vnâ vice in crastino Trium Regum; secundâ vice, in
crastino Sanctissimæ Trinitatis; tertiâ vice in crastino Sancti Mi-
chaëlis, & constanter (non descedendo ab illis ante finem causa-
rum, ad eadem judicia protunc intentatarum) eadem servato ordi-
ne iudiciario continuare.

Quantum ad iudicia Castrensia ordinatum est, vt jurisdictio
remaneat penes Capitaneum Dineburgensem pro tempore existen-
tem, & illam exerceat tali modo; vt postquam privilegium Regi-
um super hoc obtinuerit, in primis Comitiolis præstet juramen-
tum iuxta Rotam Castrensem in Statuto Lithuanico descriptam, de-
inde iuxta alternatam supranominatam, ex brachio suo nominet
tres Officiales, hoc est: Vicecapitaneum, Iudicem & Notarium Ca-
strenses Dineburgenses, qui ibidem statim, juxta Rotam Officiali-
um Castrensium Magni Ducatûs Lithuaniæ, præstito juramento,
jurisdictionem fundent, omnes causas totius Terræ illius ad Forum
Castrense spectantes & crimina juxta statutum M. D. L. iudicent:

ſalvâ appellatione, tam à Iudicio Terreſtri, quàm Caſtrenſi ad judicia Regia poſt Curiam Aſſeſſorialia, in cauſis tantùm, quæ non excederent quingentos florenos. In quo iudicio Aſſeſſoriali, ſub tẽpus iudiciorum Terræ Livoniæ, Referendarius aut Notarius Magni Ducatûs Lithuaniæ & unus ex Terra Livoniæ Aſſeſſor juratus, ſub nomine Secretarii, debebunt eſſe, quamvis abſentia iſtius Secretarij non obſtabit quidquam ad validitatem eiuſmodi judiciorum. Et iſtis cauſis iudicandis duo menſes quolibet anno aſſignãdi ſunt, Ianuarius & Februarius. In cauſis non excedentibus quingentos florenos, tam in iudicio Terreſtri, quàm Caſtrenſi non concedatur appellatio. *Ibidem.*

Proteſtationes, citationes decreta, Polonico idiomate in omnibus ſubſelliis ſcribantur. *Ibidem.*

Mandata, decreta Aſſeſſorialia, bannitiones, Literæ moratoriæ (aliàs **Gleyty**) ſublevationes, ſub vtroq; ſigillo *Regni* & M. D. L. ex Cancellaria Regia extradantur. *Ibidem.*

Quantum ad collationem Capitaneatuum omnium, ordinatum eſt, vt alternata iuxta jus antiquum conſervetur. *Ibidem.*

Quodſi alicui impoſſeſſionato Capitaneatum Sereniſſimus Rex conferat, licitum illi erit intra decurſum medii anni poſt collatum ſibi Capitaneatum, bona emere. *Ibidem.*

Inſuper omnes alii Officiales in hoc Ducatu eo ordine, prout in Statuto M. D. L. & in Conſtitutionibus deſcripti ſunt, conſtituti ſunt. Hoc adiecto, vt tam Senatores, quàm Officiales Terreſtres ſupra nominati, vno titulo generali Livoniæ vtantur, abrogatis titulis anterioribus. *S*alvis nihilominus Poſſeſſoribus ante Pacta Olivenſia conſtitutis. *Ibidem.*

Contributiones ordinariæ in Comitiolis ordinatæ, vt iuxta alternatam prævia liquidatione cum Magno Ducatu Lithuaniæ, vno anno ad Theſaurum Regni, altero anno ad Theſaurum M. D. L. conferantur. *Ibidem.*

Nuntij ad Comitia generalia, iuxta jus Confœderationis, *Anni 1674.* in Comitiolis Dineburgenſibus ex præſentibus tunc, eligantur. Hæc omnia deſumpta ſunt ex dicta Conſtit: *Anni 1677. fol: 29. tit:* **Ordynácyá Xieſtwá Inflántſkiego.**

Reſpectu ſubditi fugitivi in Livonia ut præſcriptio ad tres annos, & tres menſes currat, declaratum eſt in Conſtit: *Anni 1607. ſub tit:* **Ordynacyá Ziemie Inflántſkiey.**

Eccleſiarum fidei Catholicæ Romanæ in Livonia, omnia jura appro-

approbata sunt, vt videre est in Constitutionibus Lithuanicis *Anno D. 1678. fol: 10. tit. Approbatio* **Kośćiołow**, his verbis: Consulendo indemnitati Ecclesiarum Fidei Catholicæ Romanæ, vt Parochi pristinis gaudeant reditibus, authoritate præsentium Comitiorum, omnia jura, & privilegia ab Antecessoribus Nostris Ecclesijs istius Ducatûs data, & servientia, similiter Lustrationes, *Anni 1582. & Anni 1599.* reassumimus & approbamus, & pro discernentia jurium Commissarios constituimus, vt vnius, vel duorum absentiâ non obstante, ad hos Capitaneatus in quibus ad præsens non sunt Ecclesiæ, descendant, & de fundis Ecclesiarum inquirant, fundos pro Ecclesijs & Plebanis exdividant, & decisivè pro exigentia negotij decernant, & ne Domini Capitanei id impediant, sub pœnis legum inhibitum est.

Sed quia dicta Commissio visa fuit partibus grauaminosa, ideo *Anno D. in Constit. 1683. fol: 13. sub tit:* **Kommisya** ratione **Kościołow Inflantskich**, alij Commissarij destinati sunt, qui (vnius alteriusue absentia non obstante,) facta conferentiâ, cum DD. Capitaneis illius Provinciæ, omni meliori modo Ecclesias constituant, in ijsdem Capitaneatibus, in quibus ad præsens Ecclesiæ desunt, sanctuaria exdividant, & proventus pro sustentatione victus & amictûs provideant.

Securitas Religionis Catholicæ Romanæ in Ducatu Livoniæ & Curlandiæ, in omnibus cæremonijs & officiis Ecclesiasticis, prout in juribus Regni & Ducatûs Prussiæ descripta est, in omnibus punctis & clausulis, authoritate Comitiali in Constit: *Anni 1678. fol: 24. tit.* **Bespieczenstwo Religiey Katolickiey**, cauta est, & fundationes tam antiquæ, quàm & de novo factæ, & dictis Ecclesijs servientes, approbatæ sunt.

Expeditio bellica generalis concessa est Livoniæ, quotiescunq; necessitas postulaverit, non expectatis Comitiis Generalibus Regni, ut absq; turbatione totius Reipub: ipsa se possit defendere in Constit: *Anni 1589. fol: 510. tit.* **Obroná Inflantska.**

Livoniensi militi, ab vtriusq; gentis Ducibus, Præfectus assignandus est, si tamen tempore alicuius expeditionis, Duces vtriusq; gentis (hoc est *Polonæ* & *Lithuanicæ*) adessent, medietas Livonici militis vni, altera alteri Duci, cedere teneretur; nisi vrgens necessitas, sub regimen unius Ducis totum militem Livoniensem postularet. Ita in Constit: *Anni 1589. fol: 510. sub tit:* **O władzy Hetmánskiey.**

§ II.

De Curlandia & Semigallia.

CVrlandia in Livonia sita est. Semigalliæ autem Ducatus, Curlandiæ adhæret. Quorum Ducatuum situm, *Guagninus in descriptione Livoniæ sub tit: cuiusq; Ducatûs descripsit.* Subiungendo Episcopatum Curlandiæ fuisse, septemq; Arces, hoc est Edualen, Pilthen, Hasempot, Angermunde, Dondangen, Neinhaus, & Ambothen habuisse, sed nunc Regi Daniæ subesse. Nam vt refert *Koiálowicz par: 2. historiæ Lithuanicæ lib: 8. à fol:* 447. Cùm Magnus Dux Holsatiæ Friderici II. Regis Daniæ Frater *Anno D. 1560.* in Insulam Oseliã intrasset, Oseliensem & Curonensem seu Curlandiæ Episcopatus à Ioanne Monighusio Episcopo, Regi Daniæ priùs oblatos, occupavit. Similiter & Mauritius Vrangel Episcopus Revaliensis Episcopatum suum dicto Duci Holsatiæ obtulit. Postquam igitur SIGISMVNDUS AVGVSTVS Rex Poloniæ Livoniam à Crucigerorum iugo liberasset, Curlandiæ & Semigalliæ Ducatus, Kothardo Gettlero, & eius stirpi in feudum (ut supra adnotavimus) concessit. Ideo in Constit: Regni *Anno D. 1589, fol: 512, sub tit:* **Xiestwo Kurlánskie/** sub SIGISMVNDO III. Rege cautum est, vt deficiente stirpe Ducis Curlandiæ Gothardi & Filiorum eius Friderici & Vilhelmi, ad Regnum & Magnum Ducatum Lithuaniæ redeant, & vtriq; Genti adiungantur, tali æqualitate, prout de Livonia statutum est.

Vitâ functo Gothardo *Anno D. 1587:* successit illi Fridericus natu maior Filius Gothardi, qui *Anno D. 1605.* in auxilium Polonis contra Suecos cum quingentis Equitibus Curlandis venit, ac per fluvium Dudam, contempto periculo, nando celeriùs transitum quærens, adactis in flumen equis, in vadum nulli ante, nec peritissimis illorum locorum cognito, fortunâ futuræ victoriæ præsagâ, illatus transijt incolumis, nostroq; hastatorum militi iunxit se. Et sic Duce Chodkievicio bellicosissimo, Sueci, maxima cum strage suorum profligati sunt, castra illorum vniversa, prædæ victorum cesserunt; ipse Carolus Rex Sueciæ ope paucorum familiarium suorum, vix ad naves evasit, *vt refert Piasecki in Chronica fol: 270. & sequ.* Et cùm Vilhelmus Frater Germanus dicti Friderici Ducis Curlandiæ; ob necem Magni Noldæ Nitaviæ *Anno D. 1613.* sorte suâ in Ducatu Curlandiæ abdicatus & proscriptus esset decreto Regis Poloniæ, Fridericus ille Dux Curlandiæ pro restitutione in gradum pristinum Fratris sui Vilhelmi, post mortem SIGISMVNDI III.

Regis

Regis Poloniæ, ad Ordines Regni miserat Legatos. Quam Legationem grato animo Ordines acceperunt, tum quòd delictum illud Vilhelmus decem & octo annorum exilio satis expiâsse videbatur; sed magis, quòd Fridericus fidelem operam in bello Livonico navârat; sicq; Ordines Regni spem restitutionis Vilhelmi certam circa inaugurationem novi Regis decernendæ fecerant. *Ita Piasecki in Chronica fol: 529.* prout quidem dicto Friderico Fratri suo successerat.

Vilhelmo successit eius Filius Iacobus. Cui VLADISLAVS IV. Rex Poloniæ, Vilnæ solenni ritu successionem fiduciariam Provinciæ Curlandiæ tradidit, super quo multæ querelæ in Comitijs subsequentibus Generalibus audiebantur, videlicet, quòd VLADISLAVS Rex, non in Comitijs Regni, nec prævio decreto Ordinum, dictã successionem fiduciariam tradiderit, vt refert *Piasecki loco citato folio 601.*

Mortuo Iacobo successit Fridericus Casimirus, qui *Anno D. 1683.* in Comitijs Generalibus Regi & Reipub: Polonæ, per Legatũ suum homagium reddidir, prout in Constit: eiusdem *Anni fol: 6. sub tit: Homagium* **Xiązęćiá JegoMośći Kurlándſkiego/** habetur, vbi tamen cautum est; ne in sequelam & præiudicatum hoc in futurum trahatur: sed quotiescunq; contigerit, novus Dux Curlandiæ in persona sua homagium Regibus Poloniæ reddat.

De hoc Ducatu Curlandiæ in volumine Constitutionum Regni hæc habentur. Et imprimis in Constitutione *Anni 1628, sub tit:* **Ochroná Xiązęćia JegoMośći Kurlándſkiego/** hoc habetur. Quoniam Illustris Dux & Nobilitas Curlandiæ, Semigalliæ & Districtûs Peltinensis, per Nuntios suos querulantur contra militem Livoniæ, quòd ab hoc milite, per maximas contributiones, iniuriam & præiudicia habeant. Ideo ab omnibus eiusmodi oneribus tam Illustrissimum Dominum Ducem, quàm Nobilitatem supra nominatam, liberos facimus.

Quæ Constitutio *Anni 1628. in Constitutione Anni 1676. fol: apud me 45. sub tit:* **Ochroná Xiązęćia JegoMośći/** &c. reassumpta est, & ne aliquis in posterum ex milite Nostro Illustrissimum Ducem & Nobilitatem illius Ducatûs assignationibus, & alijs oneribus aggravare sub pœna Legum, audeat, respectu cuius forum iniuriatis assignatum est, in Tribunali Magni Ducatûs Lithuaniæ. In Constitutione *Anni 1598. fol: 696. sub tit:* **Kommiſsya ná rozgránięzenie Powiátu Bracłáwſkiego z Xięſtwem Kurlántſkim/**

uit decreta, & Commissarii deputati, dataq; est illis potestas, vt Bracławiam congregati vnà cum Commissarijs Ducis Curlandiæ in pari numero missis, vnius hinc inde absentiâ non obstante, juramento super hoc negotio mediante, à fluvio **Dźwiná** dicto, ad lacum Curcinensem iuxta limites in privilegiis Serenissimorum Regum **zá wyiázdem Radziwiłowskim** descriptos, Districtum Bracławiensem in Ducatu Curlandiæ dislimitent.

Item in Constitutione *Anni 1609. fol: 895. sub tit.* **Xiążetá Ich Mość Kurlandskie/** data est facultas Ducibus Curlandiæ, eximere Districtum Piltensem, à Ducissa Anszpachoviensi. Insuper, Friderico Duci Curlandiæ, propter illius merita, quæ in persona sua erga Rempub: præstitit: sive in Regno, sive in Magno Ducatu Lithuániæ provisio bonorum (alias **Opátrzenie/**) jure advitalitio, ex occasione assignata est, ita tamen, vt ratione eiusmodi bonorum juri communi subiaceant.

In eadem Constitutione 1609. Constitutio de vsuris tempore belli Moschovitici à Stephano Rege Poloniæ lata, in toto reassumpta est.

De quibus vsuris declaratio in Constit: *Anni 1611. fol: 12. tit: Declaratio de vsuris* taliter facta est, quòd tantùm illis servire deberet, qui calamitatem inimici & sumptus in defensionem & resistentiam hosti per hoc tempus in Provincia Livoniæ sustinebant. Quod quia Fridericus Dux Curlandiæ notabiliter Reipub: præstitit, & ipsi hoc inserviret.

Item in Constit: *Anni 1638. fol. 25. tit.* **Kommißya o czynieniu spráwiedliwości/** inter Districtum Vpitensem & Ducatum Curlandiæ, Constitutiones *Anni 1611. & Anni 1613.* reassumptæ sunt respectu faciendi talem iustitiam inter hunc Districtum & Ducatum, & vt eiusmodi concordia conscripta per Nuntios Districtûs Vpitensis ad Comitia futura pro confirmatione transmitteretur.

In eadem Constit: *Anni 1638. fol: 29. tit:* **Kommißya Xięstwá Zmudzkiego/** &c. commissio decreta respectu dislimitationis Ducatûs Samogitiæ cum Ducatu Curlandiæ, iuxta Constitutiones *Anni 1601. 1603. 1611. 1613.* Similiter cum Ducatu Prussiæ iuxta Constitutiones *Anni 1607. 1613.* Commissarijq; assignati, vt vna cum Commissarijs à præfatis Ducibus Delegatis, absentiâ vnius vel duorum ex vtraq; parte non obstante, juxta antiquos limites & privilegia Serenissimorum Regum, dislimitationem faciant, & omnes injurias & querelas, tam respectu subditorum fugitivorum, quàm aliarum rerum sopiant.

Item

Item in Constitutione secunda *Anni 1649. fol: 17. sub tit.* **Kommissyá Kurlándska**, antiquas Constitutiones respectu gravaminum inter Ducatum Curlandiæ & Dominia M. D. L. ad hæc, respectu dislimitationis Districtûs Dineburgensis cum Districtu Braclaviensi, ad executionem deducendo, Commissarij assignati sunt, vtq; cum Commissariis ab Jllustrissimo Duce in pari numero missis abientiá vnius vel duorum ex vtraq; parte non obstante, omnes prætensiones sopiant.

Item in Constitutione *Anni 1676. fol: 45.* **Kommisya miedzy Obywátelami** &c. Quoniam Commissio *Anno D. 1670.* assignata, inter Jllustrissimum Ducem Curlandiæ, & Districtum Piltensem effectum suum non est sortita; ideo nova Commissio decreta, & Commissarij destinati, vtq; factâ conventione cum Jllustr: Duce Curlandiæ, & Incolis Districtûs Piltinensis de tempore & loco in locû conventum venientes, jura & privilegia omnia tam Incolarum Districtûs Piltiensis, quàm Jllustrissimi Ducis Curlandiæ revideant, & omnes prætensiones cognoscant, nihil tamen super præmissis concludant determinativè, sed Commissionis suæ in futuris Comitijs relationem faciant; interea temporis Jllustrissimum Ducem Curlandiæ circa responsum à Repub: in Comitiis jure Electionis *de data sextâ Iulij Anno D. 1669.* obtentum, in toto conservando.

Item in Constitutione *Anni 1677. fol: 42. tit: Appendices* **w Konstytucyách** &c. Appendices circa Commissionem inter Incolas Districtûs Piltensis, & Ducem Curlandiæ respectu approbationis responsi in Electione, & penes illud conversationis: item appendices circa Commisionem inter Incolas Districtûs Braclaviensis, & Ducē Curlandiæ, respectu prætensionum eiusdem Ducis Curlandiæ cassatæ, & in perpetuum abrogatæ sunt.

Item in Constitutione *Anni 1678. fol: 42. sub tit:* **Reassumptia Kommissyey Piltenskiey.** Commissiones *Anni 1661. 1667 1670. 1676:* inter Ducem Curlandiæ & Incolas Districtûs Piltensis ad effectum non deductæ præmissæ Commissiones ad latus Regium de consensu omnium Ordinum translatæ (seu **przeniesione**) sunt, vtq; Plenipotentiarij vtriusq; partis, cum juribus & privilegijs suis, ad denunciationem Serenissimi Regis convenirent, statutum est. Et Serenissimus Rex Commissarios cum potestate decidendi & sopiendi prætensiones intervenientes debebat deputare, salvâ interim Jllustrissimi Ducis Curlandiæ iurisdictione.

In eadem Constit: *1678. fol: 43. sub tit:* **O Xiązeciu JegoMość i**

Kurlándskim, Constitutiones *Anni 1609. 1611*, de vsuris, & Constitutio 1676, reassumptæ sunt, & Commissarij deputati, utq; tempore & loco conuento, vnà cum Commissarijs in pari numero ab Jllustrissimo Duce Curlandiæ missis, ex utraq; parte vnius v. alterius absentiâ non obstante, debita & prætensiones Jllustrissimi Ducis cognoscant, & in futuris Comitiis rei gestæ, Serenissimo Regi & Reipub: relationem faciant.

Item in Constit: *Anni 1685. fol. 14. sub tit:* **Kommissya Piltynska**, quoniam Commissiones in præteritis Comitijs inter Incolas Districtûs Piltinensis, & Ducem Curlandiæ ad effectum non sunt deductæ, & per hoc tam Incolis Piltinensibus, quàm Ecclesiæ Catholicæ Romanæ præiudicium factum sit. Ideo Commissarij deputati sunt, vtq; *Anno D. 1686.* absentiâ nonnullorum non obstante ad Civitatem Piltinensem in Curlandia conveniant, & ibidem absq; aggrauatione, tam Ducis Curlandiæ, sicut & Nobilium, jura, privilegia, Jllustrissimi Ducis & Incolarum respectu omnium prætensionum Districtûs, similiter & Episcopatûs Piltinensis, aliàs Curoniensis, Iuris-Patronatus *Regij*, sub jure hypothecæ, sive quovis alio remanentis, ad eximendum inspiciant, & quàm sufficientissimam informationem sumant, interesse habentes do nos & familias connotent, differentias, controversias & difficultates omnes intervenientes, si possibile erit, sopiant, aut saltem facilitent, non se ingerendo in jurisdictionem Jllustrissimi Ducis Curlandiæ, pro finali decisione & ultimaria determinatione causam cum suo effectu ad Serenis: Regem cum sufficienti informatione in omnibus remittant.

In eadem Constit: inter Constitutiones Lithuaniæ, *fol: 10. tit: Reassumptio* **Kommissyey**, Commissiones præteritæ respectu dislimitationis Districtûs Bracłaviensis cum Ducatu Curlandiæ, reassumptæ & Commissarij Deputati.

§ III.

De Smolenscensi Episcopatu.

SMolenscensem Episcopatum VLADISLAVS IV. Rex Poloniæ ex destinatione SIGISMVNDI III. Regis Patris sui, ob felices successus contra Moschum in bello, authoritate Summi Pontificis fundavit, & Petrum Parczewski nominavit. Locus in Senatu huic Episcopo assignatus est post Episcopum Vendensem, & vt de genere Nobili

tam

tam ipse, quàm & Canonici illius Ecclesiæ sint, secundùm Constitutionem *Anni 1633.* de Canonicis Capitularibus M.D.L. ordinavit. Ad Archiepiscopumq; Gnesnensem pertineant. Ne tamen ad jurisdictionem & Diœcesim suam Ecclesias & Incolas Palatinatuum Kijoviensis & Czerniechoviensis, cum Districtûs Novogrodensis, vti ad Episcopum Kijoviensem spectantes evocet, cautum & ordinatum est, in Constit: *Anni 1638. fol. 29. sub tit.* **Smolenskie Biskupstwo.**

Præter supra enumeratos Episcopatus, Camenensem quoq; Episcopatum & Lubussensem fuisse à MIECISLAO I. Principe Christiano Poloniæ fundatum refert. *Cromerus lib: 2. de origine & gestis Polonorum fol: apud me 47.* Cuius Episcopatûs facit etiam mentionem, *Dlugossus in historia sua tomo 1. lib 2. fol. apud me 92.* quamvis eum appellet Camenecensem, & Ecclesiam fuisse erectam sub titulo S. Ioannis Baptistæ. Eam fuisse in Pomerania scripsit *Cromerus loco citato lib: 15. fol: apud me 357.* Quod etiam colligitur ex Guagnino qui in descriptione Sarmatiæ, & aliarum Provinciarum, sub descriptione Prussiæ tit: Pomerania, inter Civitates istius Provinciæ ponit etiam Cameneciam.

Episcopus Camenensis & Lubussensis, quòd olim locum in Senatu habuerint; & quòd Camenensis Episcopus in Ducum Pomeraniæ, *Lubussensis* verò sub Marchione Brandeburgico suo tempore fuerint, scripsit *Cromerus in libro de Repub: & Magistratibus Poloniæ.*

Vratislaviensem quoq; Episcopatum, antea dictum Smorogoviensem, postea Bicinensem & tandem Vratislaviensem à dicto Miecislao fuisse fundatum, scripsit *Cromerus de origine & gestis Polonorum libro 2. fol: apud me 47, Dlugossus, vbi supra,* subiungendo Basilicam sub tit: S. Ioannis Baptistæ fuisse erectam. Episcopus Vratislaviensis ab origine sua ad Provinciam Metropolis Gnesnẽsis cum suo Venerabili Capitulo pertinebat, vt habetur in Synodo Provinciali Gnesnensi à Laurentio Gębicki, *Anno D. 1621.* Petricoviæ celebrata. Et in Synodo Provinciali Gnesnensi à Ioanne Wężyk *Anno D. 1634.* Varsaviæ peracta, *vbi in cap: 10.* habetur. Quòd Serenissimus Princeps Carolus Ferdinandus Administrator Episcopatûs Vratislaviensis ad Synodum Provincialem eandem invitatus, per suas ad Jllustriss: D. Archiepiscopum literas, absentiam Capituli sui excusavit, quòd in exilio manens commode ad Synodum venire non potuerit. Ideo Synodus iustæ excusationi locum reliquit,

ita tamen, ne absentia hâc vice indulta Ecclesiæ Vratislaviensi Metropolitano Gnesnensi dudum adjunctæ quicquam deroget: præsertim cùm & ipse Summus Pontifex modernus illam Ecclesiam Gnesnensem Suffraganeam in literis suis coram Synodo lectis agnoscat; idemq; Serenissimus Carolus, in suis quoq; literis, non diffiteatur. *Hucusq; verba Synodi.*

Ad hæc, in supra nominata Synodo Provinciali Gnesnensi sub Laurentio Gembicki celebrata, *cap:* 4. facit mentionem Episcopatûs Bavoviensis, in Moldavia, & quod idem Episcopus Archiepiscopi Leopoliensis sit Suffraganeus, & Archiepiscopo Gnesnensi subiaceat, & in Synodis Provinciæ Gnesnensis post Reverendissimum Episcopum Vendensem locum habere debeat, quòd modo non observatur.

Ex prædictis itaq; titulis de Episcopis Regni Poloniæ colligitur. Quod Serenissimi Reges Poloniæ, omnes Episcopatus præfatos fundârunt & dotârunt: consequenter ad eosdem Serenissimos Reges, jus-patronatus spectare. Et licèt Summus Pontifex possit derogare juripatronatûs Laicorum, ob rationes, quia Laici illud habent ex mera gratia ipsiusmet Summi Pontificis, juxta doctrinam *Parisij, in tractatu de resignatione beneficiorum lib. 2do. quæstione 4tâ, num: 33. & Viviani, in tractatu de jure-patronatûs lib. 14. cap. 2. num. 3.* & alios communiter Doctores. Tamen Summus Pontifex juri-patronatûs Regum & Principum, nunquam derogare solet, juxta Nostrũ *Piasecki in Praxi Episcopali par: 2. cap: 1. art. 1. num: 12.* Et in Hispania & Gallia eiusmodi derogationes jurispatronatûs non solùm Regum, sed etiam personarum Nobilium non admittuntur, & per Tribunalia Regia, executio illarum impeditur. *ut refert Rebuffus in praxi sua, tertiâ parte signaturæ, verbo, nec non, num: 12. & 36. Et in tractatu de nominatione. quæst: 15. num: 2. Covarruvias practicarũ quæstionum cap: 36. Piasecki noster loco citato, Parisius de resignatione beneficiorum libro 2. quæst. 4. num.* 47. ampliando, etiamsi beneficia & dignitates in Curia Romana vacarent per obitum. Cur itaq; & Regnum Nostrum Poloniæ, quod est antemurale totius Christianitatis non debeat gaudere eiusmodi privilegio, & eiusmodi sentimento uti?

Hinc multa Statuta Regni emanârũt sunt, contra Cortesanos, seu contra illos, qui in Curia Romana, beneficia jurispatronatûs Regij & Regnicolarum impetrare audent.

Et imprimis, ALBERTUS Rex Petricoviæ *Anno D. 1496.* statuit.

Si quispi-

Si quispiam beneficia iuris-patronatûs Regij aut subditorum Nostrorum in præiudicium & derogationem iuris-patronatûs Nostri, & subditorũ eorundem Nostrorum ex causa quacunq; impetraverit: statuimus, decernimus, & mandamus, omni bonorum suorũ, communium & privatorum, mobilium & immobiliũ sæcularium, ærario seu fisco, vel mensæ Nostræ applicandorum privatione; Ecclesiasticorum verò arresto, confiscatione, & extra Regnum Nostrum bannitione, immediatè puniendos.

Item ALEXANDER Rex in Radom: *Anno D. 1505.* Ne quisquã, cuiuscunq; generis, vel conditionis existẽs, audeat beneficiũ quodcunq; Nostri iuris-patronatûs, quandocunq; impetrare, vel oblatũ à quovis suscipere, sine Nostro consensu, sub incursu præfatæ pœnæ exilij & confiscationis suorum bonorũ, & parentum ac propinquorum eius.

Item prænominatus ALEXANDER Rex in eodem Conuentu & eodẽ anno vt supra: Fit nonnunquam quia Cortesani & Cursores *Romani*, beneficia, per Terrigenas de bonis eorum, ad consolationem amicorum viventium & mortuorum, fundata impetrant: sicq; non mediocribus iacturis pauperem Nobilitatem, pro sui defensione iuris impendentẽ afficere consueuerunt: quapropter decernimus, quod impetrantes beneficia apud Sedem Apostol: iuris-patronatûs Nostri, & DD. Nobiliumq; sæcularium Regni Nostri, puniatur in persona, & in bonis: similiter amici & consanguinei impetrantium eorundem.

Supra scripta statuta refert *Herburtus sub tit: Ius-patronatûs fol: apud me 251. Ianus: p: 2. tit:* 3. **O beneficyach.** Potest tamen Cortesanus in termino cedere liti, vt SIGISMVNDVS Rex Petricoviæ *A. D. 1538. declaravit his verbis.* Quodsi aliquis contra dispositionem statutorum, aliquid jure Cortesanico obtineret, proscriptus & bannitus sit ipso facto, & bona ipsius juxta statuta confiscentur. Si verò metu præfatæ pœnæ, cedit liti, juri & causæ; nihilominus ad solutionem damnorum & impensarum, ei, contra quem jure Cortesanico egit, teneatur, & sit adstrictus. Damnum verò & expensæ juramento petentis probabuntur. *Ita refert Herbur: sub verbo: Cortesani & Ianusow: loco cit.* Et hæc quoad jus-patronatûs Regum & Nobilium. Et dicta statuta de Cortesanis reassumpta sunt in Constit: *A. D. 1588. fol: 469 tit:* **O Biskupstwách/** Et in Constit: *Anni 1641. f. 13. tit: Cortesani.* Sunt & alia Statuta de Cortesanis, vt Romæ commorentur ad Sacerdotia sua sub pœna proscriptionis, & infamiæ, *vt Herb: sub tit: Cortesani & Ianussovius lib: 2. p. 2. sub. tit:* **Biskupstwá/** *fol: 200. referunt*, quæ curiosus Lector videre potest. Nunc veniamus ad jus-patronatus. Ecclesiasticũ, de quo extant concordata Regni cum Sede Apostol: tenoris sequ: Hhhhhhh Con-

Concordata Regni Poloniæ cum Clemente VII. Papa.

CVm singularem fidei constantiam, & integritatem, ac eximiæ devotionis affectum, quibus charissimus in Christo Filius Noster Sigismundus Poloniæ Rex Illustris, in Nostro & Apostolicæ Sedis conspectu semper claruit, & continuò claret, Paternâ meditatione revoluimus; dignum atq; debitum censemus, vt quæ eius consideratione ab eadem Sede providè processerunt, promptâ benevolentiâ Nostri muniminis præsidio solidemus; & vt sublato quovis ambiguitatis dispendio, in sui roboris integritate ferventer & per amplius fructuosa reddantur, Nostri Officij partes favorabiliter extendamus. Dudum siquidem per felicis recordationis Leonem Papam X. Prædecessorem Nostrum accepto: quòd licèt diversæ alternativarum literæ, diversis Ordinarijs in Regno Poloniæ à Sede prædicta emanatæ fuissent, dictusq; Prædecessor per diversas Constitutiones suas, Prælatis & alijs Personis Ecclesiasticis, ad quas dignitatum & aliorum beneficiorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu alia quævis dispositio pertinebat, & de quibusvis dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, officijs, Canonicatibus & Præbendis, necnon alijs beneficijs Ecclesiasticis cum cura & sine cura, Sæcularibus, & Regularibus, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionē pertinentibus, quæ certis tunc expressis mensibus vacare contingeret; ac si à Sede præfata, vel Legatis eius, expectativæ, gratiæ, aut super illis speciales, vel generales conservationes non emanâssent, ordinariâ authoritate liberè disponere possent, concessisset: ac ex tunc, quidquid secus super ijs, à quoquam, quâvis authoritate, scienter, vel ignoranter contingeret attentari, irritum & inane decrevisset: nihilominus nonnulli speciales vel generales reservationes, & alias gratias in dicto Regno, cum derogatione & suspensione literarum alternativarum, & cōstitutionum prædictarum, & alias extorserant, & in dies extorquere nitebantur, quo fiebat, vt ordinarij Collatores huiusmodi Regni, qui Reipublicæ ipsius Regni Consiliarij existebant; & diversa onera sustinebant, quo minùs eorum ordinariâ authoritate super ijs vti, vel juxta alternativas, & constitutiones prædictas de beneficijs ad eorum dispositionem pertinentibus, personis idoneis, & benemeritis providere possent, impediantur, in eorum & Reipub: Regni huiusmodi præiudiciū & detrimentum non modicum dictus Prædecessor, motu proprio, & ex certa scientia, necnon consideratione præfati Sigismundi Regis

tam

tam in Lateranensi Concilio novissimè celebrato, quàm alias quascunq; Constitutiones suas in favorem Ordinariorum editas, cum irritantib. & alijs in eis contentis decretis & clausulis innovando, per suas literas perpetuò statuit & ordinavit, ac decrevit; quòd nulla beneficia Ecclesiastica cum cura, vel sine cura, Sæcularia, vel Regularia, cuiuscunq; qualitatis forent, in dicto Regno consistentia, in mensibus, ordinarijs Collatoribus per Constitutiones Alternativas, aut Constitutiones prædictas concessis, pro tempore vacātia, sub quibuscunq; specialibus, vel generalibus reservationibus, unionibus, expectativis, & alijs gratijs, mandatis, & indultis, quocunq; nomine censerentur; & quascunq; clausulas etiam derogatoriarum derogatorias, & alternativis & constitutionibus prædictis, necnon literis Prædecessoris huiusmodi expressè derogantibus, continentes, etiam Cardinalibus, ac suis, ac pro tempore existentis Romani Pontificis, etiā antiquis & descriptis familiaribus, & alijs cuiuscunq; dignitatis, status, gradus, vel conditionis existentibus, per eundem Prædecessorem, & Sedem prædictam, pro tēpore concessis & concedendis, minimè comprehenderētur, nec comprehendi, aut illa minimè acceptari possent, seu deberent: sed dicti ordinarij Collatores, cum illis (dūmodo dispositioni Apostolicæ generaliter reservata & affecta non existerent) iuxta facultatē eis per alternativas & Constitutiones prædictas concessā, ordinariâ authoritate disponere possent; perinde acsi reservationes, uniones, expectativæ, & aliæ gratiæ, mandata & indulta, cum eiusmodi derogationibus nullatenus emanâssent, aut in posterū emanarent, ac nonnulla alia tunc expressè decrevit, prout in ijsdem literis pleniùs continetur. Cùm autem sicut accepimus, à nonnullis hæsitari posset, an beneficia consistentia in Regno huiusmodi, in dictis mensibus, ordinarijs Collatoribus concessis, pro tempore vacantia sub coadiutorijs, ac regressibus, & accessibus, etiam de consensu ipsorum beneficiorum Possessorum; pro tempore concessis, comprehensa censeantur, & comprehendi possunt? Nos, ne Literæ Leonis Prædecessoris huiusmodi ordinarijs eisdem Collatoribus quoad hoc, minùs utiles reddantur, sed semoto huiusmodi hæsitationis obstaculo, votivum sortiantur effectum, providere volentes; motu simili, non ad alicuiùs Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de Nostra mera deliberatione & ex certa scientia; necnon intuitu eiusdem Sigismundi Regis, Literas Leonis Prædecessoris huiusmodi, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis, authoritate Apostolicâ, tenore præsentium, approbamus, & innovamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus. Et ad hoc, ut beneficia prædicta in dicto Regno

consistentia, etiamsi Canonicatus, & Præbendæ, dignitates etiam maiores post Pontificales & Principales, Personatus, Administrationes vel Officia, etiam curata & Electiva, in Cathedralibus etiam Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesijs, & ex quavis causa, etiam ratione familiaritatis continuæ, commensalitatis Nostræ, ac etiam alicuius Cardinalis viventis, cuius consensus requiri deberet, generaliter reservata fuerint, in sex mensibus, videlicet Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris & Decembris, ordinarijs per literas alternativas, aut quævis privilegia & Indulta Apostolica, vt præfertur concessa & concedenda pro tempore vacantia, sub eiusmodi Coadiutorijs, Coadiutorum deputationibus, ac regressibus, & accessibus, per Nos & Romanum Pontificem pro tempore existentem, ad Sedem eandem, etiam de consensu Possessorum beneficiorum eorundem sub quibuscunq; tenoribus & formis, ac cum prædictis & quibusvis alijs clausulis, & decretis pro tempore concessis, minimè comprehendi, nec comprehensa censeri, seipsos ordinarios Collatores, de illis in eisdem, Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris, mensibus, huiusmodi coadiutorijs, ac regressibus, ingressibus & accessibus non obstantibus, etiam ipsa beneficia in Romana Curia, vel extra eam litigiosa existant, dummodo lis super illis mota, seu pendens, vera, & legitimè introducta non fuerit, perinde acsi coadiutoriæ, regressus & accessus huiusmodi concessi, & illa litigiosa non existerent, liberè providere, ac aliàs disponere possint: quodq; omnes & singulæ coadiutoriæ regressus, & accessus, etiamsi de consensu Possessorum beneficiorum huiusmodi, aut etiam cum derogatione Leonis Prædecessoris huiusmodi, & præsentium literarum, ac alternativarum etiam Constitutionum prædictarum pro tempore concessis, nisi etiam ipsius Sigismundi & pro tempore existentis Poloniæ Regis, & Lociordinarij, ac Capituli illius Ecclesiæ, in qua beneficium huiusmodi fuerit, ad id expressus accesserit assensus, nullius roboris, vel momenti existant, authoritate & tenore prædictis, extendimus & ampliamus: ac quòd dicti sex menses, Februarius, Aprilis, Iunius, Augustus, October, December, perpetuò futuris temporibus, ordinarijs Collatoribus Regni huiusmodi concessi, & reliqui sex menses, dictæ Sedi, & pro tempore existenti Romano Pontifici reservati existant, & esse censeantur. Quodq; & Leonis Prædecessoris huiusmodi, ac præsentes literæ, sub quibuscunq; revocationibus generalibus, vel specialibus, ac Cancellariæ Apostolicæ Regulis, hactenus etiam per piæ memoriæ Adrianum Papam VI. similiter Prædecessorem Nostrum editis, minimè comprehensæ fuerint, nec sint, neq; comprehensæ fuisse, aut esse censeri,

eri nec in genere vel in specie revocari, suspendi, vel aliàs quomodolibet alterari possint, semper validæ & efficaces existant, perinde, acsi huiusmodi revocationes, constitutiones, & regulæ, etiam per Nos non emanâssent, nec in posterum per Romanum Pontificem pro tempore existentem, & Sedem eandem emanarent, ac vim validi pacti, & contractûs, ac statuti inter Nos & Sedem prædictam, ac dictos ordinarios Collatores initi & iurati habeant: collationesq; per Nos & Romanum Pontificem, in dictis mensibus, ordinarijs, concessis huiusmodi, pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliusq; roboris, vel momenti existere; ac eisdem Leonis Prædecessoris præfati, & præsentibus literis, necnon in eis contentis per generalem, non obstantibus literis Alternativarum, & Indultis, ordinarijs Collatoribus Regni prædicti super conferendis beneficijs Ecclesiasticis, in mensibus alternatis pro tempore vacantibus, concessis, aut quascunq; alias speciales vel generales, etiam derogatoriarum derogatorias, & efficaciores & insolitas clausulas pro tempore concessas, nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri, nisi in supplicatione desuper Nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis manu signatas, de singulis literis huiusmodi, & illarum datæ, ac Pontificatûs & causæ, propter quam illis derogatur, specialis, specifica, individua, & expressa mentio facta fuerit, & aliter factæ derogationes nemini suffragentur, & quoties præsentibus derogari contigerit; toties illorum revalidatio de novo, & sub quacunq; data per Regem, & ordinarios præfatos, & illos, de quorum interesse ageretur, eligenda, expediri possit. Et sic, & non aliter, in præmissis omnibus & singulis, per quoscunq; Iudices & Commissarios, quavis authoritate fungentes, sublatâ eis quâvis aliter judicandi & interpretandi, facultate & authoritate, judicari, & definiri debere; ac quidquid secus super his à quoquam etiam per Nos quâvis authoritate contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Mandantes Summistæ pro tempore existenti, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, vt literas revalidationis præsentium, sub data per interesse habentem eligenda, siue alia supplicatione, seu Nostra ac Romani Pontificis pro tempore existentis licentia expediat, ad omnem interesse habentis requisitionem.

Quocirca, Venerabil: Fratribus Nostris, Archiep: Leopolieñ. & Olumecensi, ac dilecto Filio Scholastico Cracoviensi per Apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se, vel alium, aut alios, præsentes literas, & in eis contenta quæcunq;, vbi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte ordinariorum prædicto-

dictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti; solenniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, facient authoritate Nostrâ præsentes literas, & in eis contenta quæcunq; huiusmodi firmiter observari, ipsosq; ordinarios Collatores, illis pacificè gaudere; non permittentes eos desuper per quoscunq; contra earundem literarum tenorem quomodolibet molestari, contradictores per censuram Ecclesiasticam, authoritate Nostrâ, appellatione Apostolicâ postpositâ, compescendo, Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, vigesimo quinto. Calendis Decembris, Pontificatûs Nostri Anno tertio.

Hæc concordata refert *Piasecki in praxi sua Episcopali par: 2. cap: 5. art: 2. fol: apud me 461.*

§. IV.

De Annatis.

SIGISMVNDVS Rex Poloniæ, *Anno D. 1543.* statuerat, vt (referunt *Herburtus in Statuto sub verbo Annatæ, Ianussovius lib 2. par: 5. sub tit:* Annáty/) mittendos esse Legatos ad Summum Pontificem Romanum, postulando, vt remaneant in Regno pro defensione Reipublicæ.

Item *Anno D. 1544. vt refert Herburt. f. apud me 41. & Ianussovius,* vbi supra, sic statutum erat. Sacra Regia Majestas per Nuntium apud Summum Pontificem Romanum impetrare Annatas conabitur.

Item SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, vt in Const: *Anni 1567. sub tit:* Annáty *fol. apud me 134.* habetur, statuit, vt Annatæ remaneant in Regno pro defensione Reipublicæ.

Item SIGISMVNDVS III. Rex in Constit: *Anni 1607. tit:* O Annatach/ *fol: apud me 834.* statuit his verbis. Ad effectum deducendo Statutum SIGISMVNDI Regis Avi & SIGISMVNDI AVGVSTI Avunculi Nostri & STEPHANI Prædecessorum Nostrorum, Constitutiones de Annatis factas, statuimus, vt quilibet DD. Archiepiscopus & Episcopus, qui à Nobis beneficia obtinebunt, talem summam, qualem in Curia Romana, nomine Annatæ persolvunt, solvat Episcopus Regni ad thesaurum Regni, M.D. L. ad thesaurum M.D.L. pro defensione Reipub: sub pœna duplicis summæ de bonis mobilibus & immobilib9 proprijs: in defectu verò, de proventibus & reditibus repetenda, ad instantiam Instigatoris ex delatione Officialium The-

sauri

ſauri Noſtri, ſub pœna ſolutionis de proprio, inſtantibus Nuntijs Terreſtribus in Comitijs. Et ne hæc conſtitutio in dubium vocetur, requiremus conſenſum ſuper hoc à Sede Apoſtolica. Et vt iſtæ Annatæ pro denfenſione Reipub: ſub pœna duplicis penſionis Ravæ ſolverentur, ſtatutum in Conſtit: *Anni* 1569 *fol:* 184. § **Annáty ktore Seymowa Konſtitucya ſa pozwolone.** videatur in Conſtitutionibus *fol:* 262. § **Pan Podſkar: i/** vbi dictæ Conſtitutiones *Anni* 1567. & *Anni* 1569. reaſſumptæ ſunt.

Sed hic quæret aliquis. Quid nomine iſtius Annatæ intelligitur? *Lotterius libro* 3. *quæſt:* 20. *de re beneficiaria num.* 1. intelligit vnam taxatam quantitatem fructuum eius anni, quo beneficium ſeu Epiſcopatus vacat. Et quòd hanc ſolutionem Annatæ, Cameræ Apoſtolicæ Pius V. Papa in ſignum vniverſalis dominij, quod Summus Pontifex habet, aſſignaverit, deducit. Et licèt hæc ſolutio Annatæ apud nonnullos malè audiat, & Simonia dicatur: tamen hanc impoſturam is idem *Lotterius loco citato à num:* 19. ſic defendit: Quòd ſolutio Annatarum Cameræ Apoſtolicæ ſurrogata eſt loco Decimæ, quæ olim in omnibus Provincijs Chriſtiani Orbis Summo Pontifici dabatur: proindeq; ſicut dicta decima debita fuit in ſignū ſupremi Dominij ex præcepto Dei Levitis facto. *Numerorum cap:* 18. ita & hæc Annata, quam Summus Pontifex, partim pro ſuſtentatione ſui, partim pro Cardinalibus indigentibus, tum pro alijs neceſſitatibus in rem & commodum totius Chriſtianitatis vertit. Hæc ex Lotterio. Vtinam itaq; & Reſpublica Noſtra hanc gratiam à Sede Apoſtolica obtineat, vt hæc Annatæ applicentur Regno antemurali Chriſtianitatis, pro defenſione Reipublicæ, & ad ſublevandos ſubditos, qui in beneficijs Eccleſiaſticis ſub continuis contributionibus & extorſionibus militum gemunt.

TITVL: TRIGESIMVS SECVNDVS
De Cardinalatu.



Omen Cardinalis ſumptum eſt à cardine: Quia medijs eorum officijs & induſtriâ, voluitur oſtium militantis Eccleſiæ. Nam ſicut Moyſes in minori populo Iudæorum, non potuit ſolus portare pondus, ita Summus Pontifex Romanæ Eccleſiæ, Vicarius Chriſti, inter tot millia populi Chriſtiani, negotia totius Eccleſiæ ſuſtinere nequit. *Ita Valdenſis, Tuſchus, Caſtrenſis, Lezana & alij.*

Quo tempore autem origo Cardinalium fuerit? varij variè. *Tuschus conclusione 95. Baronius, & alij* tenent, creatos fuisse à Sylvestro Papa *Anno D. 313.*

Alij in Concilio Nicæno *A. D: 325.* institutos esse contendunt. Alij Constitutionem Cardinalium attribuunt Sancto Pontiano in Sedem Apostolicam assumpto. Receptior tamen opinio est, sub tempore S. Petri Apostoli constitutos esse. *Ita Bacconius, Lezana, Tuschus & alij,* non quoad nomen Cardinalium, sed sub alio vocabulo nempe Consiliariorum, qui semper lateri Summi Pontificis Ecclesiæ Romanæ pro causis eiusdem Ecclesiæ emergentibus assisterent, prout in veteri testamento, vocabantur Sacerdotes Levitici generis, ad quos vti Consiliarios recurrebatur; vt habetur *in cap: Venerabilem, & Rationibus, tit: Qui filij sint legitimi, & in can: Convenientibus 1. quæst: 7: & in cap,* Fundamenta, *de Electione in 6to.*

Ante Gregorium Papam fuisse Cardinales Diaconos tantùm septem. *Cornelius à lapide cap: 5. versu 4. Actuum Apostolorum* scripsit: Asserens tempore suo fuisse multiplicatos ad numerum duplicatum, iuxta totidem Regiones & vicos, in quos Vrbs Romana distributa erat. Postea Gregorius III. Papa his quatuordecem adiecit quatuor. ante Leonem X. Papam, erant Cardinales numero 52. quem numerum Leo X. Papa. & sequentes Summi Pontifices auxerunt. Tandem Sixtus V. Papa in Bulla, quæ incipit: *Verus ille* &c. sancivit, ne deinceps forent plures Cardinales, quàm numero septuaginta, iuxta numerum septuaginta Seniorum, qui ex Divina ordinatione Moysi in regimine populi adiuncti erant, vt habetur, *Numerorum cap: 11.*

Idem Sixtus V. Papa in alia Bulla, quæ incipit: *postquam* &c. constituit; vt inter septuaginta Cardinales, sint Diaconi quatuordecem, Episcopi sex, reliqui Presbyteri.

Innocentius IV. Papa in Concilio Lugdunensi *Anno D. 1243.* statuit: vt Cardinales ex statu Sæculari ad Cardinalatum promoti, equo vehantur, galero seu pileo rubro, & veste purpureâ vtantur, quasi parati fundere sanguinem, pro sanctimonia Ecclesiæ Romanæ promovenda: quod se præstituros in sua promotione pollicentur, *teste Cardinali, à Turre cremata, & post eum Henriquez lib: 5. cap: 27.*

Assumpti verò ex aliquo Ordine Religioso ad Cardinalatum, tenentur (& quidem ex præscripto) gestare habitum suæ Religionis, vt habetur *in cap: fin: de vita & honestate Clericorum,* ibiq; Do-

ctores, sed Gregorius XIII. Papa *Anno D. 1591.* concessit Cardinalibus ex aliqua Religione assumptis, gestare tantùm galerum seu pileum rubrum. *teste Lezzanâ tomo 1. quæstionum Regularium cap: 17. num 9. & Laërtio tomo 2. Bullarij.*

Munus Cardinalium est, vt Summo Pontifici adsint perpetuò. *Farisius de resignat: benef: lib: 1. quæst: 1.* Unde Collaterales & Coadiutores Papæ vocantur: *Hinc in Can: In nomine Domini, 23. quæstione,* Collegium Cardinalium vocatur Universæ Ecclesiæ gremium, & vnum corpus cum Papa. Et absq; licentia Papæ nequeunt ab Vrbe Romana recedere. *juxta Barbosam, de officio & potestate Episcopi par: 3. allegat: 53. num. 13.*

Et quamvis sint Episcopi, tamen habent justam causam absentiæ à suis Ecclesijs, quarum sunt Episcopi, *vt Barbosa loco citato,* & faciunt fructus suos. *Parisius vbi supra lib 3. quæst: 1. num. 74.*

Et si à Summo Pontifice non jubeantur discedere à Curia Romana, perinde est, acsi per illam taciturnitatem *Papæ,* dispensentur à residentia in suis Ecclesijs, iuxta Anastasium Germonium, in tractatu de indultis Cardinalium, sed Barbosa loco citato, Doctoresq; ab eo citati contrarium tenent, fundando se in Concilio Tridentino *sess: 6, de Reform: cap: 1.* asserentes, hanc suam opinionem à Gregorio XIII, & Vrbano VIII. Summis Pontificibus fuisse approbatam.

Habent hanc prærogativam Cardinales ex indulto Summorum Pontificum, quòd possint conferre beneficia Diœcesis suæ in qua sunt Episcopi, idq; non solùm in sex mensibus sibi competentibus authoritate ordinariâ, sed etiam in omnibus. Nam Summus Pontifex concedit illis menses suos. *Ita Farisius de resignatione beneficiorum lib: 7. quæst: 12. num: 22.* & sequ: & ita quotidie practicari testatur.

An autem Cardinalis sit maior Episcopo? ad hoc dubium, Bellarminus, Lezzana, & alij sic respondent. Si spectetur jurisdictio Episcopi in suam Diœcesim & Ecclesiam: Cardinalatum per se esse minorem Episcopatu. Inter alias rationes reddunt has, quia Summus Pontifex, non vocat se Cardinalem, sed Episcopum. Secundò, quia Summus Pontifex Episcopos vocat Venerabiles Fratres; Cardinales verò, dilectos Filios, eodem modo, quo & Principes Laicos. Si autem spectetur regimen vniversalis Ecclesiæ, Cardinalatum esse maiorem Episcopatu. Nam Episcopi, à Cardinalibus vti coöperatoribus Summi Pontificis, creantur, iudicantur, deponun-

tur. Deinde, quia Summus Pontifex à solis Cardinalibus nunc eligitur, de quo vide *Matthiam à Corona in tractatu, de potestate & dignitate Cardinalium.* Stanislaus quoq; noster Łubienscius in monitis de regendo Episcopatu *fol: 274.* scripsit. Quòd olim in Concilijs Generalibus Episcopi, locum ante Cardinales Diaconos, & Præsbyteros habebant.

Sed hæc ad ornatum tituli sint. Nunc redeamus ad nostra.

Cùm Zbigneus Episcopus Cracoviensis, ab Eugenio Summo Pontifice, Cardinalis Presbyter esset creatus, contentionem in Comitijs Generalibus Petricoviensibus excitavit cũ Vladislao Archiepiscopo Gnesnensi de loco in Senatu, & sententia dicenda. Adhærebant Archiepiscopo, Proceres Maioris Poloniæ, Minoris verò Poloniæ, Zbigneo vti Episcopo Cracoviensi, volentes hi Cardinalem non tantùm Presbyterum, sed etiam Diaconum maioris esse dignitatis, quàm Episcopum, Archiepiscopum & Patriarcham. Maioris verò Poloniæ contendebant, vt Archiepiscopus Gnesnensis principem locum in Senatu obtineret. Stante hâc controversiâ, Vladislaus Archiepiscopus, ne principem locum in Senatu amitteret, cum omnibus Maioris Poloniæ Proceribus ex Senatu discessit, CASIMIRVS tamen Rex cum his qui manserant, Senatum habuit, expostulâruntq; graviter cum Rege Maiores Poloni, de Senatu se absentibus habito, vtq; Archiepiscopus principem locum in Senatu retineret, contenderunt. Sed Rex negavit id sibi in manu esse, quando sic visum sit Summo Pontifici, authoritati eius testari oportere. Ad extremum, ne quo obstaculo controversia illa esset Reipublicæ, exoratus Zbigneus Petricoviâ discessit. In quorum absentia, cùm acriter ab vtrinq; disputatum esset, reiecta est hæc materia ad futura Comitia. Quibus advenientibus Petricoviæ *Anno sequenti 1451.* celebratis super hoc, Zbigneo Cardinali absente (nam eum Rex ne veniret rogaverat) sancitum est, vt is (hoc est Zbigneus) principem locum in Senatu haberet; deinceps verò, ne quis dignitatem Cardinalatûs, aut Legationis Apostolicæ perpetuæ honorem, Rege & Senatu inconsultis petat, obtineat, aut usurpet. *Ita Cromerus lib: 22. de origine & rebus gestis Polonorum fol: apud me 492. & 494.*

Quod sancitum *Herburtus sub tit: Cardinalatus, fol: apud me 63. Ianussovius lib: 2. par: 2. fol: 19.* referunt, tenoris sequentis. CASIMIRVS significamus tenore præsentium, quibus expedit vniversis præsentibus & futuris. Quòd cùm inter Terras Nostras Regni Poloniæ, & subditos earum, non modica orta esset differentia, disce-

ptatioq; non mediocris fieret, de & super Cardinalatu Reverendissimi in Christo Patris, D. Zbignei Episcopi Cracoviensis, propter quam etiam Respublica Regni ipsius dissolvebatur, & complura incommoda capiebat. Nos tandem talem differentiam, disceptationesq; prout ex debito regimine tenemur, semovere, sedare, cõplanare, & ipsas Terras Nostras ad statum debitum reducere volentes: indicto per Nos, super ea re potissimè, parlamento Prælatorum & Baronum Regni Nostri præfati, in hoc loco Oppidi Petricoviensis, pro festo Pentecostes servato: de consilio eorundem Prælatorum, & Baronum Nostrorum, per Nos, ita vt sequitur, conclusum, determinatum, definitum & decretum existit. Imprimis autem, Quòd Sedes Metropolitana Gnesnensis, Domini quoq; Archiepiscopi & Primatis Sedis eiusdem pro tempore existentis, in omni jure, authoritate, & potestate prærogativa, jurisdictione, & consuetudine, quas alias Ecclesia Gnesnensis ab antiquo supra Ecclesiam Cracoviensem habuit, & habet, debeat in ævum conservari.

Item statuimus, & ordinavimus; quòd præfatum Zbigneum Cardinalem & Episcopum Cracoviensem, omnes & singuli Regnicolæ, cuiuscunq; dignitatis status & conditionis existant, pro vero & indubitato Cardinali tenebunt, & reputabunt: eumq; ipsius Cardinalatûs titulo scribent, intitulabunt & nominabunt: scribereq; & intitulare & nominare tenebuntur & sint adstricti.

Item, à modo & de cætero, neq; D. Archiepiscopus Gnesnensis, neq; Episcopus Cracoviensis, & cæteri Episcopi postulabunt aut petent, sed neq; petere debent, aut quovis modo impetrare, dignitatem Cardinalatûs, aut Legationes Sedis Apostolicæ; absq; consensu Nostro, & omnium Consiliariorum Regni.

Cæterùm vt quævis impedimenta in consilijs pro bono publico fiendis, cessent, & difficultates amputentur, firmaq; stabilitas cõsiliorum, in Regno ipso Nostro, permaneat: uterq; Prælatorum prædictorum, vadant cum cæteris Prælatis, & Baronibus ad conventiones, pro tempore statuendas, daturi ad Rempublicam consilia opportuna: sed alter eorum vnâ die, & alius alterâ die, ad consilium veniat, & ingrediatur, quem cum Nos vocandum duxerimus. Non vocatus verò in hospitio debet remanere & stare: daturus nihilominus ab inde consilia opportuna, super quibus fuerit requisitus.

Præterea, hoc præsens decretum in præmissis factum, habitum & conclusum, inviolabiliter per partes teneri debet, & irrefragabiliter

biliter observari. Qui verò illud servare, tenere, & ad illud attendere nollet, sperneret, aut minimè curaret: Nos contra talem partē præmissa non servantem, & omnes Consiliarij Nostri, atq; Regnicolæ, omnino esse debemus; & non permittere eum vti propriâ voluntate. In quorum omnium fidem & testimonium præmissorum, sigillum Nostrum præsentibus subappensum. Actum in *Piotrkow*, in Conventione Generali feriâ quintâ infra octavas *Pentecostes Anno D. 1451.*

TITVLVS TRIGESIMVS TERTIVS

De Senatoribus Sæcularibus.

§. I.

De Castellano Cracoviensi.



Castellanus Cracouiensis, primum locum nunc inter Senatores Sæculares habet, & Palatinos præcedit; cùm antea Palatinus Cracoviensis, post Senatores Spirituales, primum locum haberet. Hanc prærogativam Castellanus Cracoviensis nactus est sub Boleslao III. Rege Poloniæ, Criuousti nuncupato, vt refert *Cromerus lib: 5. de origine & de rebus gestis à Polonis, fol: apud me 121.* dum inquit.

Non multum autem interiecto tempore Scarbinium Palatinum Cracoviensem cæpit, in carceremq; compegit, excæcavit, Senatu movit, & abdicare se vtroq; Magistratu coëgit: propterea; quòd elatus rebus secundis & bellis, aliquot suo ductu prosperè gestis, omnia sibi arrogaret, ac de Principis laude, virtuteq; detraheret: eumq; propinquorum, necessariorum multitudine, & gratiâ populari fretus, contemneret, convitijs & maledictionibus incesseret; & jam in apertam rebellionem evasurus esse videretur. Erat autem Scarbinius Vir magni ingenij, linguâ, manuq; promptus & factiosus: cuius autem gentis fuerit, non reperio: atq; ex eo tempore deinceps Castellano Cracoviensi, qui longè inferior erat, prior in Senatu locus datus est. *hucusq; verba Cromeri.*

Sed *Alexander Guagninus in descriptione Regni Poloniæ, sub tit: Cracoviensis Terra,* aliter retulit his verbis: Castellanus quoq; Cracoviensis Palatinum in consessu, accubitu locoq; superat. Nam cùm Boleslavs Crivovsti Rex Poloniæ bellicosissimus à *Ruthenis*

dolo

dolo circumventus esset; Palatinus honore postposito, cum maiore parte exercitûs aufugit, Rege in medio hostium relicto. Ab hoc tempore, Castellanus Cracoviæ primas obtinet, in cæteris verò illius Regni Provinciis, Palatinus Castellanum dignitate antecellit; *hucusq; Guagninus.* Ex quibus illius verbis colligitur, quòd de alio Palatino loquatur, de quo *Cromerus vbi supra fol: apud me 133.* scripsit. Quòd CRIVOVSTVS Rex reversus in Poloniam, Palatino quidem illi fugæ principi, leporis pellem, colum & fusum dono remisit, meticulositatem eius, & muliebrem animum notans, quâ ignominiâ ille ad voluntarium suspendium adactus est, militem verò salutis suæ authorem, insignibus Nobilitatis, & luculentâ pecuniâ, & possessionibus remuneratus, etiam ad honores amplos evexit, posteritatemq; eius omnem nobilitavit.

Castellanus Cracoviensis præter nomen & reditus nihil habet commune cum alijs, sed liberum is honorem habet, absq; vllo prorsus munere, præter commune Senatorum. *Ita Cromerus in lib: de Repub: & Magistratibus Polonorum.*

§ II.

De Palatinis.

POst Castellanum Cracoviensem Palatini, eo ordine (prout supra descripsimus) locum in Senatu habent. Munus illorum est, esse Ductores copiarum suæ Satrapiæ, in expeditionibus bellicis; indeq; linguâ vernaculâ **Woiewodowie/** (quasi Duces belli sive copiarũ suarum) appellantur. *Cromerus loco citato.* Tempore pacis munus Palatinorum est; in sua Satrapia Conventus Nobilitatis instituere, ijsq; & judicijs præsidere: pretia rebus venalibus (præter tempus Comitiorum & belli) imponere, ponderum & mensurarum curam gerere, Iudæos judicare & illis patrocinari. *Ita Cromerus in libro de Republica & Magistratibus Polonorum.*

Palatini debent habere suos Vice-palatinos, Nobiles juratos & possessionatos, & de Vice-palatino in Palatinatu Podlachiæ. Sed hoc vbiq; obseruatur, & patebit ex infra dicendis.

Nam in Constitutione *Anni 1631. fol: 34. tit:* **O Podwoiewodzych/** sic habetur: Cùm multum nobis intersit, vt Vice-palatini sint jurati, ideo authoritate Conventûs præsentis statuimus: vt Vice-palatini iuxta hanc rotam juramenti, iurent. *Quòd justè judicabo, & omnium rerum taxam & mensuram absolvam, & officio meo in omnibus juxta præscriptum jus satisfaciam, non habendo respectum*

amici, hoſpitis, aliàs **Gośćiá/** *& advenæ, neq; munerum, quæ juſtitiæ eſſent contraria.*

Item in Conſtit *1633. fol: 37. ſub tit:* **O Podwoiewodzych/** ſic ſtatutum eſt: Vice-palatini, tam iſti, qui ad officia ſua, juxta Conſtitutionem *Anni 1631.* nondum iurârunt, quàm qui in futurum ad hæc officia aſſumentur **ná Querelách albo Rokách Ziemſkich/** ſub pœna privationis officij, & quingentarum marcarum, juxta Rotam juramenti in Conſtitutione *Anni 1631.* deſcriptam, jurare tenentur, reſpectu cuius forum in Tribunali Regni, inter cauſas Officij ad inſtantiam cuiuſvis aſſignatum eſt, vtq; medietas iſtius pœnæ Iudicio, & altera pars inſtiganti parti cedat & ſolvatur.

Item in eadem Conſtitutione ſtatutum eſt; ne Vice-palatini ſub pœna præfata & in eodem foro officia Caſtrenſia cum Vice-palatinatu teneant.

Item ibidem, ne privatim extra tempus in Conſtitutionibus deſcriptum, ad aliquam taxam deſcendant; neq; ſub tempus Nundinarum mercatores depactabunt, neq; à mercatoribus vltra tres groſſos **od taßu albo kromu/** exigent.

Item in eadem Conſtitutione cautum eſt; vt Vice-palatini ſeu Iudices ſint jurati, & poſſeſſionati Nobiles, ex Iudæis juſtitiam juxta jura & privilegia, in quantum juri alicuius non derogent, vnicuiq; adminiſtrent, & minores cauſas, poſt definitivam ſententiam in judiciis ſuis terminando, in nonnullis autem cauſis appellationem ad *Palatinos* ſuos concedant. Et vt ijdem Iudæi, ad nulla alia judicia in Civilibus cauſis trahantur, ſed tantùm ad Palatinalia, & appellationes in cauſis, quæ non excederent quingentos florenos à Palatinis poſt Curiam non concedantur, ſub nullitate totius proceſsûs & pæna centum marcarum coram eodem judicio *Palatinali*, a contravenientibus reponenda, excepto, ſi Iudæus per aliquam inſcriptionem proprio foro renuntiaret.

Item ibidem, juriſdictioni Palatinorum juxta antiqua jura non præjudicando in criminalibus, Civitates cum Iudæis in nullam juriſdictionem ſe ingerant, ſed in talibus forum ſolitum, ſequatur.

Hæc Conſtitutio *Anni 1633.* reaſſumpta eſt, in Conſtitutione *Anni 1661. fol: 9. tit:* **Pogłowne Żydowſkie/** ne Iudicia Caſtrenſia, & quævis alia, cauſas Iudæorum judicent, ſub nullitate decretorum, ſalvo jure Palatinatuum Kijovien: Podlachien: Bracławien: & Czerniechovien: prædictæ Conſtitutiones *Anni 1633. Anni 1661.* in Conſtit: *Anni 1667. fol: 27. ſub tit:* **Ná ſupplement/** ad finem conſervatæ ſunt quoad judicia Palatinalia Iudæorum. Item

Item in Constit: *Anni 1678, fol: 10.* inter Constitutiones Regni *sub tit:* **Pogłówne Zydowskie/** Omnia jura antiqua & recentiora Iudæorum reassumpta, vt nonnisi in iudicio Palatinali iudicentur. Iudæi autem Volyniæ coram Capitaneis in omnibus causis respondeant, salvâ appellatione, & ne ab aliquo ad aliud forum evocentur, sub pœnis in jure de evocatione extra forum, & nullitate procesśûs.

In eadem Constitutione *Anni 1678. fol. 23* inter Constitutiones M. D. L. *sub tit.* **Dochodzenie spráwiedliwośći.** Statuta & Constitutiones Iudæorum M. D. L. reassumptæ sunt; cum declaratione, quòd non ad alia subsellia, sed tantùm ad judicia Palatinorum & Capitaneorum, per viam autem appellationis ad iudicia Assessorialia post Curiam Regiam debent evocari, sub pœna evocationis & nullitate decretorum. Et hæc quoad Iudicia Palatinalia.

Quantùm ad taxam rerum vendibilium, hæc in statutis antiquis & Constitutionibus Regni habentur.

Et quidem in Statutis, CASIMIRVS Magnus Rex *Anno D. 1447.* statuit, quòd Palatinus cuiuslibet Terræ, haberet facultatem, pretia rerum ex æquo moderandi, ad bonum ordinem ponendi, & constituendi, ne homines excessivis venditionibus aggravētur. Idem statuit & *Anno 1454.* idq; vt singulis annis hoc facerent sub pœna magna Regali.

Deinde VLADISLAVS JAGELLO *Anno D 1420.* statuit, vt Palatinus & Capitaneus cum alijs Dignitarijs Terræ illius, singulis annis, in certa die mensuras tam frumentorum, quàm pannorum, & aliarū rerum Terrestrium, quæ ad forum per Kmethones adducerentur, & quæ in Regno invenirentur pretio indiceret & corrigeret.

Hoc Statutum IAGELLONIS reassumpsit JOANNES ALBERTVS Rex, *Anno D. 1493.* pœnamq; adiunxit contra negligentes Palatinos præmissa faciendi, vt Regi, toties quoties neglexerit, equum ambulatorem darēt.

Successivè ALEXANDER Rex *Anno D. 1505.* statuit, vt Palatini in suis Palatinatibus, pretia mercantiarum & rerum venalium cōstituerent, ad instar pretiorum in partibus exteris vnde adducebantur. Contra contumaces verò & contemptores Constitutionum per Palatinum factarum, pœnam amissionis mercium imposuit.

Deinde *Anno 1507.* SIGISMVNDVS I. Rex statuit: si quis strictiorem pannum vel breviorem, qui in Regno vendi solet, vendere ausus sit, quàm sit consvetum, pœnâ falsi puniretur, & ipsum pan-

num vniversum illius generis ipso facto amitteret, cuius tertia pars Palatino, reliquum fisco Regio cederet.

Tandem is idem SIGISMVNDVS I. Rex *Anno D.* 1510. decreverat, vt Palatini formam rei fiendæ, & pretium artificibus imponerent. Exenditq; hanc Constitutionem, non solùm ad Civitates & Oppida Regia, sed etiam omnium Spiritualium cuiuscunq; status & conditionis essent; vt Palatini in eorum Civitatibus & Oppidis taxam facerent: vtq; Consules omnium Civitatum & Oppidorum Constitutionem Palatini observarent, & exequerentur: trãsgressores pœnâ quatuordecem marcarum punirent. Contra Consules autem negligentes præmissa faciendi & exequendi, pœnam centum marcarum per Palatinum toties, quoties deliquerint, imponendam & exigendam, eiusmodiq; pœnæ duæ partes fisco Regio, tertia pars Palatino cederet. vbi verò Palatinus officium suum neglexerit, pœnam itidem centum marcarum fisco Regio applicandam constituit.

Anno autem 1511. statutum erat, vt mensura & pretia constituta à Mercatoribus servarentur, contra facientes à Palatinis & Capitaneis juxta Statutum punirentur. *Herburt: in statuto sub verbo Mensura.*

Deinde *Anno* 1523. statuit; vt Palatini officia sua in constituendis rebus venalibus diligenter exercerent, præsertim ingruente necessitate belli, & ne Capitanei locorum, in eisdem officiis obeundis impedirent, sed illos omni ope suâ adiuvarent.

Item *Anno* 1538. statuit; vt Palatini & eorum Vice-Palatini, de rebus in Civitatibus & Oppidis taxandis, dispositioni Statutorum omnino satisfaciant, & nullam negligentiam in hoc committant, alioquin data est facultas vnicuiq; Palatini negligentiam Regi deferendi. Vbi verò ignorante Palatino per negligentiam Vice-Palatini taxatio rerum prætermitteretur, negligentia Vice-palatini Palatino deferatur: si autem Palatinus sciens eiusmodi negligentiam committi, officium suum non redegerit; resq; non taxaverit pretio illis constituto: citatus ex officio peremptoriè pœnam centũ marcarum pecuniæ lueret, cuius medietas fisco Regio, altera medietas parti instiganti cederet.

Ubi verò Constitutioni Palatini, Cives vel Oppidani quicunq; contravenerint, citati pro hac iniuria incolæ Civitatum Regiarum ad Palatinum loci illius, vel eius Vice-palatinum, pœnam 14. marcarum pecuniæ subeant. Si autem Spiritualium, Baronum vel Nobilium

bilium subditi fuerint, ad eorum Dominos, vel ipsorum locum-tenentes citati, & convicti, itidem pœnâ quatuordecem marcarum puniantur.

Si autem Palatinus querulantibus justitiam ministrare neglexerit, citatus ex Officio pœnam centum marcarum luat. Domini verò Spirituales & Sæculares pro non administrata justitia ad Iudicium Terrestre peremptoriè citati pœnam 14. marcarum subeant, cuius medietas Iudicio, altera parti Actoriæ cedat.

Postea *Anno D. 1543.* sic statutum est: DD. Palatini juxta antiqua statuta debent ex officio suo providere, vnusquisq; in suo Palatinatu, incipiendo à Civitatibus & Oppidis Regijs, deinde Spiritualium & Sæcularium Dominorum & aliorum, vt res mechanicæ, modij, mensuræ, ulnæ, venditio frumentorum, cerevisiarum, & aliæ res sub Constitutionem cadentes, justè conservarentur, & venderentur. Contumax vel eas non admittens, pœnâ centum marcarum puniretur, pro qua, executionem DD. Palatini facerent.

Præmissa Statuta deprompta sunt ex Statuto Latino *Herburti sub verbo Palatini.* Ex quibus Statutis Constitutiones factæ sunt, vt sequuntur.

Et primò in Constitutione *Anni 1565. fol: 96. sub tit:* **Powinność wáctwo Woiewodzeł** statutum est, vt DD. Palatini, vel Vice-palatini, duabus vicibus in Anno vocatis Capitaneis, vel Vice-Capitaneis Officialibusq; Terrestribus, cum Magistratu Civili, & Senioribus Artificum illorum locorum, in quibus taxam facturi sunt, taxam omnium pannorum, & aliarum rerum Terrestrium (præter frumentorum) quæ ad forum seu **Targ/** per Kmetones seu alios subditos solent advehi, & in Regno reperiuntur, & non solùm taxam rerum, sed etiam & mensuras mensurare, constituere & publicare, similiter & rerum taxam & pretia mercium & rerum, quæ ab exteris advehuntur, sumptâ informatione sufficienti quale pretium eiusmodi res in exteris habeant, faciant, idq; in prætorio principalioris Civitatis in Palatinatibus suis. In Palatinatibus autem Russiæ, & Masoviæ & qualibet Terra faciant.

Quòd si aliquis alio modo insolito, & speciali formâ res Artificum habere vellet, illam solvat juxta conventionem cum Artifice.

Ibidem statutum est, vt eiusmodi taxa in Civitatibus principalioribus facta per Civitates minores, & Oppida tam Regia, sicut etiam Spiritualium & Sæcularium, per ministerialem publicentur, & vnicuiq; requirenti taxa hæc conscripta extradatur. Iuxta

quam taxam omnia vendantur, & ab artificibus fiant.

Item statutum est, vt non obseruans eiusmodi taxam, vel eidem contraveniens per Ministerialem, aut servum Legalem Advocati, ad Proconsulem Civitatis vel Oppidi illius loci, in quo contravenit, peremptoriè citetur, & Proconsul, absq; vlla mora, eundem contravenientem, & non servantē taxam Palatinalem, convictum, pœnâ quatuordecem marcarum puniat; cuius pœnæ medietas Palatino, & altera medietas parti instiganti cedat. Quodsi contraveniens negaret contraventionem, & non haberentur testimonia sufficientia ad convincendum, tunc corporali juramento evadat.

Item statutum est. Quòd si Proconsules Civitatum, vel Oppidorum Regalium in administranda iustitia negligentes essent, tunc per Palatinos, vel Vice-Palatinos, peremptoriè ad Prætorium principalis Ciuitatis citentur, & pœnâ centum marcarum, pecuniæ & numeri Polonicalis, toties quoties in officio suo negligentes essent, puniantur, cuius pœnæ duæ partes fisco Regio, & tertia Palatino cedat. Salvâ appellatione post Curiam Regiam parti in Civitate vel oppido Regio, quæ se gravatam esse senserit, reservatâ. Quodsi appellatio non esset interposita, tunc causa cum tali Proconsule pro executione remittatur ad Capitaneum, quam executionem tenetur facere, sub pœna centum marcarum pecuniæ & numeri Polonicalis.

Proconsules autem Spiritualium, vel Sæcularium Dominorum, ad Dominos suos vel Administratores eorum citentur, & simili pœnâ vt supra, toties quoties negligentes fuerint, puniantur, cuius pœnæ medietas Domino, & altera pars parti instiganti cedat.

Item ibidem statutum est: quòd si Palatinus alicuius loci ad querelam alicuius, iustitiam in Civitatibus, vel Oppidis Regis administrare nollet ex Proconsule Civitatis aut Oppidi Regij, & esset ex officio citatus, & in causa rueret, pœnam centum marcarū simili modo subeat.

Domini autem tam Spirituales, quàm Sæculares in similibus causis administrationem justitiæ facere negligentes, respectu huius ad Iudicium Terrestre peremptoriè citati & convicti, pœnâ centum marcarum pecuniæ puniātur. Salvâ appellatione, vel motione ad Regem. Cuius pœnæ medietas Iudicio, & altera medietas parti Actoreæ cedat.

Sed in Constitutione *Anni 1578. fol: 340. sub tit.* **Okolo ustaw Woiewodzych/** prædicta Constitutio *Anni 1565*, declarata est

Quod

Quòd iniuriatus ab artificibus vltra taxam Palatinalem merces suas vendentibus, primò, vt illum injuriantem artificem deferat Officio Palatinali: Officium autem Palatinale mittat ad Magistratum Civilem pro executione juxta Constitutionem. In absentia autem Officij Palatinalis, tunc non expectando illud, Magistratus Civilis ad accusationem partis iniuriatæ, executionem super transgressorem faciat. Saluâ appellatione post Curiam.

Successivè emanavit constitutio in *Anno 1581. fol: 378. sub tit:* **O Vstáwách Woiewodzych/** in qua statutum est: vt ex Officio *P*alatinali & *C*apitaneali Officium Capitaneale faciat executionem in Civitatibus: respectu contraventionis taxæ Palatinalis, & Capitanealis, vnicuiq; Nobili liberum sit agere coram Proconsule. Quodsi Proconsul non administret justitiam, tunc respectu huius forum habeat coram Palatino & Castellano, aut in absentia illorum, coram Vicesgerentibus, & vtrumq; Officium sine vlla dilatione tales causas in *Prætorio* iudicet. Et si conformis vtriusq; Officij sententia sit, transeat in rem judicatam, si autem inter Officia discrepantia vel dubietas de sententia ferenda oriatur, per literas informationem à Sacra *R*egia Maiestate petant: dictasq; literas, Officium Capitaneale sumptibus Civitatis absq; mora transmittat. In defectu autem informationis Regiæ, quando in Regno Serenissimus Rex esset constitutus, infra spatium duodecem hebdomadarum, si autem extra *R*egnum S. R. M. esset, infra spatium decem & octo hebdomadarum, sententia Palatini hoc ipso rata erit, & transibit in rem iudicatam.

Tandem in Constitutione *Anni 1607. fol. 845. tit:* **O ustawach Woiewodzych/** Constitutiones, de officio Palatinali & taxa illorum, declaratæ sunt his verbis: Cùm Palatinus aut Vice-palatinus cum Officio Capitaneali & Officialibus ad id pertinentibus (prout præscriptum est) taxam rerum faciet, talem taxam concorditer subscriptam & publicatam absq; vllis excusationibus & appellationibus, Magistratus Civiles exequi faciant, sub pœna quinquaginta marcarum, respectu cuius cum appellatione Cives processum talem habeant, prout in Constitutione *Anni 1581.* descriptus est. Et Serenis: Rex talem causam dum & quando ad se pro informatione transmittetur, absq; vlla mora, procrastinatione, & limitatione, statim cum Consiliarijs ad latus suum Regium existentibus expedire promisit. Quòd si S. R. M. non faceret intra tempus præfinitum in dicta Constitutione, tunc sententia *P*alatini,

vel Vice-palatini, pro rato debeat haberi. Et in quantum Officium Palatinale & Capitaneale in eo passu negligens esset, tunc citatus ad instantiam cuiusuis, eiusmodi pœnæ centum marcarum subiaceat, respectu cuius forum & terminus peremptorius in Tribunali inter causas Officij: non derogando quidquam Officio Dominorũ Mareschalcorum ad latus Regium manentium. Domini autem Spirituales & Sæculares, si non administrassent in Oppidis suis iuxta priores Constitutiones, pœnam quinquaginta marcarum subeant, respectu cuius in Iudicio Terrestri peremptoriè respondere tenebuntur, salvâ appellatione ad Tribunal.

Postea in Constitutione prima *Anni 1613. fol: 28. tit: Pretia rerum:* statutum est, vt omnes merces, materiæ sericeæ, panni, pelles, & id genus similes juxta taxam *Palatinorum*, & antiqua jura vendantur, contra facientes, pœnas in jure descriptas, ipso facto subeat. Et Domini Palatini, aut eorum Vice-palatini pretia rerum taxent, juxta antiquam consuetudinem & jus, & eiusmodi taxam ad Acta porrigant. Respectu autem pœnæ contra transgressores taxæ latæ forum assignatum est, iuxta antiquum jus & consuetudinem.

In eadem Constitutione *Ann 1613. fol: 13 sub tit.* **O ustáwách Woiewodzych/** ordinatum est, vt in Palatinatu Kijoviensi taxa tali modo sit, sicut in *Palatinatu* Masoviæ.

Tandem in Constitut. *Anni 1616 f. 14 sub tit.* **O Exekucyey ustaw Woiewodzych/** statutum est: vt taxam & ordinationem Palatinorum, seu Vice-palatinorum iuxta præscriptum juris communis factam & publicatam vnusquisq; servet. Transgressor ad Magistratum Civilem citetur, evidentissimis testimoniis, & comprobationibus convictus, pœnâ quatuordecem marcarum parti & Iudicio per medium sine appellatione puniatur. Quòdsi Magistratus Civilis negligens esset in administratione iustitiæ; Officium Castrense possit respectu eiusmodi pœnæ & negligentiæ tales ad se adcitare.

Quantum ad taxam rerum vendibilium in Ducatu Prussiæ dicta Constitutio *Anni 1613. fol: 25. tit:* **Ordynácya** *rerum vendibilium* **w Prusiech**. SIGISMVNDI I. Regis reassumpta est, & vt singulis annis expediatur. Hoc addito quòd, eiusmodi taxam in electionibus deputatorum ad Tribunal Regni, duo Nobiles ex quolibet Palatinatu singulis annis deputentur. Contra impedientes, pœna centum aureorum inter Iudicium & jurevincentem per medium partienda, peremptoriè inter causas Officij ad Tribunal citatos & convictos.

In Con-

In Constitutione *Anni 1620. fol: 10. tit: Pretia rerum:* Taxa rerum vendibilium in toto Regno fuit facta, vt videre licet. Vtq; eiusmodi taxa tam publicè, quàm privatim seruaretur, pœna confiscationis mercium ad Thesaurum Regium statuta fuit, respectu cuius Capitaneus illius loci ad delationem cuiuscunq; executionem faceret. Salvâ appellatione post Curiam. Contra Capitaneum autem executionem non facientem pœna centum marcarum statuta, forum ad Tribunal. In Ducatu autem Prussiæ executio facienda cótra transgressores, commissa est Palatinis aut Burgrabijs.

Aliarum autem rerum non specificatarum in dicta Commissione pretia Palatinis, aut Officio illorum, cum Officio Castrensi, in Ducatu autem Prussiæ Burgrabijs commissa sunt. Vtq; quilibet mercator in officina sua seu **w kramie/** per Palatinum seu Officium eius in tabella seu regestro subscripto à Palatino aut Vice-palatino illius loci, haberet & iuxta eiusmodi taxam venderet. Contrarium faciens citatus ad Capitaneum loci illius, in Ducatu autem Prussiæ ad Burgrabium, pœnâ confiscationis mercium puniretur, salvâ appellatione post Curiam Regiam. Ante cuius expeditionem, merces in sequestro Magistratûs Civilis remanerent. Capitaneus autem rei judicatæ executionem non faciens, forum habeat in Tribunali ex delatione cuiusvis, sub pœna supra descripta. Quam Constitutionem, & Magnus Ducatus Lithuaniæ acceptavit.

In Constitutione *Anni 1621. fol: 17. tit:* **Kommissárze do stánowienia** *Pretia rerum.* Commissarij, tam ex Senatu, quàm ex Equestri Ordine ad taxanda pretia rerum deputati erant cum plenaria potestate, vtq; eiusmodi taxa subscriptione Regis & sigillo firmata ad Officia Castrensia, & Civitates transmitteretur, & publicaretur.

Sed hæc Constitutio *Anni 1621.* non fuit ad effectum deducta: ideo in Constit: *Anni 1623. fol: 8, tit. Pretia rerum,* alij Commissarij ex Senatu & Equestri Ordine, & ex aula Regis, Lublinum & Vilnam deputatati erant, ad quos, Civitates principaliores, tam Regni quàm Terrarum Prussiæ, post publicationem eiusmodi Constitutionis, Nuntios suos cum plenaria potestate debebant mittere. Qui omnes Lublinum congregati insimul cum Capitaneo Lublinensi in Arce Lublinensi, præmisso super vera & iusta taxatione rerum juramēto, consideratis omnibus circumstantijs, & valore monetæ, absentiâ aliquorum ex Commissarijs & Nuntiorum Civitatum non obstāte iustè taxarent, & pretia mercium mercatoribus & artificibus omnium rerum, juxta oram & locum in quo venduntur plura-

litate sententiarum vincente & concludente constituerent & eiusmodi Constitutiones in forma conceptas manibus suis subscriptas, & sigillis proprijs munitas ad Acta Tribunalitia siveomnes, sive per aliquē Collegarum suorum porrigerēt,& postea ibidem publicarent, & ad Officia Castrensia, & omnes Civitates Regias, vt faciliùs ad notitiam omnium Incolarum pervenire possent, transmitterent, & publicare mandarent, cum assignatione pœnæ & fori peremptoriè coram Officio Castrensi sine appellatione; similiter & mercatoribus corā eodem Officio cum ea declaratione,quòd in talibus causis, quæ non excederent summam trecentorum florenorum Polonicalium pecuniæ, sine appellatione & prosecutione ipsius quavis, respondere tenebuntur; in causis autem excedentibus summam trecentorum florenorum Polonicalium concedatur appellatio à Iudicio Castrensi post Curiam Regiam immediatè, non introducendo eiusmodi causas ad Iudicium Assessoriale, propter celeriorem expeditionem. Et iuxta hanc ordinationem Commissariorum Officia Castrēsia, sub pœna quingentarum marcarum indilatè executionem facerent. In Magno autem Ducatu Lithuaniæ post tres septimanas finitâ Commissione Lublinensi eiusmodi Commissionem per suos deputatos expedirent.

In Constitutione *Anni 1624. fol: 8. tit: Pretia rerum*, ordinatum est. Prædicta taxa ex Constitutione 1623. expedita, vt intra spatium duodecem hebdomadarū typis mandaretur,& ad Officia Castrensia pro publicatione transmitteretur, & postea tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithuaniæ, vbiq; ad executionem deduceretur. Et huic taxæ & Civitates Prussiæ & portuosæ aliàs **Portowe** subiacerent. Sed hæc ordinatio tantùm ad proxima Comitia valorem suum habebat.

Ideo *Anno 1627.* alij Commissarij deputati sunt, tam ex Senatu, quàm Equestri Ordine vtriusq; Gentis & Aula ad taxanda pretia rerum tam exoticarum, quàm domesticarum; vtq; Civitates principaliores in Regno, & Magno Ducatu Lithuaniæ, & Terris *Prussiæ* cum plenaria potestate Deputatos suos mitterent. Et Commissarii Regni Lublinum, Commissarij M. D.L. Vilnam: pro statuto tempore venientes, vnà cum Capitaneo, sive in Castro, sive in Prætorio congregati, præmisso super vera & justa taxatione, & quòd munera eo nomine non accipient juramento, consideratis omnibꝰ circumstantijs juxta æquitatem, & valorem monetæ, omnes res & merces tam exoticas, quàm domesticas juxta Constitutionem *Anni*

1623. omnia faciendo taxarent, vtq; eiusmodi taxam Capitanei Civitatum Regiarum, aut Officia illorum, similiter Domini Civitatum & Oppidorum suorum, exequerentur, juxta Constit: *Anni 1623.* Quodsi Domini Palatini, aut Capitanei, vel eorum Officia, requisiti non administrarent justitiam, forum cum illis assignatum est in Tribunali inter causas Officii, cum Dominis autem Civitatũ & Oppidorum Spiritualium & Sæcularium, forum in Iudicio Terrestri, peremptoriè, sine appellatione sub pœnis in Constit: *Anni 1607.* expressis. In Magno autem Ducatu Lithuaniæ, forum **na Roczkách/** sine appellatione. Palatinatus autem Prussiæ Constitutionem hanc, ad conferentiam cum Fratribus acceperunt.

In Constit: *Anni 1633. fol: 35. tit: Pretia rerum,* statutum est. vt à Comitijs ad Comitia Commissarij ex Senatu & Equestri Ordine deputati, sint iurati, acceptis ex Civitatibus personis aptis, & inspectis Regestris mercatorum & Teloneorum in quatuor limitibus Regni proximioribus taxam omnium mercimoniorum facerent: hoc est: Lublini, mercium ex Moschovia & Livonia venientium, in præsentia Capitaneorum illorum locorum, vbi taxatio expeditur. Alij Leopoli, merciũ ex Turcia & Valachia, Tertij Cracoviæ rerum ex Ungaria & Silesia: & alij Posnaniæ, mercium ex mari Baltico, Prussia, Pomerania. Et vt dictæ taxationes generales per totum Regnum distribuerentur, ex illis autem Domini Palatini in suis Palatinatibus habitâ ratione distantiæ locorum, iuxta proportionem taxarent.

Item ibidem **z Konstytucye záś.** Constitutiones omnes tam antiquiores, quàm recentiores de pretio rerum declarando, & ad executionem deducendo, statutum est. vt Domini Palatini, aut illorum Officia, cum Capitaneis, vel Vice-capitaneis, & alijs Dignitarijs & Officialibus Terrestribus, in præsentia Magistratûs Civilis, in Prætorio principalioris Civitatis sui Palatinatûs duabus vicibus in anno, hoc est: *feriâ secundâ mediæ quadragesimæ, aliàs* **Srzodopostu/** deinde *feriâ secundâ proximâ post Festum S. Francisci, pretia rerum* constituerent. Et si in termino Domini Palatini, aut Officia illorum, vel Capitaneorum ad taxam eiusmodi faciendam non venirent, tunc absentiâ eorum non obstante, pro termino venientes Officiales Terrestres, cum Officio sive Palatinali, sive Capitaneali, & è converso, si Officiales Terrestres non venirent, Palatini, vel Vice-Palatini, quot venient, taxam & pretia rerum omnium vendibilium, præter frumenta: aliàs **Zboz/** vocatis ad se Consulibus,

Scabinis, & Senioribus Artificum facerent, & ibidem vlnas, pondera, aliàs **wági/ gárce/ kwarty/** & omnes mensuras juxta Constitutionem *Anni 1565. tit:* **Vstawá** constituerent. Quæ taxa ordinatè conscripta, & manibus protunc præsentium subscripta & sigillata ad Officium Castrense per oblatam vt porrigeretur, & per Ministerialem publicaretur. Demum Magistratus omnium Civitatum & Oppidorum Regiorum, Spiritualium, & Nobilium, intra decursum quatuor septimanarum ex Officio Castrensi, ad quod per oblatam porrigetur, authenticè extraherent, & publicarent siue per Ministerialem, siue per famulum Civitatensem sub pœna infrascripta, vtq; juxta taxam eiusmodi in omnibus Civitatibus & Oppidis, Artifices & Mercatores, & omnes alii omnia facerent, venderent, sub pœna quatuordecem marcarum Polonicalium, cuius medietas Magistratui Civili, altera medietas parti instiganti cederet. Respectu cuius forum absq; omnibus dilationibus, appellationibus, processu summario, coram ProConsule, in primo termino tanquam peremptorio responsuri, salvâ evasione juratoriâ, Artifici, vel Mercatori, in quantum negaret, nec clara documenta contra illum haberentur. Contra autem Proconsulem administrationem justitiæ in præmissis non facientem, aut intra decursum quatuor septimanarum ad Officium Castrense taxam non transmittentem, vel non publicantem, pœna centum marcarum, sine quavis appellatione & prosecutione statuta, respectu cuius forum, in Castro ad instantiam cuiusvis: medietas autem dictæ pœnæ Officio, & altera medietas parti instiganti cederet. Postea in Constit: *Anni 1643. fol. 18. sub tit: Pretia rerum*, declarata est Constitutio, *Anni 1633.* vt à Comitijs sex hebdomadarum, ad similia alia Comitia, Commissarij jurati, tam ex Senatu, quàm & Equestri Ordine ad Illustrissimum D. Thesaurarium tam Regni, quàm Magni Duc: Lithu: deputarentur: qui Varsaviam convenientes ad Residentiam Regiam, vocatis ad se ex Civitatibus hominibus idoneis, inspectis quoq; diligenter Regestris mercatorũ & teloniorum, præmissoq; juramento in hanc Rotam: quòd hoc non procurabunt, nec munera accipient, & fideliter taxabunt, taxam omnium mercium facient, qualiter deberent vendi in Regno & in Magno Ducatu Lithuaniæ, adhibitâ ratione longioris, vel brevioris vecturæ. Iuxtaq; hanc taxam, sub pœna centum marcarum toties, quoties decernenda, mercatores se gerent. Ratione autem victualium & vtensilium,

officia

Officia Terreſtria Caſtrenſia & Palatinalia, iuxta Conſtitutionem Coronationis (*hoc eſt Anni 1633.*) in omnibus conſervata ſunt, non derogando quidquam Officio DD. Mareſchalcorum ad latus Sacræ Regiæ Majeſtatis reſidentium, vtq; juxta taxam illorum in omnibus Civitatibus & Oppidis Artifices, & mercatores venderent, ſub pœna quatuordecem marcarum, per medium parti & Iudicio decernenda, forum & pœnas contra delinquentes in dicta Conſtitutione Coronationis de pretijs rerum conſervando. Hoc adiecto, quòd ſi Pro-conſul, vel eius Vicegerens (aliàs **Namieſtnik**) contra executionem iſtius juris peccâſſet, contra illum ſolum, & non contra communitatem, proceſſus Iudiciarius formaretur: *Ibidem* §. **Wcale zachowuiac**/ *fol: 19.* Et in quantum aliquis mercator eſſet refractarius, & iuxta talem taxam nollet vendere merces, & temerariè fornicem, aliàs **Sklep** clauderet, talis ex dominijs Regni proſcriberetur, & nunquam admitteretur, *Ibidem fol: 20.* § **A ieśliby ktory.**

Tandem in Conſtitutione *Anni 1667. fol: 34. ſub tit: Pretia rerum* dicta Conſtitutio *Anni 1633.* reaſſumpta fuit, & ad taxam tam vtenſilium, & conſumptibilium, quæ in Regno & Magno Ducatu Lit: habentur, quàm exoticarum mercium Commiſſarij deputati erant, vt Varſaviam venientes ante omnia juramentum præſtarent, juxta hanc Rotam. *Quòd verè, & juſtè omnes res, & merces exoticas, ſimiliter vtenſilia in Regno, conſideratis omnibus circumſtantijs, juxta æquitatem & valorem modernæ monetæ taxabo, & juſta pretia mercatoribus & mercib⁹ conſtituam, nec munera eo nomine accipiã & nullis promiſſionibus alliciar. Sic me Deus adiuvet & innocẽs paſſio D.*

Quo iuramento, modo, quo ſupra, præſtito, ex Civitatibus homines idoneos vocarent, regeſtra mercatorũ & teloniorum reviderẽt, omnium merciũ tam exoticarum, quæ ex mari Baltico, Sileſia, Ungaria, Pomerania, Valachia, Moſchovia, Riga, & aliunde veniunt, nullas excipiendo, prout & vtenſilium, abſentiâ nonnullorum non obſtante, taxam facerent. Iuxta quàm, vt omnes mercatores ſe gererent ſub pœna.

In Conſtitutione *Anni 1676.* inter Conſtitutiones M. D. L. *fol: 9. ſub tit: Pretia rerum* **W. X. L.** ad taxanda pretia rerum deputati erant Commiſſarij tam ex Senatu, quàm & Equeſtri Ordine, ad quos Civitates principaliores in Magno Duc: Lith: poſt publicationem iſtius Conſtitutionis Nũtios ſuos cum plenaria poteſtate mittere debebant, vtq; hi Cõmiſſarij venientes Vilnam tempore præfixo, ſive in Caſtro (aliàs **w Zamku**) ſive in Prætorio, præmiſſo ſuper veram & iuſtam taxationem juramento, accomodando ſe valori monetæ

in Comitijs Constitutio, omnes res, merces, tam exoticas sicut & domesticas in omnibus se conformando Constitutionibus *Annorū 1623. & 1627.* & alijs posterioribus, taxarent, dictæq; Constitutiones reassumptæ sunt.

In Constitutione *Anni 1667. fol: 65. tit:* **Trybunál w Wielkim Xiestwie Litewskim/** ad finem istius tituli cautum est, ne Tribunal illud pretia rerum per DD. Commissarios constituta immutare auderet.

In Constit: *Anni 1635. fol:* 44. *tit.* **O kórcách Ziemie Zakrocimskiey/** statutum est, in Districtibus Zakrocimensi, Ciechanoviensi, & Nurensi, vt per Officium Palatinale modius, iuxta modium Civitatis Varsaviensis emensuretur, sub pœnis contra Officium Vice-Palatinale in Constitutionibus Regni descriptis.

In Statuto Regni *apud Herburtum sub verbo Pondus* statutum est. Quòd pondus, stateræ, & similiter vlna Cracoviensis cum Posnaniensi sint perpetuò æqualia: pondus autem & vlna Leopoliensis, ac Lublinensis in suo statu conseruata sunt.

Item ibidem[1] statutum est, pondus & libra Płoncensis vt exæquetur.

Quantum ad modios in eodem Statuto Regni *apud Herburtum sub verbo modij* statutum est: vt in Prætorijs, modij sint iustæ mensuræ & gratis dentur hominibus ad mensuranda frumenta: æqualiterq; aliàs **rowno** sine vlla fastigiatione mensurentur; hoc est: ad amussim seu regulam, aliàs **pod strych**. Ad hæc, vt non emptor, sed venditor mensuret.

In Constitutione autem *Anni 1565. fol: 94. & sequ: tit:* **ustáwá ná wagi y ná miáry/** hæc ordinata sunt.

Primò. vt libra aliàs **Funt/ trzydzieści y dwá łoty/ a czterdzieści y osm skoycy** in se contineat.

Secundo vt lapis aliàs **kamien/** triginta duas libras, aliàs **funty** in se contineat.

Tertiò, vt pondus magnum aliàs **Cetnar/** quinq; lapides in se contineat.

Quantum ad vlnas, ibidem statutum est, vt per totum *Regnū* vlna sit æqualis Cracoviensi.

Quantum ad modium, seu **Korzec/** vt in quolibet Palatinatu, in Russia autem & Masovia in qualibet Terra æqualis sit, prout est in Civitate principaliori illius Palatinatûs aut Terræ, in Palatinatu *Russiæ* & Masoviæ. *Ibidem.*

Quarta cuiuscunq; liquoris, vt sit per totum Regnum, qualis Cracoviensis, & quatuor quartæ constituant unam ollam, aliàs **garniec.** In doliolo autem, aliàs **wbáryle** viginti quatuor ollæ sint. *ibidem.*

Dolium cerevisiæ, vbiq; vt contineat ollas, aliàs **gárcy** duas. *ibidem.* Ad hæc statutum est: vt prædictæ mensuræ à Palatinis signatæ, in Prætorijs Civitatum & Oppidorum habeantur, & vnicuiq; postulanti à Proconsule signatæ signo Civitatis iustè emensuratæ gratis emensurentur. *Item* & hoc cautum est: vt **Spy y dániny** quocunq; nomine vocarentur, Dominis à subditis juxta antiquam mensuram & obligationem extraderentur.

In Constitutione *Anni 1569. fol: 192. §.* **w Podláskiey Ziemi/** specialiter cautum est pro Palatinatu Podlachiæ, vt mensuræ, vlnæ, & omnia pondera sint æqualia Civitati Varsaviensi. Tandem in Constitutione *Anni 1588. fol: 489. sub tit:* **Mará/** constitutum fuit, vt modiorum, doliorum, quartarum, vlnarum, ponderum sit æqualis mensura in quolibet Palatinatu, juxta Constitutionem *Anni 1565.* à Palatinis constituta, idq; tantùm ad medium annum.

Tandem in Constitutione *Anni 1598. fol: 707. tit:* **Mará iedná-ká/** statutum est; ut in Palatinatu Cracoviensi, modius libra, vlna, quarta, dolium sint æqualia, hoc est: sicut Cracoviæ, ita & in alijs Oppidis eiusdem Palatinatûs Cracoviensis, & specificè, vt dolium cerevisiæ contineat in se ollas (aliàs **garcy**) sexaginta duas.

Item *Anno 1607. fol. 753. tit:* **O Korcách/** statutum est, vt in Palatinatibus Cuiaviensi, Lenciciési & Płocensi Officiũ Palatinale Cives Civitatũ & Oppidorum Regiorum possit punire, & pœnas extendere ob exaltationem mensuræ, tum si aliquis non permitteret frumenta **strychowáć.**

Item in Constitutione *Anni 1611. fol, 37. tit:* **Korce** statutum est, vt in Civitatibus Regijs Spiritualium & Nobilium Palatinatûs Sandomiriensis Vice-Palatinus emensuret modium, & eiusmodi emensurationem omnes observent.

Item in Constitut: *Anni 1613. fol: 18: tit:* **Porownánie korcow** statutum est, vt in omnibus bonis, tam Spiritualium quàm Sæcularium totius Palatinatûs Masoviensis Vice-Palatinus modium emensuret, & ubiq; æqualis sit, quam Constitutionem & Palatinatus Cracoviensis acceptavit.

Postea in Constitutione *Anni 1616. fol: 10. tit:* **Korce/ miará** &c: constitutum est, ad instantiam Nuntiorum Regni, vt in omnibus Civitatibus & Oppidis tam Regijs, quàm Spiritualium & No-

bilium in quolibet Palatinatu, modius, libra, aliàs **funt** vlna, dolium, quarta vnius mensuræ & ponderis sint, iuxta modium principalis Civitatis cuiuslibet Palatinatûs & Terræ, vtq; Officia Palatinorum & Capitaneorum huic ordinationi attenderent, & ad executionem in spatio medij anni deducerent, sub pœna contra negligentes Officiales legibus Regni descripta, in Iudicio Tribunalitio ad cuiusvis instantiam repetenda. Nihilominus si Officium Palatinale in hoc passu esset remissum, tunc attendentia istius à Capitaneis seu Officijs illorum fieret, & ad executionem deduceretur sub ijsdem pœnis; excipiendo **Spy** & mensuras Capitaneorum & Spiritualium, utq; isti modij in Prætorijs emensurati essent, & vnicuiq; requirenti gratis communicarentur, & venditor non emptor mensuraret, **y strychowal.**

In Constitutione *Anni 1631. fol: 42. tit:* **Porownanie/** statutum est, specialiter pro Terra Łomzinensi, vt modius justè emensuratus sit cum modio Civitatis principalis, & ante *Prætorium* sit expositus, absq; aliqua solutione juxta Constit: *Anni 1550. & 1565.* sub pœna centum marcarum, respectu cuius forum in Tribunali inter causas Officij.

In Constitutione *Anni 1633. fol: 38. tit:* **O korcách/ wágách/** dicta Constitutio *Anni 1616.* reassumpta est, statutumq; vt in omnibus Civitatibus & Oppidis tam Regis, quàm Spiritualium & Nobilium, in quolibet Palatinatu & Terra, modij, **wiertele/** libra aliàs **funt/** vlna, dolium, quarta sint æqualia, iuxta mensuram principalis Civitatis cuiuslibet Palatinatûs & Terræ. Excipiendo **sep y miáry/** Capitaneorum & Spiritualium, vtq; Magistratus Civiles his attenderent, & Constitutionem hanc ad maximum in spatio sex hebdomadarum in executionem deducerent, & omnes mensuras modernas diuersas à mensuris Civitatis principalis, & Terræ tollerent, & novas emensuratas signo Civitatis principalis signatas in Prætorio haberent, & gratis petentibus illas communicarent. Cives in domibus suis alias mensuras habentes, & illis mensurantes, pœnâ quatuordecem marcarum punirent. Magistratus super præmissis negligentes pœnam centum marcarum subeant, respectu cuius forum in Iudicio Castrensi, sine quauis appellatione, & illius prosecutione assignatum est. Cuius pœnæ medietas Iudicio, & altera medietas parti instiganti cederet. Insuper additum; vt in Civitatibus principalibus mensuras nec augerent, nec minuerent, & huius curam haberent, qui ad pretia rerum constituenda deputati erant.

Item

Item in Constitutione *Anni 1635. fol: 44. tit:* **O korcach/** &c. data est facultas, vt modius Terrarum Zacrocimensis, Ciechanoviensis & Nurensis modius sit emensuratus per Vice-palatinum juxta modium Civitatis Varsaviensis, sub pœnis contra Vice-palatinum in Constitutionibus Regni descriptis.

In Constit: *Anni 1647. fol: 10. tit:* **Miáry y Korce/** statutum est, vt in Ducatibus Oswiecimensi & Zatoriensi (reassumptis Constitutionibus *Anni 1565. & 1633.*) omnia frumenta in omnibus Oppidis, nundinis, villis, juxta modios & metretas Civitatis Cracoviensis mensurarentur, sub pœna centum marcarum contra mensurantem aliter, statuta, respectu cuius pœnæ forũ in Tribunali Lublinensi inter causas Officij ad instantiam cuiusvis assignatum est.

Quantum ad Ducatum Lithuaniæ in Constitutione *Anni 1613. fol: 41. tit:* **O miárach nászych/** &c. inter Constitutiones Lithuaniæ deputati erant, ad Magistratum Civilem, Officia Terrestria & Castrensia judicialia, Districtuum Vilnensis & Kovinensis ad emensurationem dolij, aliàs **beczki tárgowey/** vt quatuor modios (aliàs **korcy**) Cracovienses, **bez deptánia, trzęsienia/ y wywodzenia wierzchow/ y bez wszelákich nadátkow/** in se contineret. Similiter, vt quartæ, ollæ, vlnæ, libræ æquales essent. Vtq; juxta talem mensuram omnes status vendere & emere tenerentur, sub pœna mille marcar: si aliquis ex Magistratu, vel Incolis Civitatum cuiuscunq; jurisdictionis, neminem excipiendo alia mensurà quàm prædicta officia constituerent sive emere, sive vendere auderet. Respectu cuius forum cum Magistratu Civili in hoc negligente post Curiam Regiam, cum Civibus autem in Prætorio, ad instantiam iniuriati, in assistentia Officii Castrensis, absq; omnibus dilationibus assignatum est. & vt judicio Hospitum eiusmodi causæ judicarentur, vtq; emensurationes doliorũ & modiorum **Strychowych** Vilnæ **y w Kownie/** & in alijs Civitatibus Regiis Iudicialibus, prænominata Officia, Terrestria, Castrensia & Civilia, sub pœna mille floren: contra quemlibet illorum, absentià duorum, vel trium non obstante in tempore præfixo exequerentur. Et eiusmodi mensuræ emensuratæ **cechowáne y zelazem okowane/ álbo z miedzi urobione/** vlnæ in Prætorio, aliæ penes Officium Castrense pro requisitione necessitatẽ habentium, conservarentur. Hoc addito: quòd præmissa debent intelligi, & de alijs Oppidis Regijs licèt non judicialibus, similiter Spiritualium & Nobilium, tam in Magno Duc: Lit: quàm in Samogitia, vt exẽplo Vilnæ & **Kownà/** eiusmodi mensuræ vbiq; observarentur,

ſub pœna in jure communi contra StatumNobilem deſcripta, reſpectu cuius contra Nobilem refragarium aut Tenutarium bonorum Regalium cuilibet iniuriato in Iudicio Caſtrenſi aſſignatum eſt.

Item in Conſtitutione *Anni 1631. fol: 39. tit:* **Porownanie korcow W. X. L.** ſtatutum eſt, vt in omnibus Civitatibus & Oppidis in Magno Ducatu Lithu: tam Regiorum, quàm Spiritualium, & Nobilium in quolibet Palatinatu, modius ſit æqualis modio capitalis Civitatis cuiuslibet Palatinatûs, aut Terræ, vtq; Officium Palatinorum & Capitaneorum huic attenderent, & ad executionem deducerent in ſpatio medij anni, ſub pœna ducentarum marcarum ad cuiuſvis inſtantiam in Iudicio Tribunalitio repetenda. Et vt tales modij emenſurati in Prætorijs ſint, & petentibus non denegētur.

In Conſtitutione *Anni 1677.* inter Conſtitutiones M. D. L. *fol. 18. Reaſſumptio &c.* dicta Conſtitutio reaſſumpta eſt cum hac declaratione, vt in Civitate Vilnenſi & Kowenſi, & alijs Civitatibus principalibus cuiuſcunq; Palatinatûs & Diſtrictûs juxta mentem prædictæ Conſtitutionis, menſura eſſet conſtituta, hoc eſt: vt dolium aliàs **Beczká ſtrychowana/** contineret in ſe ollas ſeptuaginta duas. In alijs autem Civitatibus & Oppidis, in quibus minora fora aliàs **Targi** peraguntur, talis menſura conſtitueretur, vt proportionem ad dolium memoratum haberet. Vtq; Magiſtratus Civilis in Civitatibus Regijs principalibus cuiuslibet Palatinatûs & Diſtrictûs, juxta Conſtitutionem modernam exequeretur, ſub pœnis in Conſtitutione præfata *Anni 1613.* ad inſtantiam cuiuſvis, in Comitijs relationum proximis, ſuccumbendis: Officia quoq; Caſtrenſia huic ordinationi attenderent, ſub eadem pœna. Reſpectu cuius iniuriatis Status Civitatenſis juri Magdeburgico ſubiectis **w Maydeburku/** & poſt Curiam, & hominibus Statûs Equeſtris in Tribunali Magni Ducatûs Lithuaniæ, in quocunq; termino juxta beneplacitum partis, forum aſſignatum eſt.

Pro concluſione officij Palatinalis, addo Conſtitutionem *Anni 1588. fol: 489 tit:* **Strychowánie ſukien/** in qua prohibetur Officio Palatinali, ne in Nundinis, aliàs **Jarmarkach głownych/** pannos exoticos emenſurent aliàs **nieſtrychowali**; cùm hoc ſit contra Conſtitutionem, quæ ad pannos Terreſtres ſolùm refertur. Emenſuratio autem (aliàs **ſtrychowanie**) pannorum Terreſtrium, ſimiliter & taxa aliarum rerum per Officium ad quod de jure ſpectat, primà die Nundinarum abſolvatur, ita vt ſequenti die liberum eſ-

ſet mer-

ſet mercatoribus ſuas merces vendere, & ab alijs emere. Hæc quæ reſpectu taxæ, menſuræ ad Officium Capitaneale ſpectant. Id vnicum adhuc addo. Quòd SIGISMVNDVS Rex *Anno D. 1507. vt refert Herburtus in Statuto ſub verbo: Pannus,* ſtatuerat, quòd, ſi quis vel ſtrictiorem pannum, vel breviorem, quàm ſit conſuetum vendere auſus fuerit, falſi pœnâ puniretur, & vniverſum pannum illius generis ipſo facto amitteret, cuius duæ partes fiſco Regio, & tertia pars Palatino cederet. SIGISMVNDVS autem AVGVSTVS Rex in Conſtitutione *Anni 1565: fol: 95. tit:* **Sukno Ziemskie/** ſtatuerat, vt **poſtaw sukna** contineret in longum vlnas triginta, in latum duas vlnas **bez krayki/** idq; ſub amiſſione panni, cuius medietas fiſco Regio, altera Palatino cederet.

In Conſtitutione autem *Anni 1638. fol: 18. tit:* **Sygillacya Gdanska/** ſtatutum fuit vt mercatores **Zamorſcy Cudzoziemſcy**, Regni, & M. D. L. **ſukna ſtepowane/ poſtrzygane/** & nullatenus **wyćiagnione/** venderent ſub amiſſione mercium, **oproc tirow/ y kazyi/ ktore nieſtepowane przedawać mogą.**

Officium autem Dominorum Palatinorum ſub tempus expeditionis generalis bellicæ Nobilitatis ſatis ſufficienter deſcriptum eſt in Conſtitutione *Anni 1621. fol: 1. ſub tit:* **Sposob poſpolitego ruszenia/** ad quam benevolum Lectorem remitto, vbi multa de iſta expeditione generali. Nunc nonnulla ſpecialia de diverſis Palatinatibus placet deſcribere.

Et primò; Palatinatus Cracovienſis in Conſtitutione *Anni 1655: fol: 33. ad finem tituli: Approbatio Laudorum,* cavit ſibi, quòd novas contributiones pro defenſione domeſtica privata non conſtituet.

Item. Palatinatus Poſnanienſis in Conſtitutione *Anni 1678. fol. 18. tit:* **Deklaracya Staroſtwa Drahimſkiego** cavit ſibi. Quandoquidem Capitaneatus Drahimenſis nil contribuit ad Palatinatum Poſnanienſem; ideo cavemus hoc lege, vt in futurum, ſi tales contributiones, ad quas hic Capitaneatus ſpectat, Reſpublica laudaret, ex Tariffa eiuſmodi contributionis deceſſus in Theſauro Regni, Palatinatui Poſnanienſi **był potrącony/** & pro ſoluto receptus.

Item De Palatinatu Maſoviæ, *Herburtus in ſtatuto ſub verbo Maſovia, §. Cauſæ omnes* ſcripſit. quod SIGISMVNDVS Rex Poloniæ promiſit huic Palatinatui ſic: Omnes cauſæ Nobilium & quorumvis ſubditorum Noſtrorum Ducatûs Maſoviæ, ad Noſtram Maieſtatem & Conventum Regni per appellationes, & quouis alio modo

devolutæ judicari non debet alio iure & modo, solùm consuetudinibus & jure ipsius Ducatûs, quibus omnes subditi in eodem Ducatu ab antiquo gaudent & judicantur: appellationesq; huiusmodi teneri & servari debent, juxta veterem consuetudinem in Terris Masoviæ semper servari solitam. Quæ consuetudines Palatinatûs Masoviæ ex antiquo Statuto, accedendo ad jus Regni, exceptæ & reservatæ in Comitiis Generalibus Coronationis STEPHANI Regis Poloniæ *Anno D.* 1576. vnanimi consensu totius Reipub: approbatæ, & pro lege & consuetudine Ducatûs Masoviæ cum assecuratione **trzymanią ich** declaratæ sunt, prout in Constitutione *Anni* 1576. *fol:* 294. *tit.* **Mazoska prawa Polskiego przyiecie**, fusiùs continentur. Et præfatæ consuetudines Ducatus Masoviæ in eadem Constitutione *Anni* 1576. *fol:* 297. typis impressæ habentur.

Palatinatus Wołynensis, quem CASIMIRVS III. Rex à Regno tàquam proprio corpore alienaverat, rediit ad Regnum Poloniæ sub SIGISMVNDO AVGVSTO Rege, privilegiumq; super hoc huic Palatinatui in Comitijs Lublinensibus, *Anno D.* 1569. extraditum est, & in volumine Constitutionum Regni post Constitutionem *Anni* 1567. *f.* 155. impressum est. In quo privilegio præter alia, & *hoc*, **ż Ma ostatek vstawuiemy** adiectum est, vt hic Palatinatus, in vexillis suis Terrestribus præter antiqua insignia sua, aquilam Regni apponeret.

Postea Constitutio *Anni* 1673. *fol:* 31. *tit. Securitas* **dobr** in favorem istius Palatinatûs emanavit his verbis: *Licèt in constitutione Anni 1588. & expressis Palatinatûs Wołynensis statutis, inscriptionum potioritas bene sit cauta, ideo volumus, vt eiusmodi causæ potioritatis nulli subiaceant taxæ, sed si aliquis vellet vindicare posterior creditor debitum suum in quibusuis bonis, possit primò possessores eximere. Hæreditates autem obtentæ ante posteriores creditores, & legata debent in suo remanere robore, non obstantibus quibusvis decretis, perpetuâ lege moderna cavemus.*

Palatinatus prædictus Volynensis in duos maximos Districtus Cremenecensem & Luceoriensem divisus.

Palatinatus Podlachiæ Regno Poloniæ incorporatus est itidem sub SIGISMVNDO AVGVSTO Rege, privilegiumq; super hoc extraditum, & in volumine Constitutionum Regni ingrossatum post Constitutionem *Anni* 1567. *fol:* 149. cui etiam Palatinatui data est facultas in vexillis Terrestribus apponendi Aquilam Regni.

Tandem in Constitutione *Anni* 1647. *fol:* 19. *tit:* **Zamkniecie Trebucyey** &c. reassumptæ sunt omnes Constitutiones respectu privilegii

vilegij incorporationis istius Palatinatûs, exceptis protunc litis pendentiis.

Successivè in Constit: *Anni 1673. fol: 16. tit:* **Warunek prawá y przywileiu** &c. omnia jura, privilegia huius Palatinatûs, sunt in omnibus punctis & clausulis, prout ad literam sonant, in privilegio incorporationis & vnionis, specificatis, reassumptæ sunt, & cautum est, salvis modernis Possessoribus, & salvo moderno Possessore Capitaneatûs Branscensis, cui ex beneplacito Reipublicæ & accedente consensu eiusdem Palatinatûs Podlachiæ cesserat prænominatus Capitaneatus. Quod tamen in sequelam ne in posterum traderetur cautum est.

Postea in Constit: *Anni 1676. fol: apud me 31. tit Securitas* **dobr Ziemskich** &c. Is idem Palatinatus Podlachiæ Constitutionem *Anni 1673.* vt supra soli Palatinatui Wołhynensi de potioritate jurium servientem acceptavit.

Palatinatus hic Podlachiæ divisus in tres Districtus, Drogicinensem, Mielnicensem & Bielscensem.

Palatinatus Smolenscensis per SIGISMVNDVM III. Regem à Moschis, dum fuit recuperatus ad omnia jura, libertates, Officia Terrestria, jurisdictiones, dignitates, statuta, & Tribunalia Magni Ducat: Lithuaniæ, prout antea habuit, perpetuis temporibus restitutus erat, vt videre est in Constit: *Anni 1613. fol: 37. tit.* **Ordynacya Woiewodztwá Smolenskiego.** Videatur & Constitutio *Anni 1638. fol: 29. tit:* **Smolenskie Biskupstwo/** &c. vbi ad finem tituli adiunctū est, vt incolæ **Liewelscy/ Krasnohorodcy/ y Siebiescy/** abhinc propter distantiam loci non ad jurisdictionem Palatinatûs Smolensc: sed Połocensis Palatinatûs, quoad iudicia & contributiones, aliàs **z Poborami** spectarent. Quæ Constitutio *Anni 1638.* reassumpta & declarata est in Constit: *1641 fol: 18: tit: Evocatio extra forum* his verbis: *Inhærēdo Constitutioni Anni 1638. cavemus id Incolis Pal-tinatûs Smolenscensis, vt in nullis causis suis respectu bonorum Terrestriū exceptâ cognitione Privilegiorū quæ ad Iudicium Regium spectat, nullo alio prætextu post Curiam Regiā trahantur, sub pœna duplici Evocationis, respectu cuius forū in Tribunali M. D. L. assignatū est. sed in ordinario foro Iudicij Terrestris & Castrēsis ordinario processu convēti, salvâ appellatione ad Tribunal M. D. L. respondeant. Et in mensuratores mansorum, hoc est,* **Miernicy Włoczni/** *in primo particulari Conventu post festum*

Purificationis mensuras suas proprijs manibus & quatuor Deputatorū designatorum subscriptas Succamerario Palatinatûs istius redderent, & absq; his Succamerarijs nemini bona mensurarent, sub pœna & foro suprascriptis.

Palatinus Czerniechoviensis in Constitutione *Anni 1635. fol: 17. tit:* **Ordynacya Woiewodztwá**, constitutus est, & huic Palatino locus in Senatu post Palatinum Parnaviensem assignatus est, divisus est in duos Districtus, Czerniechoviensem & Novogrodensem: & quòd Palatinus Czerniechovien: Capitaneatum Czerniech: absq; vlla incompatibilitate exemplo Palatinatûs Kijoviensis tenere possit.

Electio Palatini Połocensis vt sit libera, privilegium super hoc datum approbatum est in Constit, *Anni 1647. fol. 37. tit:* **Approbácya przywileiu Woiewodztwá Połockiego.**

In Constit: *Anni 1670. fol: 27. tit:* **Porządek Powiatow** &c Ordo Districtuum in Palatinatu Bełzensi taliter perpetuis temporibus factus est, quòd post Districtum Bełzensem Districtus Grabo viecensis cum Terra Bulcensi, alternatam (exemplo Terræ Chełmensis cum Halicensi) tam Officiales Terrestres in Comitiolis, quàm & ipsimet Districtus sub tempus generalis expeditionis bellicæ cõservent. Districtus autem Horodeensis post illos, juxta privilegium incorporationis & consuetudinem antiquam. In Terra autem Dobrzynensi Castellanus Rypinensis Castellanum Dobrzynensem, sub tempus expeditionis generalis bellicæ sequatur.

De pœnis Palatinatuum Prussiæ in Tribunali declaratio facta est in Constitutione *Anni 1633. fol: 60. tit:* **O pœnach**, quòd tantùm in causis executionis rei judicatæ pœna quinquaginta aureorum locum habeat, in aliis autem causis simplicibus, & crudæ citationis non solutione & satisfactione, pœna tantùm trium marcarum imponi debeat.

In Constitutione *Anni 1678. inter Constitutiones M. D. L. fol: 13. tit: Indemnitas* **Obywatelow** &c. constitutum, vt Incolæ Palatinatûs Brestensis in Magno Ducatu Lithuaniæ, præstito juramento in Castro Mielnicensi respectu frumenti proprij, cum eo navigent, quo authentico monstrato, non teneantur in alijs locis multiplicare juramenta.

Notandum hic, quòd in Magno Ducatu Lithuaniæ, Palatini in suis Palatinatibus exercent Iudicia Castrensia, quæ in Regno Poloniæ Capitaneis competunt, In Districtibus autem Lithuaniæ, qui

Palati-

Palatinatibus adiunguntur, vt Oſmianenſi, Lidenſi, & ſimilibus habentur Capitanei cum iuriſdictione.

In Pruſſia quoq; Iudicia Caſtrenſia vocantur Palatinalia, ideo; quia à Palatinis exercentur. Quinimo cauſæ multæ ad Iudicium Terreſtre ſpectantes, à Palatinis in Ruſſia judicantur, de quo videatur *Cromerus in deſcriptione Pruſſiæ.*

Cur autem inter Palatinos Caſtellanus Vilnenſis & Trocenſis, tum & Capitaneus Samogitiæ ponantur, atq; ſic alijs Caſtellanis præferantur? Non invenio aliam rationem, niſi quòd prædicti Caſtellani Vilnenſis & Trocenſis ſint alijs Palatinis Lithuanicis antiquiores. Nam VLADISLAVS IAGELLO circa vnionem Lithuaniæ cum Regno Poloniæ, iſtos Caſtellanos voluit eſſe inter ſuos Conſiliarios, *vt patet ex Herburto ſub verbo: vnio. fol: apud me 526.* § *Item dignitates,* Vbi VLADISLAVS IAGELLO ſic loquitur: *Item dignitates, ſedes, Officia, prout in Regno Poloniæ inſtitutæ ſunt, inſtituentur & locabuntur in Vilna, ſcilicet Palatinus & Caſtellanus Vilnenſis, & demum in Troki, & in alijs locis, vbi Nobis videbitur expedire: juxta Noſtræ beneplacitum voluntatis, perpetuis temporibus duraturis.* deinde *fol: 527.* § *Præterea Nos Alexander:* vbi Alexander aliàs Vitoudus de cõſenſu Sereniſſimi Principis Domini VLADISLAI Regis Poloniæ Fratris Noſtri chariſſimi ſpecificat Nobiles Lithuaniæ ad arma & Clenodia Nobilium Poloniæ aſſumendos, & inter illos, Minigal, Caſtellanum Vilnenſem, & Sunigal Caſtellanum Trocenſem.

Hinc alij Palatini & Caſtellani in Lithuania poſtea creati conceſſerunt dictis Caſtellanis duobus vti antiquioribus, locum honoratiorem.

Quantum ad Capitaneum Samogitiæ, non invenio aliam cauſam, niſi quòd iſte Capitaneus ſit magnæ authoritatis, & ante adhuc perfectam vnionem Lithvaniæ cum Regno Poloniæ, alijs Senatoribus fuerit collatus, prout *Anno D. 1547.* dum Diſtrictus Bielſcenſis ſub SIGISMVNDO AVGVSTO Rege Poloniæ juri Polonico adſcriberetur, Hieronymus Chodkiewicz Caſtellanus Trocenſis Capitaneatũ Samogitienſem tenuit, *vt videre eſt in ſubſcriptione dicti privilegij apud Herburtum fol: apud me 540,* & ante Chodkievicium Stanislaus Ianowicz itidem Caſtellanus Trocenſis Capitaneatum Samogitiæ, tenuit. *teſte Przyluſcio in Statuto ſuo l. 5. f. 694.* atq; ſic *ab Anno 1569.* in Comitijs Lublinenſibus ſub SIGISMVNDO AVGVSTO Rege in Cathalogo & Ordine Senatorum tam Regni, quàm M. D. L. dicti Caſtellani Vilnenſis & Trocenſis tum Capitaneus Samogitiæ inter Palatinos

describuntur, *vt videre est in volumine Constitutionum Regni dicto Anno 1569.* Hinc etiam Cromerus libro de Repub: & Magistratibus Polonorum non procul à principio subiunxit: putantur etiam duo Præfecti seu Capitanei, Generalis Maioris Poloniæ & Cracoviensis ad consilium pertinere, sed statim subiungit: sed perrarò vsu venit, vt ij non aliquo alio honore Senatorio præditi sint.

§ III.

De Castellanis Majoribus & Minoribus.

CAstellani appellantur à Castellis sive Oppidis, eorumq; Territorijs, quæ singuli singula habent attributa, non quòd dominatum, jurisdictionem aut curationem in eis habeant, sed legationem tantùm bellicam; vnde Castellani, quasi Legati sunt Palatinorum, Ductoresq; & Præsides Nobilitatis sub suo quisq; Palatino. Pleriq; etiam certos reditus anniversarios habent. *Ita Cromerus in libro* de Repub: & Magistratibus Polonorum. Suntq; in vno Palatinatu aliquando plures Castellani, *teste Starovolscio in descriptione Poloniæ sub tit: Regimen Politicum,* suntq; in duplici differentia. Nam alij vocantur Castellani maiores, alij Castellani minores. Maiores ideo dicuntur, quia cum cæteris Senatoribus tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, ad omnia etiam secretissima consilia admittuntur. Minores autem non item. *Ita Starovolscius loco citato.* Adfertur & alia differentia: quòd Majores Castellani (exceptis nonnullis) vt Gnesnensi, Woinicensi, & alijs, à Palatinatibus denominantur. Minores autem Castellani à Terris denominationem sumunt: vocanturq; **Kásztellani Powiatowi**, vt habetur in Constit: *Anni 1641. fol: 14. tit:* **Kásztellánia Woiewodztwá Czerniechowskiego.**

In Magno tamen Ducatu Lithuaniæ Minores Castellani non creantur, sicut in ipso Regno. Nam in Lithuania quælibet Satrapia duos tantùm Senatores habet, Palatinum videlicet & Castellanum, *vt testatur Starovolscius in descriptione Poloniæ sub tit: Lithuania & Trocensis Satrapia.*

Ad hæc. Castellani Maiores in sellis cum Episcopis & Palatinis eodem ordine dispositis in Senatu sedent. Unde lingua vernaculâ vocantur, **Krzesłowi.** Minores autem Castellani non item, sed in scamnis ad id facti s post alios Senatores in Senatu sedent. Unde polonicè vocantur **Kásztellani Drążkowi.** Nec mirum, nam & apud Romanos, erant olim Senatores, alij Curules, alij Pedarij: Illi enim in le-

in lectica vehi solebant, in qua sella fuit posita cui insidebant, dabantq; præterea sententiam sedendo; hi autem pedibus ibant. *vt refert* Petrus *Mieſkowſki in libro quem intitulavit, Polonus Iure politus, ſub titulo* Senator/ *fol: apud me 110:*

Si autem ad consilia publica respiciamus, nullum discrimen nunc est inter Castellanos Majores & Minores, nam tam hi, quàm illi ad Comitia Generalia vocantur, imò ad residentiam penes latus Regium admittuntur, vt quotidiana docet praxis.

Castellani tempore pacis nullam jurisdictionem habent, præter munus Senatorū, sed sub tempus belli, quando expeditio generalis bellica indicitur, hoc illorum officium est, vt statuit SIGISMUNDUS Rex Poloniæ. *A.D. 1510. vt refert Herburt: in statuto sub verbo Castellani*, his verbis: Decernimus Statuto veteri innitentes, vt Castellani Districtus suos, ad locum in Restibus per Nos designatū, sine hominum iniuria & incōmodo ducant. Quibus quidem authoritatē damus, eos puniendi, qui temerariè excessus facerent, & damna hominibus inferrent, ordinationes in victu cōparando non observantes. Quodsi Castellani officium suum hoc neglexerint exequi, & in profectione damna non prohibuerint: tunc tenebuntur damna passis solvere, si reos Nobis non detulerint: & Nobis, pro pœna negligētiæ, quatuordecem marcas solvent. Palatini verò Castellanis ordinabunt Districtus; & Castellanis eos ducendos divident, & deputabūt; præsertim in Maiori Polonia, vbi nihil hoc modo ante ordinatum fuisse reperitur. Cùm verò Castellanus, cum Districtu suo mouere voluerit ad bellum, vt omnes pergant, debet Castellanus suo exercitui locum deputare; & in loco competenti tentorium suum extendere: & quatuor diebus in eodem loco commorari, & tandem progredi, sine hominum iniuria, victualia quævis, vt Statuto cautum est, solvendo. Et cùm ad locum in restibus designatum venerit, Palatino suo eum Districtum quem duxit, consignabit.

Idem SIGISMUNDUS *Anno D. 1520.* Bydgostij, constituit. *referente Herburto loco citato fol: 66.* his verbis: Nobiles Districtuum cum suis Castellanis ad locum generalis belli designatum procedant. Et Castellanus in profectione de Nobilitate conquerentibus, super damnis & iniurijs justitiam faciat, inobedientes autem, Nobis & Successoribus Nostris deferat. Quodsi deferre neglexerit, extunc damna passis persolvat. Si verò idē Castellan⁹ ægritudine, vel aliquâ aliâ causa absens fuerit vel transire non poterit, extunc in locum suum alium idoneum Nobilem deputabit ad præmissa.

Poſtea SIGISMVNDVS Rex Petricoviæ *Anno D. 1523.* ſtatuit, vt refert *Herburtus loco citato.* Statuimus & ordinamus, vt Caſtellanus ad bellicam expeditionem cum Nobilibus ſui Diſtrictûs profecturus, quatuor, vel ad minus tres dies in loco ad conveniendum deſignato, in Diſtrictu ſuo expectet. Et qui Nobiles ad illam diem non convenerint, aut cum eo profectionem ſuam non continuaverint: ſoli verò abſq; Caſtellano ſuo proficiſcentes, ſi damnum cuipiam fecerint, duplum eiuſdem damni ſolvere, damnum paſſis teneantur & debebunt. Idem autem Caſtellanus cum ſuo Diſtrictu proficiſcens, ſtativa faciet cum Nobilibus, non in villis, nec Oppidis, ſed prope illa, juxta Statuta Regni. Et ſi ruſtici ſeu coloni commeatū & alia neceſſaria ad exercitum eius conducere noluerint; ipſe Caſtellanus ad vicinas villas familiares ſuos, vel aliquos Nobiles probos mittat, qui neceſſaria ipſa, omnibus, qui pro illis ſe cõpoſuerint diſtribuent, & curabunt, vt paratâ pecuniâ exſolvantur modo & ordine infraſcripto: videlicèt fænum quantum vnus equus portare, ſeu trahere poteſt ſolvatur vno groſſo: quòd duobus equis afferetur, ſeu adducetur, duobus groſſis: quod quatuor equis quatuor groſſis. Caſſula ſiliginis vna, tribus groſſis ſolvetur, avenæ vnus corus, vno groſſo, caſſula verò auenæ duobus groſſis ſolvetur. Bos mediâ marcâ, juvenca aliàs Polonicè **Jałowicá/** ſedecim groſſis, porcus duodecem groſſis, aries tribus groſſis, anſeres, gallinæ, & pulli prout in antiquo ſtatuto deſcriptum eſt ſolvantur.

Succeſſivè SIGISMVNDVS Rex Cracoviæ *Anno D. 1532. ſtatuit. referente Herburto loco citato fol: 67. de militibus mercenarijs & Nobilitate, ad ſervitium bellicum proficiſcentibus, vel inde redeuntibus.* Capitaneus Exercituum Regni, & Palatini ſeu Caſtellani locorum, providere debent, ne ſubditis Spiritualium, vel Sæcularium aliqua damna, vel violentiæ, contra Regni Conſtitutiones & privilegia, inferantur: & ſi illatæ fuerint, vt ad ſolutionem & ſatisfactionem damnorum, & iniuriarum, illas inferentes compellantur. Cùm verò milites mercenarij ex ſervitio, vel Nobiles Regni Noſtri, ab expeditione bellica domum revertentes, aut reverſi, aut in proprijs agentes alicui damna intulerint: Nos cuilibet juſtitiam de illis facere & miniſtrare pollicemur: vel Officiales Noſtri miniſtrabunt juxta Statuta Regni.

Caſtellanus Czerniechovienſis conſtitutus eſt *Anno 1633.* vt in Conſtitutione eiuſdem *Anni fol: 33. tit:* **Ordynácyá Czerniechowska.** Locus ipſi aſſignatus eſt poſt Parnavienſem in Conſtituti-

one *Anni 1635. fol: 17. tit:* **Ordynácya Woiewodztwa Czerniechowskiego.** Tandem in Constit: *Anni 1641. fol: 14. tit.* **Kasztellania Woiewodztwá Czerniechowskiego/** statutum est, vt hic Castellanus locum habeat in Senatu ante Castellanos Districtuum aliàs Minores, post Castellanos Livoniæ.

In Terra Dobrinensi, Castellano Ripinensi post Castellanum Dobrinensem in expeditione generali bellica, locus assignatus est in Constitutione *Anni 1670. fol: 27. tit:* **Porzadek Powiatow** &c. ad finem.

In Livonia, licèt juxta ordinationem antiquam, Castellani tres erant, vt in Constitut: *Anni 1598 fol: 709.* **z Woiewodow trzech** &c. per Constitutionem tamen *Anni 1677. fol: apud me 29. tit:* **Ordynacya Xiestwá Inflándskiego/** reductus est iste numerus, vt vnus tantum sit, idq; sub titulo generali Livoniæ.

Pro coronide istius tituli, adfero primò *quòd se scripsit Łubienius in vitis Episcoporum Płocensium: in vita Stephani in ordine septimi, & primi Episcopi Płocensis, ex gente Polona, genere nobili, stemma tamen gentilitium eius ignoratur;* sic itaq; scripsit ibidem. *Is (id est Stephanus) cùm Patriæ magno amore teneretur, dignitatemq; nominis Poloni auctã esse vellet, primus durum olim jugum servitutis, quo Nobilitas Polona, ad nutum, imperiumq; Principum obstricta erat, eoq; quasi vincta tenebatur, demere, orsus est, idq; summâ curâ cæteris etiam adnitentibus proceribus Regni obtinuit, vt cùm olim soli Episcopi Senatoriâ dignitate fulgerent, paucíq; alij ad id munus arbitrio Regum adsciscerentur, deinceps; per omnes Districtus & Regiones, Senatores Majores & Minores, qui & in Provincijs jus dicerent, & Regi judicanti, ne omnia suo arbitratu faceret, quasi libertatis custodes & conservatores adhiberentur, præstoq; essent. Namq; vt alia, quæ à Boleslao Audace contra Nobilitatem Polonam crudeliter gesta erant, sic vel maximè rabiosa cædes, quâ idem Rex Sanctissimum Episcopum Cracoviensem Stanislaum immaniter occiderat, admonuerat Polonos, vt Principum suorum deinceps manus arctiùs stringerent, ne ij solâ libidine, sed legibus etiam ac Senatorum adscitis consilijs imperium exercerent, cuius malè gesti in publico Regni consilio, ratio aliquando illis reddenda esset.* Hucusq; Łubienius. Item, quòd Cancellaria Regni Castellanus majoribus dat titulum Magnifici, Polonicè **Wielmozni.** Minoribus autem Generosi, Polonicè **Vrodzeni.** A privatis autem datur titulus omnibus Castellanis Jllustrissimi, Polonicè **Jáśnie Wielmozni.**

TITVL: TRIGESIMVS QVARTVS.

De Officialibus Ordinis Senatorij.

§ I.

De Mareſchalcis.

DE potioritate loci in Senatu, & prærogativis fuiſſe exortam controverſiam, inter Mareſchalcum Supremum Magni Ducatûs Lithuaniæ, & Mareſchalcum Regni, *teſtatur Sarnicius in ſuo ſtatuto fol: 313.* Similis cõtroverſia fuit exorta ſub VLADISLAO IV. Rege, *Anno D. 1647:* ſed eam ſopivit, vt videre eſt in Conſtitutionibus Regni eiuſdem *Anni 1647. fol: 43, ſub tit.* **Approbacyá ſkryptu/** Unde hodie Supremus Mareſchalcus Regni primum locum poſt Senatores habet, & poſt eum Supremus Mareſchalcus Magni Duc: Lithvan: ante Cancellarium Magni Ducat: Lithuaniæ. *vt ſcripſit Zawadzki in compendio ſuo Polonico cap: 2. tit: 5. fol: 37.* & innuit Conſtitutio *1635. fol: 18. tit.* **O mieyſcu w Senacie.**

Olim ſub ALEXANDRO Rege Mareſchalci Regni de conſuetudine hæc officia tenebant, *vt refert Herburt. in ſtatuto ſub verbo Mareſchalcus*: nunc à Sereniſſimis Regibus hæc officia conferuntur.

Poteſt vterq; Mareſchalcus Regni tam Supremus, quàm Curiæ, ex quibuſcunq; Palatinatibus & Terris Regni aſſumi, prout CASIMIRVS III. Rex, *Anno D. 1454. ſtatuit, vt refert Herb: loco citato.*

Aliarum dignitatum in Senatu, vno eodemq; tempore incapaces ſunt, juxta *Conſtit: Anni 1565. fol: 84. tit:* **O ſpoſobnośći Vrzędow/** vbi ratio redditur; quia cùm hoc Officium Mareſchalci ſit multis negotijs implicatum, & votum, locumq; ſuum in Senatu habeant, nequeunt alium reſpectu alterius dignitatis obtinere.

Officia Mareſchalcorum Regni hæc ſunt.

Primò; ſive vterq; , ſive alter eorum eſſet in Curia, debet eſſe omnium cæremoniarum & Curienſium Magiſter, rectum itaq; ordinem Curiæ Regiæ providere, aulicos in album inſcribere, negligentes & refractarios monere, monitos, ſi non reſipiſcant amovere, omniaq; conſtituere, diſponere, & dirigere, tam in Aula, Curijs, domibus, Cameris, & menſis Regijs; quàm alijs Officijs & Officialibus ad Equeſtrem Ordinem Majeſtatis Regiæ pertinentibus. Ità ALEXANDER Rex *vt refert Herbur: loco citato*: Præfectus quoq; Guardiæ Regiæ juriſdictioni & poteſtati Mareſchalcorum vtriuſq;

gentis

gentis subest, vt habetur in Constit: *Anni 1646 fol: 2. tit:* **O żacie-gu nowego woyska/** ad finem.

Secundo; Externorum Principum, aliosq; hospites, tum Senatores & Officiales Regni pro dignitate vniuscuiusq; recipere, vtq; ijsdem debitus honor ab alijs exhibeatur, diligenter providere. Alexander Rex vbi supra.

Tertiò. ad ipsos spectat, in loco residentiæ Regiæ pretia rebus, (habito tamen communi valore illius loci) imponere, & per publicationem intimare; foraliaq; exigere. Si tamen Rex cum Curia sua in Castris fuerit, tunc reservata est hæc facultas Campiductori seu Præfecto exercitûs Generali, (communicato consilio cum Mareschalco) pretia rebus imponendi, & ab eis foralia accipiendi. Si verò Mareschalcus in pretio rerum & exactione foraliũ excederet modum, data est facultas Consiliarijs ad latus Regium residentibus, moderandi hæc: quibus si Mareschalcus parere noluerit, extunc tanquam inobediens in Comitijs proximis Generalibus coram Ordinibus Reipublicæ deferatur. Alexander Rex *Ibidem.*

Quartò, vt ad debitam Regiæ personæ reverentiã omnes flectantur, spectat ad Mareschalcum Regni (si præsens esset) Regem cum scipione antecedere, & in Comitiis silentiũ imponere. *Przył: fol. 196.*

*Quintò,*ad eundẽ spectat tempore Comitiorum facultatem dare tam Senatoribus, quàm Nuntijs Terrestribus petentibus licentiam, vota, & sententias dicendi; *Piasecius in Chronica fol: 64. vbi multa de Officijs Mareschalcorum Regni.*

Notandum, quòd absente Mareschalco Supremo Regni, Mareschalcus Curiæ Regni vices ipsius gerit, eamq; potestatem habet, quam ille. Et vt in absentia illius possit melius prosequi & exequi id, quod bono ordine per Mareschalcum Supremum Regni rectum & ordinatum erat: tenetur Mareschalcus Supremus Regni, Mareschalcum Curiæ ad omne officij Mareschalcalis exercitium & actionem vocare. Et recedens à Curia, Mareschalco Curiæ Regestra & administrationem officij tradere. *Ita* Alexander Rex *loco citato apud Herb: & Łascium fol: 112.* Sed de consuetudine Officium Mareschalci Curiæ, vix aliquando in vsu est. Et præsente Mareschalco Supremo Regni, cessat totaliter potestas Curiæ.

Sextò; est officium Mareschalci Regni excessus omnes, tam sub tẽpus Comitiorũ Generalium, quàm quovis alio tẽpore sub latere Regio cõmissos puniendi, termino tacto, vel per capturã in recenti crimine nullã, servatã telã judiciariã, sed de plano procedẽdi & præviã

inquisitione, sine appellatione puniendi, nisi fuerint causæ graviores: quia tunc pro informatione, ad Sacram Regiam Maiestatem recurrendum est illi. *Videatur Łascius, Przyluscius, Piasiecius loco citato & alij*, facit & Constitutio *Anni 1676. fol. apud me 89. tit: Securitas.*

Articuli Iudiciorum Mareschalcalium in Comitijs Generalibus Grodnensibus conscripti sunt, tum juramentum Iudicis Mareschalcalis, necnon Notarij in Constit: *Anni 1678. fol: 22.* inter Constitutiones Lithuanicas *fol: 23 tit.* **Artykuły sądow Marszałkowskich** &c. Et eorundem articulorum approbatio *ibidem fol: 25.* de quibus Deo volente, in tomo secundo, dum de judiciis agemus, scribem⁹.

De judicijs autem Capturalibus Mareschalcorum *supra sub tit: de Interregno*, sat sufficienter scripsimus, nunc non repeto. Sicut etiam, quòd Mareschalci solitam suam jurisdictionem, penes corpora Regum mortuorum sub Interregnis vsq; ad Electionem possunt & debent exercere, vt in Confœderationibus Generalibus Varsaviensibus *Anno 1632. 1648. 1674.* & alibi scripsimus.

Similiter de famulis Mareschalcorum & eorum securitate, videre licet in Constit: *Anni 1573. fol: 210. & sequ, tit.* **Porządek ná Seymie walnym/ § A tego wszytkiego.** *Idem Anno Dni. 1632. fol: 5.* **§ Tego wszytkiego** *& in alijs locis.*

Ad hæc Mareschalcis vtriusq; gentis concessum est (de consensu Palatinatûs Masoviæ) in Comitijs Generalibus Varsaviæ, Palatinatibus, Terris, Districtibus Regni & M. D. L. & Terris ad Regnum & M. D. L. pertinentibus (& præsertim sub tempus Electionis) hospitia distribuere & assignare, exceptis Curijs & Domibus Nobiliũ. Ita in Confæderatione Generali Varsavien: *Anno D. 163 2. fol: 7.* **§ A żeby wzáymowániu stánowisk.** Sed hoc in sequelam processit, vt licet in dicta Confœderatione id fuerit concessum pro vna vice, tamen nunc absq; dicto consensu Palatinatûs Masoviensis, citra respectum **Serwitoratu/**, & libertationum domorum & lapidearum Varsaviæ, quas ad hunc actum electionis relaxant & suspendũt, horum tamen, qui in officijs sunt publicis privilegiati, in toto libertatio reservatur, provt videre est in Confœderatione Generali Varsaviensi *Anno D. 1668. & in Anno 1674.* prout Nos supra scripsimus.

Forma juramenti Mareschalcorum.

EGo N. juro quòd Serenissimo Principi & Domino D. N. Regi Poloniæ & eius Successoribus, & Regno Poloniæ in hoc Officio Mare-

schalca-

ſchalcatûs mihi commiſſo fidelis ero, illudq́ tam in Conventibus publicis, quàm & in alijs locis, in Aula Majeſtatis Regiæ ſummâ fide & diligentiâ adminiſtrabo, non privati mei alicuius quæſtûs, ſed dignitatis & vtilitatis tantùm Majeſtatis Regiæ, & Regni Poloniæ gratiâ. In conſilium Majeſtatis Regiæ adhibitus, illud ego fidele Majeſtati Eius & Regno Poloniæ præſtabo. Nulla ſecreta, quæ mihi aliquando à Majeſtate Regia, vel Senatoribus Regni communicata fuerint, præter voluntatem, vel in præjudicium Majeſtatis Eius, & Regni Poloniæ revelabo. Pericula omnia, quæ imminere Regno vel Regi Poloniæ ſcivero, aut opinabor, Majeſtati Ejus, & cæteris Senatoribus indicabo, & pro poſſe meo avertam. Perſonæ cuiuſcunq́ dignitatis rationem, pro loco & tempore habebo. Seditiones, contentiones, rixas, ſcandala, exceſſus, maleficia, ne fiant in aula Regia, & in Conventibus publicis, omni meâ operâ & diligentiâ providebo. Quodſi fortè aliqua eiuſmodi acciderint, ea quantùm in me erit, ſedabo, aut animadverſione juſtâ vindicabo; idq́ de conſenſu, juſſu, & authoritate Maieſtatis Regiæ. Cæteraq́ officij mei munera & onera, juxta præſcriptum Statutorum Regni fideliter obſervabo: idq́ non ſine mutuo conſilio & conſenſu cæterorum Regni Conſiliariorum & Officialium, qui præſentes in Aula fuerint. Sic me Deus adiuvet, & Sancta Dei Crux. Hanc formam juramenti *refert Ianuſſovius in ſtatuto ſuo, libri tertij parte 4tâ, fol: 293. tit: 1. & Zawadzki vbi ſupra fol: 53.*

Mareſchalcus Curiæ Regni poſt Theſaurarium Regni; Lithuaniæ autem, poſt Theſaurarium eiuſdem Ducatûs, habet locum in Senatu. videre licet in Conſtit: *Anno 1635. fol: 18. tit:* **O mieyſcu w Senaćie.**

In Magno Ducatu Lithuaniæ præter dictos Mareſchalcos, ſunt alij Mareſchalci Diſtrictuum (aliàs **Powiatowi**) de quibus in Conſtit: *Anni 1631. fol: 41. tit:* **O Marszałkách Powiátowych.** In qua Conſtitutione ſic ſtatutum eſt. Quoniam hi Mareſchalci Diſtrictuum ad judicia pertinent, ſtatuimus, vt eiuſmodi juramentum præſtent, ſicut alii Iudices; & vt tales Mareſchalci Diſtrictuum per viam electionis electi, pro obtinendo privilegio à Sacra Regia Majeſtate remittantur. Abhinc autem cautum eſt, quòd Officia talia Sereniſſimus Rex non conferet, tantùm vni ex quatuor Candidatis in Conventibus. Et ſi aliquis non per electionem in Comitiolis, aut impoſſeſſionatus privilegium obtineat, nullitati ſubiaceat, nec illi decreta ſuffragari debeant, ita in exorbitantijs in Electione MICHAELIS Regis *Anno 1669. tit:* **Marszałkowie powiátowi.** Iſtud quoq;

annotandum est, quòd si Serenis: residentiâ Rex elegerit, vel Comitia absolverit in Lithuania, tunc Mareschalcus Supremus Lithuaniæ fungitur munijs cum consilio Mareschalci Curiæ Magni Ducatûs Lithuaniæ. Similiter si Serenissimus Rex resideret in Livonia, & non esset ad latus illius nisi Mareschalcus Magni Ducatûs Lithuaniæ, tunc officium suum obiret. Si autem præsentes essent Mareschalcus Regni & Mareschalcus Magni Ducatûs Lithuaniæ, tunc insimul respectu administrationis secum conferre debent. Ita in Constit: *Anni 1589. fol: 510. tit:* **Marszałkow władzą** &c. In absentia Supremi Mareschalci Regni & Mareschalci Curiæ Regni, etiam in Regno Mareschalcus M. D. L. munus Mareschalci Regni obit, vel in absentia huius Mareschalcus Curiæ M. D. L. omnibus Mareschalcis absent bus, munus Mareschalcorum, Cancellarij vel Thesaurarij obeunt.

§ II.

De Cancellarijs & Vice-cancellarijs.

OFficium Cancellariatûs & Vice-cancellariatûs Regni, potest conferri personis idoneis, ex quibuscunq; Palatinatibus & Terris Regni. Ita statuit CASIMIRVS III. Rex Poloniæ, *Anno D. 1459. vt refert Herburtus in statuto suo Latino sub verbo Cancellaria.*

Cancellarius & Vice-cancellarius Regni debet esse alter Spiritualis, & alter Sæcularis, vt statuit SIGISMVNDVS Rex, *Anno D. 1507. referente Herburto loco citato.* Ratioq; ibidem redditur, quia interdum tales actiones & causæ interveniunt, quarum executio Spirituali personæ, non possit cõmitti.

Quamvis anterioribus sæculis, soli Spirituales eo munere fungebantur, *vt refert Cromerus in lib: de Repub: & Magistratibus Polonorum:* non ob aliam ratione nisi quia illis temporibus rudioribus soli Spirituales literarum gnari erant.

Hæc officia vt Serenissimus Rex in Conventibus Generalibus cum consilio Consiliariorum conferret, statuit ALEXANDER Rex. Sed SIGISMVNDVS I. Rex. *Anno D. 1507.* collationem Cancellariorum & Vice-cancellariorum arbitrio Regio reliquit, vt pro meritis & virtute vniuscuiusq; offerente se opportunitate, prout videretur Reipub:, Serenissimus Rex posset conferre. Ita vtriusq; Regis dispositionem *refert Herburtus loco citato.*

Itaq; conferuntur alternis vicibus Ecclesiasticis & Sæcularibus

idq;

idq; in Comitijs Generalibus, *vt scripsit Sarnicius in statuto fol: 318 idq; ob rationem suprapositam.*

Cancellarius & Vice-cancellarius Regni vt pari authoritate gaudeant, statuit ALEXANDER Rex *Anno 1504. vt refert Herburt: loco cit:*

Cancellarius tamen penes se retinet sigillum maius Regni, Vice-cancellarius autem sigillum minus, *vt scripsit Cromerus loco citato*, & quotidie observatur. Adhæc, Vice-cancellarius Regni nisi absente Supremo Cancellario Regni judicia Assessorialia exercet.

Cancellariatus & Vice-cancellariatus Regni, sunt incompatibiles, cum Archiepiscopatibus & maioribus Episcopatibus Regni, vt Gnesnensi, Leopoliensi Archiepiscopatibus, Cracoviensi, Vladislaviensi, Posnaniensi, Płocensi, Varmiensi Episcopatibus; & si eiusmodi dignitates consecuti fuerint, tenentur officia sua resignare. Similiter Sæculares Cancellarij & Vice-cancellarij sunt incompatibiles cum Palatinatu vel Castellanatu. Ita ALEXANDER Rex statuit, *referente Herburto loco citato*, sed de his incompatibilibus *infra sub titulo de Incompatibilibus* scribemus.

Hoc tamen privilegium habent Cancellarij, quòd sint in expectativa Archiepiscopatûs Gnesnensis, Episcopatûs Cracoviensis, & similium maiorum Episcopatuum proximè vacaturorum, vt supra nominatus ALEXANDER Rex statuit *referente Herburto loco citato.*

Et ex Vice-cancellariatu ad Cancellariatum, propter loci & sententiæ dicendæ prærogativam, regulariter assumuntur, *teste Cromero loco citato*, & quotidianâ experientiâ edocente.

Mareschalcis Supremis Regni & M. D. L. proximè assident in Senatu iuxta Constitut: *Anni 1635. fol: 18. tit.* **O mieyscu w Senácie.** Olim nullum in Senatu locũ habuerunt, sicut nec Thesaurarij, nisi etiam dignitatem aliquã Senatoriam, vt Palatinatum, vel Castellanatum obtinuissent, sed demum cùm Magnus Ducatus Lithuaniæ à Rege AVGVSTO illius Ducatûs vnico hærede, consentientibus Lithuaniæ Ordinibus *Anno D. 1569. in Comitijs Generalibus Lublini*, adiungeretur Poloniæ Regno, & assignaretur talibus Magistratibus Lithuanicis locus in Senatu, quem in Lithuania habuerunt. Polonicis quoq; ne viderentur ipsis in hoc inferiores, cùm authoritate præcedant, datus fuit locus Senatorius. Separatim autem sessionis ordinem isti Magistratus in Senatu faciunt, nempe in extremo Coronæ consessûs, quasi ad clavum Reipub: & loco aptiore ad excipiendum venientia negotia publica, & quæ tractare muneris est ipsorum. Extra Senatum tamen, Regi proximiores incedunt, vti

consilij negotiorum qui assiduè obvenire possunt. Unde quantumvis inferiores loco inter Senatores censentur, ministerio tamen frequentiori Regem demerentes, gratia & familiaritate eius excellũt, & cæteros in obsequium suum, vel invitos trahunt: cùm omnes nonnisi illorum operâ & favore, honorum & beneficiorum gradus à Rege obtinere possint. Quinimo & ipsum *Magistratûs* nomen, si non locum, certè titulum speciosiorem in aliquibus præfert: ut in *Mareschalco* & Cancellario Supremo, quibus à Rege datur titulus, *Illustris*, qualis nulli Senatorum, præterquam Castellano Cracoviensi, primo Sæcularium Senatori conceditur. Nec pauci dignitates maiores Senatorias dimittunt, vt aliquem ex istis Magistratibus obtineant, cùm simul retineri non possint, præter Episcopatus minores, si muneri Cancellarij seu Procancellarij junguntur. *Sic Piasiecius in Chronica sua, fol: 64. cum sequ: ab initio Anni 1587. de hoc officio scripsit.*

Ad officium illorum & hæc spectant. Dare responsa Regio nomine, de quibus rebus consilium haberi debet, in Senatu proponere, deniq; Senatûs-consulta, Regiaq; & Comitialia placita & decreta literis mandare & in publicum edere. *Ita Cromerus loco cit:*

Item præsident cognitioni causarum & provocationum ab Urbanis & Oppidanis, Præfectorumq; judicijs ad Regium Tribunal devolutarum, similiter causarum fisci & similium, quas cum Assessoribus definiunt, salvâ appellatione ad Sacram Regiam Maiestatem. *Cromerus vbi supra.*

Item literas in negotijs *Reipubl:* sigillis Regni penes se existentibus, signant, illisq; robur addunt. Ita in Constit: *Anni 1576.* Et in Constit: *Anni 1607. fol: 840. tit:* **O niewydawaniu Przywileiow/** statutum est. Et quidem Cancellarij Lithvaniæ tantùm eiusdem Ducatûs negotia tractant, nisi Cancellarius & Vice-cancellarius *Regni* absint. *Ita Sarnicius in statuto suo fol: 322.*

Et in dicta Constit: *Anni 1607. fol: 840. tit:* **O niewydawániu Przywileiow/** constitutum est, vt sigillum Regni ad negotia *Regni*, sigillum *Lithuaniæ* ad negotia M. D. L. ad Provinciam autem Livoniæ sub sigillo vtroq; tam Regni, quam M. D. L. extradantur, sub nullitate.

Idem in Constit: *Anni 1589. fol: 508. tit:* **Odprawá listow/** habetur. Sed de his expeditionibus in Livoniam supra sub verbo *Livonia* scripsimus.

Hinc Cancellarij à *Przyłuscio, in suo statuto fol: 200.* vocantur oculi,

oculi, mens, lingua, & manus Regis; nam ipsorum ore (vt supra scripsimus) Serenissimi Reges in negotijs occurrentibus, in sententijs ferendis loquuntur, manu in consignandis literis vtuntur.

Nullas literas pargameneas, sine scitu & expressa voluntate S. R. M. neq; papyraceas, quæ Regiæ dignitati possint derogare, aut damnum Reipub: adferre, vel juri communi, & libertatibus adversetur, vel quæ prioribus literis ex Cancellaria emanatis, sint contrariæ, sub amissione officij, ad instantiam Nuntiorum Terrestrium, & periculo periurij extradere possunt. Ita ALEXANDER Rex, *Anno D. 1504. ut refert Herburtus loco citato*, & SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex in Constit: *Anni 1562. fol: 21.* z **Statut Krola Alexandra/** vbi sic habetur. Cancellarius & Vice cancellarius Regni contra Statutum ALEXANDRI de bonis mensæ Regiæ literas non extradant, pro donationibus, obligationibus, venditionibus, feudis, sub amissione officij ad instigationem Nuntiorum Terrestrium, super quo circa apprehensionem officij sui jurant, prout ex juramento illorum colligi potest, quod *Ianussovius in statuto suo, fol: 286. & Zawadzki in compendio suo Polonico cap: 2. tit: 7. fol: 47. refert.*

Juramentum Cancellariorum.

EGo N. Regni Poloniæ Vice-cancellarius juro, quod Serenissimo Principi, Domino D. N. Poloniæ Regi, & Majestatis Eius Successoribus, ac Regno Poloniæ, in hoc Officio Vice-cancellariatûs mihi commisso fidelis ero. Nullas literas pargameneas sine scitu & expressa voluntate Regiæ Majestatis tradam: papyraceas verò nullas, tam in Regno, quàm extra Regnum, quæ vel Regiæ dignitati, vel honestati derogent; vel ex quibus damnum aliquod ad Majestatem Ejus, vel Regnum pervenire possit: & quæ juri communi, & libertatibus adversentur, aut literis ex Cancellaria datis, contrarias esse scivero. Membranas item nullas vnquam tradam, præterquam papyraceas: idq; sciente tantùm & jubente Regiâ Majestate. Consilium fidele Majestati Suæ & Reipub: præstabo; neq; vlla vnquam secreta, quæ mihi communicata fuerint, præter suæ Majestatis voluntatem & mandatum revelabo: & pericula omnia, quæ imminere vel Eius Majestati, vel Regno, vndecunq; scivero & cognovero, Majestati Eius deferam, & pro posse meo avertam. Sic me Deus adiuvet & hæc Sancta Dei Evangelia.

Non debent extradere literas contrarias juri. Ita ALEXANDER Rex Petricoviæ *Anno D. 1504. vt refert Herburtus loco citato*, vbi declaratur, quæ sint literæ contrariæ juri, vtpote literæ inhibitiones con-

tinentes ad judicia, exemptiones ab eisdem, nullâ suadente id necessitate Reipub:. *Item*, Commissiones inter personas, nisi in causa granicierum, vel divisionis inter Fratres, vel de consensu partium essent. *Item* libertationes ab expeditione bellica; *Item* literæ expectativæ, quæ dent occasionem captandæ mortis. Ita SIGISMVNDVS AVGVSTVS in Constit: *Anni 1550 fol: 4. tit:* § **A iż wiele iest nádano/** de quibus literis expectativis non extradendis emanavit recenter Constitutio in *Anno 1699. fol: 50. tit:* **O expektátywách** cum reassumptione antiquarum Constitutionum, hoc est *Anni 1550.* **O Expektátywách/** & alterius Constitutionis *Anni 1613.* simulq; iniunctum Dominis Cancellarijs, vt seriam animadversionem super eiusmodi literis habeant, & casu quo extraditæ essent, nullitatis vitio subiaceant, & impetrans ipso facto eiusmodi vacantis etiam post obitum sit incapax. Et tantò magis privilegia in bona Terrestria extradita, eidem rigori subiaceant. Contra Cancellariam autem pœnæ in legibus descriptæ reassumptæ sunt. Similiter in Constit: *Anni 1638 fol: 3. tit* **O Oekonomiach** statutum est, ne Cancellarij vtriusq; gentis privilegia pro diminutione proventuum Mensæ Regiæ sigillent.

Causas Teutonicas Cancellarij & Referendarij audiant, & partibus præsentibus Regi deferant. Statuit SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex Petricoviæ, *Anno D. 1550. vt refert Herburtus* vbi supra.

Libros decretorum & privileg: sub custodia sua habere tenetur, vnûq; vel duos Notarios juratos habeant, qui decreta, inscriptiones, privilegia, & alias literas, quæ sub sigillo Regis exeunt, connotent. Quod si aliquis eiusmodi literas fatali casu amittat, Regentes Cancellariæ, alias ex Actis sub sigillo Regis sine vlla difficultate extradant. Ita SIGISMVNDVS Rex Petricoviæ *Anno D. 1538. vt refert Herburtus vbi supra fol: apud me 57.* § *Cæterum vt deinceps*, vbi insuper adiunctum est: vbi literæ ex libris Cancellariæ extractæ allegarentur suspectæ; Regestrisq; seu libris Cancellariæ comprobari propter antiquitatem non possent: tum juramento producentis, vt moris est comprobari debent.

Is idem SIGISMVNDVS Rex eodem *Anno* (*vt refert Herburtus loco citato fol: 56.* § *Quoniam, magno detrimento*) declaravit. Quòd libri seu Regestra Cancellariæ ad probationem super bonis, quòd fuerint Regalia, nullius valoris & momenti sint. Causæ tamen Terrestres seu ad Iudicia Terrestria pertinentes coram Regia Majestate ventilatæ, in librum Actorum Terrestrium illius Districtûs, vbi

Comitia peragerentur, inſcriberentur. Statuit SIGISMVNDVS AVGVSTVS *Anno D.* 1550. *fol.* 3. § **Iż tez prawem poſpolitym.** Similiter & cauſæ criminales in Comitiis agitatæ, tum remiſſæ à quibuſvis Iudicijs, præter Iudicium poſt Curiam, vt in Conſtit: *Anni D.* 1641. *fol.* 7. *tit:* **O porządku ſądzenia ſpraw.**

Præterea ad officium Cancellariorum ſpectat Conſtitutiones in Comitijs Generalibus latas ad Comitiola Relationum tranſmittere, vt in Conſtit: *Anni* 1661. *fol.* 15. *tit:* **O podawániu Konſtitucyey.**

Item in abſentia Mareſchalcorum ſcipionem ante Regem deferunt; Muſicam & Clericos penes aulam exiſtentes ſub ſua cura habent, præſertim ſi ſit Perſona Spiritualis. *Ita Sarnicius in ſtatuto ſuo fol:* 322. *Cromerus loco citato.*

Id quoq; adiungo, quòd *Ruſſis* in Vkraina conceſſum erat, ſuos habere Cancellarios, idq; cum dignitate Senatoria: de quo videatur Commiſſio Hadiacenſis *Anno D.* 1659. in Conſtitutionum volumen redacta. An autem Cancellarius vel Vice cancellarius *Regni*, vel M. D. L. poſſint eſſe inſimul, & Duces Exercitûs? infra ſub tit: de Incompatibilibus dicemus, nunc ſequitur.

§ III.

De Theſaurarijs.

THeſaurarij ſicut Cancellarij antiquioribus temporibus non habebant in Senatu locum, *teſte Piaſeccio vt in antecedenti* §. *diximus*, ſed nunc Theſaurarij Regni & Magni Ducatûs Lithuaniæ, Supremi, inter Cancellarios & Mareſchalcos Curiæ locum occupant.

Sub SIGISMVNDO I. *Rege* & ante eum Theſaurarius aliarum dignitatum in Senatu incapax erat, hocq; duravit ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM *Regem*, qui in Conſtitut: *Anni* 1565 *fol:* 84. *tit:* **O ſpoſobnoſći Vrzędow**, incapaces aliarum dignitatum in Senatu eoſdem fecit: idq; ob duplicem rationem. *Prima*; quia reſpectu officij & muneris Theſaurariatûs, locum & votum in Senatu habent. *Altera*; quia ſub tempore generalis expeditionis bellicæ Nobilitatis, Officiales *Regni* penes Regem remanere debent; alij autem Dignitarij, alibi juxta exigentiam dignitatis ſuæ officium ſuum exercere tenentur.

Theſaurarij in *Regno* ſunt; vnus Regni, vocaturq; Supremus Theſaurarius, & alter Curiæ. Ita ALEXANDER *Rex vt refert Herburt: in ſtatuto ſuo, ſub verbo Cancellaria.*

Antiquitus ante ALEXANDRVM Regem nulla Constitutione ordinatum erat, quid Thesaurario Regni & Vice-thesaurario, seu Thesaurario Curiæ incumbere deberet ex officiis suis. Demum is ALEXANDER Rex constituit (*vt refert Herb: in statuto Latino, sub verbo Thesaurarius*) quæ officia sint tam Thesaurarij Regni & Curiæ declaravit & quidem.

Primò quòd Thesaurarius Regni sub custodia & cura sua, in Thesauro Regni Cracoviæ, Coronam & alia Insignia Regni, hoc est pomum, Sceptrum, gladium, diplomata Regni publica, & similia conservet, Ita ALEXANDER Rex loco citato. Sed *Anno D. 1576. f.* 277. ȝ Korona Krolewska/ ordinatum est, vt hæc Insignia Regia, & similia, non tantum ipse Thesaurarius sub clave & custodia sua habeat, sed etiam alij Senatores deputati sunt, vtpote Castellanus & Palatinus Cracoviensis, *Posnaniensis*, Vilnensis, Sendomiriensis, Callissiensis, & Trocensis Palatini: vt sub clavibus & sigillis eorum præmissa asservarentur. Vtq; nonnisi de consensu omnium Ordinũ Reipublicæ, possint extrahi. Si tamen aliquis ex præmissis morbo vel aliquo impedimento legali impeditus esset, data est facultas ei, clavem suam Collegis alijs transmittere. Et si moriatur aliquis ex præmissis Senatoribus, data quoq; est facultas aliis viventibus, & præsentibus aperiendi & resigillandi.

Postquam alicui hoc Officium Thesaurariatûs defertur; solent quatuor ex maioribus Consiliarijs deputari, hoc est: duo ex Majori Polonia, & duo ex Minori Polonia; qui iuxta inventarium antiquum, omnes res ad Thesaurum spectantes, similiter omnia privilegia, literas Regni eidem consignant, & rerum consignatarum Regestrum vnum Serenissimo Regi, alterum Thesaurario, & tertium penes se relinquunt. Ita SIGISMVNDVS AVGVSTVS in Constitutione *Anni 1563. fol: 42. tit:* Skarb Koronny/ Videatur Constit: *Anni 1585. fol: 8. tit:* Rewizya skarbu Koronnego.

Item ad Thesaurarium spectat, cura monetæ cudendæ, cui singulis septimanis, quatuor marcæ ex monataria, idq; medio floreno, qui accrescit, cùm moneta cuditur, percipienda, assignatæ sunt. Similiter vt ex dicto medio floreno laboratoribus solveret, & alia necessaria ad monetariam compararet: reliquum quod superesset, Regiæ Maiestati seu Reipublicæ accresceret. ALEXANDER Rex statuerat, vt apud *Herburtum loco citato, refert & Sarnicius fol: 340.* Et quòd hoc spectet ad Thesaurum extant Constitutiones *Anni 1598. fol: 688. tit:* O Mynicy/ *Constitutio Anni 1601. fol: 742. tit:* O monecie.

Item

Item ad Thesaurarium spectat constituere quæstores, curatores, dispensatores, & ab illis rationes excipere, contumaces punire, improbos exauthorare. ALEXANDER vbi supra, videatur & *Cromerus in libro de Repub: & Magistratibus Polonorum.*

Item omnes proventus ex bonis Regalibus ad Officiũ Thesaurale, recipere super quo Thesaurarius Regni Supremus in Regno, & in Magno Ducatu Lithuaniæ, in Lithuania supremam potestatem habet. Quod si aliquis aliter & non prævia quietatione Thesaurarij daret, tenetur iterum id ad Thesaurum reddere, cum pœna centum marcarum Iudicio & parti per medium dividenda, si ad instantiam Thesaurarij, inter causas conservatas esset citatus ad Tribunal quodcunq;, sub pœna bannitionis persolvenda. *Ita in Constitut: Anni 1607: fol: 841. tit:* **O vrzędzie Podskarbiow.**

Item spectat ad solum Thesaurarium, quietationes generales, aliàs **głowne** dare: idq; ideo, vt de omnibus negotiis Thesauri sciat: quodsi absens esset à Curia, recurrendum esset ad absentem pro obtinenda eiusmodi quietatione: aliter obtentæ, nullitati subiaceant. *Ibidem.*

Item ad Thesaurarium spectat, post mortem Capitaneorum, Tenutariorum, vel aliorum Administratorum bonorum Regalium, bona Regalia, vel alio modo ad dispositionem Regiam devenientia, juxta Inventarium per Revisores conscriptum, sub curam & administrationem suam suscipere, & sub cura sua habere, quousq; Serenissimus Rex alicui non contulerit: invigilare, ne Quarta pereat. Ita in Constit: *Anni 1562. fol: 22. tit:* **O Podskarbim.** Item in Constit: *Anni 1569. fol. 184.* § **Po kazdego Starosty/** pœnaq; assignata, alioquin de suo Thesaurarius recompensare aliàs **nágrodzić/** tenebitur, & sub privatione officij. Videatur & in Constitut: *Anni 1607. fol, 836. tit:* **O mynicy/** vbi statuitur, vt post mortem Tenutariorum, Capitaneorum, aut alia ex causa ad dispositionem Regis pervenientia à Successoribus iuxta Inventaria Antecessoribus illorum data bona recipiat & insuper inquirat, si Antecessores in possessione existentes conditionibus impositis satisfecerunt.

Ad hæc: novis Donatarijs debet eadem bona consignare, & Inventarium conscribere in dicta Const: *Anni 1607. loco citato.*

Item Arendæ, contractus & alia negotia ad Thesaurum pertinentia, non per alias personas, aut Officia, sed tantùm per Thesaurarios Regni in Regno, & in Magno Ducatu Lithuaniæ, per Thesaurarium eiusdem Ducatûs, vel per has personas, quibus illi in tali-

bus negotijs vtuntur, peragi debent. *Ibidem d. Constit: 1607.*

Omnes literæ ad impediendum officium Thesaurariorum extraditæ, nullitati subiaceant. *Ibidem*

Si Thesaurario aut Officio eius, literæ sub nomine Regio ad promovendas causas Thesauri, necessariæ essent, debent illi **zá podpis.m** illius aut alicuius Notarij Thesauri jurati, absq; vlla difficultate ex Cancellaria extradi, siquidem respectu negotiorum Thesauri respondere teneantur. *Ibidem.*

Thesaurarij, & in absentia eorum, Notarij Thesauri jurati, possunt in judiciis Assessorialibus assidere, idq; propter meliorem intellectionem aliàs **wyrozumienia**. Ita in Constitutione *Anno 1607. fol. 842. tit:* **O processie stárbowym** ad finem.

Item Commissionibus omnibus, in quibus solvuntur stipendia militibus, Dominus Thesaurarius interesse tenetur, & vnà cum DD. Commissariis Exactores contributionum audire, quietationes illis dare. Si tamen legaliter impeditus esset, potest Officiales suos submittere. Ita in *Constit: Anni 1628. fol: 2. tit.* **Kommissarze do zapláty/** *& tit:* **Kommissarze záś/** & in Const: *Anni 1629. fol. 2.* & alibi passim.

Ad hæc, Officium Thesaurarii est: rationes proventuum perceptorum & expensorum in Comitijs Generalibus, coram Ordinibus Regni, vel Deputatis ad id, reddere, idq; sub privatione officii, in Constit: *Anni 1562 fol: 22. tit:* **O Podskárbim/** ad finem, & in Constit: *Anni 1661. fol: 7. sub tit:* **O stárey Qwarcie** *& tit:* **Rewisitácya nowey Quarty**: videatur & Constit: *Anni 1685. fol: 10. tit:* **Kwit Wielmożnemu/** vbi de quietatione Thesaurarij.

Thesaurarius Regni debet invigilare, vt Notarij Thesauri, rationes in Comitiis factas conscribant, quantum & in quo Palatinatu, Terra, Districtu, ex quo Capitaneatu, Tenuta, ratione Quartæ solvatur, aut solvi debeat, & quis possessor sit. Similiter vt connotent quantum à novis *Possessoribus* sive post cessum, sive decessum proventûs ad Thesaurum perveniat. Ita in Constit: *Anni 1661. fol. 6. tit.* **O stárey Qwárcie/** vbi adiunctum est, vt Dominus Thesaurarius post inchoationem Comitiorum sex septimanarum quintâ die rationes Quartæ reddat & retentores deferat, aliàs concessum est Nuntijs Terrestribus privationem Officii vrgere.

Olim pro arbitrio Regis & Senatorum residentium, pecunia ad Thesaurum illata poterat disponi, prout SIGISMVNDVS I. Rex *Anno 1507.* statuerat *referente Sarnicio fol. 334.* Nunc vltra mentem omnium

mnium Ordinum in Comitijs Generalibus converti nequit, etiamsi assignatio à Sereniss: Rege, & ex Senatus-consulto data esset. Contra Thesaurarium contrarium facientem statuta est pœna solutionis de proprio. Ita in Constit: 2. *Anni 1649. fol: 1. tit: Ordinatio* **Ordinaryinych podatkow**/ & in Constit: *Anni 1662. f. 2. tit: de reddenda ratione*, vbi adiunctum est, quòd eiusmodi assignationes nullitatis sint. Thesaurarij in rationibus suis non debent ponere expensam pro sacculis, aliàs **worki**/ cùm hoc soli milites ex munificentia sua soliti sunt solvere, **postepować**. Ita in Constit: *Anni 1616. fol. 6. tit.* **Obiásnienie** *salariorum.*

Thesaurarius Regni & hi, qui ad hoc pertinent, tenētur privilegia Regni revidere, & Coronam Regiam ante electionem Regis sigillare. Ita in Confœderatione Generali Varsavien: *Anno D. 1587. fol. 414.* ß. **Pan Podskarbi.**

Domino Thesaurario Regni, in casum periculi tempore Interregni, vt pro necessitatibus Reipub: sit sufficientia pecuniæ, data fuit facultas arendandi Oeconomias, quæ ad manus eius pervenient. Similiter Telonea; *Ibidem fol: 417.* ß. **A gdzieby.**

Eidem cautum est, quòd totum id, quidquid tempore Interregni expenderit cum scitu Ordinū Regni pro necessitatibus Reipub: futurus Rex & Resp:, in rationib⁹ acceptabit. *Ibid. f. 412.* ß. **Prowenty.**

Thesaurarius Regni sumptum debet dare pro imprimendis Constitutionibus Comitialibus. in Constit: *Anni 1661.* **O podawaniu Konstytucyi.**

Thesaurarius non potest simul esse Dux exercitûs, cui, vt attendant DD. Cancellarij sub pœnis Legum injunctum est. Nuntij autem Terrestres instent, vt talia privilegia nullitatis sint. Ita in Pactis Conventis, in Comitiis Electionis MICHAELIS Regis *Anno D. 1669. fol: 13.* ß. **Wtym sie tez obowiezuiemy.** Sed de hoc latiùs infra in titulo de incompatibilibus.

Thesaurario Magni Duc: Lithu: impositum est, ne exteris, qui bona aut provisiones aliquas contra jus tenerent, sub pœna mille marcar: in Tribunali luenda, conniueat. Ita in Constitutione *Anni 1607. fol: 831. tit:* **O Cudzoziemcach**/ quam vide.

Thesaurarius Curiæ, curam Thesauri Curialis habere, semperq; penes Curiam residere debet. In absentia Thesaurarij Regni, curam omnium redituum Regalium & aliarum pecuniarum vndecunq; ad Majestatem Regiam venientium habeat, illisq; ex consilio Consiliariorum penes Regem residentium, mandante Regiâ Maie-

 state

ſtate diſponat, & omnia alia faciat, cum Curienſibus & ſtipendiariis quæ Theſaurario Regni incumbunt. Theſaurario autem Regni præſente, Theſaurarius Curiæ non poteſt ſe ingerere ijs rebus, quæ ad Theſaurarium Regni ſpectant, niſi ab illo vocatus fuerit: ſed cum ſcientia & conſilio Theſaurarii diſpenſabit & faciet quidquid debet. Debet eſſe juratus, vir probus, modeſtus, & diſcretus, idoneus ad rationes, tam publicas Terreſtres, quàm privatas Regias, ſic, vt omnibus rationibus, abſente Theſaurario Regni, ac etiam præſente intereſſet, & omnia Regeſtra ſervaret, diſpenſatores inſtitueret vtiles, & invtiles deſtrueret, faceretq; cum illis rationes: vt Maieſtas Regia, & quilibet eum intelligat, diligenter attendiſſe: ne pecuniæ Maieſtatis Regiæ inaniter ac prodigè diſpenſarentur. Ita ALEXANDER Rex officium Theſaurarij Curiæ *apud Herburtum ſub verbo Theſaurarius deſcripſit* & circumſcripſit.

De eodem Theſaurario Curiæ in Conſtit: *Anni 1607. fol. 841. tit:* **O urzędzie Podskárbiow**, ſic ſtatutum eſt: Theſaurarius Curiæ in abſentia Theſaurarii Regni, iuxta ſtatutum fungatur officio ſuo.

SIGISMVNDVS I. *Rex A. D. 1507. vt refert Herburt: loco cit: ſtatuit*, quòd ſurripiens aliquid ex Theſauro, aut quouis modo in vſus proprios convertens, præſertim ſub Interregno, fraudis & peculatûs reus judicetur. Formas juramenti tam Theſaurarii Regni, quàm Curiæ, *refert Ianuſſovius lib. 4. par. 1. tit: 1. tenoris ſequ:*

Forma juramenti Theſaurarij Regni.

EGo N. juro quòd Sereniſſimo Principi & Domino D. N. Regi Poloniæ, & Majeſtatis Ejus Succeſſoribus, ac Regno Poloniæ in hoc Officio Theſaurariatûs mihi commiſſo fidelis ero, illudq́ ſummâ fide & diligentiâ adminiſtrabo: non privati mei quæſtûs, ſed dignitatis tantùm & vtilitatis Majeſtatis Regiæ, & Regni Poloniæ gratiâ. Coronam & alia Inſignia Regni, privilegia & theſauros omnes Regni, diligenter conſervabo. Reditus omnes & ſingulos Regni, & omnia quæ ad fiſcum Regni pertinent, ſummâ curâ & fidelitate exigam & diſpenſabo. Curam monetæ cudendæ, quando vſus poſtulaverit, rationes ærarij, expeditiones militum, Aulicorum, & Legatorum, & omnium eorum negotiorum, quæ ad vſus privatos & publicos Majeſtatis Regiæ & Regni Poloniæ pertinent, cæteraq́ omnia mei officij munia & onera fideliter, & ſecundùm præſcriptum Statutorum Regni procurabo, idq́ non ſine mandato Majeſtatis Regiæ & conſilio Conſiliariorum & Officialium Regni.

In con-

In consilio Majestatis Regiæ, & Regni Poloniæ fidele consilium dabo. Nulla secreta quæ mihi à Majestate Regia, vel à Senatoribus Regni communicata fuerint, præter voluntatem, & in præiudicium Majestatis Regiæ & Regni Poloniæ revelabo. Pericula omnia, quæ imminere Regno vel Regi Poloniæ putavero, Majestati Suæ & Senatoribus Regni indicabo, & pro posse meo avertã. Sic me Deus adiuvet & hæc S. Crux.

Forma juramenti Thesaurarij Curiæ.

EGo N. juro quòd Serenissimo Principi & Domino Dño N. Regi Poloniæ, & Regno in Officio Thesaurariatûs Curiæ Regni fidelis ero, & quæcunq; ad Officium meum Vice-thesaurariatûs Curiæ, juxta statuti dispositionem pertinebunt, diligenter attendam, nihilq; omittam, quod ad Officium meum fideliter administrandum pertinet. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Crux.

Pro complemento istius § adiungo, Russis in Vkraina concessum erat habere Thesaurarios suos cum dignitate Senatoria, vt habetur in Commissione Hadiacensi, *Anno D. 1659. fol: 52. §. Privatis* **wßytkim.**

In Prussia quoq; est Thesaurarius Prussiæ, quod officium Oëconomus Marieburgensis obibat, nunc à Serenissimo Rege alicui Senatori Prussiæ conferri solet. Ordinibusq; tantùm Prussiæ non Thesaurario Regni reddit rationem.

Ad hæc, Notarium Thesauri Rex dabat & tanquam Vicarium Thesaurario adiungebat. Qui Notarius potest ex Officio citare, non aliter, ac Instigator. *Sarnicius fol: 342.* sed nunc in Regno constituuntur à Thesaurariis, in Magno Ducatu Lithvaniæ sunt privilegiati à Rege.

TITVL: TRIGESIMVS QVINTVS.

De Officialibus, qui sunt extra Ordinem Senatoriũ.

§ I.

De Officio & potestate Ducum Exercitûs.

DVcum Exercitûs, licèt in Republica Nostra eximium officium sit, (cùm antiquitus penes Regiam Majestatem remaneret, &ipse locum exercitui assignaret. *vt Herburtus in statuto fol: 41. § Fictura est etiam, & Ianussovius libro 6. tit: 1. fol: 693. simili paragra-*

pho.) locum tamen in Senatu (nisi respectu alterius dignitatis Senatoriæ, idq; compatibilis sibi collatæ,) non habent. Suntq; alij Supremi, alij Cāpestres, seu Campiductores appellantur. Supremi sunt duo, vnus Regni, alter Magni Duc: Lithu: Campestres, quoq; totidem.

Sub Ducibus *Regni* miles *Polonicus*, sub Lithuanicis eiusdem Ducatûs miles militat, Livonico militi à Ducibus vtriusq; Gētis Præfectus assignatur.

Si tamen sub tempus expeditionis alicuius, vtriusq; Gentis Duces adessent, medietas Livonici militis vni, & altera alteri subest, nisi necessitas, sub regimen vnius coadunare suaderet. Ita in Constitutione *Anni 1589. fol: 510. tit:* **O władzy Hetmáńskiey.**

Olim in Polonia non erant Duces perpetui, sed temporales, hoc est: dum aliqua expeditio bellica contra hostem imminebat, eligebantur, expeditione finitâ cessabat eorum officium. SIGISMVNDVS I. Rex, Ioannem Tarnovium primum in Regno perpetuum fecit Ducem. In Magno Ducatu Lithuaniæ VLADISLAVS IAGELLO Rex Nicolaum *Radzivilium, vt refert Starovolscius lib: 8. Instit: Rei milit: Quæst: 3.*

Tentatum fuit, & magno motu, in Comitijs Varsavienfibus *Anno D. 1669.* agitatum: ne Duces Exercitûs perpetui sint, sed solùm triennales. Postulatumq; fuit ab Illustrissimo Potocki Duce Exercitûs, vt præëundo bono exemplo, officio suo renuntiaret; sed hoc ad effectum non erat deductum. Itaq; constitutum est, ne in posterum, dignitas Ducis Exercitûs simili conferatur, Mareschalcis, Cancellarijs, & Thesaurarijs (*vt infra sub tit: de Incompatibilibus scribemus.*) Hinc hisce temporibus, dignitas Ducis Exercitûs, tantùm Palatinis & Castellanis, non alijs Officialibus *Regni* confertur.

Id annotandum censui, quod in Constit: *Anni 1658: fol: 19. tit: Approbatio* **Regimentarstwá.** Illustrissimo D. Paulo Sapieha Palatino Vilnensi datum erat privilegium, authoritate Comitiali confirmatum, respectu Præfecturæ generalis supra Exercitum Magni Ducatûs Lithvaniæ, antequam esset illi collata dignitas Clavæ Maioris Exercitûs M. D. L., cum hac cautela, quòd in posterum, potestati Ducum Exercitûs, non debeat id præiudicare.

Item adnotandum censui, quòd regulariter Serenissimi Reges post mortem Supremi Ducis Exercitûs, soleant Ducem Campestrem promovere: sed de hoc nulla lex exstat. Unde SIGISMVNDVS III. Rex post mortem Caroli Chodkiewicz, Supremi Ducis Exercitûs Lithuaniæ,

thuaniæ, non Christophorum Radzivilium Ducem Campestrem Exercitûs Lithuanici, sed Leonem Sapieham Palatinum Vilnensem, prope octogenarium, authoritatis quidem magnæ, & ad supplendos sumptus bellicos proprio peculio abundè instructum, sed non virum militarem promovit, *vt refert Piasecki in Chronica sua à principio Anni 1624. fol: apud me 439.* rationem reddendo, quòd Serenissi: Rex SIGISMVNDVS III. offensus erat à Christophoro Radzivilio, acsi conscius fuerit literarum transmissarum à Gubernatrice Belgii, & interceptarum, in quibus Aurelianẽsi Duci Gastoni, Galliæ Regis Fratri spes successionis in Regno Poloniæ, post mortem SIGISMVNDI Regis tractabatur.

Sunt summi moderatores belli secundùm Regem, & Vicarij Regis, quilibet in Exercitu suæ Gentis, acies instruunt, locũ castris provident, dant signum pugnæ & receptûs. Jllorum muneris est providere, ne imparatos hostis offendat, inopinatos opprimat, Regnum detrimetũ aliquod patiatur; nihil casui & fortunæ bellicæ, quæ inconstans est, cōmittere; sed vires suas cum viribus hostium, non tam arithmeticè, quàm geometricè ponderare. SIGISMVNDVS *Rex A. D. 1544.* Major siquidem ignominia est, si indicens bellũ, terga vertat aut vincatur: *Sarnic: fol: 445. cum sequ:* Ipsis, præfecti militũ cum suis militibus Sacramentũ militiæ præstabant, ex dispositione SIGISMVNDI I. Regis, *Anno 1527. vt refert Herburt: sub verbo Bellum.* Idem statuit & SIGISMVNDVS III. Rex in Constit. *Anni 1589. fol: 510. tit:* **O władzy Hetmanskiey/** *ad finem. Sed Dresnerus in suis institutionibus tit: 17. scribit* tam laudabile institutum hodie penitus extra vsum esse.

Cum Mareschalcis Regni, sub tempus expeditionis bellicæ pretia rebus imponunt, foralia exigunt, iuxta ALEXANDRI Regis statutũ. idem constituerat SIGISMVNDVS III. in Constitutione *Anni 1590. fol: 572. tit.* **Szácunek żywności.** Sed is idem SIGISMVNDVS III. in Constitutione *Anni 1591. fol: 618. tit:* **Zniesienie niektorych Konstytucyi/** cassavit dictam Constitutionem suam primam, vt videre licet in illis verbis, **Sacunek żywności.**

Campiductori, æqualis potestas cum Supremo Duce concessa fuit in Constit: *Anni 1653. fol. 7. tit.* **O władzy Hetmanskiey/** sed in Constit: *Anni sequentis 1654. fol: 5. tit:* **O władzy Hetmanskiey/** dicta anterior Constitutio abrogata est, ex quo fuit facta, vacante Clavâ magnâ Regni, & vterq; penes jura, prærogatiuas antiquas conseruat9 est, hoc est: vt nonnisi in absẽtia supremi Ducis Cãpiductor potestatem exerceat, prout in Const: *Anni 1591. fol. 613. tit: Disciplina militaris, & in Const: Anni 1601. fol: 732. tit: Declaratio* **o władzy**

Hetmanſkiey/ expreſſum. Excubiarum tamen explorationumq; cura ad Campeſtrem Ducem regulariter ſpectat.

Data quoq; illis fuit talis auctoritas, vt quidquid ſtatuerint, in ordine ad diſciplinam militarem, id talis valoris eſſet, acſi in Comitiis Generalibus à tota Repub: conditum eſſet, ita in Conſtit: *Anni 1590. fol: 569. tit:* **Aſsekurácya Hetmanſka/** ſed anno ſequēti in Conſtitutione *Anni 1591. fol: 618. tit:* **Zniesienie niektorych Konſtytucyi/** reſtricta eſt, ſed poſtea in Conſtitutione *Anni 1620. fol: 13. tit: Diſciplina militaris*, omnia jura & Conſtitutio *Anni 1590. de Diſciplina militari*, in toto reaſſumpta ſunt, & Dominis Ducibus Exercituum totalis poteſtas juxta antiqua jura, data eſt.

Iudicium ſuum criminale formant, invitatis *Præfectis* militum, aliàs **Rotmiſtrzow/ Porucznikow/** non tamē neceſſe habent vota illorū ſequi, imò ſi periculum eſſet in mora, liberum eſt abſq; Aſſeſſoriatu Præfectorum judicare, idq; peremptoriè in inſtanti, & manu *Regiâ*, ſolâ veritate cauſæ inſpectâ, de quo videatur Conſtit: *Anni 1591. fol. 613. tit. Diſciplina militaris*, vbi in fine appoſitum eſt, quod abſens non poteſt puniri pœnâ infamiæ, niſi in Comitiis Generalibus. Videatur & Conſtitutio *Anni 1593. fol: 640. tit:* **Deklárácyá Konſtytucyey/** *de diſciplina militari.*

Sed in Conſtitutione *Anni 1601. fol: 732. tit: Declaratio* **o władzy Hetmanſkiey** ſtatutum eſt, quòd Duces Exercitûs vtriuſq; Gentis præſentem pœnâ colli punire, in abſentem pœnam infamiæ ferre poſſint. Et quidquid juxta articulos militares fecerint, id non debeat in diſquiſitionem vocari. Ita in Conſtit: *Anni 1607. fol: 859. tit:* **O Zołnierzách.**

Iniuriantes milites, licitum eſt injuriatis, vel ad judicium Ducis, vel ad Tribunal Regni citare: vt colligitur ex Conſtitutione *Anni 1691. loco citato.*

Præfectus militum aliàs **Rotmiſtrz/** ſi officiosè requiſitus fuerit, vt ex Commilite ſuo vel famulis eius juſtitiam adminiſtret, recuſans vel negligens ex Officio ad Tribunal citatus, peremptoriè inter cauſas ex officio reſpondere, & in illo termino de ſuo ſatisfacere tenetur. Et ſi temerariè ſatisfacere nolit, pœna bannitionis contra illum debet extendi, ſemotis omnibus dilationibus: excepto, ſi contra hoſtem vexillum aliàs *Rotha* moveretur, tamen in tali caſu, in ſpatio ſex ſeptimanarum poſt finitam expeditionem ſatisfacere tenetur. *Ita in dicta Conſtit: 1591. fol: 614.* § **Tákże ieśliby Towárzyſz** *ſub tit: Diſciplina militaris.*

Contra

Contra absentem, talis in contumacem processus præscriptus est in eadem Constitutione loco citato: vt statim in primo termino ad satisfaciendum condemnetur, cum præfixione termini solutionis, & post terminum præfixum citetur ad extendendam pœnam bannitionis, quam Capitanei ad instigationem partis læsæ sub pœna amissionis Capitaneatûs exequi tenentur. Eiusmodiq; processus, solâ ignorantiâ per citatum, tolli in Tribunali, aut Iudicio *Castrensi*, (si causa pro executione remissa est ad illud,) potest. Et nihilominus citatus post præstitum juramentum super ignorantia, satisfacere juxta decretum Tribunalitium, sub pœna bannitionis in instanti decernenda, tenetur, *Ibidem*,

Positio citationis, vel in bonis citati, vel in loco eius stativorũ, aliàs **w stanowisku** fiat, ita tamen vt ad notitiam citati perveniat. *Ibidem*.

Relatio positæ citationis, in Castro proprio bonorum citati, vel in loco stativorum fiat. *Ibidem*.

Terminus quatuor septimanarum, à positione citationis, debet præfigi. *Ibidem*.

Jllustrissimi Duces Exercitûs vtriusq; Gentis præter commissionẽ & judicia ordinaria, quæ ad latus illorum per Iudicem militarem absolvuntur, tribus vicibus in anno causas iniuriatorum iudicare tenentur.

Primâ vice, à principio congregati militis ad Castra.

Secundâ vice ante circulum generalem circa discessũm Exercitûs ex castris.

Tertiâ vice sub tempus distributionis hybernæ: singula judicia tribus septimanis peragantur. Ita in Constit: *Anni 1676. fol. apud me 23. sub tit: Disciplina militaris*, vbi adiunctum est, quòd desertores Castrorum, & absentes à bello iuxta Constitutionem *Anni 1620.* in Comitiis iudicentur.

Decreta Ducum Exercitûs contra milites lata Capitanei exequi tenentur, non aliter ac Comitiorum. In Constitutione *Anni 1609. fol: 891. sub tit*: **Porządek z Tak iż cokolwiek**/ vbi adiunctum est, quod si decretum Ducis parti læsæ non placuerit, possit pars læsa appellare ad Tribunal, & eiusmodi appellationes intra spatium quatuor septimanarum, inter causas conservatas, tam in Regno, quàm in M. D. L. ex regestro separato aliàs **osobnego**/ quandocunq; hæc causa ab actu appellationis, in spatio suprascripto venerit, agitentur, & decreta Tribunalitia DD. Duces exequantur. Et interim donec

decisio in Tribunali facta fuerit; Præfecti militum aliàs **Rotmistrzowie**, commilitones aliàs **Towárzyszow slubem záwiązać**, famulos autem aliàs **Pacholikow** sub custodia habere, sub eadem pœna, quam reus sustinere debuit, irremissibiliter decernenda tenentur. Nuntij tamen Terrestres Sandomirienses ad Fratres hanc Constitutionem acceperunt.

Et quòd Dux Exercitûs habeat facultatem vitæ & necis sine appellatione, exstat Constitutio *Anni 1613 fol. 2. tit.* **O Quarciánym zołnierzu**, nisi pars iniuriata non esset contenta decreto Ducis, nam tunc juxta Constit: *Anni 1609. vt supra*, data est facultas illi recurrere ad Tribunal.

Hoc addito, quòd iniuriatus non solùm cum Præfecto militis aliàs **Rotmistrzem**, sed & cum Commilitone aliàs **Towarzyszem**, forum ibidem habere possit. Et quòd Præfecti militum debeant esse possessionati.

In Constit: quoq; *Anni 1621. fol: 1. tit:* **Supplement**, reassumptæ sunt omnes Constitutiones de potestate Ducum Exercitûs.

Articuli Militares.

In Constitutione *Anni* 1609. *fol:* 932. ingrossati, & authoritate Comitiali approbati.

1mò. *Præfectus militum aliàs* **Rotmistrz**, *residere debet penes Cohortem suam, aliàs Rotham, neq; discedere absq; consensu Ducis, sub pœna in Constit: Anni 1593. scripta.*

2dò. *In omnibus debet se gerere juxta Constitutionem Anni 1591. & 1593.*

3tiò. *Conventicula aliàs* **stupienie do kolá** *tam in consistentijs aliàs* **ná leży** *quàm in processu ad Castra, aliàs* **wćiągnieniu**, *& in ipsismet Castris absq; scitu & consensu Ducis, aut tumultus & seditiones, aut consilia aliqua & conventicula, & tantò magis Confœderationes faciens, pœnâ colli debet puniri absq; vlla misericordia, & si aufugiat, infamis ipso facto sit. Quod extenditur, si stipendia retenta, modis inhonestis extorquerent.*

4tò. *Omnes milites Duci, commilito & famuli Præfecto suo, obedientiam præstent: aliàs contrafaciens, vel contra famulum Officij Ducis assurgens, aut famulus contra suum Dominum, pœnâ colli puniatur. Similiter si nolit venire vocatus à Duce, aut intercipere velit ductum ad Ducem, sicut etiam si aliquis citatus, vel remissus ad Ducē ex statione esset inobediens, similem pœnam subeat, & in hac causa succumbat.*

5tò. Com-

5tò. Commilitones, aliàs **Towárzyße**/ absq; consensu Præfectorum suorum non debent discedere, neq; Præfecti possunt illis hunc discessum concedere, nisi cum scitu & consensu Ducis aut **Pulkownika swego**/ à Duce assignati. Discedens insolenter Commilito, subiaceat pænæ illi, cui Præfectus non residens penes Cohortem, aliàs **przy Roćie** juxta Constitutionem. Eandem pœnam subeat Præfectus dimittens insolenter Commilitiones suos.

6tò. Ex vexillo ad aliud vexillum seu **z Roty do Roty**/ absq; consensu Ducis discedens, vel se transferens puniatur juxta arbitriū Ducis.

7mò. Famulum alterius commilitonis alter commilito recipiens, juxta arbitrium Ducis puniatur. Similiter si ab aliquo Nobili famulus eius cuiuscunq; conditionis sit, aufugiat, & famulatum apud militem suscipiat, Nobilisq; a quo aufugit eum in Castris aut alibi inveniat, debet ex illo juxta qualitatem excessus justitia administrari, aut Domino a quo aufugit restitui.

8vò. Nullus famulus sub tempus expeditionis Domino valedicere debet: aliter faciens debet puniri etiamsi nihil abstulerit.

9nò. Si alicui famulus aufugiat, vel valedicat, aut equus extinguatur, aut claudus efficiatur, absq; mora alium debet procurare, sub pœna.

10mo. In stativis vel **przystawstwach** assignatis nemo alterū invadat, aliàs invadēs, si aliqua effusio sanguinis interveniat, debet severe puniri.

11mò. In Curijs bonorum Regalium, Spiritualium, & Nobilium, neq; Præfectus militū, neq; Commilito, & tantò magis famulus audeat stativa facere, sub pœna centum marcarum, & sessione in turri, iuxta arbitrium Ducis, & sub pœna duplicis solutionis damni illati.

12mò. In villis & Oppidis, ligna ex ædificijs, vel ad ædificia, tum sepimēta ad comburēdum non accipipiat sub pœna. Quodsi aliquis ex sepimētis aliàs **párkánow**/ portis, propugnaculis, turribus, & alijs ædificijs ad munitionem spectantibus accipiat, pœnā colli puniatur.

13tiò. In Curia, Civitate, villa, camerā violans, tanquam fur puniatur.

14tò. Pisces **z Kożow u spustow** accipere, similiter in piscinis & stagnis, nemo audeat piscari, sub pœna furcæ, & tanto magis stagna **rozkopywáć y spußzáć.**

15tò. Victualia violenter accipiens, juxta arbitrium Ducis puniatur.

16tò. In stativis aliàs **Lezach** nullus Commilito aliàs **Towarzyß** potest sibi consistentiam seu **przystawstwo** eligere, sed juxta distributionem Præfecti, neq; ex istis stativis aliàs **przystawstwa**/ potest violenter victualia accipere, sed tantùm cum scitu Præfecti, aliàs **Rotmistrzá**/ contrarium faciens tenetur solvere prout in foro solvuntur, & ob

inobedientiam debet ex exercitu expelli. Præfectus autem aliàs **Rotmistrz/** *ubi Commilitoni assignata erunt stativa, debet Domino illorum bonorum vel Administratori & Oëconomo eius, literis suis denuntiare, quòd tantum victualium huic Commilitoni assignaverit.*

17mò. *Convictus quòd victualia violenter acceperit, debet tanquam fur puniri, similiter si aliquis apes expilaverit.*

18vò. *Modestè, absq;* **rusmistow** *debet vivere.*

19nò. *Nullus potest boves, tam in progressu aliàs* **wćiagnieniu/** *quàm in stativis aliàs* **ná łezách/** *accipere, sub pœna solutionis, prout iniuriatus taxaverit.*

20mò. *Victualia nemo audeat vendere, aut artificibus aut alijs, hoc modo persolverdo, sub pœna furti.*

21mò. **Luznych ludzi** *& equos* **nad poczty/** *non debent fovere, sub serva pœna juxta arbitrium Ducis. Ideo quilibet Præfectus militum, aliàs* **Rotmistrz/** *tenetur Duci sub pœna dare Regestrum omnium hominum & equorum sub vexillo suo manentium ultra per Notarium Campestrem conscriptorum, ut Dux judicet, quid ultra necessitatem esset.*

22dò. *Currus cum leguminibus & alijs rebus, tum boves aut aliàs merces in via accipiens, pœnâ furti puniatur.*

23tiò. *In molendinis & tabernis impedimentum faciens, debet puniri & damnum in quadruplo solvere.*

24tò. **Podwody/** *in bonis Regalibus, Spiritualium & Sæcularium accipiens aut subditos, vel equos illorum, pro necessitate sua accipiens, pœnâ furti puniatur: excepto, si alicui casualiter equus extinguatur, aut famulus auriga aufugiat: sed tamen non debet violenter ad id adigere, sed Præfectum aliàs* **Rotmistrza álbo Porucznika** *rogare, ut ad Dominum illius villæ vel Seniorem mittat, & hoc solùm ad primam pernoctationem. Si autem aliquis ad petitionem Præfecti nollet dare, si accipiat, id pro nulla violentia habeatur.*

25tò. *Monitus à Præfecto alias* **Rotmistrzá/** *respectu inhonestæ vitæ, ebrietatis, musicæ excessiuæ, si non resipiscat, Præfectus non debet illum ablegare, sed Duci deferre, ut ab illo puniatur, quem tantò magis Dux punire debet, si ausus fuit cum concubina insimul manere, & illam penes se fovere.*

26tò. *Vim inferens aliàs* **uśilstwo/** *committens pœnâ capitis puniatur.*

27mò. *Honestæ occupationes & maximè militares, permissæ sunt.*

28vò. *Oppignorare supellectilem militarem, aut super illa taxillis ludere nullus audeat, sub pœna colli.*

29no. Equum conscriptum alias **popisánego** nemo commutet, aut vendat, absq; consensu Ducis, vel Præfecti sui, aliàs si circa lustrum alium equum præsentet, & non deducat, quòd prior casualiter extinctꝰ sit, non potest stipendium accipere, & si iam acceperit pecuniam, exnunc illam restituat.

Item cautum est, ne vnus alteri equum, aut supellectilem militarem, alias **rynßtunku** accommodet, contra faciēs sessione in Rota puniatur.

Item equos **pocztowych**/ curribus accingere, aut in necessitatibus suis aliò mittere sub pœna gravissima nemo audeat.

30mo. Provocationes & duella ne fiant, aliàs provocans pœnâ colli puniatur, provocatus autem, sub eadem pœna non se statuat provocanti, & exeat. Sed si aliquis vnus ab alio esset iniuriatus, deferat id Præfecto suo, & si notabilis fuerit iniuria, Duci Exercitûs.

31mo. Rixam excitans juxta arbitrium Ducis puniatur: si occidat, vel vulneret, pœnâ colli puniatur, si arma eximat, abscissione manûs, & tantò magis si in præsentia **Rotmistrzá albo Porucznika**/ tam in consistentia, quàm in progressu, aut in castris, quod totum Dux debebit considerare.

32dò. Literæ vniversales a Duce Exercitûs Præfecto militum consignatæ, debent eadem horâ transmitti alteri Præfecto viciniori, & sic consequenter; accipiendo recognitionem vnus ab altero quod transmiserit, aliàs negligens severè puniatur, juxta arbitrium Ducis. Quodsi aliquis Literas Vniversales Ducis ad commotionem contra hostem missas retineat, pœnâ colli & infamiæ puniatur.

33tiò. Quilibet Præfectus militum, alias **Rotmistrz** ita debet cum suo vexillo aliàs **Rota** paratus esse, vt absq; vlla mora ad locum designatum cum vexillo suo exeat & procedat. Item, vt quilibet Commilito, alias **Towarzyß**/ tubam Præfecti: similiter & pernoctationes non sibi eligat alibi, nisi vbi Præfectus destinavit, idq; sub pœna gravissima. Item in progressu, alias **w ciagnieniu** si aliquis **ſtrzeminał albo ná ſtraznicá**/ **albo na tego co ſtraz bedzie zwodził targnał ſie**/ aut cum hoste **nad zakáz**/ concertationem ineat, pœnâ colli & infamiæ puniatur.

Sequuntur alij articuli spectantes ad Castra mota contra hostem & prælium committendum.

1mò. Vbi castra metata fuerint, nemo alteri locum assignatum, contra currum, papilione aut equis impediat, sed quilibet prout ordo iusserit, illum observet sub pœna gravissima.

2dò. Ignotum hominem, nemo audeat, tam in stativis & tantò magis in Castris fovere, aut in famulatum accipere, absq; scitu Ducis, idq; sub pœna severissima.

3tiò. Motio & progressus Castrorum debet fieri juxta ordinationem, & nonnisi ad sonitum tubæ Ducis, debet fieri motio ista, & quidem tali modo; vt ad primum sonum tubæ equi parentur, ad secundum sonum tubæ equi ephippiati sint, aut curribus jungantur, ad tertium autem sonitum tubæ quivis expectet in loco, donec Dux se movere jusserit. In progressu autem Castrorum, nullus miles aliàs Towarzysz extra vexillum suum audeat stare vel progredi, vel clamores excitare, sub pœna gravissima.

4tò. Currum si aliquis ex ordine constituto in Castris extrahat, pœnâ colli puniatur.

5tò. Similiter portas Castrorum invadens, eadem pœnâ puniatur.

6tò. Si aliquis propinatorem aut revenditorem suæ turmæ hominibus adscripserit, severè puniatur, sicut & ipse propinator aut venditor.

7mò. In Castris propinatores non debent stare, sed extra Castra, in loco illis assignato.

8vò Fœminæ inhonestæ, vt castra non comitentur, neq; propinatores aut propinatrices illas foveant, aliàs ex exercitu proscribi & fustigari debent, excepto si legitimis documentis deduxerint, quod cum maritis suis legitimis habitent, & honestè se gerant.

9nò. Loricam, & quævis arma, aut aliquod armaturæ bellicæ genus, seu vestes, nemo apud se oppignorari permittat, neq; in vim oppignorationis horum, mutuet aliquid, neq; talia suscipiat, neq; pro rebus ablatis sibiq; datis alicui det quidpiam, sub pœna furcæ.

10mò. Post datum signum aliàs Hasła/ propinatio cesset, ignis extinguatur, sub pœna severa. Si autem aliquis per vim stimulet sibi propinare, aut alias violentias faciat inter tabernas, pœnâ colli puniatur.

11mò. Nullius famulum, vt ex castris fugiat, possunt evehere, aut ipsi auxiliari ad fugam, sub pœna colli.

12mò. Columnam penes papilionem Ducis tenentur effodere, ad quam omnes res deperditæ debent portari, aut suspendi per famulum Iudicis militaris ex mandato eius. Iidem tenentur in castris furcas exstruere, aut conducere tales, qui illas exstruant.

13tiò. In castris & circa castra omnis mundities servetur, & in foveam profundam omnis immunditiès mittatur, & terrâ coöperiatur.

14tò.

14tò. Castra in processu non dirimãt, sub pœna severa. Item per loca difficilia transeãt suo ordine sub pœna severa. Famulum vel alium missum à Duce debent transmittere, sub eadem pœna.

15tò. Si currus alicuius in processu periculosè hæserit, tenentur illum antecedentes & subsequentes extrahere, ne Castra moram habeãt. Si autem currus destruatur, vt non possit ampliùs progredi, debent illum extra viam educere, res autem Domini illius tenentur in alios currus accipere, & in pernoctatione sistere.

16tò. In Castris ne clamores excitent, canes sub curribus ne habeant, venationes ne exerceant.

17mò. Dum signum aliàs **Hásło** dabitur, vnusquisq; debet accurrere, vel mittere ad resciendum, quod signum seu **hásło** datum est? Et si aliquis captus esset & nesciret, quod signum seu **hasło** datum sit, debet duci ad Ducem & interrogari, cur signum aliàs **Hásło** nesciat? Post quodcunq; signum datum nemo debet etiam extra castra existens clamores excitare, bombardas explodere, convivia aliàs **Biesiad**/ habere, sub pœna severa. Ignis quoq; post datum signum aliàs **hasło** extinguatur sub simili pœna.

18vo. Dum datur signum aliquod per tubam, debet vnusquisq; mittere ad inquirendum, ad quem effectum signum datum sit.

19no. Dum pulsabitur tympanum aliàs **bebeu** apud Ducem, omnes Præfecti, alias **Rotmistrze** debet convenire, nisi aliquis esset debilis.

20mò. In segetes nemo equos immittat, neq; propter illos fruges metat, sub sessione in Rota, & solutione damni in duplo.

21mo. Cum Legatis, aut alijs exteris venientibus ad Castra nemo audeat conferentias, aut colloquia habere, absq; scitu Ducis, vel eius cui hoc commissum esset.

22dò. Nullus audeat rumores, (qui possent metum aliquem in mentibus humanis excitare,) spargere, sub pœna infamiæ, sed solùm Duci deferre, sicut nec illos ex castris scribere alijs, quibus homines in Regno possint consternari. Sed solùm id spectabit ad Ducem, denuntiare Serenissimo Regi & conferre cum Consiliarijs.

23tio. Qui contra deputatum a Duce ad curam habendam vendendorũ victualiũ auderet insurgere, pœnâ colli puniatur. Similiter, si aliquis vim inferret mercatoribus, victualia & alias res advehentibus ad Castra, & illis impedimenta faceret.

24tò. Rem inventam nullus conservet, nisi per noctem, sed talem rem inventam Iudici militari denuntiet, sub pœna furti.

25tò. Si famulus aufugiat, vel pereat, tenetur Duci, vel Præfecto suo alias **Rotmistrzowi** deferre, præsertim in castris aut in expeditione contra hostem.

26tò, *Quilibet in Castris pernoctet sub pœna severa. Et si aliquem custodia apprehenderet, debet illum ad Iudicem militarem deducere.*

27mò. *Nemo deputatum à Duce ad observandum ordinem in Castris, aliàs Profossum, vel eius famulum audeat flocci pendere, sub pœna severa. Violentas manus ijsdem inferens, abscissione manûs puniatur.*

28vò. *Sub tempus commotionis aliàs* **trwogi/** *omnes sint parati, & nemo audeat loco moveri ex castris, quousq; mandatum non fuerit datum.*

29nò. *Omnis custodia, prout erit destinata, custodiatur, observetur, & hanc custodiam ducens, audiatur: contumax si fuerit, pœnâ colli puniatur.*

30mò. *Cum hoste præter mandatum Ducis, nullus audeat colloqui, sub eadem pœna.*

31mò. *Vltra voluntatem Ducis nullus ad pugnandum cum hoste descendat, sub pœna severa.*

32do. *Dum exercitus ad pugnam ordinatur, aut in progressu ordine suo it, nullus audeat absq; mandato Ducis ad pugnandum cum hoste descendere, quodsi, dum esset illi mandatum, nolit pugnare, pœnâ infamiæ, & colli puniatur.*

33tiò. *Dum cum hoste pugna inchoatur, nullus audeat de loco sibi assignato ad alium locum se movere absq; mandato Ducis, aliàs simili pœnâ puniatur.*

34tò. *Eandem pœnam subeat & ille, qui in pugna, circa prædam moraretur.*

35tò. *Capiens aliquem ex hoste, debet statim id Duci denuntiare: similiter, si ex suis ab hoste esset captus aliquis.*

36tò. *Obtentâ victoriâ, nullus audeat absq; mandato Ducis, hostem persequi.*

37mò. *In terra aliena, nullus audeat pro victualibus mittere absq; scitu horum, quibus Dux id commiserit; Deputatosq; hos in omnibus audiant, sub pœna colli & infamiæ.* Hucusq; Articuli militares.

In eadem Constitutione *Anni 1609. fol: 939.* taxa militaris constituta, & authoritate Comitiali approbata fuit.

Pro ariete grossi decem, restitutâ pelle, pro agnello grossi quinq; pro porco saginato floreni duo, pro non saginato, florenus vnus. Pro parte carnis aliàs **polec misesa** gros: 20 pro ansere gros: 1 & medius, pro gallo & gallina grossus vnus, pro olla butyri continente viginti

ginti quatuor quartas, florenus vnus & grossi decem, pro caseo dicto **tworzydłowy** gros: vnus, pro mensura dicta **Trzećinnik** flor: vnus, siliginis grossi viginti, pisorum florenus vnus: milij alias **Jagieł** florenus vnus, hordei grossi quindecem, avenæ grossi sex. ocymi aliàs **Tátárki** grossi octo, pro curru fæni grossi tres.

Dum autem miles consistentiam haberet in *Russia* vel Voły-nia, pro tritici mensura aliàs **macá/** grossi viginti; siliginis grossi sexdecē, pisorum grossi viginti; hordei grossi decem; avenæ grossi quatuor ocymi grossi sex. Sexagena cuiuscunq; frumenti, prout **máca**, pro curru fæni grossi tres. Sed hæc taxa illo tempore constituta erat, quando valor monetæ minor fuit.

Sub tempus Interregni, Duces Exercitûs, tale juramentum vt præstent, in Confœderatione Varsaviensi *Anno D. 1587. fol: 416.* statutum est.

Forma juramenti Ducum Exercitûs.

E*Go N. juro, quia Exercitui mihi tradito fideliter præëro, & operâ illius tantùm ad reprimendas invasiones inimicorum extraneorum hostiles vtar; fines Regni tutos pro viribus præstabo, dignitatem & securitatem Reipub: quantum potero defendam: & si (quod Deus avertat) Regnum seditio invaserit, nulli parti adhærebo. Tempore verò Electionis in finibus militem & meipsum continebo. Damna incolis Russiæ, Podoliæ, Volyniæ nulla inferam, & ne a militibus meis inferantur, omni ratione providebo, pensiones verò tam ab Ecclesiasticis, quàm ab alijs personis nullas omnino exigam, & ne milites mei exigant, efficiam. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Crux.*

Duces Exercitûs, Præfecti militum, commilitones, non possunt in necessitatibus suis privatis, vel amicorum suorum, vel ad Conventus vti vexillis aliàs **Rot/** sub pœna bannitionis. Ita in Constit: *Anni 1591. fol. 614.* § **To tez osoblíwie** ad finem tituli, *Disciplina militaris.*

Ducibus Exercitûs data est potestas, proditores Arcium pœnâ colli punire. In Constit: *Anni 1601. fol: 732. tit:* **o tych ktorzy Zámki/** militem Quartianum aliàs **Kwárćiány/** tempore æstatis in cāpo extra bona aliàs **włośći** in loco opportuno Duces Exercitûs collocare, milites autem victualia in vicinioribus bonis **według targu** paratâ pecuniâ emere, & proprio sumptu ad Castra sua devehere, tenentur: tempore autem hyëmis stativa illis distribuere in bonis, eiusmodi stativis subiectis. Miles autem tam in progres-

ſu ex Caſtris, quàm in ſtativis, & in reditu ex illis damna, iniurias, violentias, hominibus cuiuſcunq; conditionis ne inferant, ſtatutum eſt in dicta Conſtit: *Anni 1591. fol: 613. tit: Diſciplina militaris.* § **A ten żołnierz.** Idem & in Conſtitutione *Anni 1613. fol: 2. tit:* **O Kwarcianym żołnierzu/** vbi pœna appoſita eſt perpetuæ bannitionis & duplex refuſio damnorum. Videatur in Conſtit: ſecunda, *Anni 1649. fol. 3. tit: Diſciplina militaris*, vbi pœna colli aſſignata eſt, forum vel coram Duce, vel in Tribunali inter cauſas militares.

Duces Exercitûs ſemel tantùm in Anno circa feſtum S. Martini, debent aſſignationes dare militi, ad bona ſtativis ſubiecta, exprimendo in aſſignationibus, quòd miles non debeat plus accipere ex lanco niſi florenos viginti, aliàs ſi id non eſſet, vel plus, expreſſum, citati ad Tribunal inter cauſas militares, ad inſtantiam iniuriatorum, pœnâ triplicis refuſionis damnorum, puniantur. Ita in Cōſtit: *Anni 1652. fol: 11.* § **Jto wáruiemy/** ſtatutum erat. Videatur & Conſtit: *Anni 1652. fol. 6. tit.* **Obostrzenie/** vbi iniuriato data eſt facultas agendi cum milite iniuriante termino peremptorio, vel in Commiſſione militari, vel in Tribunali Regni, vel in Iudicio Ducis Exercitûs, pænaq; capitis, vel infamiæ ſtatuta, qui in Curijs bonorum Regalium, Spiritualium, & Nobilium auderet ſtare.

Duces Exercitûs nullas aſſignationes hybernorū ad bona Terreſtria dare debent, aliàs talem aſſignationem impetrans, pœnâ infamiæ citatus ad proximum Caſtrum, puniatur. Ita in Conſtitut: *Anni 1654. fol. 7. tit: Securitas* **dobr.** Non poſſunt etiam dare aſſignationes pro hybernis militi cuſtodi corporis Regij, aliàs **Gwardyom**; ſed Rex è bonis Oeconomicis debet illis providere. In Conſtit: *Anni 1669. tit:* **Gwárdye.** Videatur & Conſtit: *Anni 1658. fol: 18. tit: Diſciplina militaris.* In Conſtit: *Anni 1659. fol: 9. tit.* **O niedawániu** ſtatutum eſt, ne Duces Exercitûs dent aſſignationes ad bona Nobilium, ſub pœna duorum millium marcarum & triplici refuſione damnorum.

In dicta Conſtit: *Anni 1561. fol. 613. ſub tit: Diſciplina militaris*, § **Także Zimie Hetmán/** ſtatutum eſt, vt Duces tempore hyemali, militi ſtativa in bonis Regalibus juxta arbitrium ſuum diſtribuant, & ne miles damna, iniurias, violentias faciat, vt ſupra. Stationes quoq; victualia **podwod/** tam in bonis Regalibus, quàm Spiritualibus & Sæcularib⁹ non exigat, ſed omnia victualia, paratâ pecunia **według targu** emat, ſub pœna 14. marcarum, pro quacūq; iniuria

iniuria illata, & refusione damnorum per actorem taxandorum, in Civili excessu. Quæ Constit: *Anni 1591, & alia 1593. de disciplina militari*, in Constitutione *Anni 1601. fol. 735. tit.* **O Kwarciany zolnierzu** reassumptæ sunt, hoc addito; quòd iniuriati à milite, sive in Tribunali inter causas Officij, sive in Castrensi Iudicio, sub cuius jurisdictione iniuria aut damnum illata essent, termino peremptorio, ponendo citationem, aut in loco stativorũ citati, aut citato ad manus eiusdem tradendo. In quo quidem judicio, inchoatus processus, absq; remissione; executio & bannitio in citatis Præfectis militum, aliàs **Rotmistrzach**/ qui administrationem iustitiæ iniuriatis non facerent, aut ipsi non satisfacerent, continuetur. Transgressores autem ipsius Constitutionis, pœnâ centum marcarum in Tribunali, peremptoriè ad instantiam cuiusvis repetendarum puniantur. Et quòd Capitanei, & Tenutarij Bonorum Regalium possint denegare stativa, si illis non fuerint demonstratæ literæ assignationis à Duce Exercitûs.

De hoc etiam in Constitutione *Anni 1624. fol: 2. tit:* **Supplement woyská** sic statutum est: quòd Præfectus militũ, alias **Rotmistrz**/ vel illius Substitutus stativa faciens in bonis Nobilium, etiamsi assignationem à Duce Exercitûs haberet, citetur ad Tribunal peremptoriè ab illo Nobili pro pœna mille marcarum, & separatim pro damnis, vbi etiam additum est; quòd si Præfectus militis, vel eius Substitutus in bonis Regalibus, vel Spiritualibus, absq; literis Ducis temerariè stativa auderet sibi facere, talis ad judicium Ducis Exercitûs citatus, & convictus si esset possessionatus, pœnâ duorum millium marcarum & refusionis damnorum, impossessionatus autem poena capitis puniatur.

Sed cùm de ista disciplina militari multæ illæq; diversæ Constitutiones emanaverint, & raro aut nunquam ad executionem deducantur, ideo non immoror, sed curiosum Lectorem remitto ad Constitutiones posteriores, vt ad Constitutionem *Anni 1655. fol: 7.* Item ad Constit: *Anni 1658. fol: 18.* Item ad Constit: *Anni 1659.* inter Constitutiones Lithuanicas *fol 8.* Item ad Constit: *Anni 1661. fol: 14. tit:* **Bespieczenstwo dobr Szlacheckich.** Et ibidem inter Constit: Lithuanicas *fol: 16.*

Item ad Constit: *Anni 1676. fol: apud me 23. tit: Disciplina militaris.* Et inter Constit: Lithuanicas eodem *Anno fol: 7.*

Item ad Constit: *Anni 1678. fol. 26. sub tit: Immunitas* **Dobr Szlacheckich.** Et inter Constit. Lithuanicas eodem anno *fol: 5.*

Item ad Constitutionem *Anni 1683. fol: 1.* Item ad Constitut: *Anni 1690. fol, 5. tit: Immunitas* **Dobr Ziemskich.**

Id solùm adiungo ex Constit: *Anni 1667. fol. 28. sub tit: Causæ militares,* in qua statutum est, vt causæ ex Regestro militari in Tribunali, cum solis tantùm militibus respectu exactionum & damnorum iudicentur; non admittendo causas ad eiusmodi Regestrum non pertinentes, per adiunctionem personæ alicuius ex militibus conditionis Terrestris.

Hic de Hibernis pauca adfero.

DE HYBERNIS.

Hiberna, tam in Regno, quàm in Ducatu Lithuaniæ, ex Laneo possessionato, per florenos viginti statuta erat. In Constit: *Anni 1662. fol: 11. tit:* **Porządek podziału/** vbi & hoc adiunctum est, vt in circulo generali circa discessum Exercitûs ex Castris ad statiua, Jllustrissimi Duces Exercitûs Distributores seu Deputatos ad distribuendum panem hibernalem, et statiua hibernalia, quatuor ex milite Polonico, & duos ex milite extero eligerent, qui præstito juramento, super fidelem absq; vllo respectu distributionem, bona generaliter omnia ex antiquo statiuis subiecta, nullis exceptis, absq; vllo fauore ad proportionem **pocztow/** & numerum laneorum possessionatorum non excedendo quotam florenorum viginti ex laneo possessionato assignatorum distribuerent, sub pœnis per Constitutiones statutis. Et quòd priuatæ assignationes Jllustrissimorum Dominorum Ducum Exercitûs, præter horum Distributorum, essent nullius valoris: utq; in eodem circulo generali Nuntii ab Exercitu ad Comitia eligerentur, & instructiones in negotiis & necessitatibus Exercitûs conscriberentur, & ab Jllustrissimis Ducibus subscriberentur.

In Constitutione *Anni 1670. fol: 14. tit.* **Hyberna/** ad dispartitionem panis istius, præter Jllustr: Duces Exercitûs, tam ex Senatu, quàm ex Nuntiis Terrestribus Deputati erant assignati, qui (juramento in facie omnium Ordinum præstito, quòd neminem eliberando æqualiter ad proportionem cuiuscunq; vexilli, panem diuident,) congregati Leopolim profesto S. Martini; vnà cum 4. Deputatis distribuerent: & ne milites, quocunq; prætextu plus vltra assignationē exigant, sub pœnis criminalibus. In eademq; Constitutione Status Spiritualis, ex amore erga Rempub: subsidium charitatiuum pro milite quingenta millia florenorum promisit. Quæ

Con-

Constitutio reassumpta est *Anno 1676. fol: apud me 21. tit:* **Hyberna.** In qua Status Spiritualis cavit sibi, quòd licèt in vim subsidij charitativi, summam ex Episcopatibus suis, & ex alijs bonis Spiritualibus juxta Tariffas suas ex antiquo inter se pactas ad hibernum panem pro milite important, tamen hoc fit saluis immunitatibus Ecclesiasticis, & vt bona Spiritualia à stativis hybernis libera existant.

Tandem in Constitutione *Anni 1677. fol: 4. sub tit:* **Hyberna.** Reductio facta est hibernorum ex bonis Regalibus ad summam septingentorum, & sexaginta millium florenorum, & in supplemētum totius summæ ad quoslibet centum florenos grossi quinquaginta ex bonis Regalibus adiuncti. Status autem Spiritualis ad hanc summam in vim subsidij charitativi, adiunxit summam trecentorum millium florenorum. Episcopi & Archimetritæ & alia bona ritûs Græci Vnitorum & Disunitorum summam quatuor millium. Et vt hæc hiberna Leopolim pro festo S. Michaëlis comportarētur in spatio quatuor septimanarum, statutum est. Commissarij more solito ad Illustrissimos Duces & Officium Thesaurale tam ex Senatu, quàm ex Nuntijs Terrestribus Minoris & Majoris Poloniæ assignati sunt. Quæ Constitutio *Anni 1677.* in Constit: *Anni 1678. fol: 4. sub tit:* **Hyberna** reassumpta est, & Cōmissarii assignati sunt: cautumq; est, vt DD. Commissarij juxta præscriptum dictæ Commissionis se gerant, nec hyberna augere audeant.

Tandem in Constit: *Anni 1683. fol: 4. sub tit:* **Hyberna.** electi sunt Commissarij tam ex Senatu, quàm & ex Ordine Equestri Majoris & Minoris Poloniæ, statutumq; est, vt iuxta Constitutiones *Annorum 1676 & 1677.* & juxta scriptum ad Archivum datū, cum D. Notario Campestri Regni, & Officio Thesauri se gerant.

Item in Constit: *Anni 1685. fol: 6. sub tit:* **Hyberna.** Commissarij more solito deputati, vtq; iuxta Tariffam Constitutionis *Anni 1684.* cum auctione ad quemlibet florenum grossorum sex, distribuerent hiberna, ordinatum est.

Item in Constitutione *Anni 1690. fol: 5. sub tit:* **Hyberna.** Aucta fuerāt hiberna, in scripto ad Archivum dato expressa. Commissarij electi: & vt pro tempore, & ad locum in Constitutione *Anni 1677.* destinatis conveherentur in parata pecunia, ne daretur occasio Deputatis a vexillis in limitibus collocatis, discedendi, & per Palatinatus cum assignationibus solutionem quærendi:

idq; ſub pœna duplicis penſionis vindicanda per executionem militarem; reſpectu cuius forum, & terminus peremptorius, ſine quavis adcitatione in Commiſſione diſtributionis hibernorum aſſignatus fuit.

In eadem Conſtit: *Anni 1690. fol: 7. ſub: tit:* **Coæquácyá Hiberny/** ſtatutum erat, vt Poſſeſſores bonorum Regalium ſuper realitate poſſeſſionatorum laneorum & fumalium, perſonaliter, ſub pœna ſimilis penſionis in Comitiolis Electionis Deputatorum, ante electionem Mareſchalci, in facie Nobilitatis, coram primo Senatore, vel in abſentia eius coram primo Officiali Terreſtri juramentum præſtaret in eam Rotam.

Ego N. juro Deo omnipotenti in Trinitate vni, quòd in Capitaneatu & Tenuta mea, in villis ad eum, vel eam ſpectantibus non plus laneorum poſſeſſionatorum, & fumalium ad ſolutionem hibernorũ ſpectãtium ſit, quam in Regeſtro porrecto ſpecificatum eſt, nec laneos, **wlok/** *ſubditos & fumalia, alias* **dymowe/** *ex quibus deberẽt & poſſẽt hiberna ſolvi, ſubticui & ſuppreſſi, ſic me Deus adiuvet.*

Quodſi aliquis in prædictis Comitiolis juramentum prædictũ non præſtitiſſet, in Commiſſione hibernorum coram Commiſſarijs illud præſtet.

Et ſi aliquis Tenutarij haberent in diverſis Palatinatibus Capitaneatus & Tenutas; data eſt illis facultas, dictum juramentum præſtandi in quibuſcunq; Comitiolis electionis Deputatorum, vel Leopoli in Commiſſione hibernorum. Poſſeſtrices autem Capitaneatûs, vel Tenutæ in ſtatu viduali exiſtentes, per genere ſibi ſimilem prædicta juramenta præſtent.

Domini autem Commiſſarij ratione habitâ bonorum Regaliũ poſſeſſionatorum ex regeſtris productis, & juramento confirmatis in bonis Regalibus, in futurum hiberna coæquent, & diſpartitionem faciant, prævio ſuper juſtam diſpartitionem iuramento. Commiſſariis ex Senatorio Ordine reſpectu ſalarii ex Theſauro Regni, cuilibet tria millia florenorum; ex Equeſtri Ordine duo millia aſſignata ſunt. Inſuper cautum eſt, vt in futurum duo tantùm ex gente qualibet Commiſſarij, ab exercitu autem, tantùm quatuor, ad eiuſmodi Commiſſionem deputentur.

In eadem Conſtitutione *Anni 1690. fol: 8. ſub tit: Auctio ſubſidiorum:* auctio hibernorum pro duobus annis facta fuit à Mercatoribus & Iudæis ſolvenda, vt latiùs *ibidem.*

Et quia de laneis hic mentio facta eſt, ideo quid nomine lanei dicatur

dicatur adiungendum censui, *Ianussovius in suo statuto fol. 390. sic scripsit:* Mansus seu Laneus Franconicus, debet esse mensuratus & divisus. *Primò* debet esse mensura quatuordecem vlnas, & vnam palmam in se continens. Quarum quidem mensurarum huiusmodi ducentæ & septuaginta mensuræ ad longitudinem, & latitudinem duodecem mensuræ mensurari debent, & sic erit verus laneus Franconicus. Item in quolibet laneo debent esse octodecem stadia, & quodlibet stadium quindecem mensuras suprascriptas continere debet.

Laneum Teutonicum sic descripsit. Ad mensurandum laneum Teutonicum juxta modum juris Teutonici. *Primò* quindecem vlnæ faciunt vnam virgam, tres virgæ faciunt vnam cordam, quatuor cordæ faciunt vnum mansum ad latitudinem: ad longitudinem verò debent esse nonaginta cordæ. Laneus Polonicus sic ab illo descriptus est, divisus in tres campos, debet esse ad longitudinem quodlibet stadium octuaginta quatuor vlnarum, & eiusmodi stadia debent esse duodecem in longitudinem, ad latitudinem verò Laneus debet esse centum & viginti vlnarum.

Item alius Laneus de quo Kmethones laborant, debet esse divisus in tres partes, hoc est in tres campos, in quolibet campo, debent esse quatuor stadia, quodlibet stadium ad longitudinem debet esse centum quinquaginta plantarum, aliàs **stopy**. Ad latitudinem verò debet esse laneus viginti quatuor sulcorum, aliàs **zagonow**/ & quilibet sulcus ad sex plantas, aliàs **stopy**. *Ita Ianussovius loco citato, Sarnicius autem loco citando* scripsit Laneum Polonicum similem esse Franconico seu Teutonico. *ita fol: 287.* subiungit. Quòd **włoká** Chelmensis est minor, vnâ quartâ a Laneo Franconico. Et quòd Poloni, eo tempore hanc mensuram edocti sunt, quando Gotthi, Vandaliq; Galliam armis infestabant. Et quòd Maldrum Parisiense facit 12. metretas, sicut & Polonicum. Metreta autem Parisiensis, similis est Casimiriensi in Minori Polonia, vel in Maiori Polonia, Callissiensi. *Idem Sarnicius fol: 475.* scripsit, quòd in Ducatu Masoviæ, Lithuaniæ, & in Palatinatu Cracoviensi, pro conseminatione **włoki** duo modij Lublinenses, vel vt illi, decem Coloncæ exeunt.

Et hoc adiungendum censui, quod in Constit: *Anni 1567. fol: 147.* § **Rotmistrze**/ Stipendium pro quartuali Præfecto militum, **ná koń** floreni 10. Commilitoni autem flor: *8.* Tandem in Constit: *Anni 1576. fol: 237.* § **Zold żołnierzom.** Commilitoni autem

tem ná koń flor: 20. pediti flor: 10. pro quartuali assignati. Postea in Confœderatione Varsavien: *Anni 1587. fol: 415.* z' Iż pod ten czás ná koń flor: 15. á żyć z tárgu.

Tandem in Constit: *Anni 1609: fol: 890. tit.* Porządek/ militi Quartiano auctum est stipendium ad flor: 20. ita tamen, vt omnia victualia, (præter potum, boves, vaccas, pisces, & aromata aliàs korzenia/ quæ omnia licitatione pacta solvant) juxta taxam Ducis Exercitûs paratâ pecuniâ, tam in stativis, quàm in transitu, aliàs w ciągnieniu emerent. Extraordinario autem militi floreni triginta, tam in Regno, quàm in M. D. L. assignati erant, & vt eiusmodi stipendio omnia victualia sibi, vt supra, emerent. *Ibidem* z Aco się dotycze/ vbi insuper statutum erat, vt nullus auderet tumultus, seditiones & Confœderationes facere, bona Regia, Spiritualium & Sæcularium occupare, sub pœna capitis infamiæ & confiscationis bonorum.

Deinde in Const t: 1ma *Anni 1613. fol: 2. tit* O żołnierzu/ militi hastato, aliàs Usárzowi/ tam intra, quàm extra Regnum, assignati erant floreni 15. Cosacis flor: 12.

Postea in Const: 2da, *Anni eiusdem 1613. fol: 10. tit:* O żołnierzu Powiátowym/ in Magno Ducatu Lithuaniæ militi hastato flor: 18. Cosacis 15. assignati sunt.

Tandem in Constitutione *Anni 1620. fol: 5. tit:* O żołnierzu/ militi hastato flor: 30. Cosacis flor: 20 assignati erant, vbi etiam & hoc adiunctum, vt in equo nihil de auro, argentoq; haberetur, sed solùm de ferro.

In Constit: *Anni 1654. fol: 6. tit:* Zatrzymanie woyská/ reassumptis omnibus Constitutionibus de disciplina militari latis statutum est, ne aliquis miles in servitio bellico Reipub: existens à vexillo suo discedere, neq; ad aliud se transferre quousq; per quatuor trimestria integra sub vno vexillo servitium non expleverit, vt absq; scitu & consensu Ducis Castra deferre auderet, ipso facto esset infamis, & si bona deservita, haberet, jure caduco benemeritis à Serenissimo Rege conferantur. Insuper adiunctum est, ne aliquis Præfectus militum, aliàs Rotmistrz/ homines Polonicæ & exterorum gentis simul sub suo vexillo, aliàs w kompaniey habere auderet, exceptis Ducibus Exercitûs.

Præfecti militum vt sint Nobiles & possessionati statutum est; in Constitut: *Anni 1591. fol: 613. sub tit: Disciplina militaris.* Idem & in Constit: *Anni 1613. fol: 2. sub tit:* O żołnie-

rzu

tzu z Woiewodztw. Et vt præsentes essent penes vexilla sua, sub pœna mille marcarum, respectu cuius forum in Tribunali inter causas Officij ad instantiam cuiusvis.

Duces Exercitûs vtriusq; gentis, si in Livonia sub tempus belli, sive præsente, sive absente Serenissimo Rege fuerint, statutum est, vt Exercitus Regni sub Duce Regni, Exercitus Lithuanicus, sub Duce M. D. L. sint. In Constit. *Anni 1589. tit.* Owladzy Hetmanskiey.

Tempore Interregni, Duces Exercitûs vtriusq; gentis debent inter se conferre, & consilium à Consiliariis vtriusq; gentis petere, respectu defensionis Provinciarum Regni. *Ibidem* §. *Tempore Interregni.*

Miles Livonicus, vt suum Præfectum à Ducibus Exercitûs vtriusq; gentis destinatum habeat. *Ibidem* § Ludzie záś.

Duces Exercitûs à Præfectis militis Livonici, & militibus existentib⁹ in Arcibus, & à libratoribus tormentorũ tale juramentũ ut reciperent, quale Capitanei eiusdem Provinciæ præstare solent statutum erat. *Ibidem*, § Máią záś.

Forma autem juramenti Capitaneorum in eadem Constit: *1689. fol: 509. tit.* Przyśiegá Stárostow descripta est. *Quòd sub tempus Interregni Arces & Civitates in damnum Reipublicæ nulli tradent, nisi Serenissimo Regi Poloniæ & M. D. L. liberè & concorditer electo & coronato. Et quòd Reipub: fideles erunt.*

Duces Exercitûs, & tantò magis Præfecti militum, vel ipsi commilitones, quòd non possunt ad Conventus notabili numero militum vti, sub pœna bannitionis statutum est in Constit: *Anni 1591. fol: 614. in fine tit: Disciplina militaris.* § To tez osobliwie.

Ducibus Exercitûs in Constit: *Anni 1601. fol: 732. tit:* O tych ktorzy Zamki data est facultas, proditores Arcium pœnâ colli punire.

De Notario Campestri Exercituum.

Notarius Campestris Exercitûs debet esse præsens penes Exercitum, nisi obstet aliquod impedimentum legale: quo casu, Substitutum juratum habere debet, si exercitus divisus esset, tunc Notarius penes vnam partem, & Substitutus penes alteram residere debet, huic Substituto salarium ex ærario publico solvi debet. Ita Constit: *Anni 1628. fol: 5. tit:* O Pisárzu Polnym/ vbi & Constit: *Anni 1621. fol: 20. tit:* O Pisárzu Polnym, in qua Constitutione offici-

officium illius descriptum est, vt singulis mensibus conscribat exercitum pedestrem, & si negligens esset in hoc officio suo, rationem reddat in Comitiis Generalibus.

Notarius Campestris, vel eius Substitutus, apud Lithuanos non priùs officium suum exercere potest, nisi priùs jurent. Ita in Constitutione *Anni 1633. fol. 19. tit.* **O Pisarzu Polnym W X L.** vbi insuper additum est, vt militem equestrem quolibet trimestri, pedestrem singulis mensibus conscribat & lustret, diligenterq; attēdat, ne Cōmilito vltra 3. equos in turma aliàs **w poczćie** habeat.

Tandem in Constit: *Anni 1654. fol: 5. tit:* **O substitucie Pisarzá Polnego/** reassumptæ sunt omnes Constitutiones anteriores de Notario Campestri: statutumq; est, vt Notarius hic totum exercitum quolibet trimestri generaliter conscribat; regestra cum subscriptione sua primo ad Thesaurum, & postea ad Mareschalcum Nuntiorum Terrestrium in principio Comitiorum reddat, sub privatione Officij: Thesaurusq; sine tali regestro, nemini stipendium solvat.

Substitutus Notarij Campestris jurare tenetur juxta Rotam juramenti pro Notario descripti, quam Rotam *Herburtus in Statuto suo sub verbo: juramentum, & Ianussovius fol: 707. descripserunt.*

Juramentum Notarij Campestris Exercitûs.

EGo N. juro, quia Serenissimo Domino Regi, & Regno Poloniæ fideliter serviam, omnia damna in Exercitibus & stipendiarijs Equitibus & peditibus suæ Majestati & Regno Poloniæ imminentia diligēter providebo, & custodiam: omnes equos tam perdamnificatos, quā n ad stipendium servitij conductos & conducendos, veraciter conscribam. Et hæc omnia diligenter & fideliter faciam, nec eadem negligam vel omittam causâ timoris, odij, amoris, favoris, vel lucri, vel damnorum gratiâ, sed omnia damna Majestatis Regiæ, & Regni diligenter custodiam; & ea Majestati Regiæ, vel D. Capitaneo Exercituum Regni fideliter revelabo. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Christi Crux.

Itaq; & Magnus Ducatus Lithuaniæ in dicta Constit: *Anni 1654. fol: 30. tit.* **O Pisarzu Polnym W, X L.** reassumptis, Constitutionibus omnibus de officio & juramento Notarij Campestris statuit, vt Notarius Campestris militem Equitem quolibet trimestri, militem autem peditem singulis mensibus, cum scitu Ducis Exercitûs, ipse per se, vel per Substitutum juratum conscribat, Regestra conscripta statim post conscriptionem, vna ad manus Ducis Supremi Ma-

mi Magni Ducatûs Lithu: altera ad Thesaurum M. D. L. in initio Comitiorum singulorum consignet, sub pœna privationis Officii, respectu cuius forum in Comitiis ad instantiam cuiuslibet Nuntii. Hoc addito, quòd dicta pœna debeat tantùm extendi, respectu non redditionis regestrorum conscripti militis. Nam si Exercitus insolutus existens recusaret cōscriptionem sui, dictam pœnam non debeat subire.

De Magistro Artileriæ.

MAgistri Artileriæ duo sunt, vnus Regni, alter Magni Ducat: Lithuaniæ. Instituti sunt à VLADISLAO IV. Rege, vt ex Constitut: *Anni 1637. fol: 8. tit.* **Quarta ná ármatę** colligitur.

Nam olim, Serenissimi *Reges* apparatum bellicum omnem sumptu suo providebant, vt in volumine Constitutionum Regni *fol: 254. sub tit: Literæ confirmationis:* § **A czásu woyny/** & in Cōstit: *Anni 1576. fol. 275.* § **A czásu woyny.**

Debet esse genere Nobilis, bene possessionatus, & juratus, ita in dicta Constit: *Anni 1637. loco citato.* Et in Constit: *Anni 1641. fol. 9, tit: Ratificatio.* Et in Const: *Anni 1653. fol: 7. tit:* **O Generále Artyleryi W. X. L.**

Forma juramenti Magistri Artileriæ.

EGo N. juro Deo omnipotenti, quòd proventus ex Capitaneatibus & Tenutis pro apparatu bellico destinatis, & aliunde provenientes, in alium vsum non convertam, nisi pro solo apparatu bellico.

Dependere debet ab Illustrissimo suo Duce, & cum scitu eius pecuniam ex Quarta pro apparatu bellico assignata, & aliunde pro eodem apparatu proveniente, dispensare, & Oëconomiam bellicam instituere & conservare, rationem perceptæ & expensæ in Comitiis Generalibus coram Ordinibus, circa rationes Thesauri reddere. Ita in Constit: *Anni 1637. loco citato.* Item in Constit: *Anni 1638. fol: 13. tit: Oëconomia bellica.* Item in Constit: *Anni 1653. fol: 8. tit. Subsidium* **Artyleryi**. Item in Constit: *1655. fol: 8 tit: Subsidium* **Artyleryi**.

Et cùm pro apparatu bellico non sufficeret Quarta ex bonis Regalibus, pro apparatu bellico assignata. In Constit: *Anni 1659. fol: 10. tit:* **Porządek Artyleryi/** pro vno anno, proventus ex depositorio vini adiunctus est; & in futurum promissi sunt, ex primis vacantibus, Capitaneatus non Iudiciales vel Tenutæ in Regno ad triginta millia florenor: annui proventûs; in Magno autem Ducatu

Lithuaniæ ad quindecem millia ascendentes, statutumq; est, vt eiusmodi Capitaneatus, vel Tenutas, Magister Artileriæ pro tempore existens, in possessione sua habeat, & tam hos proventus ex Capitaneatibus, quàm alios pro apparatu bellico, à Repub: assignatos, in solum apparatum, & non in aliam necessitatem Reipub: etiamsi ex Senatûs-consulto assignatio intercesserit, sub pœna peculatûs convertat: rationemq; in singulis Comitijs Generalibus, post vota Dominorum Senatorum, & post redditam rationem Senatûs-consultorum, ad instantiam Nuntiorum Terrestrium reddat.

Primus Magister Artileriæ Regni fuit Generosus D. Paulus Grodzicki, vt ex Constit: *Anni 1638. fol: 13. sub tit. Oëconomia bellica, colligitur.*

Itaq; in eadem Constit: *1638. loco citato* ordinatum est, vt inventarium Artileriæ ab eodem Generoso Grodzicki conscriptum, ab Jllustrissimo D. Archiepiscopo Gnesnensi, Jllustr: Dno Castellano Cracoviensi, protunc Supremo Duce Exercitûs Regni, tum & Magnifico D. Mareschalco Nuntiorum Terrestrium, & Deputatis ad excipiendum calculum assignatis, subscriptum in singulis Comitijs Generalibus revideatur; vt constare possit Reipub: in quo ordine, hæc Artileria sit constituta, de quò convertatur.

Certus numerus majorum tormentorum bellicorũ (aliàs **dział**) speciali signo illis impresso, vt penes militem Quartianum, cum scitu Domini Notarii Campestris, perpetuis temporibus remaneat, sub pœnis de Quarta.

Quodsi aliquod tormentum rumpatur, ex Quarta prævio permissu Ducis Supremi transfundi debet. Ita in Constitutione *Anni 1625. fol: 2.* § **A iż tez pewna liczba dział.**

Armatura omnis tam minor, quam major, hosti in bello accepta, soli Reipublicæ, & non alicui personæ privatæ cedere debet. Ita in Constit: *Anni 1662. fol: 12. tit:* **O wieźniách/** alias Instigator Regni agat, & contraveniens, pœnis in legibus descriptis puniatur, in Constit: *Anni 1655. fol. 8. tit: Subsidium.*

De Magistro Artilleriæ Magni Duc: Lithu: in Constit: *Anni 1653. fol: 7. tit:* **O Generale Artylerji** ordinatum est, vt semper præsens sit in castris (excepta legalitate infirmitatis) aliàs ad instantiam Nuntiorum Terrestrium in Comitiis alius eligatur.

Eidem Magistro Artileriæ stipendium assignatum est, tria millia florenorum in Constitut: *Anni 1638. fol: 27. tit:* **Cekauzy W. X. Litew:**

Magister

Magister Artilleriæ M. D. L. vt Serenissimo Regi & Reipub: sufficiens Inventarium omnium Arcium & armamentariorum exhiberet, M. D. L. & proventuum pro Artileria, ordinatum erat, in Constitut: *Anni 1677. fol: 21. tit:* **Artylerya.**

Pro Artilleria Magni Duc: Lithu: Jllustris: D. Michael Pac, Palatinus Vilnensis, Dux Exercitûs Lithuaniæ bona Regalia possessionis suæ, hoc est Tenutam Geranoviensem & Lipnicensem post fata sua de consensu Sacræ Regiæ Maiestatis, Reipublicæ, perpetuis temporibus ordinavit. Ad hæc Allodium aliàs **Folwark Wierzbupy** cum Villis **Tatarka** & **Cegielnia**. Et vt in administratione Magistri Artileriæ M. D. L. remaneat, & in singulis Comitiis sufficientem calculum, more solito reddat invigilantibus Jllustrissimis Dominis Ducibus Exercitûs. Ita in Constit: *Anni 1670. fol: 46. tit: Subsidium Oëconomiæ bellicæ.*

Quæ Constitutio reassumpta fuit in Constit: *Anni 1673. fol: 11. tit:* **Reassumptia Konstytucyey/** inter Constitutiones M. D. L. cum cautela, respectu Iurium Ecclesiæ Geranoviensis intuitu decimæ antiquitus ad eandem spectantis, tum fundationis Gasztoldoviensis ad Monasterium Franciscanorum Vilnen: pertinentis.

Tandem in Constit. *Anni 1677. fol: 12. tit:* **Approbacya dzierzaw/** iterum reassumpta est.

Ad hæc, in dicta Constit: *Anni 1673. fol: 11. tit.* **Reasumpcya/** pro apparatu bellico in Magno Ducatu Lithuaniæ, perpetuis temporibus addita est **włoká ná Rzeßy/** duobus milliaribus à Vilna distante. Plura videre licet supra *sub tit:* **Quartá.**

§ II.

De Majori Secretario & eius prærogativis.

DVo sunt Secretarij maiores, vnus Regni, alter Magni Ducatûs Lithuaniæ, vterq; Spiritualis. Dicuntur Secretarij maiores ad differentiam aliorum Secretariorum, qui pro arbitrio Sacræ Regiæ Majestatis creantur, & hoc honore, tituloq; insigniuntur: secretiorum tamen consiliorum ratio illis abscondita est, quorum omnium Secretarij maiores redduntur; qui admittuntur ad quævis secretiora consilia, & expeditiones publicas; conscijq; sunt omnium, quæ Cancellarijs vel Vice-cancellarijs panduntur. Ad vacantes dignitates & officia primum ascensum habent. Ita ALEXANDER Rex in Conventu Petricoviensi *Anno D. 1504. vt refert Sarnicius fol: apud me 321.*

me 323. Herburtus in statuto sub verbo : Secretarius fol: apud me 427 vbi subiungit collationem istius dignitatis spectare ad Sacram Regiam Majest: debetq; esse juratus, cujus juramenti Rotam descripsit. *Ianussovius in Statuto suo fol: 292.*

Rota juramenti Secretarij Majoris.

EGo N. juro, quòd Serenissimo Principi & Domino, D. N. Regi Poloniæ fidelis ero. Secreta, quæ mihi per Suam Majestatem & Consiliarios dicentur, contingentia, vel Majestatem Regiam, vel Rempub: aut vtrumq; nemini in jacturam Regiam & Reipub: pandam. Quidquid verò scivero, intellexero, aut sensero Suæ Majestati Regiæ, Regno & Reipublicæ nocivũ & damnosum, præcustodiam, sic me Deus adiuvet.

§ III.

De Referendarijs & prærogativis illorum.

REferendarius vnus est Regni, alter Magni Ducatûs Lithuaniæ vtrobiq; vnus Spiritualis, alter Sæcularis, dicti à referendo, eò, quòd causas & negotia, Sacræ Regiæ Majestati deferant. Nam cùm non omnibus ad personam Regiam patet aditus; necesse fuit constituere tales viros, qui preces & desideria supplicantium exaudirent, & Principi deferrent, supplicantibusq; responsa Regia exponerent. Vterq; debet esse genere Nobilis, juris notitiam habens: debentq; esse jurati, ita SIGISMVNDVS Petricoviæ *Anno 1538. referente Herburto in Statuto suo sub verbo Referendarij, fol: apud me 395.* deberentq; sedere & audire querelas, peracta missa Regia vsq; ad horam prandij, & post prandium vsq; ad tempus cænæ. Causæ tamen Iudiciariæ Iudici juxta Statutum committantur. Ita SIGISMVNDVS Rex loco citato.

Referendarij cum Cancellariæ Officialibus causas Teutonicales cum Nobilibus intervenientes audire, & partibus præsentibus Serenissimo Regi referre debent. SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex, *Anno D. 1550. vt refert Herburtus loco citato,* & habetur in Constitutione ejusdem *Anni 1550. fol: 7.* § **Iż w Niemieckich sądziech.**

Referendarij vt juxta statutum *Anni 1538.* se gerant, is idem SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex statuit, *teste Herburto loco citato* & in d. Constitutione *Anni 1550. fol: 3.* § **Iż tez prawem pospolitym.**

Referendarij Iudiciis relationum præsente Serenissimo Rege adesse possunt, ibidemq; post Senatores, & alios Officiales maiores locum

locum & vocem consultivam habent. *Przyluscius fol. 58.* & in Cõstit: *Anni 1569. fol: apud me 180.* ad finem post ordinem descriptũ Senatorum & Officialium Regni & M D L. Idem videtur constituisse SIGISMVNDVS *Anno 1538. teste Herburto loco citato.*

Referendarij, terminatam decretorum Comitialium subscribere, & ad Cancellariam remittere debent: exceptis decretis de cõsensu partium in causis homicidij, in causis ratione bonorum Reipublicæ & in causis contributionum Reipublicæ, quæ nec subscribere, nec recipere possunt. Ita in Constit: *Anni 1641. fol: 7. tit:* **O porządku sądzenia spraw/** vbi etiam & hoc adiunctum est, vt Referendarij causas in judiciis Comitialibus, per Notarium Terrestrem illius loci, in quo Comitia peragerentur conscriptas, eo ordine, prout erunt conscriptæ, sub onere conscientiæ legant & vocent: nisi Serenissimus Rex aliud mandet.

Forma juramenti Referendariorum.

EGo N. juro, quia Serenissimo Principi & Domino D. N. Regi Poloniæ fidelis ero. Secreta quæ mihi per Suam Majestatem & Consiliarios Eius dicentur, contingentia, vel Majestatem Regiã, vel Rempublicam, aut vtrumq;, nemini, in jacturam Regiam, aut Reipub: pandam: justè secundùm Deum, jus scriptum, æquitatem, partium controversias, postulationes juridicas, & Regiæ Majestatis decreta referam: divitis & pauperis, amici & inimici, civis & peregrini, discrimine sublato: & neq; favorem vel odium, neq; præmium, neq; pœnã mihi propositam curabo: sed in judicando, consulendo, referendo partiũ controversias, solum Deum, & justitiam sanctam & æquitatem, in ijsq; omnibus conscientiæ meæ judicium sequar, & audiam, aliaq; negotia officio meo incumbentia, fideliter & pro posse meo peragam. Sic me Deus adiuvet. Quam formam juramenti refert *Ianussovius in statuto suo fol: 290. & Zawadzki cap: 2. fol: 57.*

Ad hunc titulum seu classem referuntur alij Officiales Regni, Magni Duc: Lithu: vtpote Succamerarius Regni: & M D L. Quorum officium quantam authoritatem in Aula Regia præseferat, licet Constitutiones Regni non loquantur, quotidiana tamen experientia dignissimam esse docet.

Item Vexillifer Regni, & Magni Ducatûs Lithuaniæ.

Ensifer Regni, & Magni Ducatûs Lithuaniæ.

Præfectus Stabuli (Polonicè (**Koniuszy**) Regni, & Magni Ducatûs Lithuaniæ.

Præfectus Culinæ (aliàs **Kuchmistrz**) Regni & Magni Ducatûs *Lithuaniæ*.

Pocillator (aliàs **Podczaszy**) Regni, & Magni Duc: Lithu:

Incisor (aliàs **Krayczy**) Regni, & Magni Duc: Lith:

Subdapifer (aliàs **Podstoli**) Regni, & Magni Duc: Lith:

Pincerna (aliàs **Czesnik**) Regni, & Magni Duc: Lit:

Præfectus Castrorum (aliàs **Oboźny**) Regni, & Magni Du-

Præfectus Vigilum (aliàs **Straznik**) Regni, & M. Ducatûs Lithu:

Regentes Cancellariæ Maioris & Minoris in Regno, & in Magno Ducatu Lithuaniæ.

Notarij 4. Regni, & Magni Duc: Lith:

Instigator *Regni*, & M. D. L.

Notarius Decretorum Cancellariæ Regni, & M. D. L. qui suos habent *Regentes*.

Vice-Instigator Regni, & Magni Duc: Lithuaniæ.

Venator, (aliàs **Łowczy**) Regni & Magni Duc: Lithaniæ.

Notarius Thesauri Supremus, sed contra hoc Officium, interposuit protestationem Michaël Pac Palatinus Vilnensis, circa subscriptiones Pactorum Conventorum *Anni D. 1674*.

Vexillifer Curiæ Regni, & Magni Duc: Lit:

Præfectus Curruum Regni & M. D. L. sed hodie vacant.

Vice-Præfectus Stabuli (aliàs **Podkoniuszy**) Regni & M. D. L.

Id vnicum addo, quòd cùm antiquitus Notarij Cancellariæ Regni (aliàs **Metrikánci**) fuerint temporanei, & per mutationem Cancellariorum, mutabantur: Nobilis tamen Łádowski & Nicolaus Szulcz Secretarij Regij, Notarij Maioris & Minoris Cancellariæ, obtinuerant *Anno D. 1677. fol: 20. tit:* **Metryki Koronne.** privilegia, vt possint Notariatus tales ad vitæ tempora tenere, cum hac tamen cautela, ne hoc in futurum in sequelam trahatur.



TITV-

TITVLVS TRIGESIMVS SEXTVS.

De Officialibus Palatinatuum & Terrarum.

§ I.

De Numero, & ordine illorum quoad Majorem & Minorem Poloniam.

IN Constit: *Anni 1611. fol. 26. tit: Ordo Officialium.* Numerus & ordo horum Officialium Terrestrium in Regno, taliter descriptus est. Succamerarius, Capitaneus cũ iurisdictione, Vexillifer, Iudex, Dapifer (alias **Stolnik**) Pocillator (aliàs **Podczáßy**) Subiudex (aliàs **Podsędek**) Subdapifer (aliàs **Podstoli**) Pincerna (aliàs **Cześnik**) Venator (aliàs **Lowczy**) Tribunus (aliàs **Woyski**) Notarius, Ensifer, & postea Tribuni Minores. *In* Ducatu autem Masoviæ Iudex Castrensis ante Notarium juxta Excepta istius Ducatûs. Similiter & Succamerarius Ciechanoviensis juxta eadem Excepta se gerat. Sed in Constit: *Annni 1613. fol: 20. tit: Ordo Officialium,* dicta Constitutio correcta est in hoc puncto, ne Officiales Castrenses præcedant Terrestres. Capitanei tamen primum locum obtineant.

In Constit: autem *Anni 1635. fol: 38. tit:* **O Skarbnikach/** inter Officiales Terrestres post Tribunos Minores locus assignatus est Quæstori (aliàs **Skarbnikowi**] Item in Constit: *Anni 1638. fol: 39. tit:* **Mieysce/** reassumptum est. Et in Palatinatu *Russiæ,* Quæstor aliàs **Skarbnik** institutus est.

Tandem in Constit: *Anni 1647. fol: 18. tit: Ordo Officialium* Palatinatus Wołynensis dictam Const: *Anni 1611.* reassumpsit: & vt juxta ordinem in illa descriptum, Officiales Terrestres locum habeant. Hoc est, *Primò,* Succamerarij, deinde Capitanei cum jurisdictione aliàs **Starostowie Sądowi,** tandem Vexilliferi, Iudices, Dapiferi, Pocillatores, Venatores, Subiudices, Subdapiferi, Pincernæ, Tribuni, Notarij, Ensiferi, Quæstores seu Custodes Thesauri, aliàs **Skárbnikowie.**

In Constitut: enim *1589. fol: 526. tit:* **Mieysce Vrzednikom/** aliter respectu Officialium Terrestrium in Palatinatibus Bracławiensi & Volynensi ordinatum erat, vt primum locum haberent Succamerarij postea Vexilliferi, Iudices, Dapiferi, Pocillatores, Venatores,

tores, Subiudices, Pincernæ, Ensiferi, Quæstores & demum Tribuni.

In Terra Zidacoviensi, Officiales Terrestres constituti sunt tali ordine: Vexillifer, Dapifer, Pocillator, Venator, Ensifer, Quæstor, & Tribunus.

In Constitutione *Anni 1676. fol: 39. vel in alijs fol: 55: tit.* **Przyczynienie vrzędow**, in Terra Buscensi Palatinatûs Bełzensis, ad antiquos Officiales Terrestres additi sunt Dapifer, Pocillator, Pincerna, Subdapifer, Venator, Ensifer & Quæstor, locusq; taliter assignatus est, vt Officialis Buscensis sequeretur Officialem Bełzensem eiusdem prærogativæ, hoc est: Dapifer Dapiferum, Pincerna Pincernam, & sic alij.

In Magno Ducatu Lithuaniæ, præter enumeratos Officiales Terrestres, sunt alij in Districtibus Officiales, hoc est: Mareschalci, Osmienensis, Lidensis, Bracłaviensis, Grodnensis, Caunensis, Vpitensis, Słonimensis, Wolkoviscìensis & Rzecinensis, qui Conventuum particularium Nobilitatis perpetui sunt Directores, (secus autē in Regno, & in ipsis Palatinatibus Magni Duc: Lit: nempe Vilnensi, Trocensi &c. vbi semper pro quocunq; Conventu particulari Nobilitatis novus Mareschalcus seu Director eligitur) & in expeditione generali bellica vices obeunt, qualiter Castellani Minores in Maiori vel Minori Polonia. Ad hæc: in eodem Ducatu Lithuaniæ, sunt etiam alij Officiales, & primò. Tivuni (aliàs **Ciwonowie**) Vilnensis, Trocensis, (cui Tivuno Trocensi in Constit: *Anni 1598. fol: 699. tit:* **Mieysce**, locus ante omnes Officiales Terrestres Trocenses assignatus est) & Samogitiæ, vt in dicta Cōstit: *Anni 1598. fol: 699.* videre licet. Præter hos Tivunos in Palatinatibus Lithuanicis dantur alij Tivuni bonorum Regiorum Oëconomi seu Administratores, quales sunt Eurogalensis in Magna & Minore Dyrvian, Retoviensis, Vzuensis, Tuerensis, Berzanensis, Korszensis, Schaldoviensis, Poiurensis, & alij similes, quæ administrationes etiam Senatoribus conferuntur, atq; sunt compatibiles cum alijs dignitatibus Senatorijs, & alijs Officijs Regni & Magni Ducatûs Lith: tum & Terrestribus & Castrensibus.

Item in eodem Ducatu sunt Officiales dicti **Horodnicy**, qui Arcium, munitionum curam habent, assignatusq; est illis locus post Notarium Terrestrem, vt Vitepcensi in Constit: *Anni 1635. fol: 36. tit.* **O Chorodniczym Witepskim**, Połocensi *in Constit. Anni 1638. fol. 47. tit.* **Horodnictwo**, Minscensi, in Constit: *Anni 1641. fol. 34.*

tit:

tit. **Mieysce.** Msciskaviensi in Constit: *Anni 1661. fol. 19. tit:* **Horodnictwo Msćisławskie.** Novogrodensi in Constit: *Anni 1676. fol: 18. alibi 20. tit:* **Horodnictwo Nowogrodzkie**, intellige de Constitutionibus Lithuanicis.

Item sunt Officiales dicti **Mostownicy**, hoc est: Pontium Præfecti.

Item **Budownicy**, latinè Ædiles. Item *Præfecti* sylvarum, Polonicè **Leśnicy.**

Ordo autem istorum constitutus est in Constitutione Lithuanica *Anni 1677. fol: 18.* vt post Officium Castrense in Palatinatibus & Districtibus istius Ducatûs, Officiales Terrestres locum obtineant, Pocillator, Pincerna, Horodnicius, Venator, Præfectus Pontiū.

Ex qua Constitutione patet, quosdam Officiales Terrestres in Magno Duc: Lithu: hoc est Tivunos, Mareschalcos, Succamerarios, Iudices, Vexilliferos, aliosq; locum habere ante Officiales Castrenses, reliquos autem Officiales Terrestres Minores vt Pocillatores, Pincernas, Horodnicios, Quæstores, Venatores, Præfectos pontium, & Ædiles, Officiales Castrenses subsequi.

In Prussia, Officiales Terrestres isti sunt. Succamerarius, Vexillifer, Iudex Terrestris, & Scabini octo in singulis Iudiciis Terrestribus, tum Notarij Terrestres, qui omnes debent esse Nobiles & possessionati.

Ex Magistratu tamen Civitatis Torunensis duo Assessores in Iudicio Terrestri Culmensi admittuntur.

Notandum tamen, quòd, cùm in Prussia Succamerarij Palatinatuum ad Senatum Prussicum admittantur, & inter Senatores locum obtineant, vix ad Officiales Terrestres possint referri.

§ II.

De officio horum Officialium.

C *Romerus in libro, de Republica & Magistratibus Polonorum:* Officiales Terrestres in Maiori & Min: Polonia, eorūq; officia sic describit: Quòd sit, Succamerarius, Capitane9, Gladifer, Vexillifer, Pincerna, Subpincerna, Incisor, Dapifer, Subdapifer, Tribun⁹, Iudex, Subiudex, Notarius, Quæstor seu Thesaurari⁹, Venator, Agasus seu equorū curator. Hos autem suas functiones antiquitus in sua Satrapia sive tractu & Terra (quarū quælibet olim discerpto in multos Dominatus Regno, suū Ducem habuit) habuisse, nunc magnā partem illorū, solum nomen, nudumq; honorē retinere. Nam certas & perpetuas functiones, Succamerarium, Iudicem, Subiudicem, Notarium, Terrestres

& Tribunum nunc habere: nudum autem honorem, Gladiferos, Pincernas, Subpincernas, Incisores, Dapiferos, Subdapiferos, Pocillatores, Quæstores, & alios similes retinere: nisi quòd in extraordinarijs Iudicijs (quæ Commissiones vocantur) Regijs mandatis subserviant, & colloquijs assideant. Tametsi etiam nunc peculiaribus suis muneribus & officiis fungi rectè posse existimantur in suo quisq; tractu, à quo denominationem habet, quoties Princeps eum tractum adit: v. g. Gladifer Posnaniensis, in Posnaniensi Satrapia gladium in solenni pompa, ipse præferat, Dapifer dapes inferat, Subdapifer cum baculo præcedat, Pincerna poculum administret; Incisor seu Structor mensam apponat: Subpincerna potûs curam gerat: Thesaurarius condus promus pecuniæ ac supellectilis eius sit: Vexillifer in bello Vexillum Exercitui suæ Satrapiæ præferat: Tribunus custos sit Arcis in suo quisq; tractu durante bello: Venator venationibus & sylvis, Agaso equitio seu armento equorum præsit. *Hucusq; verba Cromeri ex loco supracitato.* Ex quibus verbis colligitur nonnullos esse, qui habent functiones certas & perpetuas, vt Succamerarij, Iudices, Subiudices, & Notarij tum Tribuni. Alios autem talem functionem perpetuam non habere, sed solùm quando Rex in illorum Palatinatu commoraretur, vt sunt Dapiferi, Pincernæ, Pocillatores, & alij his similes.

§. III.

De Succamerarij Officio.

Is idem *Cromerus loco citato de Succamerario*, sic scripsit: Succamerarius omnes præfatos Officiales honore anteit. olim fortassis præfuisse cubiculo, & cubicularijs Principis, in sua quisq; Terra: nûc regendis finibus agrorum ac bonorum Terrestrium præest, debetq; esse iuratus. Habet ad hoc munus obeundum Vicarios & ipsos iuratos, singulos in singulis suis Territoriis, qui Camerarij vocantur, sive Cubilarij, sic dictos, quòd antiquitus ministri cubiculi Principis, ad id munus à Succamerario eligebantur. Nunc eos sibi suo arbitratu ex Equestri Ordine eiusdem Territorij legit & assumit, iureq; iurando adigit, mutatq; quoties vult. *Hucusq; Cromerus.*

Ex Statutis autem & in Constitutionibus Regni, de officio Succameraríali hæc colliguntur.

Quòd Succamerarius, judicio finium regendorum inter bo-

na Nobilium illius Palatinatûs, vel Districtûs, in quo limites constituendi sunt, præsidet. Et licèt aliquando, causæ limitum inter bona Terrestria Nobilium, in Iudicio Tribunali Regni, aut in Iudicijs Terrestribus agitentur, tamen ab eiusmodi judiciis, fit remissio ad Campum, ubi Officium Succameratiale præsidet. *de quo Ianussovius fol: 414.*

Succamerarij, licèt sub SIGISMVNDO AVGVSTO Rege in Constit: *Anni 1569. fol: 191.* § **Podkomorzowie/** non erant iurati, sed solùm fide & conscientia obligabantur: tamen hodie juxta Constit: *Anni 1588. fol: 460. tit:* **Obieranie sadu/** debet esse iuratus, vbi forma juramenti Polonicè sic descripta est, quam in Latinum sermonem converti.

Forma juramenti Succamerarij in Regno.

EGo N. juro Deo omnipotenti, quòd justè juxta Deum & Ius scriptum juxtaq; justitiam, controversias partium judicabo, controversias partium diligenter audiam, & illas recipiam. Similiter signa Granicierũ, illarumq; verisimilitudines considerabo, & fideliter describam. Ad hæc libros meos & Antecessorum meorum fideliter conservabo, & in illos signa inscribam. In eodem judicio meo, non habebo respectum personæ amicitiæ, inimicitiæ, divitis & pauperis, hospitis seu peregrini, & Indigenæ. Nulli in hoc judicio meo amicitiam vel inimicitias ostendendo, aut munera à quoquam respectu istius judicij accipiendo. Sic me Deus adiuvet, & hoc S. Evangelium.

Quilibet Succamerarius in Regno habet Camerarium, Nobilem & Possessionatum, qui in Iudicio Terrestri debet jurare, sicut ipse Succamerarius, prout in dicta Constit: *Anni 1569. fol: 191.* § **Podkomorzowie wedlug stárego zwyczáiu/** & dicta Constit: *Anni 1588. fol: 460. tit:* **Obieranie sadu.**

Dictus Camerarius Succamerarii, vocatur Camerarius Limitaneus (Polonicè **Komornik graniczny**) ad differentiam Camerariorum, quorum unum, Iudex Terrestris, & alterum Subiudex Terrestris, olim constituebant, eiusmodiq; Camerarii, Iudiciis Terrestribus assidebant, facultatemq; ferendæ sententiæ in eodem judicio habebant, *vt refert Herburtus in Statuto Latino sub tit: Camerarius & Ianussovius fol. 453.* Eiusmodiq; Camerarii in Iudiciis Terrestribus (aliàs **na Rokach/**) à Nobilitate eligebantur juxta Statutum JAGELLONIS Regis, *Anno D. 1423.* latum, *vt refert Herburtus in*

Statuto Polonico fol. apud me 410. Sed hodie isti Camerarij non sunt in vsu.

De Succamerario Rozanensi & Macoviensi habetur in Constit: *Anni 1565. fol: 104. tit.* **Podkomorstwo Rozanskie**, de dicto quoq; Succamerario Rozanensi habetur in Constit: *Anni 1647: fol: 33. tit:* **Podkomorstwo Rozánskie**, vbi æquiparatur alijs Succamerarijs, & vt eligatur.

De Succamerarijs Nurensi, Ostroviensi, & Camenecensi, vt etiam per electionem sint, habetur in Constit: *Anni 1588. fol. 478. tit.* **Nowoletnie sprawy.**

Officia Succamerariorum Palatinatûs Masouiensis in Exceptis Masoviensibus *Anni D. 1576. fol: 312. tit:* **O Podkomorzym**, descripta sunt: vt ipse per se & Camerarium suum, visiones expediat, controversias de limitibus coram se, vel suo Camerario factas, munimentaq; à partibus producta ad Iudicium Terrestre deferat, & postea partes in Iudicio Terrestri, in præsentia eius, vel sui Camerarii, controversias repetant, munimenta monstrent. Quibus auditis & trutinatis, Iudicium Terrestre iuxta præscriptum Iuris, Actoratum (Polonicè **Powodostwo**) parti meliora documenta habenti adiudicet, salvâ appellatione reservatâ. Notarius autem Terrestris, omnes controversias partium, & decretum Iudicii connotet, & inscribat: ob idq; Succamerario & Camerario eius Acta prohibita sunt.

Prærogativa & Iurisdictio Succamerarij Czerscensis, coæquata est prærogativis & jurisdictionibus Succamerariorum Regni, in Constit: *Anni 1593. fol: 647. : tit.* **Podkomorstwo Czerskie.**

Similiter Livensis & Nurensis Succamerariorum in Masovia, in Constitutione *Anni 1598. fol. 702. tit.* **Podkomorzowie w Mazoszu.**

Sicut etiam Wisogrodensis, Zacrocimensis, & Łomzinensis in Constit: *Anni 1601. fol. 753. tit:* **Podkomorstwá Mazowieckie.**

Similiter Viscensis in Constit: *Anni 1607. fol. 858. tit.* **O Podkomorzym Wiskim.**

Similiter Varsaviensis in Constit: *Anni 1613. fol: 18. tit:* **Podkomorstwo Warszawskie**,

Similiter Ciechanoviensis in Constit: *Anni 1616. fol: 29. tit:* **Podkomorstwo Ciechánowskie**: hoc addito, vt iuxta Excepta Ducatûs Masoviæ salario sit contentus. Quod extensum ibidem est, ad Succamerarium Leopoliensem, qui Succamerarius Leopoliensis, in Con-

Constit: *Anni 1658. fol: 49. tit* **O Vrzedach Ziemskich**/ conservatus est in sua prærogativa, locus autem illi assignatus est post Capitaneos.

De Succamerario Palatinatûs Sandomiriensis in Constit: *Anni 1631. fol: 35. tit:* **Sklep ná Kiegi Podkomorskie**/ talis ordinatio facta est: vt libri Succameraniales Palatinatûs istius in Arce Sandomiriensi asserventur; vtq; Notarium suum possessionatum in eodem Palatinatu habeat, & non priùs ad Officium suum & curam Actorum Succameralium admittatur, nisi postquam coram Iudicio Terrestri (aliàs **ná Rokach Ziemskich**) juramentum in eadem Constit: descriptum præstiterit.

Forma juramenti Notarij Succamerarij Sandomirien:

EGo N. juro Deo omnipotenti in vnitate Trino, quòd fideliter Acta limitum ab Officio Succamerariali ad conscribendum data, in libros Granicierum, nihil immutando, vel addendo, similiter & controversias partium inscribam, non habendo respectum pauperis, vel divitis, amici vel inimici. Ad hæc, libros omnes mihi à Succamerario, vel eius Officio consignatos fideliter conservabo. Sic me Deus adiuvet, & Passio Christi Domini.

Ad hæc ordinatum est, vt quilibet Succamerarius istius Palatinatûs, post expeditionem Granicierum, actum hunc limitum ordinatè & sufficienter conscriptum, ad manus dicti Notarii Succamerarialis, sub amissione Officii sui, intra decursum sex septimanarum transmittat, & in libris Districtûs sui connotari faciat.

Quem modum Actorum & Notarij Succamerarialis, Palatinatus Cracoviensis ibidem acceptavit.

Insuper ordinatum est; vt omnes in genere Actus Granicierum & divisionum (aliàs **Dziáły**) ex quolibet Districtu specificè in vnum volumen, ex libris Terrestribus extracti, deinde simul ex omnibus Districtibus ad Libros Succamerarii Sandomiriensis, graniciales redderentur, & à dicto Notario ordinatè cum aliis conservarentur. Quibus omnibus Notarius Terrestris Sandomiriensis, sub quadrupla pœna contra negligentes Officiales sancita, & sub amissione officii sui attenderet. Et in posterum; vt omnia Acta perpetuitatum (vt supra memoratum est) non ad libros Terrestres aut Castrẽses, sed ad libros Succamer: Palatinatûs istius porrigerẽtur.

Tandem in Constitut: *Anni 1677. fol: 13.* **Co: quácya Woiewodztw**/ prærogativæ Officii Succamerarialis Palatinatuũ Siradiens: & San-

& Sandomiriensis coæquatio facta est, vt scilicet in Palatinatu *Sira*diensi sicut in *Sandomiriensi*, tot sint Camerarij, quot Districtus. *Similiter* & Notarii *Sucamerariales*, respectu cuius & Constitutio Palatinatui *Sandomiriensi* serviens quam & Palatinatus Cracovien: acceptavit in Constit: *Anni 1631. tit:* **Sklep** &c. respectu librorum Succameralium, in futurum Palatinatui Siradiensi serviat.

Succamerarius Cracoviensis non tantùm est Iudex finium regendorum, vt alij Succamerarij, sed etiam Salinarum arbiter & inspector, *teste Cromero in descriptione Poloniæ par: 2. fol: 151.*

Respectu Officii Succamerarij Wschovensis, & loci illius (nam Succamerarius Wschoven: prætendebat sibi locũ ante Succamerarium Posnaniensem) declaratio promissa est in Constit: *Anni 1678. tit:* **Vrząd Podkomorstwá Wschowskiego/** in futuris Comitiis, & nihil factum est.

Quantum ad Magnum Ducatum Lithuaniæ, hæc de Succamerariis in Statuto istius Ducatûs Polonico reperiuntur. Et primò *in cap: 9. art: 1.* statutum est, ut in quolibet Districtu sit Succamerarius iuratus, in illo Districtu possessionatus, quod & ad Terram Samogitiæ extensum est. Utq; dictum juramentum ante exercitium officii sui Succamerarialis, in primis terminis Iudicii Terrestris (aliàs **na Rokách**) coram Iudicio Terrestri, & in præsentia omnium Statuum ad illa Iudicia congregatorum in hanc Rotam præstet.

Forma juramenti Succamerarij in Magno Ducatu Lithuaniæ.

EGo N. juro Deo omnipotenti in vnitate Trino, quòd in hoc Officio Terrestri Succamerariali, quod ex gratia, & ex manibus Serenissimi Regis accipio, Serenissimo Regi vti Duci (aliàs **Hospodarowi***) & Incolis Districtûs istius ero fidelis, gerendo hoc officium fideliter & justè tam in judicio meo Succamerariali, quàm in constitutione Limitum (aliàs* **Granic***) & effossione scopulorum (aliàs* **Kopcow***) correctione (aliàs* **poprawieniu***)* **Miedz** *Nihil aliud in hoc Officio considerando, nisi justitiam sanctam: non habendo respectum amicitiæ, inimicitiæ, munerum, minarum: non consulendo partibus, nec timendo aliquem, sed solum DEVM & justitiam Eius sanctam præ oculis habendo. Similiter actus meos Succamerariales, in omnibus fideliter gerendo, controversias vtriusq; partis & decreta mea di-*

ligenter in libris meis Iudicialibus deſcribendo, & ex ijſdem Libris extradendo. Sic me Deus adiuvet.

Item in eiuſdem capitis noni articulo decimo ſtatutum eſt: ut Succamerarius in quolibet Diſtrictu eligat ſibi vnum vel duos Camerarios, Nobiles genere, poſſeſſionatos in illo Diſtrictu, Viros dignos, maturos, juris notitiam habentes, & ſcribere ſcientes. Qui Camerarij ad normam *Succamerarij* juramentum præſtent in Iudicijs Terreſtribus (aliàs **na Rokách**) coram Caſtellano, vel Mareſchalco, & Magiſtratu Terreſtri illius Diſtrictûs: in abſentia Caſtellanorum vel Mareſchalcorum, coram Iudicio Terreſtri, & aliis *Statibus* ad dictum Iudicium Terreſtre convenientibus. Vtq; tales Camerarii mittantur à *Succamerario* ad cognitionem limitum, & in aliis negotiis ſpectantibus ad officium *Succamerarii*, præmiſſa citatione *Succamerarii*, idq; ſolùm in rebus parvi momenti, hoc eſt: vbi ageretur de manſo (aliàs **o włoke**) fundi, vel minoris valoris. In cauſis autem & negotiis maioris momenti, ipſe *Succamerarius*, deſcendat, & cognitionem faciat. Quodſi Iudicium Camerarii diſpliceret, tunc datur illi facultas recurrendi ad Iudicium Capitale, (aliàs **Sądu głownegó**) ſicut & à Iudicio ipſiuſmet *Succamerarii*. Quodſi Camerarius in ſcriptura vel in alio progreſſu erráſſet, antequam ventum eſſet ad judicium effectuale limitum, poteſt coram *Succamerario* conveniri, & *Succamerarius* ex illo adminiſtrationem facere, ad maximum in duabus ſeptimanis ab accuſatione, & errorem Camerarii corrigere. Et in quantum in iſta adminiſtratione iuſtitiæ ex Camerario, vel errore ipſiuſmet *Succamerarii*, præſertim ſub tempus (**Zádoczonego iego ſkazániá**) appellatio non poſſit intercedere, & pars iniuriam ſentire videretur, tunc reſpectu horum data eſt facultas, *Succamerarium*, ad Iudicium Capitale (aliàs **Sądu głownego**) vbi tunc eſſet, peremptoriè citandi.

In Pruſſia, cùm *Succamerarii* ſint Conſiliarii Terrarum Pruſſiæ, judicia finium regundorum non exercent, ſed ad Iudicium Terreſtre eiuſmodi cauſæ pertinent, & in campum, ad limites cognoſcendos ipſe Iudex Terreſtris cum duobus *Scabinis* deſcendit, vel ſi Iudex impeditus eſſet, *Scabinus* primus vel ſequens vices Iudicis obit, qui partem ream citant hâc formulâ: *Mandamus tibi, vt coram Nobis tanquam à Iudicio deputatis comparcas &c.* Plura de Officio & juriſdictione *Succamerariorum* ſcripſimus, *tomo 2do ſub tit:* de Actione finium regundorum, ad quem benevolum Lectorem remitto.

§. IV.

De Capitaneis.

CApitanei secundum locum inter Officiales Terrestres (licèt ipsi sint Officiales Castrenses) obtinent) vt patet ex Constitution: superiùs à principio tituli istius allegatis. Hi in duplici differentia .constituuntur: alii s: Capitanei cum jurisdictione (Polonicè vocantur **Starostowie sadowi**) & alii Capitanei sine jurisdictione, quia nulla judicia exercent, sed sunt tantùm Tenutarii bonorum Regiorum (Polonicè vocantur **Starostowie nie sadowi.**)

Rursus Capitanei cum jurisdictione, alij sunt simplices, & alij vocantur Capitanei Generales (Polonicè **Generalowie**) prout in Majori Polonia, vocatur Generalis Maioris Poloniæ, ex quo Præfectura illius plures Districtus & Territoria sub se continet, v. G. Posnaniense & Calissiense, Gnesnense, Costense, Wałcense, Wschovense, Coninense, Pyzdrense, Kcinense, & Nacłense. Quamvis autem tot Districtuum sit Præfectus, tamen tantùm Arcis Posnaniensis, sarta, tectaq; & reditus eiusdem Districtûs Posnaniensis curat, Conferturq; hæc generalis Præfectura Maioris Poloniæ plerumq; Senatoribus.

Sic & in Minori Polonia, vocatur Generalis Minoris Poloniæ, quia sub sua Præfectura aliquot Districtus Minoris Poloniæ habet, hoc est: Cracoviensem, Prosoviensem, Xiasnensem & Leloviensem. Et licèt amplissimam jurisdictionem habeat, tamen sartorũ, tectorumq; Arcis, & redituum Regiorum nullam habet curam, sed Magnus Procurator eiusdem Arcis vtrumq; hoc onus sustinet. De quibus videatur *Cromerus in libro de Republica & Magistratibus Polonorum.*

Capitaneus quoq; Camenecensis vocat se Generalem Podoliæ, non ob aliam rationem, quia præter Districtum Camenecensem etiam ad Laticoviensem Districtum suam jurisdictionem extendit.

Juramentum præstare debent Capitanei Iudiciales sub hac forma, quam refert *Herburtus in Statuto Latino sub verbo juramentorum formæ, & Ianussovius fol. 429.*

Forma

Forma juramenti Capitaneorum respectu Castri.

EGo N. juro quia fidelis ero in Castro N. illudq; servabo fideliter Serenissimo Principi & Domino D. Regi N. Poloniæ, & Successoribus suis legitimis Regibus Poloniæ, tranquillitatem, securitatem, ac justitiam tuebor, aliaq; munia mihi, seu Capitaneali Officio incumbentia, sine dolo & fraude exequar. Sic me Deus adiuvet, & Christi Iesu Sancta Crux.

Forma juramenti Capitanealis respectu officij.

EGo N. juro Deo omnipotenti, quia Serenissimo Regi Poloniæ, Domino meo fidelis ero in officio meo Capitaneali, superioritatem & dignitatem Serenissimi Regis in omnibus totaliter conservando, pacem communem & securitatem viarum in Capitaneatu meo custodiam, justitiam unanimiter juxta jus scriptum commune faciam, pupillos, hominesq; oppressos, à qualibet injuria iuxta officium meum tuebor & defendam. Sic me Deus adiuvet, & hæc sancta Crux. Hanc formam juramenti refert Ianuss: loco citato.

Jn Magno autem Ducatu Lithuaniæ, Capitanei Iudiciales jurant juxta formam juramenti Iudicis Terrestris. *Ita in Statuto istius Ducatûs cap: 4. art: 36.*

Capitanei autem & Tenutarij Castrorum Prussiæ sic jurant, *ut refert Herburtus loco citato.*

Forma iuramenti Capitanei & Tenutarii Castrorum Prussiæ.

EGo N. juro, quia fidelis ero in Castro Tenutæ meæ, illudq; servabo fideliter Serenissimo Principi & Domino D. N. Regi Poloniæ & suis legitimis Successoribus Regibus Poloniæ, tranquillitatem & securitatem viarum & justitiam tuebor: & generali seu Supremo Terrarum Prussiæ Officiali obediens ero. Sic me Deus adiuvet & hæc Sancta Crux.

Et hæc sufficiant ad præsens de Capitaneis plura de illis supra sub tit: de pane merentium scripsimus, & Deo adiuvante in tomo 2do dum de judicijs illorum agemus, scribemus.

§ V.

De Vexilliferis.

DE Vexilliferis hæc in Constitutionibus Regni habemus. Et primò in Constit: *Anni 1573. fol. 220. tit.* **Oznaymienie Krola:** Quòd Vexilliferi Palatinatuum, & Districtuum funeri Regis interesse, & officium suum exercere tenentur.

Item in Constit: *Anni 1621. sub tit:* **Sposob pospolitego ruszenia.** *fol: 3.* § **Chorazowie generalni/** &c. hoc habetur: Quòd Vexilliferi Terrestres sub tempus generalis expeditionis bellicæ, generale Vexillum Palatinatuum suorum penes capitalem Districtum, & primùm Castellanum extendant, & alios Districtus in Palatinatu suo, ijdem Vexilliferi dent substitutos, & signa seu vexilla sua. In istis autem Districtibus, & Terris quæ habent separatos Vexilliferos, isti Vexilliferi penes suas Terras Vexilla portent. Nihilominus cùm totus miles ad Castra vel locum designatum peruenerit, spectat ad Serenissimum Regem, signis militaribus militem congregatum distinguere, non dirimendo tamen Palatinatus, in ordine & statiuis illorum. Et in quibus Palatinatibus sunt duo Vexilliferi (prout in Lanciciensi & Seradiensi, quorum vitus vocatur Vexillifer Maior, & alter minor) debent inter se Districtus diuidere, & taliter Vexillis suis vti.

De Constitutione Vexilliferi in Ducatu Zatoriensi habetur in Constit. *Anni 1607. fol: 901. sub tit:* **O Chorazym Zátorſkim.**

De Vexillifero Terræ Lucouiensis in Constit: *Anni 1635. fol: 23. tit:* **O Vrzedach/** vbi hic Vexillifer in perpetuum constitutus est, prout antea erat, vt cum Vexillifero Lublinensi adæquatus est.

In eadem Constit: 1635. loco citato, Vexillifer Grabovecensis constitutus est, Vexilliferi Districtuum Buscensis & Horodolsensis, de nouo erecti sunt in Constit: *Anni 1658. fol: 61. tit:* **Chorąſtwo Buskie.**

In Constit: *Anni 1667 fol: 28. tit.* **Náznáczenie mieyſc/** locus assignatus Vexilliferis post Vexilliferum Belzensem, primo Vexillifero Buscensi, deinde Grabouiecensi, & tandem Horodolensi, cōstituti sunt in Constit: *Anni 1659.* Vexilliferi Zytomiriensis & Owrucensis in dicta Constit: *Anni 1659. fol. 47. tit:* **Rozgrániczenie Ziem Kijowſkich/** & ibidem ijsdem Vexilliferis Zytomiriensi & Owrucensi, locus est assignatus post Vexilliferum Kijouiensem.

Vexil-

Vexillo Zydacoviensi pro insigni assignati sunt tres catuli Leonis in campo cæruleo, in Constit: *Anni D. 1676. fol: 42. tit:* Urzędy Zydaczowskie.

De Vexilliferis Magni Ducatûs Lithuaniæ in Statuto eiusdem Ducatûs hæc habentur. Et quidem *in cap: 2. art. 6.* Vexilliferatus in omnibus Terris & Districtibus, etiam in Terra Samogitiæ, vbi ab antiquo fuerunt, tali modo & ordine conserventur. Eiusmodiq; officium hominibus dignis, prudentibus Incolis eiusdem Ducatûs, & in eodem Districtu possessionatis à Serenissimo Rege, vni ex Candidatis per Nobilitatem cuiuslibet Terræ, & Districtûs (prout alij Officiales Terrestres eliguntur) electis conferatur, & vexillum ex Thesauro Regio detur.

Item vt vexillum portans, sit lorica indutus, galea coöpertus, armatus, equo bono insideat, ipseq; vexillum in acie instructa ferat, nec alium substituat, sub amissione officii, exceptâ verâ, & legali infirmitate. *ibidem.*

Plura infra sub tit: de expeditione generali bellica Nobilitatis.

§. VI.

De Judice, Subiudice & Notario Terrestri.

JUdicium Terrestre in Regno ex tribus personis constat, Iudice, Subiudice, & Notario, qui omnes debent esse jurati, Formas juramentorum, *Herburtus in Statuto Latino sub verbo, juramentorum formæ, refert.*

Juramentum Iudicis & Subiudicis.

EGo, N: juro quia justè secundùm Deum, jus scriptum, æquitatem, & partium controversias judicabo. Recognitionesq; suscipiam divitis, & pauperis, amici & inimici, Civis & peregrini, discrimine sublato. Et neq; favorem, neq; odium, neq; præmium, neq; pœnas, mihi proposita curabo; sed in iudicando, solum Deum, & jus scriptum, æquitatem, partium controversias, & recognitiones; in hisq; omnibus conscientiæ meæ judicium sequar & audiam: aliaq; negotia mihi incumbentia fideliter, & pro posse meo faciam. Sic me Deus adiuvet, & Sancta Crux Christi.

Juramentum Notarij.

EGo N. juro quia justè, secundum Deum, jus scriptum, æquitatem &

partium controversias iudicabo: consulam Iudici, fideliterq; partium recognitiones, controversias, affectationes, seu postulationes juridicas, vel Iudicis decreta, in librum Actorum Terrestrium inscribam, & inscribi curabo, divitis, pauperis, amici & inimici, Civis & peregrini discrimine sublato. Et neq; favorem, neq; odium, neq; præmium, neq; pœnam mihi propositã curabo: sed in judicando, consulendo, & scribendo, solum Deum & iustitiam sanctam, & æquitatem, partium recognitiones, controversias, ac Iudicis sententias, in hisq; omnibus conscientiæ meæ judicium sequar & audiam: aliaq; negotia mihi incumbentia fideliter & pro posse meo peragam. Sic me Deus adiuvet, & Sancta Crux Christi.

Quæ juramenta in Cõventib⁹ Terrestrib⁹ in primis terminis præstare debent sub pœna privationis Officij. Videatur *Herburtus sub verbo: Notarij* & Constit: *Anni 1589. fol. 517. tit.* **Lezenie Xiąg /** vbi statutum est, vt in posterum Notarii & alii Officiales Terrestres judiciales omnium Palatinatuum Terrarum Regni, nonnisi in terminis (aliàs **na Rokach**) Terrestribus iurent.

In Constit: autem *Anni 1593. fol: 648. tit:* **O przysiedze** statutum est, vt Officiales Terrestres Ducatûs Masoviæ, in absentia Palatini aut Castellani, possint iurare coram Officialibus & Nobilitate illius Terræ in terminis Terrestribus.

Tandem in Constit: *Anni 1598. fol: 492. tit:* **O przysięgách Vrzędników Ziemskich/** statutum est: vt iuramentum, Succamerarius, Iudex, Subiudex, & Notarius, in absentia Palatini & Castellani coram Officialibus Terrestribus, & Nobilitate non tantùm in terminis Terrestribus, sed etiam in positione Actorum illius Palatinatûs, vel Terræ præstare possint.

Judex Terrestris, si in Iudicio suo causam propriam cum aliquo habeat, potest in locum sui substituere personam Nobilem possessionatam in illa Terra, quæ tamen non debet aliquod iuramentum præstare. Ita in Constit: *Anni 1557. fol: 9.* § **Kiedy sie przytráfi.**

Personæ Spirituales, neq; Notarii, neq; Vice-notarii possunt esse. In Constitutione *Anni 1550. fol: 7.* § **Iż każdy** statutum, & connotavit *Herburtus in Statuto suo Latino sub verbo: Notarij.* Notarii per se Iudiciis assidere debent, sub amissione officii, salvo legali impedimento. *Ibidem fol: 5.* § **Niedoyzreniem.** Idem statuerat VLADISLAVS JAGELLO, referente *Herburto sub verbo: Notarij,* quem vide.

Nullus

Nullus Notarius, vel Vice-notarius apud Iudicium, circa quod resident, in officio causas vllas procurent. SIGISMVNDVS AVGVSTVS Rex in dicta constit. 1550. *fol:* 7. § **Przestrzegaiąc** *Herburt: loco citato.*

Notarij Terrestres, non debent discedere ex loco, quousq; non descripserint Acta causarum illius Iudicii, sub pœnis in statutis descriptis. In Constit: *Anni* 1565. *fol:* 85. *tit:* **w Woiewodztwie Krákowskim** in fine.

De Notarijs tamen Terrestribus Cracoviensibus aliter statutum est; vt possint omnium aliorum Districtuum Acta Cracoviæ perficere. Ita in Constit: *Anni* 1590. *fol.* 580. *tit:* **Roki Ziemskie Krákowskie.**

Notarii Terrestres Acta, & Decreta Castellanorum suorum sub tempus expeditionis generalis bellicæ scribere tenentur. ita in Constit: *Anni* 1621. *fol.* 4. § **Pisma y Dekreta/** vbi adiunctum est, quòd si infirmus esset, aut legaliter impeditus, possit ex Deputatis iuratis in locum sui ad hoc officium constituere.

De Notarijs Terrestribus Ducatûs Masoviæ in Exceptis eiusdẽ Ducatûs *Anni* 1577. *f.* 298. *tit:* **O Pisárzu Ziemskim** hæc habentur Quòd Acta Castrensia ipsi debeant **sprawowáć**, & sub sua potestate habere. Item si ipse penes Acta Castrensia præsens esse non possit continuò, vt genere Nobilem, possessionatum & iuratum Vice-notariũ (Polonicè **Podpiská stárszego/**) penes eadẽ Acta Castrensia habeat. Extracta tamen ex istis Actis Castrensibus, cum subscriptione Capitanei, vel Vice-Capitanei illius loci extradantur. Rescripta autem ex Actis Terrestribus Notarius Terrestris subscribat.

Item, vt quilibet Notarius Terrestris Vice-Notarium (Polonicè **Podpiská**) iuratum habeat ad occurentia negotia. Delinquente verò illo in officio, liberum erit parti iniuriatæ, aut cum Notario, aut cum Vice Notario **albo ná wiecach/** aut coram Rege, aut in ultima instantia, idq; peremptoriè agere, tam respectu damni, quã respectu pœnæ.

Ad hæc: vt ijdem Acta Terrestria in quolibet Districtu, in quibus perpetuæ inscriptiones, intromissiones, & granicies describuntur, separatim compacta habeant, Obligationum separatim, tum & Actionum. Et omnia ista Acta Terrestria sub diligenti custodia habeant. Insuper hi Notarii in Acta Terrestria absq; subscriptione Iudicis & Subiudicis, sicut in Acta Castrensia absq; subscriptione Officii Castrensis ne inscribant, vbi plura alia de Officio

Notarij Terrestris statuta sunt, quæ, brevitati studendo, omitto, & curiosum Lectorem ad eandem Constitutionem remitto.

De Notario Terrestri Ciecanoviensi in Constit: *Anni 1588. fol: 478. tit:* **Grod Ciekánowski/** vt penes Acta Castrensia, vel ipse præsens sit, vel Vice-Notarium juratum & bene possessionatum in eodem Districtu habeat.

In Prussia Iudex Terrestris, & Scabini octo in singulis Iudiciis Terrestribus, tum Notarij, constituunt Iudicium Terrestre. Qui omnes debent esse Nobiles & possessionati. Excepto Iudicio Terrestri Culmensi, in quo duo Assessores ex Magistratu Torunensi admittuntur.

Plura de Iudicio Terrestri in tomo 2do, sub eodem titulo.

§. VII.

De Electione Officialium Terrestrium.

NOn omnes Officiales Terrestres eliguntur, sed solùm Succamerarius, Iudex, Subiudex, & Notarius Terrestris, reliquos Serenissimus Rex creat. Fitq; electio tali modo: cùm aliquis illorum decedit, vel ad majorem dignitatem ascendit, Palatinus, in defectu illius Castellanus primarius (Polonicè **Głowny**) illius Palatinatûs, vel Terræ, ad maximum intra sex septimanas, post cessum, vel decessum, electionem intimare, & Nobilitatem ad locum consuetum convocare debet, quæ è medio sui quatuor Candidatos eligit, & Serenissimo Regi per Literas patentes præsentat, vt vnũ ex illis Candidatis confirmet.

Quodsi Palatinus hanc electionem intra spatium sex hebdomadarum indicere neglexerit, data est facultas Castellano eandem intimandi, & Nobilitatem convocandi. Ita in Constit: *Anni 1588. fol. 460. tit:* **Obieránie sądu Ziemskiego y Podkomorskiego/** facit & Constit: *Anni 1550. fol. 7.* § **Aby wewszem wolność Szláchecka.** In Ducatu autem Oświęcimensi & Zatoriensi, vt intra spatium tantùm quatuor septimanarum, Palatinus Cracoviensis pro tempore existens, electionem Iudicis, Subiudicis & Notarij intimet, & eam finiat. Quodsi legaliter impeditus esset, tunc Castellano Osuięcimensi data est facultas, talem electionem indicendi, electioni præsidendi, cum scitu tamen Palatini. Sed postea *fol: 67.* § **Też ácz wtymże przywileiu/** correctum est, quòd non tantùm

Castel-

Castellanus Oświęcimensis, sed etiam Capitaneus Oświęcimensis, & Zatoriensis pro tempore existens talem electionem possit de consensu Palatini Cracoviensis, indicere Nobilitati, & illam expedire.

Debent Officiales Terrestres esse possessionati in illa Terra, vt in Const: *Anni 1562. fol: 23. tit:* **O osiadłości**. De Ducatu quoq; Lithuaniæ, habetur in Constit: *Anni 1569. fol: 195.* ☞ **Dignitarze y Vrzędnicy/** de Ducatu Oświęcimensi & Zatoriensi in Constitut: *Anni 1563, fol: 63.* ☞ **Naprzod acz Xiestwa/** de Palatinatu Wołynensi, in Constit: *Anni 1576. fol. 293. tit:* **O potrzebach Woiewodztwá Wołynskiego.**

In Magno quoq; Ducatu Lith: ad Officia Terrestria vacantia Nobilitas in Conventu particulari, quatuor Candidatos, prout in Regno, eligit, ex quibus Serenissimus *Rex* vnum confirmat, & privilegium ei dat.

Et licèt olim in eodem Ducatu Lit: Mareschalcos Districtuũ Serenissimus *Rex* conferebat, tamen in Constit: *Anni 1631. fol: 41. tit:* **O Marszałkách/** cautum est, vt Nobilitas vacante tali officio Mareschalcali in Conventu particulari eligat quatuor Candidatos, & Serenissimus Rex vnum ex Candidatis illis confirmet. Et cùm ijdem Mareschalci ad judicia spectent, vt juramentum præstent proút alij Iudices. Et in Exorbitantijs in Electione Serenissimi Regis MICHAELIS *sub tit:* **Marszałkowie Powiatowi** ordinatum est; quòd Serenissimus Rex eiusmodi Officium, vni ex quatuor Candidatis bene possessionato in Comitijs Districtuum electo conferat, aliàs si contra hanc dispositionem aliquis obtineat privilegium, nullitati subiaceat, & decreta tali non suffragentur.

Electionem tamen Vexilliferi Samogitiæ, in absentia Serenissimi Regis data est facultas Capitaneo Samogitiæ intimandi, vt in Constit. *Anni 1629. fol: 21. tit.* **O Chorazym Żmudzkim** habetur.

In Prussia Succamerarij, Ensiferi, Vexilliferi singulorum Palatinatuum à Serenissimo Rege creantur, Iudices autem Terrestres à Nobilitate Prussica eliguntur, & à Serenissimo Rege confirmãtur: Electio autem fit in Conventibus particularibus, à Nobilitate per Palatinum congregata.

Jn Palatinatu tamen Pomeraniæ, & in Terra Michałoviensi, Nobilitas convocatur ad locum in quo Iudicia Terrestria solent peragi. Scabini autem octo sunt in singulis Iudicijs Terrestribus Prussicis, qui, vt & Notarij Terrestres à Nobilitate Prussica per pluralitatem votorum eliguntur, nec vlla confirmatio Serenissimi Regis

intercedit; prout de his in jure Terrestri Nobilitatis Prussicæ correcto titulo quinto latiùs habetur.

Id tantùm addo, quòd in Prussia, non quatuor Candidati, (vt in Regno) eliguntur, sed tantùm vnus, quem Serenissimus Rex confirmat.

In Palatinatu Culmensi, dum vacante Scabinatu, in locum eius ex Magistratu Torunensi est eligendus. Nomina & cognomina Proconsulum, & Consulum eiusdem Civitatis, Nobilitati eiusdem Palatinatus Kovaloviam transmittuntur, & Nobilitas, ex illis (cui pluralitas suffragiorum succurrerit) vnum eligit.

TITVLVS TRIGESIMVS SEPTIMVS.

De Officialibus Castrensibus.

Officiales Castrenses numerantur: Capitanei Magnus Procurator Arcis Cracoviensis, Burgrabij, Vicecapitanei & Notarij.

De Capitaneis supra: nunc de alijs subiungo.

§. I.

De Magno Procuratore Arcis Cracoviensis.

MAgnus Procurator Arcis Cracoviensis, (Polonicè **Wielkorządca Krákowski**) Arcis Cracov: & redituum Regiorum curam habet. Nam bona Magnæ Procurationis Cracov: destinata sunt pro sustentatione Regia, & mensa illius, *Vt Ianuss: in Statuto suo fol: 32.* § **A te Oekonomie** adnotavit. Hic Magnus Procurator Arcis Cracoviensis liber est ab expeditione generali bellica Nobilitatis, vt habetur in Constit: *Anni 1621. fol: 12.* § **Tákże Vrodzonego/** vbi Magnus Procurator Arcis Cracoviensis cum suo Viceprocuratore, & duobus Præfectis militis pedestris, & cum tribus officialibus, absq; quibus non potest commodè curam gerere Magnæ Procurationis, liberi facti sunt ab hac expeditione generali bellica.

In bona Magnæ Procurationis si aliquis post Statutum VLADISLAI Regis dedit summam, ne amitteret illam, statutum est in Constit: *Anni 1562. fol: 16. tit.* **O Statucie Królá Władysłáwá.**

Si autem dederit post *Statutum* ALEXANDRI Regis, amitteret eam; similiter, si dederit post idem statutum ALEXANDRI in castra principalia, hoc est: in Capitaneatus Iudiciales ad magnam procu-

Procurationem spectantes amittere. Ibidem statutum est.

Post Statutum VLADISLAI Regis aduitalitates datæ cassatæ sunt in Constit: *Anni 1562. loco citato.*

Neq; oppignorari poterant juxta Constit. *Anni 1565, fol: 89 tit:* Státut Alexandrow, sed de his supra.

§. II.

De Burgrabijs.

BVrgrabij sumpto à Germanis vocabulo appellantur, vt scripsit *Cromerus in libro de Repub: & Magistratibus Polonorum*, sed & Burgus ex Græco Polonicè vocatur Zamek. Suntq; isti Burgrabij alij Castrenses, qui regulariter adhibentur ad dandam intromissionem in bona, vigore decreti lati. Alij autem sunt, qui Arcium curam habent. Quod est peculiare in Arce Cracoviensi, qui custodes sunt Arcis, sine vlla potestate, Præfecti Cracoviensis authoritati obnoxij, vt Cromerus loco citato, asserens suo tempore Burgrabios Arcis Cracoviensis fuisse numero decem. Qui pacis juxta, ac belli tempore, nocturnas, atq; etiam diurnas, quando opus est, excubias per se, vel per administros suos servant, habentq; militiæ vacationem, & eo nomine ambitur id munus à multis, & à Serenissimo Rege confertur. *Hæc ex Cromero.*

De quibus Burgrabijs Arcis Cracoviensis hæc in Constitutionibus Regni habentur. Quòd sub tempus belli debeant esse præsentes & residentes in Arce. Ita in Constit: *Anni 1562. f. 23. tit: de Incompatibilibus.* Item in Constit: *Anni 1565. fol: 89. tit.* Burgrabiowie Krákowscy/ statutum est, vt resideant, idq; in Arce ipsa cum adversione Capitanei Cracovien: pro tempore existentis sub amissione officij: respectu cuius forum assignatum est in Comitiis ex delatione eiusdem Capitanei Cracoviensis, si & in quantum post admonitionem à Capitaneo Cracoviensi contumax fuerit.

Residentia autem hæc Burgrabiorum Cracov: in dicta Const: *Anni 1565. loco citato*, sic declarata: quòd Burgrabius ob iustam causam, quolibet quartuali anni possit se absentare, vel simul 12. septimanis per totum, annum cum scitu tamen Capitanei, & relicto in locum sui aliquo Nobili digno, quem Capitaneus acceptaret.

Isti Burgrabij Cracovienses in Constit: *Anni 1621. fol: 7. § Patresfamilias* liberi facti sunt ab expeditione generali bellica Nobilitatis, ob rationem, quia sub tempus belli, in Arce Cracoviensi residere debeant.

Sunt & in Prussicis Civitatibus principalioribus Burgrabij, qui nullam custodiam Arcium sed in ipsis Civitatibus certam jurisdictionem habent. Et talis est in Civitate Gedanensi: in qua tales Magistratus & Iudicia reperiuntur & fiunt.

Primum locum & sessionem Burgrabius, Sacræ Regiæ Maiestatis habet, qui singulis annis à Sacra Regia Maiestate eligitur, ex certo numero Senatorum & Proconsulum, qui ad Sacram Regiam Maiestatem transmittitur.

Senatus huius Civitatis habet octodecem personas, nimirum, quatuor Proconsules, & quatuordecem Consules.

Burgrabius causas Officii sui judicat, vt pote juris caduci & violentiæ, à quo appellatur directè ad Sacram Regiam Maiestatem.

Juramentum Burgrabij Gedanensis.

EGo N. *juro, quia fideliter jus Regium tuebor. Et quidquid ad ius & Personam Majestatis Regiæ pertinet, attendam & attentabo, agam & procurabo: vt æquè pauperi sicut diviti justitia ministretur. Sic me Deus adiuvet & hæc Sancta Crux.* Herbur: in Statuto Latino sub verbo juramentorum formæ.

Proconsules & Vicepræsidentes, qui singulis annis in ordine, alter alterum sequitur, judicant omnis generis causas, vtpote pupillorum, ex contractibus, & ordinariè omnes peregrinos, & cum peregrinis causas habentes, & de iniuriis in fundo Civitatis illatis. Appellatur ad Senatum, à Senatu ad Sacram Regiam Maiestatem.

Tandem est Iudicium Civile seu Scabinale, quòd iudicat causas criminales, præsente Iudice, absq; vlla appellatione, adhibito iudicio Burgrabii, quoad modum supplicii. Deinde ordinariè iudicat omnes causas Civium, ita, vt etiam à Proconsule & Iudice ad hoc idem ipsum Officium, vti Civibus proprium, cum causa ab initio litis provocare, integrum sit, imprimis si quæstio probationibus indiget, nam ibidem omnes testes, ordinariè examinantur. Appellatio ad Senatum, à Senatu ad Sacram Regiam Maiestatem datur.

Quartò, est Iudex, qui iudicat causas debiti, & rumationis seu evacuationis fundorum: & executionem rerum iudicatarum præstat. Appellatur ad Senatum, à Senatu ad Sacram Regiam Maiestatem.

Quintò, est Iudicium Censorum, ex duobus Consulibus, & quatuor Civibus constitutum. Iudicat causas mercantiarum, & excessus Plebiscitorum. Appellatur ad Senatum, Senatus habet vltimam instantiam ex privilegio Sacræ Regiæ Maiestatis.

Habent

Habent legem præscriptam, nempe Plebiscita Civitatis, secundùm quæ judicant.

Ordines Civitatis Gedanensis sunt tres: Senatus, Judicium Civile seu Scabinale & centum Viri. Hi coniunctim negotia publica Civitatis Gedanensis tractant, & tam Plebiscita, quàm alia necessaria ordinant & de salute & integritate Civitatis Reipub: disponunt, (de quibus, & aliis videantur, *Constantinus à Trewen, Schroder, de Iure publico Dantiscano, & Reinholdus Curike in Chronica Gedanensi.*

Et sic de aliis Burgrabijs aliarum Civitatum Prussiæ differendum est, nisi habeant alia privilegia specialia.

Placuit hic adiungere juramenta Proconsulis, Consulum, & communitatis Civitatis Gedanensis, quæ Theodorus Zawadzki de Zawad, Eques Polonus de Armis Rogala, in compendio suo Polonico omnium jurium, Statutorum & Constitutionum Regni, vsq; ad Annum 1613. conscripsit & edidit, *cap. 6. tit: 5.*

Juramentum Proconsulis Gedanensis.

EGo N. juro, Serenissimo Domino D. Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ, & omnium Terrarum Prussiæ Domino meo Clementissimo, Domino naturali & hæreditario, & omnibus Successoribus Illius Regibus coronatis me fidelem & subditum fore. Præterea dignitatem Serenissimæ Maiestatis, & omnia quæcunq; sub hoc nomine & dignitate continentur & propagationē Coronæ Regni Poloniæ, & Terræ Prussiæ, juxta meam possibilitatem in officio Proconsulatûs, in quo sum constitutus, conservaturū jura, Fidem Christianam, & antiquū laudabilemq; morem.

Juramentum Consulum Gedanensium.

EGo N. juro Serenissimo Domino Duci, Domino Regi Regni Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, & omnium Terrarum Prussiæ, Domino meo Clementissimo, naturali & hæreditario Domino, & omnibus Illius Successoribus coronatis Regibus Poloniæ, fidelitatem, obedientiam, & subiectionem. Similiter dignitatem Serenissimæ Majestatis, & omnia quæ in illa continentur, & propagationem Coronæ Regni Poloniæ, & Terrarum Prussiæ, in hoc Magistratu, ad quem electus sum, juxta meam omnem possibilitatem, fideliter consulam, jura, Fidem Christianam & laudabilem eamq; antiquam consuetudinē promovebo,

Iuramentum communitatis Gedanensis.

EGo N. juro Serenissimo Domino Duci, D. Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ, Russiæ, & omnium Terrarum Prussiæ, Domino meo Clementissimo, naturali & hæreditario D. & omnibus Illius Successoribus Coronatis Regibus fidelitatem, obedientiam, & subiectionem, similiter & Magistratui eiusdem Civitatis per Serenissimum Regem constituto & electo, subiectus & obediens ero. Et Serenissimi Regis & præclaræ Coronæ Regni Poloniæ, & omnium Terrarum Prussiæ, bonum commune, & meliorationem, quantum potero, & sciam promovebo. Et quidquid Serenissimo Regi, & omnibus Terris & subditis Eius, nocivum esset, & ad me perveniret, volo id totum, nunc & omni tempore, Serenissimo Regi, aut consilio Eius denuntiare & manifestare, nihil subticendo. Et hoc totum fideliter & juxta subiectionem meam diligenter facere, ita prout decet justum, bonum virtuosum, & fidelem subditum. Iura quoq; & fidem Christianam, & antiquas laudabiles consuetudines servabo.

Burgrabij seu Rectores Castrorum in Regno & homines illorum, coram Capitaneis, Iudicibus & Subiudicibus Regni citati comparere, & de se querulantibus respondere, prout cæteri Nobiles, tenentur; dummodo causa, vltionis sanguinem non requirat, nam cognitio eiusmodi causæ Serenissimo Regi reservata est. Ita LVDOVICVS Rex *Anno 1374.* statuerat, prout refert *Herburtus in Statuto Latino sub verbo Burgrabij & Ianussovius fol: 434.*

Burgrabij Capitaneorum, vt sint possessionati in illis Terris, in quibus à suis Capitaneis constituti, officia exercent. SIGISMVNDUS Rex Cracoviæ *Anno 1507. vt refert Herbur: loco citato.*

§. III.

De Vice-capitaneis.

SIcut ipsi Capitanei, ita & eorum Officiales, hoc est Vicecapitanei debent esse possessionati in Terris, in quibus officia gerût, genere Nobiles, aliàs officijs suis ad instantiam Nuntiorum illius Terræ debent privari. Ita statuit SIGISMVNDVS Rex Petricoviæ, *Anno 1519.* Item SIGISMVNDVS Cracoviæ *Anno 1543.* vt refert *Herburtus in Statuto Latino sub verbo Capitanei,* & in Constit: *Anni 1550. fol: 7.* Iż każdy vrząd habetur, quòd debeant esse Vicecapitanei possessionati. Item in Constitut: *Anni 1590. fol: 581. tit* Grody

Grody wieczne/ de Vice-capitaneis Zacrocimensi, Livensi, & Zembroviensi habetur, quòd sint jurati & possessionati, sub pœna centum marcarum.

Item in Constit: *Anni 1569. fol.* 192. *§.* **Vstáwiamy/** de Vice-capitaneo Terræ Podlachiæ, vt sit possessionatus, & genere Nobilis, aliàs si non esset possessionatus, nulla præstetur illi obedientia, & judicia illius nullius valoris sint.

ALBERTVS Rex *Anno D.* 1496. *vt refert Herb: in Statuto Latino sub verbo Capitanei fol. 61. & Ianusf: fol: 430.* statuerat, vt Capitanei judiciis suis personaliter intersint, & quoties non interessent, constituant Nobilem Iudicem possessionatum, in eodem Capitaneatu domicilium habentem, & judicia discernere scientem. Quod facerent sub privatione *Capitaneatûs*, cui pœnæ vt subijcerentur, quotiēscunq; causâ quâcunq; privatâ judiciis non interessent: excepto, quòd propter necessitates, aut actiones *Reipublicæ*, vel Regis interesse non valerent. Alio nomine Vice-capitanei, in aliquibus Palatinatibus, vt Posnaniensi & Calissiensi, vocantur *Surrogatores* generales.

Ex allegato Statuto ALBERTI *Regis* patet, quòd Capitanei, Vice-capitaneos suos constituere possint, & nunc in Palatinatibus Posnaniensi & Calissiensi ab ipso Capitaneo generali constituūtur.

Non desunt tamen exempla. Quòd Surrogatores in Comitiis Generalibus à tota Republica, ad recommendationem tamen Capitaneorum constituebantur, idq; non in perpetuum, sed ad certum tempus ex iusta causa.

Et imprimis in Constitut: *Anni 1589 fol: 525. tit.* **Jurydiká Wielkiey Polski/** ad instantiam Nuntiorum Terrestrium Maioris Poloniæ Capitaneus Generalis Maioris Poloniæ, ob malam valetudinem, & senilem ætatem liber factus fuit ad triennium **od sądzenia Juridyki Poznanskiey y Kaliskiey/** & promissio facta est dandi *Surrogatores* possessionatos in ijsdem Palatinatibus, genere Nobiles recommendatos ab ipsomet Capitaneo generali.

Item in Constit: *Anni 1596. fol: 684. tit:* **Surrogácya Płocka/** Capitaneo Płocensi Surrogator datus est, idq; solum ad annum.

Item in Constit: *Anni 1611. fol: 24. tit:* **Surrogatorowie.** Capitaneo Camenecensi, vt in absentia eius Surrogator ad instantiam Palatinatûs Podlachiæ judicia Castrensia tam Camenecensia, quàm Laticoviensia possit exercere, vsq; ad reditum Capitanei concessum est, præstito priùs solito iuramēto, & vt citationes sub titulo & sigillo Capitanei extraderentur.

Item in Constit: *Anni 1613. fol. 7. tit:* **Surrogacya Korczynska/** Capitaneo Corcinensi datus est Surrogator ad triennium, genere Nobilis in dicto Palatinatu possessionatus.

In eadem Constit: *fol. 25. tit:* **Surrogacya Płocka/** iterum datus est Surrogator Capitaneo Płocensi ad triennium.

In Constit: *Anni 1616. fol: 13. tit:* **Surrogacyá Wielunska/** Surrogator datus estCapitaneo Vielunensi, genere Nobilis in illa Terra possessionatus.

In eadem Constit: *fol: 14. tit:* **Surrogacyá Ciechanowska/** Capitaneo Ciecanoviensi datus est Surrogator ad biennium, computando ab actu præstandi juramenti, idq; possessionatus in illo Districtu.

Iterum Capitaneo Vielunensi in Constit: *Anni 1620. fol: 17. tit:* **Surrogacya Wielunska/** datus est Surrogator, genere Nobilis possessionatus in Terra Vielunensi.

In eadem Constit: *fol: 18. tit:* **Surrogacya Winnicka/** de Capitaneo Vinnicensi, cui datus est Surrogator, ita tamen, vt juramentum solitum priùs præstaret.

In Constit: *Anni 1621. f. 20. tit:* **Surrogacya Wielunska/** de Surrogatore Vielunensi Constit: *Anni 1620.* vt supra reassumpta est.

In eadem Constit: *1621. fol: 21. tit:* **Surrogácya Hálicka/** concessum est, ut Surrogatus genere Nobilis possessionatus in illa Terra, a Nobilitate in Conventu particulari eligeretur.

Ibidem Surrogator Ciechanoviensis genere Nobilis, in illa Terra possessionatus ad triennium datus est Capitaneo.

In Constit: *Anni 1623. fol: 14. tit:* **Surrogacya Sendomirska/** Capitaneo Sandomiriensi Surrogator datus est, Vicecapitaneus Sandom: idq; ad triennium.

Iterum Capitaneo Sandomiriensi Surrogator ad reditum eius cum conditione præstandi juramenti datus est in Constitut: *Anni 1676. fol: 38. tit:* **Surrogácya Sendomirská.**

In Constitut: *Anni 1633. fol: 51. tit.* **Surrogacyá Sieradzka/** Surrogatio Siradiensis tempore Interregni facta & peracta approbatur.

In Constit: *Anni 1659. fol: 38. tit:* **Surrogácya Krákowská/** Capitaneo generali Minoris Poloniæ datus est Surrogator ad annum, cum conditione præstandi juramenti.

Item in Constit: *Anni 1661. fol. 19. tit:* **Surrogácyá Krákowská/** datus est ad futura Comitia.

Item

Item in Constit: *Anni 1677. fol: 46. tit:* **Surrogácyá Krákowská/** Capitaneo Generali Minoris Poloniæ datus est Surrogator Vice-capitaneus Cracoviensis ad reditum ex exteris Capitanei cum conditione præstandi juramenti in proximis judiciis Castrensibus.

In dicta Constit: *Anni 1659. fol: 38.* Surrogatores **do sadzeniá Jurydyki/** Palatinatuum Posnaniensis & Calissiensis dati sunt seorsivè cum conditione præstandi juramenti, tum si Nobilitas in Conventu particulari relationis consenserit.

In dicta Constit: *Anni 1659 fol: 38.* **Surrogácya Rádomská/** Capitaneo Radomensi datus est Surrogator ad triennium, cum conditione præstandi juramenti. *Ibidem sub tit:* **Surrogácyá Branska.** Capitaneo Branensi ad reditum Capitanei datus est Surrogator. Tandem in Constit: *Anni 1661. fol: 20. tit:* **Surrogacya** ad annos duos prorogatio facta est.

In Constit: *Anni 1613. fol: 38.* **Inße tez wßytkie Stárostwa.** de Surrogatore à Serenissimo Rege Capitaneis Palatinatûs Smolenscensis dando, habetur.

Præter Capitaneos, dabantur etiam Surrogatores Notarijs, tam Terrestribus quàm Castrensibus in Comitiis.

Et de Surrogatore Notarij Terrestris Terræ Czerscensis, habetur in Const: *Anni 1634. fol: 12, tit.* **Wárunek Exekucyey.**

De Surrogatore Notarij Terrestris Terræ Vilcensis habetur in Constit: *Anni 1638. fol: 48. tit:* **Surrogacya.**

De Surrogatore Notarij Castrensis Posnaniensis videatur in Constit: *Anni 1655. fol: 10. tit:* **Substytucya Pisárzá Grodzkiego Poznánskiego:** vbi in locum Ioannis Tanski, quòd fungeretur munere Secretarij Legationis in Sueciam, datus est tantisper Surrogator Matthias Irzykowski, & in casu legalis impedimenti eius, data est facultas Capitaneo Generali Maioris Poloniæ alium constituendi, recepto juramento.

In eadem Constit: *Anni 1655. fol. 27. tit.* **Surrogácyá Pisárzá Brzeskiego** datus est Surrogator Notario Terrestri, ad eliberationem ex carcere ipsius Notarij prævio tamen juramento.

§. IV.

De Notarijs Castrensibus.

Notarij Castrenses in Posnaniensi, Calissiensi, Siradiensi, & Lanciciensi Palatinatibus, tum in Vielunensi & Gostinensi Terris

debent esse possessionati & iurati sub privatione officij.

In Brestensi autem & Inouladislaviensi Palatinatibus & in Districtibus Posnaniensi & Calisiensi: jurati tantùm. Ita in Constitutione *Anni 1565. fol: 102. tit:* **Przysiegi Pisarzow Grodzkich.**

Notarius Castrensis Crac: debet esse juratus & possessionatus in Constit: *Anni 1589. fol: 517. tit:* **Akta Krakowskie.**

In Palatinatu Sandom: itidem jurati & possessionati. in Constitut: *Anni 1589. fol: 580. tit.* **Grody wieczne Sendomierskie.**

In eadem Constitut: *Anni 1589. fol: 581. tit:* **Grody wieczne Powiátow Mazowieckich.** constituta sunt castra perpetua Zacrocimensia, Livensia, & Zembroviensia: vtq; in illis Vicecapitanei & Vicenotarij sint iurati & possessionati sub pœna centum marcarum, Capitaneus Osmianensis **w Miedziale/** habeat Notarium juratum coram quo Ministeriales relationes positarum citationum & iniuriarum factarum reciperent, Notarius illas in Actis connotaret, & vt extracta sub sigillo Capitanei Osmianensis cum subscriptione Notarii Castrensis Osmianensis extraderentur. Ita in Constitut: *Anno 1590. fol: 586 tit:* **O Pisar u Osmiánskim.** Tandem in Constit: *Anni 1609. fol: 911. tit.* **Pisarz Osmianski/** dicta Const: reassumpta est, hoc addito, vt non tantum sit iuratus, sed & bene possessionatus, à Capitaneo constituatur, & solùm relationes Ministerialium recipiat. Extracta tamen illius, talis valoris sint, sicut Notarii Castrensis Osmianensis.

Vice-capitaneus & Notarius Castrensis Camenecensis & Laticoviensis Palatinatûs Podoliæ debent esse iurati & possessionati possessione hæreditariâ, vt statutum est in Constit: *Anni 1616. fol. 25. tit:* **Grody wieczne.**

Notarij Culmensis, Mariæburgensis & Pomeraniæ, vt in Terris suis sint possessionati, & penes Acta sua resideant, in Constit: *Anni 1611, fol. 31. tit.* **Xiegi Ziem Pruskich/** statutum, Arcesq; in Palatinatu Culmensi **Kowalew/** in Mariæburgensi **Kiszork/** in Pomerania **Skárszewy/** assignatæ sunt.

In Palatinatibus Russiæ omnibus & in Terris ac Districtibus eorum (præter Castrum Præmisliense & Zydacoviense) Castra perpetua constituta sunt, vtq; Notarij & Vice-capitanei possessionati, & Vicenotarii jurati sint in Constit: *Anni 1631. fol: 25. tit:* **Grody wieczne Woiewodztwá Ruskiego.**

Simili-

Similiter in Palatinatu Bełzensi, vt Officiales Castrenses possessionati sint, Vicenotari⁹ iuratus, Persona idonea, & Nobilis. In Constit: *Anni 1635. fol: 34. tit:* **Grody wieczne Woiewodztwá Bełskiego.**

Notarij Terrestres & Castrenses & Vicenotarij illorum in M. D. Lithuaniæ ne depactent partes vltra jus, decreta, & causas omnes partibus in spatio vnius septimanæ extradant, sub pœna centum marcarum Lithuanicarum respectu cuius forum in Iudicio Tribunalitio ad instantiam iniuriati assignatum. Partes autem, vt omnes controversias, & alias causas, Notario in spatio trium dierum reddant. in Constit: *Anni 1616. fol: 42. tit:* **O Pisárzach Trybunalskich także Ziemskich y Grodzkich** statutum est.

Notarius & eius Vicenotarius in Iudicio suo ne causam alicuius promoveant, statutum est in Constit: *Anni 1550. fol: 7.* § **Przestrzegáiąc trudnośći.**

Judex, Subiudex Terrestris, & Burgrabius, possunt conveniri coram Capitaneo non aliter, vt alij Nobiles, excepto, si ageretur de pœna sanguinis imponenda, quia tunc coram Rege sunt conveniendi. LUDOVICUS Rex *Anno D. 1374.* videatur *Sarnicius fol.* 491. *Herburtus in Statuto Latino sub verbo: Burgrabij.*

TITVLVS TRIGESIMVS OCTAVVS.

De Incompatibilibus.



Majores Episcopi, vt Archiepiscopi, Episcopi Cracoviensis, Vladislaviensis, Posnaniensis, Płocensis, & Varmiensis, non possunt simul Sigilla Regni tenere. Ita ALEXANDER Rex Petricoviæ *Anno D. 1514.* Hinc regnanteq; SIGISMUNDO AUGUSTO cùm Macieiovius Episcopus Cracoviensis Cancellariatum Regni simul teneret, Ordines in Comitiis Regni ægrè tulerunt, vt refert *Pastorius.*

Laurentius quoq; Gembicki existens Episcopus Culmensis Cancellariatu Regni *Anno D. 1608.* assumpto, & postea *Anno D. 1610.* Episcopus Vladislaviensis factus, cùm per annos tres etiam Cancellariatum Regni retinuerit, coactus est in Comitiis *Anni 1613.* Cancellariatum dimittere.

Insuper cautum est in variis Constitutionibus Regni, vt in Constit: *Anni 1670. fol. 837. tit.* O Dignitárstwa/ & latiùs in Constit: *Anni 1633. fol. 28. tit. Incompatibilia*, ne Episcopi Abbatias & Præposituras Regulares sine speciali consensu tenerent. Nihilominus in dicta Constit: *Anni 1633. fol. 28. tit. Incompatibilia.* Archiepiscopo Leopoliensi, Episcopis, Præmisliensi, Samogitiæ, Chełmensi, Kijoviensi, Camenecensi & Vendensi ob tenuitatem proventuum dictorum Episcopatuum concessum est, vnam Abbatiam vel Præposituram Regularem simul obtinere: hoc adiecto, vt Episcopo Samogitiæ ex beneficiis M. D. L. Vendensi autem juxta alternatam, Polono in Regno Poloniæ, Lithuano in Magno Ducatu Lithuaniæ provideatur.

Sic Jllustrisimo D. Nicolao Prazmowski Episcopo Luceoriensi Cancellario Regni concessum erat in Const: *Anni 1658. fol. 29. tit.* Opactwo Sieciechowskie/ vt vnà cum dicto Episcopatu, Abbatiam Sieciechoviensem teneret.

Jllustrisimo quoq; D. Andreæ Olszowski Episcopo Culmensi & Procancellario Regni promissa erat ex primis vacantibus, Abbatia vel Præpositura aliqua, ne tamen hoc in sequelam traheretur. Ita in Constit: *Anni 1667. fol. 15. tit.* Opatrzenie.

Sic in Constit: *Anni 1633. fol: 20. tit.* Konsens ná Probostwo Miechowskie. Jllustrissimo D. Iacobo Zadzik Episcopo Culmensi Cancellario Regni, de consensu omnium Ordinum data fuit facultas Præposituram Miechoviensem vnà cum Episcopatu, & Sigillo Regni Maiore, cum clausula, ne hoc in sequelam traheretur, tenere.

Sic *Anno D. 1677.* mortuo Archiepiscopo Leopoliensi, collatus fuit ille Archiepiscopatus cum Abbatia Tremesnēsi, Oborscio, Suffraganeo Cracoviensi.

Item Episcopo Luceoriensi concessum erat *Anno 1685.* simul tenere Abbatiam Płocensem. Sic in Const: *Anni 1676. fol: 29. tit:* Deklarácya *compatibilitatis* concessum erat Jllustrissimo D. Stephano Wydzga Episcopatum Varmiensem simul tenere cum Sigillo Regni, cavendo in perpetuum, ne hoc exemplum in futurum trahatur.

Sic in Constit: *Anni 1685. fol: 12 tit: Compatibilitas* Constitutio in Coronatione Serenissimi JOANNIS III. Regis de compatibilitate Sigilli Regni cum Episcopatu Varmiensi, in favorem magnorum meritorum Avitæ Domûs, & ipsiusmet Personæ Jllustrisimi Micha-

Michaëlis Rádzieiowſki Epiſcopi Varmienſis, pro hac ſola vice reaſſumpta fuit.

Quantum ad Sæculares. Hi Palatini aut Caſtellani facti, Sigillum Regni dimittere tenentur, iuxta Statutum ALEXANDRI Regis Petricoviæ *Anno D. 1540.* latum.

Nullus Palatinus aut Caſtellanus poteſt eſſe Capitaneus, vel Officialis Terreſtris in eodem Palatinatu; excepto Palatino & Caſtellano Cracovienſi. Ita CASIMIRUS III. Rex apud *Herburtum ſub verbo: Palatini & Ianuſſovius fol. 303, & in Conſtit. Anni 1562. fol. 23. tit.* **Oſiádłośći, ż Gdyż káżde dygnitárſtwo** ſtatutum.

Palatinus aut Caſtellanus Volyniæ, non poteſt eſſe Capitaneus Iudicialis illius loci, in quo dignitatem habet. In Conſtit: 1576. *fol. 293. tit.* **O potrzebach Woiewodztwá Wołynskiego.**

Mareſchalci & Theſaurarii Regni, non poſſunt eſſe ſimul Palatini & Caſtellani. Ita in Conſtit: *Anni 1565. fol. 84. tit* **O ſpolnośći Vrzędow ż A wſzakże/** licèt ſub eodem SIGISMVNDO AVGVSTO *Rege*, & SIGISMVNDO *Rege* Parente Illius capaces fuerint aliarum dignitatum, vt in eadem Conſtit: *1565. loco citato.* mentio fit.

Cancellarij Regni poterant olim ſimul eſſe Duces Exercitûs, ſic ſub SIGISMUNDO III. Rege, Joannes Zamoyſcius fuit ſimul & Cancellarius Regni, & Supremus Dux, Exercitûs *Regni*: ſic & Michaël *Radzivilius*, fuit ſimul Procancellarius Magni Ducatûs L. & Dux Campeſtris Exercitûs Magni Duc: Lith:

Et quòd Theſaurarius erat ſimul Exercituum Dux exſtat exemplum ſub IOANNE CASIMIRO Rege, in Vincentio Corvino Gasievio, qui ſimul fuit Theſaurarius & Dux Campeſtris Exercitûs Magni D. L.

Quòd etiam Mareſchalcus Regni fuerit Dux Exercitûs exſtat exemplum noſtris temporibus in JOANNE SOBIESCIO, qui erat ſimul Mareſchalcus Regni & Supremus Dux Exercitûs. Sed poſtea cùm multæ ſuper hoc eſſent exortæ controverſiæ, in pactis conventis MICHAELIS Regis *fol: 13.* **ż W tym ſie też/** iſte articulus poſitus eſt, ne in poſterum Mareſchalcis & Cancellariis Regni, dignitas Ducum Exercituum conferretur.

Dux Exercitûs, quòd non poſſit eſſe ſimul Mareſchalcus vel Cancellarius aut Theſaurarius Regni, in Conſtitut. *Anni 1659. tit: de Incompatibilibus*, vtq; Domini Cancellarii ſub pœna Legum his attendant, Nuntijq; Terreſtres in Comitijs generalibus ſedulò vrge-

vrgeant & instent, eiusmodiq; Privilegia nullitatis sint statutum est.

Dignitates cum Capitaneatibus eiusdem loci se compati nequeunt. SIGISMUNDUS Rex Petricoviæ *Anno 1538. vt refert Herburtus in Statuto Latino sub verbo: Dignitates seu Officia Regni fol: 143. Ianussovius loco citato.*

Capitaneatus duos judiciales non potest aliquis simul tenere sub pœna confiscationis, ad hæc, citatus à quocunq; ad quodcunq; Iudicium vel Officium ducentas marcas luat parti, idq; in primo termino tanquam peremptorio, non recedendo à Iudicio, & vnum ex illis dimittat. Ita in Constitut: *Anni 1562. fol: 23. tit:* **O dwoygu Stárostwie sądowym.**

Iudices & Notarij Terrestres, Officia Castrensia & è contra, non possunt simul tenere, statutum est in Constitut: *Anni 1550. fol: 7* § **Iż káżdy vrząd/** videatur & *Herburtus in Statuto Latino sub verbo Iudex. Subiudex fol: 224.* sed postea in Constit: *Anni D. 1658. fol: 49. tit:* **Vrząd Ziemski/** declaratum est, quòd Subiudices Terrestres possunt simul tenere Officia Castrensia: Burgrabius Cracoviensis, non potest esse Castellanus, nec vllus Officialis Terrestris. Ita in Constit: *Anni 1563. fol: 43. tit:* **Jnszych rzeczy.**

Nullus Iudex in Terra, in qua præest judiciis, potest esse Capitaneus. VLADISLAVS JAGELLO *Anno 1422. vt refert Herburtus sub verbo Iudex & Subiudex.*

TITVLVS TRIGESIMUS NONUS.

De Tertio Ordine Reipublicæ: nempe Nobilitate.



NObilitatem Polonam, varij variè definiverunt. *Petrus Mieszkowski in suo Polono Iure polito sub tit: Nobilitas* eâ dupliciter definit. *Primò*: quòd Nobilitas sit claritudo generis, à Summo Principe ob virtutes Reipublicæ salutares, & egregia facinora, alicui in perpetuum collata. *Secundò* sic definivit sub eodem titulo *fol: 229.* Nobilitas est generis ornamentum, & sanguinis ac familiæ hæreditarium decus, per antiquum semen continuatum politico Insigni (hoc est Armis gentilitijs, honestatum, Ordineq; distinctum.

Przy-

Przyłuscius verò in Statuto suo fol: 264, sic Nobilitatem Polonam definivit: est dignitas seu celebritas nominis, Maiorum, vel proprijs in Rempub: meritis acquisita.

Dicuntur autem Nobiles, quasi Noscibiles, quòd eorum familia in Republica sit clara, & illustre nomen, vnde & ipsi sunt notiores. *Ita Miesskowski loco cit:* Nobiles Poloni antiquitus vocabantur milites, nunc dicuntur Equites ab Equestri militia, cui obnoxij sunt. *Starovolscius in descriptione Poloniæ sub tit: Nobilitatis prærogativæ.*

In bene constitutis Rebuspub:, Nobilitati sua dignitas est. Sic in Germania Nobilitas est fulcrum Imperij. In Gallia Nobiles bella gerunt, & Rempublicam administrant. In Hispania præcipuæ sunt partes Nobilitatis, resq; ipsorum quotidie crescunt. In Republica Veneta nulla expeditio bellica sine comitatu Nobilium fit, imò tertium Ordinem (vt apud Nos) Reipub: constituunt.

Soli Tyranni, exosam Nobilitatem habent; non ob aliam causam, nisi, cùm illi omnia in omnes sibi licere volũt: ne Nobiles ipsorũ libidini obsistant. Hinc Turca, occupatis Regionibus omnẽ Nobilitatem ad vltimam internecionẽ delere solet. Et suos etiã Bassas tanquã mancipia tractat, nec vllam Nobilitatẽ agnoscit: idem & apud Sinas obtinetur. Et hodie apud Helvetios & Hollandos, dicendo: omnes pari sorte nascimur, solà virtute distinguimur. Hæc *Miessk: loco citato.*

Et licèt Nobilitas, in alijs Regnis & Rebuspub: summis prærogativis gaudeat; tamen Nobilitas Polona omnes videtur superare.

Nam Nobilitas *Polona*, prærogativam primã habet, quòd nullus Senator Spiritualis, vel Sæcularis, Officialis Regni, vel Aulæ Regiæ Officiales Maiores, aut *Castrenses*, vel Terrestres, necnon Abbas, nec Canonicus in Eccl: Cathedr: & etiam in nonnullis Collegiatis, possit esse, nisi Nobilis (exceptis certis Canonicatibus) vt ex superiùs scriptis & infra scribendis constat & constabit.

Ut tamen prædictarum dignitatum, officiorum, & beneficiorum capax sit, tenetur esse ex vtroq; Parente Nobili procreatus. Ita ALEXANDER Rex statuerat *A. D. 1505. vt refert Herb: fol. 167. & in Constit: Anni 1607. fol: 838.* habetur. Quamvis is idem Rex ibidem addiderit sufficere, si ex Patre Nobili, Matre plebeia fuerit procreatus. Idem & in Stat: Lith: *cap: 3. art: 20.* habetur, quòd Nobilis plebeiam ducens in vxorem nobilitet eam, & liberos ex ea susceptos & procreatos. *Secũda* prærog: Nobilitatis Polonæ est, quòd sola habeat jus eligẽdi Ser: Reges, *vt sup: in tit: de Elect:* scripsim9. Unde Duces Mas: licèt essẽt Principes & Indigenæ vetustissimi generis in Regno, locusq; illis in Conventi-

ventibus Terrarum & in Comitiis non denegabatur, tamen ad electionem Regis non admittebantur, *vt refert Przyłuſcius in Statuto ſuo fol. 784.* Sic & Carolus Ferdinandus Princeps, licèt in numerum Conſiliariorum Regni admiſſus erat, obtento conſenſu ad Epiſcopatum Płocenſem, tamen jus nominandi, inaugurandi & coronandi Regem, non eſt ipſi conceſſum, vt in Conſtit: *Anni 1641. fol: 4. ſub tit:* **Konſens ná Biſkupſtwo Płockie** latè habetur.

Et quod maius eſt, ipſi Nobiles capaces ſunt Throni Regii, vt recentia exempla ſunt in MICHAELE, & JOANNE III. Regibus.

Tertia prærogativa, quòd tituli Comitum alicui ab externis Principibus dati, non præferuntur Nobilitati Polonæ, ſed talibus ornamentis inſigniti, paritati juris & pœnæ ſubijciuntur. Similiter & titulo Ducum gaudentes. Ita in Conſtit: *Anni 1638. fol. 9. tit.* **O titułách Cudzoziemſkich.** Quæ Conſtitutio reaſſumpta eſt in Conſtit: *Anni 1641. fol. 8. tit.* **O Tytułách/** vt videre licet. Ideoq; Joannes Zamoyſcius, Supremus Cancellarius & militiæ Regni Dux, honorem aurei velleris à Legato Hiſpaniæ Regis oblatum recuſavit. Sic cùm Maximilianus Imperator Primoribus Regni Poloniæ cum SIGISMUNDO I. Rege ad ſe Viennam venientibus Ducales & Comitum titulos ſui Imperij obtuliſſet, gratiæ actæ ſunt pro talibus honoribus, Nobilitatiſq; ſuæ Polonæ titulo contentos eſſe, nec quidquam alieni legibus Patriæ & æqualitati communi inducere velle, reſponſum eſt. *Ita Fredro in Hiſtoria Henrici Valeſij fol. 74. & ſequ:*

Quarta prærogativa, quia Nobilitas per Nuntios ſuos in Comitiolis electos, in Comitiis Generalibus Regni leges ſancit, bella vicinis indicit, fœdera cum illis ſtatuit, tributa imponit, cudendæ pecuniæ modum præſcribit, & omnem penitus Reipub: adminiſtrationem in manibus ſuis habet. *Starowolſcius loco citato.* vt facilè dici poſſit de Nobili Polono: Liber ſum; prout Stanislaus Orzechovius apud Andream Maximilianum Fredro *in fragmentis Polonicis fol: 299. num. 14. ſcripſit.*

Quinta prærogativa; quia nullus Nobilis poſſeſſionatus captivarì poteſt, niſi jure victus. ALEXANDER Rex *Anno D. 1505.* ſtatuit, vt refert *Herburt: in Statuto ſuo Latino ſub verbo: Nobilis fol: 300.* Et ante ALEXANDRUM Regem VLADISLAUS IAGELLO *Anno 1433. vel Anno 1453. vt refert Herburtus fol 326. ſub verbo:*

Poſſeſſi-

Possessionatus. Ianussovius parte 3. tit. 9. fol. 122. his verbis: Nullū Terrigenam possessionatum, pro aliquo excessu vel culpa capiemus seu capi mandabimus, nec aliquam vindictam in ipso faciemus, nisi in judicio rationabiliter fuerit convictus. Excepto illo, qui in furto, vel in publico maleficio, vtpote incendio voluntario, raptu virginum aut mulierum, villarum depopulationibus & spolijs deprehenderetur. Similiter exceptis illis, qui de se nollent debitam facere cautionem vel dare iuxta quantitatem excesûs, vel delicti. Idem statuit & CASIMIRUS Rex *Anno 1454. vt refert Ianussovius loco citato,* quòd videlicet: nullum Rex Nobilem captivari faciet, nisi priùs fuerit jure convictus.

SIGISMUNDUS quoq; Rex *Anno 1540.* (vt refert *Ianussov: loco citato fol. 123.*) statuit his verbis: Nullus Nobilis sponsione fidei per Regem obstringatur, nisi jure victus, secus esse in exercitio rei militaris, vel vbi Regi, vel alicui subditorum Regiorum actio intervenerit, cum servitore, factore, administratore, aut subdito suo: vel vbi Reipublicæ causâ aliquid contra quemvis agendum sit.

In Const: quoq; *Anni 1550. fol: 5,* § Slubem zadnym/ statutū est. Nullus Nobilis possessionatus, sponsione fidei obligari debet, tantùm iuxta descriptionem Statuti *Anno D. 1540.* conditi. Captivari etiam non debet, nisi iure convictus iaxta statuta & privilegia. Addit *Starovolscius in descriptione Poloniæ sub tit: Nobilitatis prærogativæ:* quòd Nobilis possessionatus non debet captivari etiam in crimine perduellionis, nisi jure victus sit. Nec captus capite plecti, nisi Rex cum Senatoribus consilium super hoc inierit. Sic Ioannes Zamoyscius cùm Samuelem Zborovium proscriptum captivâsset, priùs informationem à Serenissimo Rege petijt, vt supra scripsimus.

Præter casus autem exceptuatos à VLADISLAO IAGELLONE (vt supra) ALEXANDER Rex *Anno 1505.* vt refert: *Herburtus sub verbo: Nobilis fol: 300.* addit, hâc prærogativâ & privilegio nec illum Nobilem gaudere, qui esset malæ famæ, hoc est: si in regestris maleficorum ter esset descriptus.

Quæ lex cùm esset annualis, SIGISMUNDUS Rex eandem ad biennium, tandem *Anno 1510.* ad quinquennium prorogavit, vt refert *Herburtus loco & folio citato.*

Sexta prærogativa. Quòd Rex nullius Nobilis bona hæreditaria possit confiscare, nisi fuerit jure victus. Ita VLADISLAUS IAGELLO *Anno 1454. vt refert Ianussovius vbi supra fol: 122.*

Nobilis possessionatus lite pendente, etiam in Civili causa non præstans cautionem potest incarcerari. Exstat Constit: *Anni 1611. fol: 3. tit:* **Deklaracya.**

Nobilis Nobilem non jure victum captivans, centum & viginti marcas luat, & respectu pœnæ publicæ sessionem in fundo turris per vnum annum, & in triplo temporis, quo Nobilem incarceravit, sustineat. In Constit: *Anni 1588 fol 462. tit:* **O poimaniu y więzieniu Szlachcica.** Quam Constitutionem, Palatinatus Kijovjensis, Wołyneńsis, Bracłaviensis, in Constit: *Anni 1607. fol: 736. tit:* **O więzieniu Szlachcica/** acceptârunt.

Nobiles possessionati respectu excessuum ab illis commissorum debent regulariter in bonis eorum puniri, bona tamen per fiscum Regium accepta, debent personis Nobilibus dari. Ita in Constit: *Anni 1562. fol: 25.*

Nobilem criminaliter inculpatum, debet Officium Castrense ad carcerem recipere, sub pœna centum marc:, cum custodia tamen partis, justitiamq; administrare, salvâ appellatione ad Tribunal Regni. Ita in Constit: *Anni 1611 fol: 3. tit:* **Deklaracya.**

Septima prærogativa. Quòd miles, in bonis Terrestribus Nobilium nullas stationes habere potest, sed ex foro se sustentare debet. Ita in Constit: *Anni 1588. fol: 480 tit.* **O żołnierzach.** Idq; sub pœna capitis, aut infamiæ, prævia citatione vindicanda, in Constitut: *Anno 1653. fol: 6. tit.* **Obostrzenie** *disciplinæ militaris.* In Const: autem *Anni 1659. fol: 9. tit.* **O niedawaniu assignacyey/** pœna duorum millium marc: & triplicis refusionis damnorum in Iudicio Tribunalitio, ex speciali regestro ad instantiam cuiusvis iniuriati. In qua Constit: plura videre licet: videatur & Constitutio *1661. fol: 14. tit:* **Bespieczeństwo dobr Szlacheckich.** Videatur & Constitutio *1676. fol. 21.* in alia editione *fol. 23, tit: Disciplina militaris.*

Sed huic privilegio, sæpe licentia militaris contravenit.

Octava prærogativa. Quòd Nobilitas, in subditos suæ glebæ adscriptos jus vitæ & necis habeat, non aliter, vt apud Romanos servi habebantur, de quibus habetur in *L. Quod attinet ff. de Regulis juris.* Ita *Maximilianus Fredro in fragmentis Politicis num: 14. fol. 292.* Sed de hac potestate Dominorum suorum in Tomo 2do fusiùs agemus.

Nona prærogativa. Quòd si in fundis Nobilium metalla, vel salisfodinæ, vel alia similia reperiantur, ea omnia ad Nobilem Dominum fundi spectent, de quo in Pactis Conventis cum Serenissimo

ſimo MICHAELE & JOANNE III. habetur, vt ſupra ſcripſimus, & ante hæc Pacta STEPHANUS Rex *Anno 1576 fol: 255.* §. Aby wątpliwość żadna/ & rurſus *fol. 277.* § Aby wątpliwość żadna/ ſtatuerat.

Decima prærogativa; Quòd domus Nobilis inſtar aſylli eſt, nam licèt facinoroſi ad eam confugientes areſtari poſſint, attamen extrahi nequeunt, ſed per viam juris repetendi ſunt. Ita in Conſtit: *Anni 1588. fol: 466. tit:* O imaniu & in Conſt: *Anni 1611. fol: 27. tit.* O ludziach lożnych. Et in Statuto Lithu: *cap: 3. art: 49.* habetur. Quòd habitantes in domibus Nobilium, ſi alicui iniuriam fecerint, ipſi Domini harum domuum juſtitiam iniuriatis abſq; citatione, & abſq; vlla procraſtinatione adminiſtrent, in abſentia autē illorum Iudicium Caſtrenſe judicet & juſtitiam adminiſtret. Quæ prærogativa extenditur in d. Conſtit: *1611.* etiam ad domos Spiritualium.

Vndecima prærog: ſi Nobilis ſine liberis moriatur, non poteſt Sereniſſimus Rex bona eius paterna vel materna jure caduco alteri conferre, ſi cognati eius vtriuſq; ſexûs ex vtraq; linea, vſq; ad 8vū gradum incluſivè ſuperſint. Exſtat Conſtit: *Anni 1588. fol: 458. tit:* O kadukach/ vbi additur, quòd reſpectu huius ſucceſſionis legitimæ cognitio in Comitiis fiat. Et ſi aliqua bona juſtè & legitimè ad fiſcum Regium devoluerentur, & ſuper illis eſſent aliqua debita, tunc ante omnia ex ijſdem bonis indilatè ſolutio fiat. Sterilibus autem Nobilibus, ne jure caduco ad fiſcum Regium devoluantur, permiſſum eſt alienare, *vt refert Paulus Sczerbicz par. 2. cap: 8. f.* 127. allegando Conſtit: *Anni 1569.*

Duodecima prærog: ſi aliquis extraneus ex bonis Nobilium Spiritualium & Sæcularium ſteriliter decedat; bona ipſius non fiſco Regio, vel Reipub:, ſed Domino fundi cedāt, ſalvo tamen jure proximorum. Ita in dicta Conſt: *Anni 1588. fol: & tit: ſupra citatis* § *Caduca* w Miáſteczkach y wśiach.

Decima 3tia prær: Quòd Magiſtratus Civilis in Civitatibus, vel Oppidis Regni in ſubditos, vel res Nobilium, nequit Areſta concedere, etiam ratione quorumvis debitorum. *Ita refert Czaradzki in ſuo proceſſu Civili par. 1. tit: 8.*

Decima 4ta prærogativa: quòd Nobilitas & eorū ſubditi liberi ſūt à ſolutione teloneorum, tam Terreſtrium quàm aquaticorū, & foraliū à frumēto, bobus & aliis ſimilibus rebus proprij laboris & educationis, dūmodo, vel per ſe, vel per ſuos famulos ſeu factores ſuper hoc

jurent. *Refert Herb: in suo Statuto Latino, sub verbo: Telonium. Ianussovius par: 2. tit. 3. Zawadzki in suo compendio Polonico cap: 4. tit: 12.* plurima Statuta Serenissimorum Regum.

Et imprimis Joannis Alberti *Anno 1496.* latum, in quo statuit, vt tam a sale, quàm alijs rebus, cuiuscunq; generis fuerint aut in Domos Nobilium ductis, vbiq; in Regno telonea minimè exigantur: aliàs Teloneatores secus facientes, tam pro pœna in privilegiis prioribus descripta, quàm pro damnis Nobilitati hac in parte illatis, jure Terrestri (ad quod pertinent ratione possessionum quas videbuntur obtinere, possidereq;) quoties necessitas exposcat, conveniantur: ipsi verò si impossessionati fuerint, personaliter citentur, citati in eodem Iure Terrestri compareant, & respondeant. Iudicium autem contra illos procedat, vt solet fieri cum impossessionatis. Obtentis tandem perlucris, illa, Capitanei locorum, juxta juris formam & consuetudinem antiquam exequantur.

Item eiusdem Joannis Alberti aliud Statutum eodem *Anno 1496.* latum, quo statuit, vt nullus telonia & foralia à Spiritualibus & Nobilibus, eorumq; subditis exigat, cùm quid pro vsu domestico emunt, aut sua vendunt, secus, si lucri causâ emant. A subditis autem Nobilium ducentibus ad Civitates & Oppida res mechanicas, vtpote rotas, scutella, cantaros & similia, vt foralia moderata iuxta antiquam consuetudinem accipiantur.

Item SIGISMUNDI Regis in Coronatione sui *Anno 1507.* statutum latum, in quo statuit pœnas contra Telonearios exigentes telonea à Nobilitate & Spiritualibus; vt scilicet: quantum aliquis Teloneator à Nobilitate & Spiritualibus à teloneo absolutis & liberis pro teloneo extorserit, duplum solvat. Quam pœnam Iudex Spiritualis loci illius, de Teloneatore Spirituali per censuras Ecclesiasticas; Sæcularis verò loci Capitaneus, de Sæcularibus Teloneatoribus, absq; processu juris, solâ cognitâ rei veritate exigat. Sed meis temporibus neq; vidi, neq; audivi judicium Spirituale contra Teloneatores extorquentes telonea à Spiritualibus judicium formâsse, sed semper ad Iudicium Sæculare recursum esse. Quodsi ipse Capitaneus teloneum exegerit, si bona Capitaneatûs in obligatione teneat, centum marcas, de summa in illis bonis inscripta amittat; si verò sine obligatione bonorum Capitaneatum habeat, privatione officij puniatur; & nihilominus vtroq; modo Capitaneatum gerens, iniuriam passo duplum eius, quod recepit restituat.

Item

Item ſtatutum eiuſdem SIGISMUNDI Regis *Anno D. 1511.* latum, in quo Nobilitas à perſolutione telonei, à frumentis & alijs rebus proprij domeſtici laboris liberatur, hoc tamen proviſo, ne dolus & fraus cuiquam hac in parte patrocinetur.

Item Statutum *Anni 1523.* in quo ſtatutum eſt: ne à Nobilitate vel eorum ſubditis, dum frumenta, vel res ſuas domeſticas ad victum ſpectantes vendunt, aut etiam aliquid pro vſu ſuo domeſtico emunt, telonea exigantur.

Item *Stat: A. 1538.* in quo SIGISMUNDUS R ex abrogatis prioribus ſtatutis, quæ aliqua in parte contrarium diſponebant, libertatem in perpetuum à teloneis, foralibus, pontalibus perſolvendis tam pro Nobilibus & Spiritualibus eorumq; ſubditis, definivit his verbis: Prælati, Barones, & Nobiles, ac eorum ſubditi cum rebus quibuſcunq; ſui proprij laboris, vltro, citroq; per Regnum commeantes, diſpoſitioni privilegiorum ſuper exactionibus præfatis cōceſſorum non ſubiaceant, ſed perpetuis temporibus à ſolutionibus quibuſvis huiuſmodi ſint liberi & immunes. Quicunq; autem ex Teloneatoribus contra libertatem Nobilitatis, aliquem Nobilem, aut eius ſubditum, ex actione telonei, foralis, pontalis, aggeralis, ſeu cuiuſvis excogitatæ exactionis indebitè oneraverit, & aliquid ab eo, per ſe, vel per alium exegerit, ſeu extorſerit, pro tali iniuria citari peremptoriè vbilibet poſſit, pro arbitrio eius, qui iniuriam paſſus fuerit, vel ad Terreſtre, vel ad Capitaneale illius loci Iudicium, ſive vbicunq; locorum talis Teloneator, ſive in Curia Regali repertus, & citatione Curiæ citatus fuerit, tum ibidem ſine quavis exceptione reſpondere teneatur, tanquam pro articulo Officij, qui Terram & Diſtrictum non habet. Et cùm convictus fuerit Teloneator, in aliquo Iudiciorum præfatorum, iniuriam feciſſe in exigendo aliquo telonio &c. primùm omnium reſtituere debeat illud quòd exegit: deinde ei, à quo citatus fuerit, in pœna 14. marcarum pecuniæ, & trium marcarum Iudicio ſeu Officio condemnetur.

Neceſſarium tamen eſt, quòd Nobiles & Spirituales, vel eorum factores cum frumentis, vel alijs rebus euntes, vel navigantes in locis Teloneorum juramentum præſtent: quòd res & merces non ſunt emptæ lucri gratià, ſed per eos de propriis collectæ, quo præſtito quilibet Nobilis & Spiritualis, ſive aquâ, ſive terrâ merces proprias ſui laboris ſeu domeſticas ducentes, liberi ſint à ſolutione teloniorum. Ita ALEXANDER Rex *Anno D. 1504. vt refert*

Herb: in Statuto Latino, sub verbo: Factor. Ianussovius loco citato fol: 62. Similiter SIGISMUNDUS Rex *Anno 1510.* statuit super hoc juramento præstando (vt referunt *Herburtus, & Ianussovius locis citatis) his verbis:* vt frumentum ducens per se vel factorem suum juret, quòd cum frumentis proprii laboris navigat, vel educit.

Hoc juramento semel præstito in primo telonio, in aliis teloniis non debet reiterari, sed solùm iurans iuramenti literas significatorias sub titulo & sigillo, vel ex Actis illius Officij vbi juraverit præsentet & exhibeat, quibus literis significatorijs vt vbiq; stetur, & fides adhibeatur, statuit SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1540. vt refert Herb: sub verbo Factor.*

Exstat quoq; Statutum Magni Duc: Lith: vbi *in cap: 3. art: 3.* decernitur, ne à Spiritualibus, vel Nobilibus Sæcularibus telonium, foralia, pontalia, à frumentis ipsorum propriis & non emptis, exigantur. Ipsi tamen Nobiles, vel per se, vel per famulos suos in teloniis principalibus & capitalibus, vbi esset Officium Castrense, vel Civile in præsentia Teloneatoris, vel Notarij eius, vbi autem Officium Castrense vel Civile non esset, coram Teloneatorio, quòd frumenta sint proprii laboris, iurent, vbi forma iuramenti talis descripta est.

Forma juramenti à Nobilibus, vel eorum factoribus in Telonijs præstandi.

EGo N. juro Deo Omnipotenti in Trinitate vni, quòd hoc frumentum vel merces, quod vel quas veho, vel cum illis navigo, & hîc denuntio, sunt meæ propriæ (si autem famulus vel factor Domini juret) Domini mei, domestici laboris, & non emptum, vel emptæ, nec ex bonis alterius accommodatæ. Si verò cum aliquibus mercibus revertantur, in tali forma jurent: Quòd istas merces in proprium vsum vel in propriam necessitatem meã (vel si famulus vel factor in absentia Domini juret) Domini mei, non ad vendendum, vel mercandum veho, vel cum illis navigo. Et quòd ego (si Dominus ipse, si autem Famulus vel factor juret) Dominus meus extraneis hominibus, aut subditis suis non vendet, vel ego vendam. Sic me DEVS adjuvet.

Quo præstito juramento in vna Camera Teloniaria, non debet in alijs Cameris reiterari, sed merces liberè transmitti, monstratâ exhibitâq; priori quietatione seu attestatione, in priori Camera

mera data. Currus autē (aliàs **podwody**) abſq; vllo juramento liberè tranſmittantur, exhibitā literali atteſtatione, ſigillo Dominorum munitā & ſubſcriptā. In pontibus autem antiquis, in quibus aliquid antiquitus ſolvebatur, à curribus, abſq; literis Dominorum ſuorum frumenta vehentibus ad vendendum, pontalia vt ſolvantur. *Hucuſq; verba Statuti M. D. L.*

Sequuntur Conſtitutiones Regni ſuper præmiſſis emanatæ.

Imprimis Conſt: *Anni 1550. fol. 3.* § **Poniewaz ſtan Szlachecki/** in qua Nobilitas Regni & Spirituales perſonæ ſubditiq; eorum à telonio liberantur, a bobus in prædijs ſuis natis, vel in paſcuis eorum educatis, vel aliis ſimilibus rebus proprii laboris, præſtito ſuper hoc per ſe, vel famulos, ſeu factores ſuos iuramento.

Quæ prærogativa non ſolvendi teloneum extenſa eſt in Conſtit: *Anno 1569 fol: 151.* §. **A izby ciz obywatele** &c. ad Nobiles Palatinatûs Podlachiæ. Similiter ad Nobilitatem Volynenſem & Braclavienſem, in eadem Conſtit. *fol: 157.* § **A izby ciz obywatele.** Et in Conſtit. *Anni 1576. fol. 293. tit.* **O potrzebach/** § **Tez im to pozwálamy** &c. de Nobilitate Volynenſi ſtatutum eſt. in Conſtit: *Anni 1569. fol: 105.* §. **Obiecuiemy tez.** de Nobilitatis Kijovienſis libertate á teloneis.

Tandem in Conſtit, *Anni 1569. fol. 175.* § **Clá y mytá wſzytkie** &c. dicta prærogativa non ſolvendi telonea, non tantum ad Nobilitatem & Spirituales Regni, ſed eiam M. D. L. extenſa eſt.

Subſequenter, in Conſtit: *Anni 1581. fol. 374. tit.* **Clá y mytá** extenſa eſt ad Nobiles & eorum ſubditos, Ducatûs Zatorienſis & Oſwięcimenſis.

In eadem Conſtit: *Anni 1581 fol. 375 tit.* **Clá od Szláchty Pruſkiey** Nobiles Pruſſiæ liberi ſunt à telonio, à bobus, equis, & alijs pecoribus in proprium vſum in Regno emptis, præſtito hoc juramento in Camera Telonearia.

Et præter Conſtitutionem *Anni 1569 fol. 175.* § **Clá y mytá wſzyſtkie** rurſus in Conſtit. *Anni 1589 fol. 530. tit.* **Wolność od ceł** Nobiles Mag: Duc: Lith: a teloneis terreſtribus & aquaticis liberi facti ſunt; præſtito juramento in Officio Caſtrenſi, vel in prima Camera Telonearia; contra ſecus facientes Telonearios, pæna centum ſexagenarum Lithuanicarum ſtatuta eſt. Et vt Notarij Teloneorum, à quietationibus nonniſi duos groſſos accipiant. *Reſpectu* utriusq; forum in Tribunali, vel in quovis alio judicio & etiam poſt Curiam aſſignatum eſt.

In Constit: *Anni 1576. fol 281. tit:* **O przyśiedze na cłách** statutum est, vt Telonearij, & eorum Notarij, a Nobilibus & eorum subditis juramentum insolitum non exigant, sed solùm in statuto descriptum, hoc est: quòd frumentum sit proprii laboris, boves sint proprio frumento enutriti. Extentendo hanc Constitutionem **do towarow leśnych.**

In dicta quoq; Constitut: *Anni 1581. fol: 373. tit:* **Cło od zboż Szláchteckich** habetur, ne à frumentis Nobilium teloneum exigatur, sub pœna centum marcarum, postquam Nobilis vel eius famulus in quocunq; Officio Castrensi. Et quòd ad iterationem juramenti non compellantur sub pœna simili. Respectu cuius forum in quovis Iudicio *Regni* assignatum. Notarius autem telonei, ne audeat dare attestationem respectu juramenti, ac si præstiti, quod non est præstitum, sub pœna ducentarum marcarum per mediū delatori & fisco dividenda. Respectu cuius citatus post Curiam comparere & respondere tenetur.

Item in dicta Constit: *Anni 1581. fol: 383. tit.* **Cłá od wołow Szláchteckich/** statutum est, ne à bobus Nobilium proprio frumēto enutritis teloneum exigatur, sub pœna centum marcarū, præstito super hoc juramento per Nobiles, vel eorum famulos seu factores.

Tandem in Constit: *Anni 1588. f: 470. tit:* **O mytách na rzekách/** statutum est, ne à frumentis vel aliis rebus Nobilium proprii laboris telonea exigantur, sed iam sub pœna quingentarum marcarū. Et ne Notarii à quibusvis personis respectu quietationum accipiant, sub pœna de iniustè exacto teloneo. *Respectu* cuius forum vel in Tribunali, vel in quouis alio Iudicio Terrestri vel Castrensi.

Subsequenter in Constitut: *Anni 1598. fol. 693. tit:* **Rzeki portowe/** Nobilitas Regni à solutione teloneorum libera facta est, contra exigentes, pœna, sed iam diminuta, hoc est: ducentarum tantùm marcarum, per medium inter fiscum Regium & delatorem dividenda; & in Tribunali inter causas Officii peremptoriè repetenda.

Postea in Constit: *Anni 1601. fol: 737. tit.* **O cłach ná rzekách portowych/** dicta Constit: *Anni 1598.* reassumpta est, vt Nobilitas vtriusq; Gentis à solutione telonei aquatici libera sit. Forum Regnicolis in Tribunalibus Maioris & Minoris Poloniæ inter causas Officij, Nobilibus M. D. L. in Tribunalibus Vilnensi, Novogrodensi

& Min-

& Minſcenſi, ſub terminis cuiuſcunq; Palatinatûs, vel inter cauſas obligationum, cum termino peremptorio aſſignatum eſt, hoc adiuncto: quòd hæc Conſtitutio 1601. intelligi debeat, tam reſpectu bonorum Regalium, quàm Spiritualium & Sæcularium. In Conſtitutione quoq; *Anni 1598. fol: 699. tit:* **Port rzeki Dźwiny**/ Nobilitas libera facta eſt à ſolutione telonei à mercibus ex proprijs bonis.

Tandem in Conſtit: *Anni 1607. fol: 861. tit:* **Oznieśieniu cłá**/ cautum eſt, ne teloneum ad fluvium **Dźwina**/ **Wdyneburgu** & **Kohonkauzie**/ & in aliis locis à Nobilibus exigatur, ſub pœna quingentarum marcarum Polonicalium, in quocunq; Iudicio Caſtrenſi, vel Terreſtri, iuxta arbitrium Actoris exigenda. Et vt citatus reſpectu iniuſtè extorſi telonei coram judicio compareat, & præter dictam pœnam quingentarum marcarum, teloneum exactum, & res alias, ſi quas violenter acceperit, ſolvat. Similiter adiunctum eſt, quòd ſi juramentum in prima Camera fuerit præſtitum, in aliis Cameris ne exigatur, ſub pœna ſuperiùs ſpecificata, & in foro vt ſupra luenda: niſi Nobiles, **Towáry Leśne**/ in bonis Regalibus abſq; conſenſu Regio, **robił**/ quia in tali caſu, ab eiuſmodi mercibus, poſſit ab ijs teloneum exigi, non aliter ac ab aliis mercatoribus.

Prædicta Conſtitutio *Anni 1607. in Conſtit: Anni 1641. fol: 16. tit:* **Oznieśieniu cłá**/ in toto reaſſumpta & approbata eſt. Et tandem in Conſtit: *Anni 1673. fol: 4. tit: Reaſſumptio* **dawnych Konſtitucyi** in Conſtitutionibus Lithuanicis, prædictæ Conſtitutiones 1607. & 1641. reaſſumptæ ſunt.

In Conſtit: *Anni 1638 fol: 8 tit:* **Cła morſkie.** Quoniam ius maris & vectigalis marini ad Rempub: reſpectu portuum & marginũ ſpectet, volendo jus maris Baltici, conſervare, telonea marina, per Commiſſarios deputatos ſervatis ſervandis conſtituta ſunt. Nobilitas tamen Palatinatuum Pruſſiæ à ſolutione & exactione eiuſmodi teloneorum libertatem obtinuit.

Item in Confœderatione *Anni 1674 fol: 35.* **z Nacle Koronnym** ſtatutum eſt, ne Telonearij in Camera Auguſtovienſi Nobiliũ currus aliàs (**Podwody**/) depactare audeant, ſub pœna trium millium marcarum ad inſtantiam cuiuſvis, & vt Theſaurarius Regni arceat id.

Item ſi Nobiles in Civitatibus cereviſiam in vſum proprium domeſticum braxari faciant ad ſolutionem duciliorum(Polon: **Czopowego**)

wego) minimè tenentur. SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1511.* ut refert Herburtus in Statuto suo Latino *fol. 69. tit. Cerevisia.* Et Janussovius *fol. 370. tit. 9. libri 4. par. 1.* vbi posuit annum istius statuti *1507.* *Idem Janussovius lib. 8. part. 3. tit. fol. 1047* adfert statutum JOANNIS ALBERTI Regis *Anni 1469.* in quo perpetuò decernitur, ut Spirituales & Sæculares Nobiles possint cerevisias & liquores alios vndecunque recipere, sumere, in villisq; & locis alijs ditionis eorum braxare & braxari facere: ac undecunq; maluerint aut voluerint sumere, absq; omni Regis & Capitaneorum prohibitionis, aresti, ac pænæ formidine. *Idem refert & Herburtus loco citato*, sed annum Statuti istius ponit 1436. *Videatur & Zawadzki in compendio suo Polonico cap. 4. tit. 1. fol. 5.*

In Constitutione quoq; *Anni 1613 fol. 12 tit.* **Czopowe Duchowne y Szláchecktie** Ducillæ (*Polonicè* **Czopowe**) ex braxatorijs Spiritualium & Nobilium sublatæ sunt, vti juri contrariæ.

Dicta tamen prærogativa cessat; si ob vrgentem necessitatem Reipubl: in Comitijs generalibus Regni de consensu omnium Ordinum statueretur, vt etiam Nobilitas vectigalia, ab omnibus rebus ex bonis suis extra fines Regni exportans solveret, vt in Constit: *anni 1629 fol. 18. tit. Auctio subsidiorum*, & in Constit: *Anni 1631. fol. 14. tit. Evecta* habetur.

Decima quinta prærogativa Nobilitatis est in emendo sale. Nam in Constit: *anni 1567 fol 137. tit.* **Sol ná komorách Mázowieckich** constitutum fuisse legitur. Quòd Notarii depositorium salis ad vectionem salis ad Cameras suas publicarent, & in locis Oppidorum publicis, & post publicationem ejusmodi factam, toto tempore quatuor septimanarum soli Nobilitati ad usum tantùm proprium domesticum venderent. lapso autem dicto spatio quatuor septimanarum, data est ijsdem Notarijs Camerarum salis, alijs hominibus cujuscunq; conditionis & sexûs pro arbitrio suo vendendi.

Quod idem in Constit: *anni 1589. fol. 521 & sequ. tit.* **Solne składy Mázowieckie** habetur: dum ad instantiam Palatinatûs Masouiæ, & Districtuum, Łomzinensis, Rozanensis, & Viscensis, depositoria salis: ex salisfodinis Vielicensibus & Bochnensibus Lomzæ & Rozanæ constituta, confirmata sunt: Ordinatumq; est, vt Præfecti Zupparum dictarum pro tempore existentes singulis annis ex salisfodinis Vielicensibus mille tunnas salis, ex Bochensibus quingentas adveherent, & Nobilitati non majori pretio, quàm nonaginta trium grossorum venderent, idq; solùm in spatio quatuor se-

ptima-

ptimanarum post publicationem advecti salis factam, post lapsum verò tempus dictarum quatuor septimanarum data est facultas Præfectis Zupparum & eorum Notariis vendendi salem, pro arbitrio suo hominibus aliis cuiuscunq; conditionis & sexûs.

Ad hanc prærogativam spectat & hoc, quod in Constit. *anni 1647. fol. 11. & sequ: tit.* **Sol suchedniowá** constitutum est: vt in Zuppis Vielicensibus & Bochnesibus iuxta antiqua Statuta & posteriores Constitutiones *anni 1601. 1623.* Nobilitati, Palatinatûs Sandomiriensis in proprium usum illius, per Administratores earundem Zupparum, **Bałwan prostey soli** pro 4. tantùm florenis & grossis 4. idq; sub pœna mille marcarum, ad cuiusvis instantiam in foro post Curiam Regiam, cum termino peremptorio vindicanda, venderetur. Idem in eadem Constitutione *1647. fol: 13. tit:* **O soli suchedniowey/** constitutum est: reassumpta Constitutio *Anni 1601.* quoad Nobilitatem Palatinatûs Cracoviensis, & Ducatuum Zatoriensis & Oswiecimensis, sub pœna mille marcarum monetæ Polonicalis, forum ut supra post Curiam Regiam. Sal autem in tunnis juxta consuetudinem aliorum Palatinatuum Nobilibus vendatur. Hoc etiam addito, quòd idem debeat intelligi respectu salis, qui advehitur ad Zuppam Biegnieviensem, Palatinatui Łanciciensi debiti, excepto sale, **Stochwalowa** dicto, qui iuxta taxam in contractu descriptam vendatur. Et omissis constitutionibus, videantur Pacta Conventa Serenissimorum Regum MICHAELIS & JOANNIS III. de sale isto quartuali Nobilibus debito.

Decima sexta prærogativa Nobilitatis. Quòd soli Nobiles bona hæreditaria Terrestria, hoc est: villas, Oppida, tenere & possidere possunt. Unde Polon: vocâtur **Ziemianie**. Exstant super hoc statuta Sererenis: Regum, (vtpote JOANNIS ALBERTI Regis *Anno D. 1496.* item SIGISMVNDI Senioris *Anno D. 1538.* & SIGISMVNDI AVGVSTI *Anno D. 1550.*) lata, prout illa refert *Herburtus in Statuto Latino sub verbo: Civis, Ianussovius libri 8vi parte 2dâ, fol: 1031. & sequ. tit. 1.* Exstat & Constit: *Anni 1611. fol: 14. tit:* **Miástá áżeby dobr Ziemskich nie kupowáły/** in qua expresse constitutum est, ne Civitates & illarum Incolæ, omnium generaliter Dominiorum Regni & Terrarum Prussiæ audeant emere bona Terrestria Nobilium idq; sub amissione eorundem bonorum. Quodsi jam empta & resignata illis fuerint, data est facultas propinquioribus jure retractûs redimere. Salvis privilegiis Civitatum Cra-

coviensis & Pruthenicarum, in quibus Civitatibus, juxta jus, liberum est privatis Civibus bona Terrestria emere, sed eiusmodi emptiones Civitatibus ipsis non debent servire. *hucusq; verba Constitutionis allegatæ.* Simile privilegium Civitas Vilnensis, & Consules eius, tum Civitas Leopoliensis & Consules eius habent, prout in Constit: *Anni 1676. fol: apud me 40. tit:* **Miásto Lwow/** de his mentio fit, facit etiam dictum Statutum SIGISMUNDI Senioris *A. D. 1538. latû in illis verbis:* Hoc tamen extendi non debet ad Civitates & cômunitates earundem, quæ bona Terrestria hæreditaria vigore privilegiorum antiquorum ius commune obtinent. Secus de privilegiis, quæ ante Statutum JOANNIS ALBERTI *Regis* concessa sunt.

Hinc etiam Civitates Prussiæ illarumq; cives, allegant privilegium SIGISMUNDI Senioris Regis, quòd liceat illis bona Terrestria emere & possidere, sicut & Nobilibus bona Civilia; ita tamen, vt ad paria onera vtrinq; ferenda sint obligati. Allegantur & jura municipalia Prussiæ, quæ omnia privilegia Civitatibus & Civibus super hoc data, iuxta tenorem suum servanda sunt.

Permissum tamen est Nobilibus in Civitatibus, areas, domos, & promptuaria aliàs **Spiklerze/** tali tamen ratione, ne iurisdictionem Civilem devitent: & omnia debita & onera Civilia ex illis areis & domibus servientia subeant. SIGISMUNDUS AUGUSTUS *Anno 1550. vt refert Herb: in Statuto Latino sub verbo: Nobilis.* Et habetur in Constit: eiusdem *Anni fol: 6. §* **Aby Szlachta/** Idem in Constit: *Anni 1611 fol: 27 tit:* **O ludziách/** ne tamen in domibus suis personas voluntarias, reuenditores, & artifices manentes protegant cautum est, vt videre licet.

Decima septima prærog: quòd Nobilis occidens Nobilem parem sibi genere, non punitur pœnâ colli, sed solùm pœnâ pecuniari[illegible], & sessionis in Turri, sed de hoc fusiùs *in tomo 2do sub tit: de Homicidio.*

Decima octava prærogat: est: quòd si Nobilis ægrotus coram Delegato à Serenissimo Rege dispositionem de rebus suis quibuscunq; fecerit, id adeo firmum & validum censeatur, acsi judicio & Actis publicis insinuatum esset. *Lipski in observationibus suis centuriâ primâ, in fine observationis 63.* allegando pro hoc Statutum SIGISMUNDI AUGUSTI, *Anno 1550. Petricoviæ latum.* Hinc *Petrus Miesskowski in suo Polono jure Polito, sub verbo: Nobilis, sive Nobilitas, fol: apud me 271.* Nobilitatem Polonam sic descripsit. Est Electrix

Regum

Regum, Senatorum Parens, judiciorum directrix, militiæ robur, pacis ornamentum, tutela libertatis, quam appetunt finitimæ nationes, barbari ipſi mirantur, hoſtes horrent. O vtinam hæc libertas mole ſuâ abuti nollet! ſed ita fit; plerumq; omnia pondere ſuo premi ac proſtitui. *Hucuſq; verba Mieſſkovij.*

Cur autem Nobilitas Polona, tantis prærogativis à Sereniſſimis Regibus ſit aucta & dotata? duplicem cauſam colligo. *Primam,* quòd ſit præcipua pars & portio Regni, vt eam SIGISMUNDUS Rex in Statuto ſuo certo vocat, referente *Herburto ſub verbo: Spiritualis, Zawadzki in ſuo compendio Polonico cap: 4. tit: 1. Secundam,* quia Nobilitas occurrente neceſſitate, ſuis propriis cervicibus, & effuſione proprii ſanguinis, à caſibus bellicis, Regnum ipſum defendere conſuevit, & aſtricta eſt. ut ALEXANDER Rex in Statuto ſuo *Anno D. 1505. fol: 4. ſcripſit, referente Herburto ſub verbo Plebeij. Zawadzki loco citato.*

Sunt autem Nobiles Regni Poloniæ alij, quorum Maiores, virtutis ergo, in eundem Ordinem allecti, gentilitio ſigno donati ſunt; vocanturq; Nobiles nati. Alij ſunt Nobiles, qui nunc ipſi hoc meruerunt virtute ſuâ, vt ad hanc prærogativam Nobilitatis admitterentur. *Ita Starov: in deſcriptione Poloniæ ſub verbo: Nobilitatis prærogativa.* Hi à Nobilibus natis, vulgariter Scartabelli appellantur. Num autem Nobiles recenter creati debeant appellari Scartabelli? diverſi diverſè opinantur. Alij (vt *Matth: Dargocki in lib: de titulata Nobilitate num: 48.*) exiſtimant illos eſſe appellandos, qui ex plebeia conditione, in Ordinem Nobilium recenter ſunt evecti. Quidam autem exiſtimant Scartabellos illos eſſe dicendos, qui ex Scultetis & Kmethonibus Nobiles facti ſunt. *Ita Przyluſcius.* Hancq; vocem Scartabellus deducit ex Græco verbo Scarthmos, quæ vox Græca apud Latinos, ſignificat agilitatem pedum, ſaltationem, motũ, curſum. Hinc apud Nos (inquit *Przyluſcius*) ex Græca & Latina voce, dicti ſunt vel pedites vel agiliores Equites in bello, ad omnẽ vſum currendi vel recurrendi celeres atq; expediti. Alij autem vocem hanc Scartabellus ex Latino idiomate deducunt quaſi **z karty/** Eques hoc eſt: qui non ob aliquam militarem aut aliam virtutem Maiorum ſuorum, vel propriam, ſed vel ob numeratam pecuniam in neceſſitatem vrgentem Reipub: convertendam, vel ob conſtitutos proprio ſumptu aliquot milites, prærogativa Nobilitatis donati ſunt, (vt multa exempla in volumine Conſtitut: exſtant & reperiuntur.)

Hâc voce Scartabellus primus dicitur esse vsus CASIMIRUS Magnus Rex *Anno 1368.* dum statuit pro capite, militi famoso, aliàs **Szláchćicowi** sexaginta marcas: scartabello triginta marcas: militi creato de sculteto vel Kmethone quindecem marcas, à villano occisore solvendas esse. *vt refert Herb. in Statuto Latino sub verbo: Homicidium. Paulus autem Sczerbicz parte 4. cap. 4. fol. 262.* Scartabellos illos vocat, qui nati Nobiles bonis Terrestribus venditis in Civitatem transeunt, & ibi victum sordidi quæstûs cupiditate quærunt.

Præstabilius autem Nobilem natum esse, quàm creatum, & ad Nobilitatis prærogativas esse admissum. *Starovolscius loco citato scripsit.*

Hinc in Pactis Conventis Serenissimorum olim Regum MICHAELIS & JOANNIS III. § **Cudzoziemcow/** Nobiles recenter creati à dignitatibus & Officiis, tum Legationibus vsq; ad tertiam progeniem arcentur. Quamvis multæ Constitutiones Regni reperiantur, in quibus Nobiles recenter creati, ob merita in Rempub: capaces omnium munerum & officiorum, non obstante lege de novis Nobilibus, declarantur: vt videre est in Constit: *Anni 1676.* sub eodem Serenissimo JOANNE *III. Rege* scripta. Creatio Nobilium, olim ab arbitrio & voluntate Serenissimorum Regum dependebat: sed in Constitutione *Anni 1578 fol. 334. tit. Plebeiorum nobilitatio,* cautum est; vt prærogativa Nobilitatis in Comitiis Generalibus, cum scitu Ordinum, aut in bello, ob res præclarè pro Republica gestas conferatur. In Constitutione quoq; *Anni 1601 fol. 736. tit.* **O nowey Szláchćie/** constitutum est, vt nullus ad Nobilitatem admittatur, nisi quem Senatus & Nuntij Terrestres, vel in bello Duces Exercituum Serenissimo Regi commendarent. In qua Constit: insuper additum est: ne aliquis subditus alicuius, contradicente Domino suo hæreditario, ad Nobilitatem sub nullitate admissionis admittatur: prædicta Constit, *Anni 1601* reassumpta est in Constitutione *Anni 1613. fol: 8. tit.* **O nowey Szláchćie.**

Nobilis ignobilem, ne ad insignia sua (Polon: **do Herbu**) admittat, vel pro illo testimonium faciat, aut illum pro consanguineo suo agnoscat, prohibitum est, in Constitutione *Anni 1633. fol. 33. tit.* **O wywodzeniu Szláchectwá/** idq; sub amissione propriæ Nobilitatis, respectu cuius forum in Tribunali inter causas Officii ad instantiam cuiusvis assignatum est, extendendo eandem Constituti-

onem

onem etiam contra illos, qui post Constit: *Anni 1578.* ausi sunt privatim ad insignia (aliàs **do Herbu cudzego**) accedere, aut in ea se intruserunt.

Si quis autem Nobilem se asserat, cùm non sit, bona sua omnia amittat, quorum medietas proventibus Quartæ, altera Delatori cedat, respectu cuius forum in Tribunali inter causas Officij. Si autē impossessionatus sit; in Iudicio Castrensi, vel in Tribunali Regni respondeat, convictus sessionem turris per sex menses sustineat, Delator autem si in obiectis deficiat, pœnâ Statutariâ in eodem judicio, ad quod causam intentavit, puniatur. Ita in Constit: *Anni 1589. fol. 517. tit.* **O Szlachectwie.** Pœna autē ex Statuto est trium marc: de stylo autem Tribunalis sexaginta marc: judicio & parti per medium dividen: vt testatur *Zawadzki in processu suo fol: apud me 151.*

Ad hæc: plebeius pro Nobili se gerens, si occidatur, homicida pœnam occisi Nobilis evadit, quinimo agens pro huiusmodi pœna, centum viginti marcas luat, & sessionem turris per annum & sex septimanas sustineat. Idem si respectu vulneris agatur. Ita in Constitutione *Anni 1557. fol: 10.* § **Gdzieby kto/** statutum est.

Si alicui asserenti se esse Nobilem, objiciatur ab aliquo Nobili ignobilitas, statuit CASIMIRUS Rex *Anno 1368. vt refert Herb: sub verbo: Nobilis,* vt ad probandam suam Nobilitatem inducat sex Nobiles Viros seniores, duos de stirpe sua genitos, & jurent, quòd sit eorum Frater, & de Domo ac stirpe corū Paterna procreatus, item de 2da & tertia genealogia per duos testes (hoc est ex Avis & Matre productos, præstito ab illis vt supra juramento, comprobet.

Quid simile est in Statuto Lithuanico *cap. 3. art: 19.* vbi sic statuitur; vt 4. testes, duos ex linea Paterna, & duos ex linea Materna inducat, & hi omnes sub juramento recognoscant, verum esse Nobilem. Quòd postquam comprobaverit, objiciens eidem ignobilitatem per 20. septimanas sessionem Turris subeat, & parti inculpatæ satisfaciat.

In Constit. *Anni 1601 fol. 736 tit.* **O nowey Szláchcie/** statutum est. Si aliquis ad Iudicium Terrestre, vel Tribunal Regni citatus esset, pro eo, quòd non sit Nobilis, citationem istam, in Comitiolis electionis Deputatorum Palatinatûs, in quo est procreatus, demonstret, & in ijsdem Comitiolis Nobilitatem suam deducat, & post deductionem eiusmodi, attestationem super hoc, à Nobilitate ad eadem Comitiola congregata obtineat, eandemq; coram Iudicio Terrestri, vel in Tribunali Regni præsentet. Iudicesq; cauti sint,

vt tali atteſtatione, circumſpectè conſanguineos inculpati ad juramentum admittant. Comperto autem, quòd aliquis Nobilis cùm non eſſet inculpati conſanguineus, & tamen juramentum præſtiterit, citatus ſuper hoc,& convictus, nobilitatē ſuam amittat, & bona eius adiudicentur Actori. Quæ Conſtitutio extenſa eſt ad M.D L.

In Conſtitutione quoq; *Anni 1609. fol: 903. tit: de Plebeijs* **tak w Koronie iako y w Wielkim Xięſtwie Litewſkim/** ſic ſtatutum eſt. Cùm multi externi, Nobilitatis titulo non ſuo ordine acquiſito, emptis bonis Terreſtribus, munia Nobilitatis non obeūt, imò mercaturam, per ſe, vel factores ſuos exercent. Ideo ad Tribunal, ad inſtantiam cuiuſvis inter cauſas Officij citati, & legitimè convicti bona illa amittant, per medium fiſco Regio,& Delatori iure victori, dividenda; tum ad ſeſſionem in Turri condemnentur. Salvis juribus privilegiorum Civitatibus Regni, reſpectu bonorum Terreſtrium, poſſidendorum datis & conceſſis.

In Conſtit: *Anni 1633 fol: 33* § **Do wywodu Szlachectwa** ſtatutum eſt: vt in deducenda Nobilitate præter teſtes in antiquis Conſtitution: requiſitos & ſpecificatos,teſtimonia literatoria authēntica (hoc eſt: Reformationū, diviſionum bonorum Terreſtrium, diſpoſitionum) producantur: aliàs deficiens in productione illorum, licetſi dignitatem aut officium obtineat; functione ſuâ careat, dignitas vel officium pro vacanti reputetur, vtq; reſpectu iſtius, Nuntij Terreſtres in Comitiis ſeriò vrgeant.

Item in eadem Conſtit: *Anni 1633. loco citato* § **Ktoby przez dekret Seymowy** ſtatutum eſt: quòd ſi aliquis non per ſerias cōtroverſias, ſed per decretum *Comitiale* vel Tribunalis in contumaciam, aut in condicto latum, Nobilitatem ſuam deduxerit, non deductâ legitimè in Comitiolis proprij Diſtrictûs, in quo originem duxit, teneatur juxta præſcriptum eiuſdem Conſtitutionis eandem Nobilitatem ſuam deducere. Quâ ſic abſq; omni fraude deductâ, non debet ampliùs à quoquam moleſtari. Conſervataq; eſt in toto Conſtitutio *Anni 1601.*

Item in eadem Conſtitut: *Anni 1633. loco citato:* § **Komu nie Szláchectwo/** ſtatutum eſt. Quòd ſi alicui ignobilitas obiecta fuerit, is non poſſit obiicienti reconventionaliter ignobilitatem obijcere, quouſq; priùs Nobilitatem ſuam non deduxerit.

Ad extremum in eadem Conſtit: *Anni 1633. loco citato* § **Nákoniec/** ſtatutum eſt: quòd ſi aliquis in deductione Nobilitatis ſuæ deficiat, & Nobili bonæ famæ abſq; vlla deductione & documen-

tis

tis juridicis, ignobilitatem obijciat: is autem cui hanc ignobilitatem obiecit, non solùm per testes consanguineos, sed etiam per documenta literatoria authentica Nobilitatem suam probaverit, præfatus obijciens, ad instantiam iniuriati, pœnæ colli subiaceat.

In Constitutione autem *Anni 1667. fol. 14. tit: Securitas* **honoru Szlacheckiego/** sic ordinatum est: si alicui, post legitimè deductã in Comitiolis Districtûs proprij Nobilitatem, audeat aliquis ei ignobilitatem obijcere, talis iniuriatus causam suam, in principio Tribunalis, ex Regestro speciali causarum diei Sabathi, non obstante partis adversæ resistentiã, possit prosequi, Tribunalq; nullo modo id deneget, quinimo eandem causam acceleret, & juxta præscriptũ juris iniuriantem puniat: maximè si calumnijs & obiectionibus iniustis tales obijcientes notati, familias antiquas, absq; iusta causa molestare audeant.

Tandem in Constitutione *Anni 1690. fol. 17. tit: Deductio Nobilitatis*, habetur. Quòd licèt antiquo jure cautum, vt deductio Nobilitatis in Comitiolis Deputatorum fiat: quia tamen eiusmodi Comitiola sæpissimè rumpantur, & sic deductio Nobilitatis non possit ad effectum deduci, & inde aut præiudicium (stantibus iniustis obiectionibus) indebitè vexatis, dum in moram emundatio honoris it, subsequitur: aut etiam maius inconveniens, cùm sub prætextu accusationis, non possunt in Comitiolis habere tempus ad deductionem, conquisitis mediis, omisso ordine, per legem ad deducendam Nobilitatem præscripto, in Tribunalibus per decreta Nobilitatem obtinent. Ideo dictã Constitutione de consensu Ordinũ decretum est; vt in Tribunalibus, causæ in obiectione Nobilitatis non priùs judicentur, donec hæc deductio in Comitiolis expediatur: & vt in crastino, post finita, vel rupta Comitiola Deputatorum, eiusmodi deductio fiat. Quòdsi in electione Mareschalci fuerint rupta, nihilominus in crastino sub directione primi Palatinatûs illius, vel Officialis Terrestris fiat deductio, fideliterq; connotata ad Tribunal transmittatur.

In Constit: *Anni 1658. fol: 24. tit: Securitas honorum*, præcustoditum est; ne sub prætextu igne quasi consumptorum Actorum, homines plebeiæ conditionis ad prærogativas Nobilitatis veniant: si in aliquibus Palatinatibus, Acta Terrestria vel Castrensia igne consumpta, vel ab hostibus direpta essent, & per hoc, probatio seu deductio Nobilitatis non posset fieri: Incolæ talium Palatinatuum intra decursum trium annorum, ab actu dictæ Constitutionis *1658.* ge-

nealogiam suam fideliter conscriberent, & cum manifestatione de combustis, vel per hostem direptis Actis, in quibus documenta literatoria ad deducendam Nobilitatem facientia erant; tum de amissione literarum, quibus eandem Nobilitatem probare possent, ad Acta *Castrensia* proprii Districtûs, per oblatam porrigerent. Contra quam genealogiam data est facultas intra sex annos, & totidem menses protestationem faciendi. Quo casu, is cui ignobilitas obiecta esset, adstrictus erit inquisitione deducere, quòd fideliter conscriptam genealogiam suam porrexerit. Insuper duos de linea Paterna, & alios de linea Materna consanguineos inducere, qui in Comitiolis, vti suo consanguineo testimonio de illius Nobilitate dato, in Tribunali vnà cum ipso iuramento corporali realitatem genealogiæ & testimonii dati comprobabūt. Et cuius manifestatio cum genealogia descripta, per sex annos & totidem menses, sine contradictione in Actis remaneret, elapso dicto tempore, nullus protestationem contra præfatam genealogiam facere, vel in dubium vocare, audeat: sed iam is cui obiecta esset ignobilitas, & Successor eius suam genealogiam cum duobus testibus de linea Paterna, & cum duobus aliis de linea Materna in Comitiolis comparens præsentare & in Tribunali cum iisdem testibus realitatem genealogiæ juramento comprobare. Eodem modo & isti, qui ex propriis Palatinatibus & Terris ad alios Palatinatus & Terras se transtulerint, ad proprium Districtum, in quo Nobilitatem suam deducere debebant, veniendo, procedere teneantur.

De minoribus autem sic statutum est in dicta Constitutione *Anni 1658.* Quòd venientes ad competentes annos eodem modo, per omnia procederent, & genealogiam cum manifestationibus ad Acta Castrensia per oblatam darent. Si tamen Patruus vel Tutor illorum nomine, manifestationem & genealogiam eorum ad Acta porrexisset, ad annos debitæ ætatis venientes, inhærendo manifestationi & oblationi illius genealogiæ, manifestationem suam facerēt.

Qui autem munimenta & dispositiones suas conseruaverint, tales dispositiones, inscriptiones & decreta in terminis judiciariis per oblatam porrigent. Et circa oblatam, Capitaneus loci illius vnà cum Officio suo bene consideret, an illa munimenta oblata, sint cum subscriptione antecedaneorum Capitaneorum & illorum Vice-capitaneorum, aut Notariorum Terrestrium? & si agnoverit esse omni suspitione carentia, ad Acta sua, de verbo ad verbum mandet recipi. Quæ Acta tanti valoris sint, prout erant illa Acta combusta. Et

licetsi

licetsi Originale tractu temporis aliquo modo periisset, aut destructum esset, eiusmodi oblatæ extractum in quolibet judicio valorem suum habeat, tam in comprobanda Nobilitate, quàm in acquirenda hæreditate Bonorum.

Si autem Capitaneus eiusmodi inscriptiones & dispositiones ad Acta velit porrigere, tunc sub tempus Iudiciorum Terrestr: Iudicem Terræ istius, aut aliquem ex Officialibus Terrestribus juratis in locum sui substituat, qui sub vinculo juramenti sui consideret realitatem inscriptionum, dispositionum & decretorum. Et cognito de realitate, manu suâ subscribat, & taliter subscripta ad Acta recipiantur & tanti valoris sint, sicut & aliæ Inscriptiones per oblatam ad Acta datæ.

Simile quid habetur in Constitutione *Anni 1654 fol. 9 tit. Securitas bonorum*, de probanda & deducenda Nobilitate in Palatinatibus Kijoviensi, Bracłaviensi, & Czerniechoviensi, ad quam Constitutionem Lectorem remitto.

Nobilitas dativa privilegijs & Constitutionibus deducitur, vt colligitur ex Constitutione *Anni 1601. fol: 736. tit.* **O nowey Szláchćie.** Et ex Constit: *Anni 1641. fol. 11. tit.* **O Indigenátách.**

Kmetho & alia Persona plebeia non potest alicui Nobili, vel pro Nobili se gerenti ignobilitatem objicere, nisi fortè idem Kmetho audierit, per alium Nobilem super hoc increpatum esse: & ipse, de huiusmodi improperio minimè se expurgavit. CASIMIRUS Rex *Anno 1368. vt refert Herburt: in Statuto Latino sub verbo: Nobilis.* Qui tamen Rex intelligendum hoc censuit de illis Nobilibus, qui ad expeditionem serviunt, & Iudiciis Terrestribus subsunt, non autem de illis Nobilibus, qui in Civitatibus residentes cerevisiam propinant: aut fortè sunt vagi, & impossessionati: cùm tales tenentur se expurgare. Idem scripsit & *Zawádzki in processu suo judiciario, sub tit: modus procedendi in Actione probandæ Nobilitatis, fol: apud me 149. & sequenti.*

Amittitur autem prærogativa Nobilitatis, duobus modis. Primò; si decreto Principis ob admissum aliquod dedecus, & atrox facinus, privatus esset. Secundò, sordidi quæstûs cupiditate si aliquis deserens militiæ & agriculturæ studiis, mercaturam amplectatur, aut cauponationem, artemq; aliquam mechanicam exerceat. *Ita Starovolscius in descriptione Poloniæ, sub verbo: Nobilitatis prærogativa,* & de hoc secundo modo amittendæ Nobilitatis exstat Constitutio *Anni 1633. fol. 33. & sequ. sub tit.* **O wywodzeniu Szláchectwá/** ad finem

nem. Nisi talis rehabilitationem in Comitiis obtineat, vt annotavit *Scominovius l. 1. Institutionū tit: 3. f: apud me 69*, vbi allegavit certos Authores sentientes per solam desertionem mercaturæ, Nobilitatem reviviscere: sicut & Nobilitati Florentinæ, Lucensi, Lusitaniæ & Anglicanæ exercitium mercaturæ minimè officere testatur *dicto lib: 1. tit: 3. fol: 68. & sequ:* dummodo eandem mercaturam non per se, sed per factores suos exerceant. Sic & in Statuto Magni Ducatûs Lithuaniæ *cap: 3. art: 20.* habetur, quòd deserens mercaturam, artē mechanicam, aut cauponationem, & iterum rediens ad opera Nobilia & Heroica pro Nobili habendus sit.

Id etiam de jure Regni Nostri est, quòd nothi & spurij, quamvis ex illustribus Nobilibus Parentibus orti sint, non censentur in familijs, neq; prærogativâ Nobilitatis fruuntur. *Starovolscius loco citato*, & in dicta Constit: *Anni 1633. tit:* **O wywodzeniu Szlachectwá/ ȝ** *A illegitimo* statutum est : ne illegitimo deductiones Nobilitatis non rite factæ, aut gesti Magistratus opitulentur. Et meliùs in Constit: *Anni 1578. fol: 334: tit: de illegitima prole*, id expressum est. Cùm sæpissimè accidat, quòd nonnulli contra mandatum Divinū non cum legitimis vxoribus, sed cum concubinis, quas postea in matrimonium ducunt, habitant: statuimus, vt ex talibus vxoribus antea concubinis, liberi procreati, in nullis bonis hæreditent, neq; vllam prærogativam Nobilitatis habeant. sed *Scominovius loco citato refert*, spurios Nobilium Gallorum, Hispaniæ, Sabaudiæ & aliorū Nobilitatis privilegio gaudere, & insignibus gentilitijs Parentum suorum vti, hâc solâ differentiâ appositâ, quòd per interlineam in transversum à sinistro deorsum descendentem dividantur.

Nos tamen vt diximus, eiusmodi natos detestamur, & inter viles infamesq; personas collocamus.

§ I.

De Jndigenatibus.

Jn Constit: *Anni 1601. fol: 748. tit:* **Temruk** statutum est: Ne Indigenatus concedantur alicui extero, nisi priùs in Comitiolis Palatinatuum apud Nobilitatem id procuret, & per Nuntios Terrestres in Comitiis Generalibus recommendetur, ad instantiamq; illorum id obtineat.

Idem in Constitutione *Anni 1607. fol: 864. tit: de Indigenatib⁹*, statutum est, vt omnes Indigenatus tam in Regno, quàm in M. D. L. nemini concedantur absq; Ordinum vtriusq; Gentis consensu

in Co-

in Comitiis Generalibus. Aliàs si Cancellaria contra hanc dispositionem, privilegium extradisset, tale privilegium nullius valoris sit.

In Constitutione autem *Anni 1641. fol. 11. tit:* **O Indigenatách y Nobilitacyách/** sic statutum est: Quòd aliquis exterus procurans apud Rempublicam Indigenatum, ante omnia in Comitiis experimentum meritorum erga Rempub: faciat: & postea deductionem suæ Nobilitatis, authenticis documentis Principis sui hæreditarij, aut Reipublicæ, vbi natus est; comprobet. Insuper in eadem Constit: adiunctum est; vt Indigenatus quocunq; prætextu obtenti, nullius valoris sint, si post Annum 1607. in volumine legum non essent connotati: bonaq; & possessiones eius in Regno existentes, pro vacanti habeantur. Et si sint bona Terrestria, jure caduco; si autem Reipub: jure advitalitio, personis Nobilibus conferantur.

In Constitutione *Anni 1662. fol. 38. tit:* **O Indigenatách przeszłych Seymow** ordinatum erat: vt omnes Indigenæ ab *Anno D. 1658. vsq; ad annum 1662.* creati, in proximis & primis Comitiis Generalibus in personis suis coram Serenissimo Rege, & Ordinibus Regni comparerent & corporali juramento confirmarent debitam fidelitatem, vtq; interim possessionem realem, non fictam procurarent, & tales possessiones effectualiter possiderent. Aliàs si aliquis vtrumq; præstare noluerit aut neglexerit, ipso facto Indigenatum perpetuis temporibus amittat Indigenatum.

Tandem in Constitutione *Anni 1673. fol: 40. tit:* **O Indigenatách y Nobilitacyach/** declaratum est: quòd Indigenatus & Nobilitationes in iisdem Comitiis concessæ, solùm servire debeat Personis Fidei Catholicæ Romanæ. Et Indigenæ, iuxta Constitutionem *Anni 1662.* juramenta fidelitatis & deductionis Nobilitatis, tum possessionum in futuris Comitiis præstent & deducant, exceptis his, qui in iisdem Comitiis iam deduxerunt.

Hic placuit connotare principaliores qui Indigenatum in Regno Poloniæ obtinuerunt.

Et imprimis. Andreas Cardinalis, & Balthasar Batorei Fratres germani, Nepotes autem STEPHANI BATORI Regis Poloniæ, *Anno D. 1588. fol: 485 tit.* **O Indigenatách Pánow Batorych/** certis conditionibus ibidem insertis obtinuerunt.

Item Wilhelmus Barberius Nobilis Galliæ, *Anno D. 1607. fol: 853. tit.* **Indigenat Wilhelma Barberyusza.**

Item Boryssus Hrazny Nobilis Moschoviæ, *Anno D. 1616, fol: 50. tit:*

tit: Indigenát Vrodzonego Boryssá/ videatur de eodem Const: Anni 1638. fol: 54. tit: Deklaracya Indygenatu Boryssá.

Item Andreas Batory Anno D. 1627. fol: 13. tit: Indygenát Batorego.

Item Iacobus Buthler Nobilis Irlandiæ dicta Constit: 1627. fol: 14. tit: Indygenat Buthlerow.

Item Miron Bernawski Hospodár Woloski/ Anno 1629. fol. 15. tit: Indygenat Hospodara Woloskiego/ idq; in Constit: 2da dicti Anni 1629.

Item Franciscus Erdmanus Dux Saxoniæ, Anno 1652. fol: 28. tit. Indygenat Xiążeciá Saskiego.

Item Joannes Vdalricus Szaffgoc, Anno 1652. folio citato, tit. Indigenat Vdalryká Száffgocá.

Item Christophorus Houwalt Nobilis Sueciæ, Ibidem fol: 29. tit: Krzysztofá Houwaltá.

Item Claudius Herpinus, de Perpess Nobilis Galliæ. Ibid: f. 30.

Item Otto Baro de Schuerin, Succamerarius, Ioannes z Hoberbeka Dapifer, hæreditarij, Electoratûs Brandeburgici, Laurentius Christophorus Somnicz Succamerarius Ducatûs Pomeraniæ, Cancellarius Statûs Marchionatûs Brandeburgici, Anno 1658. fol: apud me 50. tit: Indygenaty Konsyliárzow Kurfisrzá Jegomośći.

Item Henricus de Gordon Marchio Huntilæus. Ibidem fol. 51.

Item Franciscus Andrault de Buij. Ibidem.

Item Petrus de Nowersz Nobilis Galliæ, Ibidem fol: 52.

Item Natanael Smieden, Burgrabius Gedanensis, Ibidem.

Item Fridericus Ehler Proconsul Gedanensis. Ib. f. 53.

Item Joannes Wahlá Consul Gedanensis. Ibid.

Item Valentinus à Wonter, Obester Gedanensis. In qua Constit: 1658. pluribus Indigenatus dati sunt, vt videre licet, similiter in Constit: Anni 1662. 1667. 1673. 1676. 1678. 1683.

TITVLVS QVADRAGESIMUS.

De Comitijs & Comitiolis antecomitialibus.

CVm æquitati & rectæ gubernationi consonum sit, illos, ex quibus tanquam ex membris corpus Reipub: compositum est, ad consilia de summa Reipub: danda, leges condendas, adhiberi.

hiberi. Sic enim & legibus de consensu suo latis libentiùs parebunt; & si aliquid adversi Reipub: obvenerit, æquo animo ferent; maioriq; cum celeritate & alacritate mutua auxilia præstabunt. Quocirca prudenti consilio, & in Republica Nostra constitutum est, vt certis temporibus Comitia Generalia omnium Ordinum Regni celebrarentur. Sicq; omnes Ordines de statu & recta gubernatione tractarent, & quidquid communibus consiliis statuerint, id vim legis habeat, inviolabiliterq; ab omnibus observetur, vt in Constitut: *Anni 1550 fol. 4.* § **Aby zá Krzesnego/** sub SIGISMVNDO AVGVSTO Rege habetur: Comitia Generalia & Comitiola suo tempore & loco vt peragantur: simulq; cum Magno Ducatu Lithv:, vt in Constitutione *Anni 1564. fol: 56.* § **Co sie zá sie iedney á spolney rády**, & in privilegio vnionis Magni Ducatûs Lithuaniæ, in volumine Constitutionum *Anno D. 1569: f. 174.* **Seymy y rády/** inserto habetur.

Olim Comitia á Regibus cum Consiliariis tantùm peragebantur, subsequenti tempore Nobilitas admissa; cæperuntq; adhiberi Legati Nobilitatis seu vt vulgò vocantur, Nuntii Terrarum, vt scripsit *Cromerus lib: 2. de Republica & Magistratibus Polonorum*, sed quo tempore admissi fuerint, ibidē non expressit. Tamē *lib: 26.* de rebus Polonorum *fol: apud me 582.* scripsit sub CASIMIRO Rege Legatos sive Nuntios Terrestres ad Comitia mitti cæptum esse, & successu temporis inolevisse, vt sine ijs nulla Comitia legitima haberentur, neq; tributum decerni, ac ne lex quidem vlla ferri possit. Ita *Cromerus refert*, quæ, brevitati studendo, omitto.

§ I.

De loco Comitiorum.

OLim Serenissimi Reges in loco sibi bene viso, Comitia cum Senatu celebrabāt. SIGISMUNDUS Rex Petricoviæ, VLADISLAUS JAGELLO Lublini & Parczow, *vt refert Herburtus in Statuto Latino sub verbo: Comitia*, sed & in alijs locis celebrabātur, vt Siradiæ, Lanciciæ, Cracoviæ, Corcini, & in alijs locis, vt passim legitur in Statutis Lascij, Herburti, & aliorum. Nunc Varsaviæ locus assignatus est, in Constit: *Anni 1569. fol: 182.* §. **Mieysce Seymow wálnych/** nisi causa legitima aliud faciendum suaserit; quo casu Serenis: Rex habet facultatem communicato consilio cum Senatori-

bus penes se residentibus ad alium locum commodum, dummodo in Regno, Ordines convocandi & Comitia indicendi vt in dicta Cōstitutione *Anni* 1569 *loco citato* habetur.

Tandem in Constitutione *Anni 1673 fol: 18. tit:* **Seym trzeci.** perpetuâ lege statutum est: vt in posterum iuxta cadentiam alternatæ, hoc est: post duo Comitia Regni Varsaviæ celebrata, tertia Comitia Grodnæ in Magno Ducatu Lithuaniæ peragerentur, excepto actu Convocationum Generalium sub tempus Interregni, tum & actu Electionis & Coronationis Regis; ut in locis solitis, hoc est Convocatio & Comitia Electionis Varsaviæ; Comitia Coronationis & ipsa Coronatio, Cracoviæ celebrentur: & vt dicta alternata, prout ad tempus dictæ Constitutionis habebatur, observetur. Propositiones autem in Comitiis in Regno & in M. D, L. peragendis Jllustrissimi DD. Cancellarii in negotiis Regni; in negotiis autem Magni D. L. Jllustrissimi DD. Cancellarii M. D. L. vnus post alium, semper proponant, similiter & responsa, in invitatione, valedictione Nuntiorum, & receptione denunciationis electi Mareschalci, in Regno penes Cancellarios Regni, & in M. D. L, penes Cancellarios Magni Ducatûs Lithuaniæ remaneant. Sumptum tamen pro Legatis Moschoviæ, Turcarum, Tartarorum & Cosacorum ad eiusmodi Comitia venientibus, Thesaurus M. D. L. suppeditet, taliter, sicut in Regno sub tempus Comitiorum Varsaviæ Thesaurus Regni solet providere. *Hucusq; verba dictæ Constitutionis 1673.*

Quinimo Serenis: JOANNES III. Rex in Pactis Conventis ẕ *Privilegia* **y prawá**, appromisit se velle etiam tertio quovis anno in M. D. L. residere.

De iisdem Comitiis tertiis Grodnæ habendis, habetur in Constit: *Anni 1677. fol. 3.* inter Constitutiones Lithuanicas. Prout hæc Comitia Grodnæ celebrata sunt. *Anno D. 1678. vt infra.* Et cùm *Anno 1685.* ordine & alternata Magnum Ducatum Lithuaniæ tangente, Comitia propter bellum cum Turcis, non Grodnæ, sed Varsaviæ essent indicta; magno motu, de hoc controversia fuit agitata, nec aliter sopita, donec in Constitutione *Anni 1685.* publicâ lege perpetuò Lithuanis esset promissum; reassumptæq; essent Constitutiones *Anni* 1673, 1674. 1677. super hoc latæ: hisq; verbis cautum est: In futurum statuimus, quòd Comitia, iuxta alternatam M. D. L. in Grodnensi Civitate Nostra; sub directione Mareschalci M. D. L. celebrentur, prout & Comitia immediatè post moderna imminentia,

nentia, in eadem Ciuitate Nostra Grodnensi, sub directione M. D. L. Mareschalci debent peragi: quibus moderna Comitia, licèt sub directione M. D. L. sint absoluta, praeiudicare non debent. *Hucusq; verba Constitutionis.*

Indictio Comitiorum Generalium celebrandorum ne fiat pro die Dominico, vel Festo maiore, cautum est in Constitutione *Anni 1591. fol: 615. tit:* **O Seymie.**

§ II.

De tempore & intimatione Comitiorum.

TEmpus celebrandorum Comitiorum Generalium ordinariorũ assignatum est, vt post decursum duorum annorum fiant, nisi vrgens necessitas Reipublicae aliud postulaverit, quo casu Serenis: Rex de consilio Senatorum vtriusq; Gentis, prout tempus, & necessitas Reipub: svaserit, intra illud biennium, indicere potest. Ita in confirmatione articulorum Serenissimo HENRICO Regi oblatorum, prout in volumine Constitutionum Regni *fol: 255.* **z Seym walny Koronny**/ & postea in Constitutione *Anni 1576. fol: 277.* **z Seym walny Koronny.**

Comitia quae post biennium fiunt, vocantur Comitia ordinaria: quae autem intra biennium, extraordinaria vocari solent.

Comitiis ordinariis praefixus est terminus, vt intra spatium sex septimanarum finiantur, vt in confirmatione articulorum Serenis: HENRICO Regi oblatorum, loco supra citato, & in Constit: *Anni 1576. fol: 277.* & in Constit: *Anni 1591* vt supra, & in Constit: *Anni 1633. fol: 14. tit:* **Konkluzya Seymowa.**

In qua Constit: cautum est, ne hoc tempus sex septimanarũ in futurum prorogetur, vel abbreuietur, sed hoc non servatur. Nam de consensu omnium Ordinum saepe prolongatur, vt tot exempla edocent. In Constit: *Anni 1652. fol: 1. tit:* **Skrocenie Seymu.** Comitia sex septimanarum ad duas septimanas restricta sunt, cum hac cautela, ne hoc juri communi de Comitiis in posterum noceat.

Similiter & in Constitutione *Anni 1654.* & in Constit: *Anni 1655.* cum cautela, vt in Constit: *Anni 1652* Item in Constit: *Anni 1668.* à principio: Comitia sex septimanarum ad tres, ob certas causas, redacta. Sed in illis nulla materia tractata est, praeter materiam abdicationis IOANNIS CASIMIRI IV.

Inchoatio & initium horum Comitiorum á die in literis Comitialibus præfixo sumitur, vt in dicta Constitutione *Anni 1591. loco citato.* Videatur & Constitutio *Anni 1613. fol. 10. tit:* **O Seymách y Seymikách.**

Comitia autem extraordinaria, per duas, vel tres septimanas celebrantur. Et quamvis in Constitutione 1637. *fol: 1.* VLADISLAUS IV. Rex pro se & Successoribus suis Regibus promisit, quòd in posterum Comitia extraordinaria duarum septimanarum non indicentur. Et tamen sub eodem VLADISLAO, vt in Constit: *Anni 1642* à principio habetur: Comitia duarum septimanarum fuerunt indicta & celebrata. Item in Constit *Anni 1646. fol: 7.* tit: **Seym extráordinaryiny/** Comitia extraordinaria trium septimanarũ, authoritate Comitiali, sine solennitatib⁹ indicta sunt, prout *Anno 1647.* celebrata sunt. Et in Constit: *Anni 1662. à principio.* Item in Constitutione *Anni 1673. fol: 28. tit:* **Seym dwuniedzielny**, vt Comitia duarum septimanarum commodo tempore ex Senatûsconsulto indicerentur, data facultas fuit, non derogando juri in posterum de Comitiis duarum septimanarum. Item in Constit: *Anni 1677. fol, 21. tit:* **Náznáczenie Seymu /** extraordinariorum Comitiorum indictio permissa est. Sed & hæc Comitia extraordinaria duarum, vel trium septimanarum de consensu Ordinum persæpe prolonganttur.

Et cùm muneris & potestatis Regiæ sit, Comitia indicere, vt ex supra allatis patet, & *Fredro in historia Henrici Regis fol: 97.* solent præmitti literæ ab eodem ad Senatores, per quas ad Comitia invitantur, & vt semper de materiis Comitialibus deliberent, vnde vocantur literæ deliberatoriæ mittũtur quoq; vniversales literæ (quæ vulgò Comitiales appellantur) ad omnes Palatinatus, seu Officia Castrensia singulorum Districtuum, duabus vel tribus septimanis ante Conventus particulares Comitiales; quas literas Officium Castrense per Ministerialem ad Principes & Magistratus omnes mittit; in foris etiam Vrbium Oppidorumq; per eundem Ministerialem, sive præconem altâ voce publicantur, & copiæ valvis Ecclesiarum Parochialium affiguntur. In quibus literis, Serenissimus Rex causas futurorum Comitiorum, Nobilitati transmittit. Ita in volumine Constitutionum *fol: 179. tit:* **Potwierdzenie Vniey, z Seymiki Powiátowe.** Et in Constitutione *Anni 1569. fol: 182.* **z Mieysce Seymow.** Et in Constitutione *Anni 1613. fol: 10. tit.* **O Seymách y Seymikách.** In qua Constit: cautum est: ut ex Cancellaria Regni literæ Comitiales tempestivè transmittantur, tum

quòd

quòd Generales Conventus Comitia Generalia duabus septimanis præcedant. Videatur & Statutum Lithuanicum *cap. 3. art: 6.* Et post Conventum Corcinensem in tribus septimanis Comitia Generalia assignentur. Particulares autem Conventus, vt Comitia Generalia sex septimanis præcedant. Videatur & Statutum Magni Ducatûs Lithuaniæ, *cap: 3. art: 6.*

§ III.

De solennitatibus Conventuum particularium.

AD Conventus particulares mittitur à Serenissimo Rege Nuntius cum peculiari instructione, in qua specialiter deliberanda proponuntur. Ita in literis confirmationis Articulorum ab HENRICO Rege in volumine Constitut: *fol: 255.* § Seym walny, & in Constitutione *Anni 1576 fol: 277.* § Seym walny Koronny/ vbi & hoc additum est, vt Comitia Generalia, Conventus particulares in Regno juxta consuetudinem, in Magno Ducatu Lithvaniæ juxta Statutum suum præcedant. Videatur & Statutum Lithuanicū. *cap: 3. art: 6.*

Dictus Legatus Regius, à primo Senatore, vel Officiali post jam factam electionem Mareschalci, excipitur, & honore supremo afficitur, per quem Legatum suum Serenissimus articulos propositionis ad Nobilitatem mittit, vt supra insinuavimus: quam instructionem suam, præmissâ eleganti oratione, Nobilitati prælegit. Non tamen ad omnes Conventus particulares, dicti Nuntij à Serenissimo Rege mittuntur. Exemplum adfertur in Conventu Zatoriensi, qui ante Conventum Generalem Palatinatûs Cracoviensis tribus diebus solet celebrari. Ad quem Conventum Zatoriensem non mittitur Legatus Regius, sed solùm instructio ad Capitaneum Oswiecimensem, vt Nobilitas scire possit, de quibusnam rebus sit consultandum. Ita in Constitutione *Anni 1581. fol: 375. tit:* Seymik Oświecimski y Zatorski. Literæ autem vniversales respectu istius Conventûs Zatoriensis mittuntur, aut Cracoviam, aut Oswiecimū *Ibidem.*

Tenentur ad Conventus particulares non tantùm Nobiles, sed etiam Episcopi Palatini, Castellani, alijq; Officiales Terrestres Palatinatûs vel Districtûs illius convenire, iuxta Statutum SIGISMUNDI Regis *Anno D. 1510.* latum, *vt refert Herburtus sub verbo: Comitia.* Et Statutum Lithuanicum, *allegato cap: 3, art: 6.* Nos latè supra in alio loco scripsimus.

Ad Capitaneum loci illius spectat, vnicuiq; hospitium assignare, habitâ ratione personarum. In Constitutione *Anni 1565 fol. 85. tit.* **Rozdáwánie gospod.**

Die præfixo adveniente, ante omnia Missa cantata, & concio auditur, deinde ad electionem Mareschalci illius Conventûs, descenditur, & pluralitate votorum eligitur. Sed in Magno Ducatu Lithuaniæ non vbiq; Mareschalci Conventuum particularium eliguntur; nam in certis Districtibus perpetui sunt. vt supra scripsimus.

Legatione Regiâ auditâ, vel saltem instructione Regiâ perlectâ, descendit Nobilitas ad consultandum, non tantùm de rebus à Serenissimo Rege in Literis vniversalibus, & in instructione expressis, & per Nuntium Regium propositis, sed & de aliis rebus per Nuntios suos in Comitiis Generalibus proponendis, & promovendis. Et quidquid communi consensu est conclusum, connotatur, & iterum ab omnibus trutinatur, donec tandem ab omnibus communi consensu approbetur.

Hæc trutinatio & moderatio Articulorum, vt à Senatoribus & Deputatis non in hospitio, sed in templo fiat, & ab ijsdem vnà cum Mareschalco Conventûs subscribatur, statutum est in Constitutione *Anno 1616. fol: 11 tit:* **Sposob konkludowánia Seymiku.**

Quæ Constitutio licèt de Conventu Crac: loquatur, nihilominus (vt ibidem) hanc Constitutionem Palatinatus Posnaniensis & Calissiensis acceptârunt. Sed postea dicti Palatinatus Posnaniensis & Calissiensis, à prædicta acceptatione recesserunt, & penes antiquam suam consuetudinem remanserunt, prout habetur in Constit: *Anni 1618. fol. 6. tit:* **O spisowániu Artykułow.** Sed Lithuanici & Prussici Palatinatûs prædictam Constitutionem 1616. observant.

His placitis conscriptis, & vt supra à Senatoribus, Deputatis, & à Mareschalco Conventûs illius subscriptis, descenditur ad electionem Nuntiorum Terrestrium.

§ IV.

De Electione Nuntiorum ad Comitia.

Eligi debent Viri possessionati, idq; pluribus calculis in Constitutione *Anni 1611. fol: 11. tit:* **Sposob obierániá/** vbi de electione in Palatinatu Siradiensi, Terra Vielunensi, Palatinatu Cracoviensi, & Terra Chelmensi. Item in Constit: *Anni 1613. fol: 13.*

tit:

tit: Obieranie Deputatow/ de Palatinatu Kijoviensi, & Districtu Mielnicensi dictam Constitutionem *Anni 1611.* acceptârunt. Rursus in eadem Constit: *Anni 1613. fol: 40. tit:* O obieraniu Deputatow/ extenditur ad electionem, tam in Regno, quàm in M. D. L. & in Prussia, in dicta Constitutione *Anni 1613. fol: 24. tit:* O obieraniu.

Idem & in Ducatu Masoviæ servatur juxta Constit: *Anni 1598. fol. 702. tit:* Seymiki y Elekcye.

Idem in Palatinatu Podlachiæ, ut in Constitutione *Anni 1631. fol: 34. tit:* Sposob obierania.

Idem in Palatinatu Ravensi juxta Constit: *Anni 1667 fol. 18. tit.* Seymiki Woiewodztwá Ráwskiego.

Idem in Palatinatu Brestensi, & Inoviadislaviensi vt in Constit: *Anni 1685. fol: 19. tit:* Approbácya *pluralitatis.*

In omnibus tamen suprascriptis Constitutionibus cautum est, vt tantùm Nobiles illius Palatinatûs, in quo fit electio Nuntiorum Terrestrium, admittantur ad votum seu calculum dandum in eodẽ Palatinatu possessionati. Et in aliquibus additur, vt & ipse Nuntius eligendus, eodem modo sit possessionatus. Non tamen esse eligendos Nuntios, qui actionem judiciariam; in iisdem Comitiis haberent. SIGISMUNDUS Rex *Anno 1540. vt refert Herburtus sub verbo: Nuntij.* in Constitutione *Anni 1601. fol: 756. tit.* O obieraniu Posłow/ vbi tamen additur dummodo non sit fictè, vel recenter ante eadem Comitia intentata, & absq; contradictione, in Comitiolis suis Nuntius esset electus.

Item: neq; Exactores contributionum, nisi plenariâ satisfactione Thesauro factâ. In Constitutione *Anni 1631. fol. 34. tit.* O Poborcach/ & in Constit: *Anni 1633. fol: 21 sub tit:* Trybunał Rádomski/ ad finem, & in Constit: *Anni 1661 fol: 13.* O Poborách Wielkiego Xiestwá Litewskiego.

Item. Deputatus ad Tribunal Regni, non potest esse simul Nuntius ad Comitia. In Constitutione *Anni 1616. fol: 3. tit:* O Deputatách Trybunálskich. Quæ Constitutio declarata est in Constitutione *Anni 1678. fol: 9. tit.* O Deputatách Trybunálskich/ quòd Deputatus ad Tribunal, etiamsi in Tribunali, actu locum non habeat, non possit esse Nuntius ad Comitia, nisi post exspirationem fũctionis suæ: contra hanc dispositionem faciens se eligi, ne locum inter Nuntios Terrestres habeat, & ad primam obiectionem legitimè probatam amoveatur. Quod extensum est ad Nuntium Terrestrem

 cuius-

cuiuſcunq; gentis, functionem Nuntij ab Exercitu gerẽtem. Et quòd proteſtatio contra hanc expreſſam diſpoſitionem legis à Nuntio facta, nulla et irrita ſit.

Rurſus in Conſtitutione *Anni 1683. fol: 5. tit:* **Deklarácya Konſtytucyey/** &c. dicta Conſtitutio *Anni 1678.* in toto conſervata eſt, cum hac declaratione; quòd quemcunq; in functione Tribunalitia, tam in Regno, quàm in M. D. L., prima intimatio per literas vniverſales ad Comitiola antecomitialia extraditas præveniet, licetſi ſecundaria intimatio, propter priora Comitiola rupta, eſſet extradita, non poſſit eſſe Nuntius; & electus, activitate in Camera Nuntiorum careat.

Nuntiis Terreſtribus Palatinatuum Wołyniæ & Bracłaviæ, locus inter Nuntios *Regni* aſſignatus, in Conſtitutione *Anni 1569. fol. 160.* § **A ták zá tákowym.**

Nuntij Terreſtres Terræ Łomzinenſis, vt alternatim, ex Diſtrictibus ad Comitia Generalia eligantur & mittantur: aliter electi, locum non habeant inter alios Nuntios ad Comitia Generalia congregatos. Statutum eſt in Conſtitutione *Anni 1613. fol: 19. tit:* **Elekcya Posłow Łomżynſkich.**

In Ducatibus Oſwięcimenſi & Zatorienſi, vt vnus Nuntius ad Comitia Generalia, in Conventu Oſwięcimenſi aut Zatorienſi eligatur, electus ad Conventum Proſouienſem mittatur, & cum alijs Nuntiis Palatinatûs Cracovienſis in Conventu Proſovienſi electis ad Conventum Generalem, in Civitate Neocorcinenſi, & inde ad Comitia Generalia Regni diſcedat: eiuſmodiq; Nuntio Theſaurus *Regni*, reſpectu longitudinis itineris, ſalarium provideat. ſtatutum eſt, in Conſtitutione *Anni D. 1563. f. 65.* § **A co ſię tycze.** Quod ſi ad Conventum Proſovienſem non venerit, locum inter Nuntios Palatinatûs Cracovienſis non habeat, ſtatutum eſt in Conſtit: *Anni 1616. fol. 20.* **O Posle Xieſtwá Oświęcimſkiego/** & ob hanc cauſam, ut Cancellaria *Regni*, Conventus particularis Zatorienſis, tribus diebus ante Conventum Proſovienſem, denuntiationem faciat. *Ibidem.*

Nuntij duo ad Comitia ex Palatinatu Czerniechovienſi, vt Czerniechoviæ eligantur, ſtatutum eſt in Conſtitutione *Anni 1633. fol: 33. tit:* **Ordynacyá Czerniechowſká.** Tandem in Conſtitutione *Anni 1635. fol. 17. tit:* **Ordynácya Woiewodztwá Czerniechowſkiego/** ordinatum eſt, vt Comitiola, tam Incolarum Palatinatûs Czerniechovienſis, quàm & Nowogrodenſis Czerniechoviæ fi-

ant, & Nuntij duo Terrestres ex Palatinatu Czerniechoviensi & Novogrodensi ad Comitia Generalia eligantur, habeantq; locum in Comitiis post Nuntios Parnavienses.

De Nuntijs Haliciensibus & Chełmensibus, in Constitutione *Anni 1611 fol: 25 tit: Alternata* statutum est. Cùm maximè necessarium sit, vt Nuntij Terræ Haliciensis & Chełmensis more aliorum Palatinatuum, in Comitiolis electionis deputati ad Tribunal, relationem functionis suæ, post reditum ex Comitiis faciat. Ideo ex hac ratione & aliis statuimus, alternatam illorum tollendo, vt electio Deputati in istis Districtibus singulis annis fiat.

De iisdem Nuntijs Terræ Haliciensis in Constitutione *Anni 1635. fol: 36. tit:* **O Seymiku Wiśninskim/** statutum est; vt Nuntij Terræ Haliciensis, cum articulis in Conventu suo laudatis & conscriptis, propter conferentiam & coniunctionem negotiorum & causarum Palatinatûs Russiæ, ad Conventum Visnensem veniat; & ob id, Conventus Haliciensis Conventum Visnensem, vnâ septimanâ præcedat.

Nuntius vnus ex Terra Łucoviensi possessionem in eadem Terra habens, in Conventu Lublinen: à Nobilitate eiusdem Palatinatûs eligatur, duos autē ex Districtu Lublin: & Vrzędovien: pro beneplacito suo Nobilitas eligat, ordinatum est in Constitut: *Anni 1654. fol: 15. tit:* **Sposob obieránia Posłow.**

Nuntij in Livonia ad Comitia Generalia Regni, vt iuxta confœderationem *Anno 1674.* in Conventu Dunemburgensi, ex præsentibus in eodem Conventu eligantur, in Constit: *Anni 1677. fol. 33. tit:* **Ordynacya** statutum est.

§ V.

De numero Nuntiorum Terrestrium ad Comitia.

NUntij Terrestres ad Comitia Generalia non possunt plures eligi, nisi iuxta antiquam consuetudinem Palatinatuum. Ita statuit SIGISMUNDUS I. Rex *Anno 1540. vt refert Herburtus sub verbo: Nuntij:* In M. D. L. ex singulis Districtibus, in quibus Iudicia Terrestria celebrantur, bini Nuntij eligantur, vt in Statuto istius Ducatûs, *cap: 3. art: 6. & sequ:* habetur.

In Palatinatu Lublinensi ex singulis Districtibus istius Palatinatûs duo mittebantur: sed in Constit: *Anni 1654. fol: 15. tit:* **Sposob obierania Posłow/** &c. ordinatum est, vt tres mitterentur, vnus ex Districtu Lublinensi, alter ex Vrzędowiensi, & tertius ex Districtu Zucoviensi.

In Palatinatu Czerniechoviensi, vt duo mittantur, ex Districtu Czerniechoviensi, & alij duo ex Districtu Novogrodensi, ordinatum est in Constit: *Anni 1635. fol: 17. tit:* **Ordynácya Woiewodztwá Czerniechowskiego/ y Posłow Ziemskich.**

Ex Palatinatu Podoliæ sex Nuntij solebant mitti.

De alijs Palatinatibus non exstant Constitutiones: de consuetudine tamen, ex Palatinatu Posnaniensi solent duodecem mitti, ex Siradiensi quatuor, ex Terra Wielunensi duo. Ex Palatinatu Łanciciensi quatuor ex Terra Dobrinensi duo. Ex Palatinatu Płocensi tres. Ex Palatinatu Masoviæ, ex singulis Terris duo. Ex Cracoviensi Palatinatu sex, ex Sandomiriensi sex. Ex Palatinatibus Russiæ quatuordecem. Ex Belzensi quatuor, ex Kijoviensi sex. ex Volynensi sex. ex Bracłaviensi duo, ex Livonia sex. In Prussia nunquam fuit determinatus numerus Nuntiorum Terrestrium, ideoq; plurimi ex hac Provincia ad Comitia mittuntur.

Respiciendo tamen numerum ordinarium Nuntiorum Terrestrium ad Comitia Generalia, in vniversum, centum & septuaginta quatuor Nuntij Terrestres (præter Prussicos, quorum non est definitus numerus) eliguntur & deputantur.

§ VI.

De loco & tempore Conventuum Particularium.

In Majori Polonia.

Conventus omnes particulares vnâ die indicuntur. Et quidem Palatinatui Posnaniensi & Calissiensi in Oppido **Srodá** juxta Statutum SIGISMUNDI Regis *Anno 1510.* vtq; duabus septimanis ante Colensem, & subinde Petricoviensem octo diebus constituitur, Siradiensi in Oppido **Sadek**. Terræ Vielunensi in Oppido **Wieluń**. Palatinatui Łanciciensi in Oppido **Leczycá**.

Palatinatui Brestensi & Cuiaviensi in Oppido **Rádziejowo/** secundùm Statutum SIGISMUNDI Regis *Anno 1510. vt refert Herburtus sub verbo: Comitia.*

Terræ Dobrinensi in Oppido **Lipno** juxta Constit: *Anni 1567. fol: 135. tit:* **Seymik Powiátowy Dobrzynski.**

Palatinatui Płocensi, in Oppido **Rádziadz.**

Palatinatus Ravensis in tribus locis consuevit habere Conventus suos particulares: nempe Districtus Ravensis *Ravæ* juxta Constit: *1569. fol. 190.* **y Seymik Powiátowy.** Districtus Sochaczoviensis

ensis in Oppido Sochaczewo. Districtus Gombinensis in Oppido Gombin. Constit: Anni 1667. fol, 18. tit: Seymik Woiewodztwá Ráwskiego.

Nam licet in Constit: *Anni 1667. fol. 18.* statutum erat, sic: De consensu omnium Ordinum electionem Nuntiorum ad Comitia Regni, Terræ Ravensis, Sochaczoviensis & Gombinensis ad vna Comitiola totius Palatinatûs, sicut & relationum Comitiola ad Oppidum Bolémowo/ transferimus, & electionem Mareschalci Comitiolorum, (qui juxta alternatam solitam Terrarum debet eligi,) sicut etiam & Terrestrium Nuntiorum, per pluralitatem vocum Incolarum istius totius Palatinatûs in eodem possessionatorum, authoritate præsentium Comitiorum statuimus. Et in electione Mareschalci, vt pluralitas vocum Nobilitatis possessionatæ in hac Terra, ad quam alternata spectabit, prævaleat, declaramus. Sed in Constitutione *Anni 1673. folio 30. tit:* Deklarácya o Seymikách Woiewodztwá Ráwskiego/ dicta Constitutio *Anni 1667.* in toto cassata est, & vt Comitiola juxta jus & consuetudinem Palatinatûs huius fiant, declaratum est. Idem colligitur ex declarationibus *Palatinatuum* dicto *Anno 1667.* factis, *fol. 53.* § Woiewodztwo Ráwskie/ & duobus sequentibus paragraphis, vbi singulis illis Districtibus peculiaria Comitiola indicuntur: & sic servatur, quòd *Palatinatus Ravensis*, in tribus locis Conventus suos particulares tam antecomitiales, quàm postcomitiales seu relationum, & alios Conventus, nempe Districtus Ravensis Ravæ, Districtus Sochaczoviensis in Oppido Sochaczewo/ & Districtus Gombinensis in Oppido Gombin/ celebrent.

Masovia & *Podlachia*, uno die suos Conventus particulares habent. Et quidem Terra Cirnensis Cirnæ, Varsaviensis Varsaviæ, Visnensis Visnæ, Wysogrodensis Wysogrodiæ: Zakrocimensis Zakrocimij, Ciechanoviensis Ciechanoviæ, Łomzensis Łomzæ, Rozanensis Rozanij, Livensis Livæ, Nurensis in Oppido Nur.

Generalis autem Conventus in Masovia Varsaviæ, eo die, quo in Maiori Polonia Generalis Conventus in Oppido Kolo/ celebratur.

Jn Minori Polonia in Oppido Nowe Miásto seu Korczyn/ juxta Constitutionem *Anni 1576. fol: 277.* § Seym wálny Koronny/ & Constit: *Anni 1613 fol: 10. tit:* O Seymach y Seymikach/ in qua sic habetur: Cavemus vt ex Cancellaria Nostra in posterum Literæ ad Conventus particulares seu Comitiola tempestivè mittan-

tur. vt Generalia Comitiola spatium duarum septimanarum habeant ad conveniendum. Et post Comitiola Corcinensia in tribus septimanis Comitia Generalia præfigantur: particulares autem Conventus vt Comitia sex septimanis præcedant.

In Conventibus Generalibus Colensi, Corcinensi, & Varsaviensi, vt articuli in Conventibus particularibus conscripti corrigantur & moderentur, in Constitutione *Anni 1565. fol. 84. tit:* **Seymiki Powiátowe.** Deinde in Constitutione *Anni 1609. f. 903. tit:* **Seymiki generalne/** vt Conventui Colensi & Corcinensi maius tempus Cancellaria assignet, quod ad conveniendum illuc sufficientius sit, statutum est.

In Minori Polonia.

Comitiola vno itidem die celebrantur.

Et quidem Palatinatus Cracoviensis Conventum Prosoviæ peragit, quem Comitiola Oświęcimensia & Zatoriensia in Oppido **Zátor/** tribus diebus præcedůt, iuxta Constit: *A. 1581. fol. 375. tit:* **Seymik Oświećimski/** vt supra scripsimus, & in Constit: *Anni 1616. fol: 20. tit:* **O Pośle Xięstwa Oświećimskiego.** Sed in Constitutione *Anni 1635. fol: 37. tit:* **O Seymiku Zatorskim/** ordinatum est: vt Comitiola Zatoriensia vna septimana præcedant: Neocorcinensem generalem, vt Prosoviensis particularis quatuor diebus præcedat, in Constitutione *1569. fol. 191.* **z Seymik tez Powiátowy.**

Palatinatus Sandomiriensis in Oppido **Opatowo.**

Concesserat quidem SIGISMUNDUS I. Rex huic Palatinatui, vt Conventus particularis etiam in Oppido **Skrzynno/** celebraretur, sed postea *Anno 1519: vt refert Herburtus sub verbo: Comitia,* abolitus penitus & sublatus est.

Palatinatus Lublinensis Lublini, iuxta statutum *Anni 1532.* Antea autem peragebat Vrzędoviæ, vt refert *Sczerbicz parte 3. cap: 3. fol: 13.*

Palatinatus *Russiæ* celebrat Conventus particulares, videlicet, Terra Leopoliensis Leopoli, Terra Præmisliensis Præmisliæ, Terra Sanocensis Sanociæ, Terra Haliciensis Haliciæ, Terra Chełmensis Chełmæ, Districtus Visnensis Visnæ.

Conventus autem Generalis Visnæ peragitur, quem Conventus particularis Haliciensis præcedere debet, juxta consuetudinem aliorum Comitiolorum.

Ita in Constitutione *Anni 1563. fol: 46. tit.* **Seymik Powiátowy w Haliczu.**

Tandem in Constit: *Anni 1581. fol. 376. tit.* **Seymik Halicki/** statutum est: vt iste Conventus particularis Haliciensis, vna septimanâ Conventum generalem Wisnensem præcedat. Idem in Constit: *Anni 1616. fol. 27. tit.* **Seymik Ziemie Hálickiey.** Idem & in Constit: *Anni 1635. fol. 36. tit.* **O Seymiku Wiśnińskim.**

Palatinatus Bełzensis in Oppido **Bełzá**.

Palatinatûs Podoliæ Conventus particulares peragebantur olim in Civitate Camenecensi, sed postquam hæc Civitas capta fuit à Turcis, vt Conventus particulares omnes, tam antecomitiales, quàm postcomitiales, istius Palatinatûs, Leopoli in Ecclesia PP. Franciscanorum celebrarentur, donec Halicia restaurata fuerit, vt in Constit: *Anni 1677. fol. 17. tit.* **Seymiki Woiewodztwá Podolskiego** statutum est: (nam ante hanc Constitutionem 1677. dicti Conventus particulares Haliciæ peragebantur, vt in Constit: *Anni 1673. fol. 32. tit:* **Ukontentowánie** *exulum* habetur.

Palatinatûs Kijoviensis, Bracławiensis, & Czerniechoviensis vt Conventus particulares Włodimiriæ celebrarentur, quousq; ad possessiones bonorum suorum Incolæ dictorum Palatinatuum, non pervenissent. in Constit: *Anni 1659. fol. 46. tit.* **Seymiki y Elekcye Woiewodztw Ukráinskich/** statutum est. In Constit: quoq; *Anni 1683 fol. 17. tit. Integritas* **Woiewodztwá Kiiowskiego**, ordinatū est, vt Conventus particulares Palatinatûs Kijoviensis, Włodimiriæ peragantur more antiquo, quousq; aliud non fuerit constitutum.

De Palatinatu Czerniechoviensi hoc adjungo, quòd iste Palatinatus olim cum Districtu Novogrodensi vnum Conventum particularem habebat, & Czerniechoviæ illum peragebat, vt in Constit: *Anni 1635. fol. 17. tit.* **Ordynácyá Woiewodztwa Czerniechowskiego/ y A Seymik ieden.**

Sed postea in Constit: *Anni 1659.* vt supra constitutum est, vt Conventus particulares Palatinatuum Kijoviensis, Bracławiensis & Czerniechoviensis, Włodimiriæ celebrarentur, cùm antea Conventus Palatinatûs Bracławiensis Vinniciæ perageretur.

De Conventibus Particularibus Palatinatûs Wołhyniæ in volumine Constitutionum *sub tit.* **O Ziemi Wołynskiey/** *fol: 160.* **y A ná woyne** ordinatum erat, vt in solitis locis peragerentur, & ex illis Nuntij electi, Włodimiriam venirent. Postea in Constitut: *Anni 1576. fol: 293. tit:* **O potrzebách Woiewodztwá Wołynskiego.**

 y Sey-

z Seymik/ declaratum est, vt Conventus particularis antecomitialis vnus tantùm sit, & Luceoriæ celebretur.

Jn Magno Ducatu Lithuaniæ.

LOcus Conventibus particularibus, ad futura Comitia assignatus fuit in Constit: Lithuan: *A. 1659: fol: 10 tit:* **Seymiki**. Et quidem Palatinatui Vilnensi Cameneciæ in eodem Ducatu, Osmianensi Districtui, Grodnæ, Lidensi in casu hostilitatis Lidæ & in Oppido Wasiliscensi, Bracławiensi, in Odp: Szatensi, Trocensi, in Opp: Siemnensi, Counensi, in Gielnensi, Smolenscensi, Grodnæ, Starodubovienfi, Vierzbołoviæ, Połocensi, Cobrinij, Vitepscensi, in Oppido Bezdziezensi, Orsanensi, in Minscensi, & in casu hostilitatis in Słonimensi, Mscisłaviensi, in Opp: Kiynki, Mozyriensi, Kobrynij, Rzeczyciensi, in Opp: Kieydany, Terræ Livoniæ in Dziewałtowiensi Oppido. Terris quæ non sunt subiugatæ ab hoste, loca consueta antiqua ad peragendos Conventus particulares, destinata sunt. Videatur Constitutio *Anni 1661. fol. 23. tit:* **Seymiki w Wielkim Xiestwie Litewskim/** in qua constitutum erat, vt Comitiola relationum, & alia Comitiola in locis expressis in declarationibus Palatinatuum & Districtuum peragantur.

Nunc autem Palatinatus Vilnensis peragit Vilnæ. Districtus Osmianensis Osmianæ, Districtus Lidensis Lidæ, Districtus Wilkomiriensis Wilkomiriæ, Districtus Bracławiensis Bracławiæ.

Palatinatus Trocensis in Civitate Trocensi, Districtus Grodnensis Grodnæ, Districtus Caunensis in Civitate Caunensi, Districtus Upitensis in Opp: Vpitensi, seu Ponienwieziæ.

Ducatus Samogitiæ Conventus suos particulares peragit, *Rosienis.*

Palatinatus Smolenscensis & Districtus Starodubiensis, durante armistitio cum Magno Duce Moschorum in Constit: *Anni 1667. fol, 79. tit:* **Seymik Woiewodztwá Smolenskiego/ y Starodubowskiego/** in Arce Vilnensi peragant, statutum est.

Palatinatus Novogrodensis Novogrodici, Districtus Słonimensis, in Oppido Słonimi, videatur Constitutio *Anni 1631. fol: 40. tit:* **Ziazd Slonimski/** vtq; omnes Senatores & Nuncii Magni Ducatûs Lit: ad hunc Conventum antecomitialem conveniant, statutum est. Item Constit: *Anni 1667. fol.* 17. inter Constitutiones Lithuanicas, *tit:* **Mieysce sadom/** vt in Arce Słonimensi peragatur. Item Constit: *Anni 1678. fol: 12.* inter Constit: Lithuanicas *tit: Reassumptio*

ptio Konſtitucyey/ in qua dicta Conſtitutio *Anni 1677* in toto approbata eſt, & vt juxta antiquum jus, Conventus iſte Generalis duabus ſeptimanis Comitia Generalia præcedat.

Diſtrictus Volcoviſcenſis in Oppido Volcoviſcenſi, de quo habetur in volumine Conſtit: *fol: 255. ſub tit: Literæ confirmationis,* ȝ Seym wálny/ & in Conſtit: *Anni 1576 fol: 277.* ȝ Seym wálny in quibus locis habetur, quòd Conventus iſte in Lithuania ſit Generalis, ſed hoc attento jure antiquo vt ſupra. Nunc in Lithuania Conventus Generalis non Volcoviſciæ, ſed Słonimi peragitur, vt in dicta Conſtit: *1631. 1677. 1678.* & in Statuto Lithuanico *cap. 3. a. 8.*

Palatinatus Połocenſis Połocii, Palatinatus Witepſcenſis, Vitepſciæ, Diſtrictus Orſzanenſis in Oppido Orſza, Palatinatus Breſtenſis, Breſciæ in Lithuania, Diſtrictus Pinſcenſis Pinſcii, Palatinatus Mſciſlavienſis Mſcisłaviæ, Palatinatus Minſcenſis Minſciæ, Diſtrictus Mozirenſis Moziriæ, Diſtrictus Recenſis Rochaczeviæ.

Palatinatus Livoniæ, Duneburgi, juxta Conſtit: *Anni 1673. fol: 17. tit:* Seymikom Ziemi Inflantſkiey/ inter Conſtitutiones Lithuanicas, quæ poſtea confirmata eſt per Conſtitutionem *Anni 1677. folio 33.*

Palatinatus Mariæburgenſis vt in Civitate Kiʒpork celebret, quouſq; Sztum/ non recuperaretur, ordinatum eſt in Conſtitutione *Anni 1635. fol. 32. tit.* Sady y Seymiki Woiewodztwa Málborſkiego.

Jn Pruſſia Conventus Generalis Graudenti & Mariæburgæ alternatim peraguntur.

Terræ Nurenſis Conventus particulares ex Nur translati erant ad ſex annos ad Oſtrow/ vtq; per hoc tempus in Eccleſia Parochiali peragantur, ordinatum eſt. Sed poſt elapſum tempus ſex annorum, iterum in perpetuum translati ſunt ad Nur: vt in Conſt: *Anni 1647. fol. 34. tit:* Seymiki Nurſkie.

Conventui Terræ Dobrzinenſis locus aſſignatus in Opp: Lipno, in Conſtit: *Anni 1567, fol: 135.* ȝ Seymik.

§ VII.

De expeditione Antecomitiali in Pruſſiam.

JN hac Provincia hoc ſpeciale ſervatur. Quòd ante Comitia Generalia Regni, literæ binæ ad Epiſcopos Varmienſem & Culmenſem Polonico idiomate conſcriptæ mittuntur. Et Epiſcopus Varmienſis

tan quam Præses Terrarum Prussiæ Statibus & Ordinibus (inter quos Civitates etiam maiores, hoc est: Gedanensis, Thorunensis & Elbingensis sunt) Conventum Generalem indicit. Ad Palatinos autē Culmensem, Mariæburgensem, & Pomeraniæ, tres vniversales literæ latinè scriptæ mittuntur: cum appendice: vt pro more solito, Conventus particulares præfigant. Quibus literis acceptis, rursus Palatini, quisq; in suo Palatinatu vniversales literas nomine suo scriptas mittunt, vt in Urbibus & aliis consuetis locis publicentur & affigantur.

Tum Conventus particulares à Nobilitate peraguntur. Et quidem in Palatinatu Culmensi, Kowaleviæ, ad quem Conventum etiam Nobilitas Michałoviensis confluit. In Palatinatu Mariæburgensi, Stumæ. In Palatinatu Pomeraniæ, priùs in singulis sex Districtibus, Conventibus particularibus actis, Nobilitas Pomeranica ad Conventum Palatinatûs totius Pomeranici Generalē, qui Starogardiæ celebratur, veniunt.

Tandem omnes totius Prussiæ Ordines, ad Conventum Generalem, qui alternatim Graudenti, aut Mariæburgæ solet peragi, confluunt: similiter Delegati à Civitatibus Gedanensi, Thorunensi, & Elbingensi, cum suis instructionibus veniunt, consultationesq; publicè fiunt. Interim Nuntius Regius (ad quem à Serenissimo Rege Polonico idiomate; Credentiales Literæ latinè scriptæ mittuntur) supervenit, & solenni cum pompa, per Succamerarium, & aliquot DelegatosCivitatū, multosq; alios ex Equestri Ordine ex hospitio suo, in plenū omnium Ordinum Pruss: consessū receptus, deducitur. Qui factâ, Regio nomine propositione, cum simili pompa domū reducitur, nec postea ad consessum plenum omnium Ordinum, nisi sub ipsum Conventûs finem venit, eodem modo solenniter eò deductus. Post discessum autem primum Nuntij Regij, totus Ordinum Prussiæ consessus in duo Conclavia, alterum superius, alterum inferius, dividitur. Ad superius conclave, duo illi Episcopi, tres Palatini, tres Castellani, tres Succamerarij, & dictarum trium Civitatum Delegati seu Internuntij conveniunt. Ad caput mensæ Episcopi assident: ex altera parte mensæ, Palatini, Castellani & Succamerarij: ex opposito horum dicti Internuntij Civitatum, & quidem eo ordine; vt primò Thorunenses, secundò Elbingenses, & tertiò Gedanenses locum occupent.

Ad inferius conclave Nobilitatis Nuntij in Conventibus particula-

cularibus electi, deinde etiam Civitates minores conveniunt, vt scripsit *Cromerus lib: 2. de Republica & Magistratibus Polonorum ad finē,* in illis verbis: Non ita pridem, in *Prussia* quoq; Nuntii Nobilitatis, & minorum Civitatum in Comitiis adhiberi cæperunt, tributi sciscendi causâ: cuius decernendi potestatem, neq; Rex, neq; Consiliarij soli vsurpant. *hucusq; verba Cromeri.* Sed hodiernis temporibus sola Nobilitas per Nuntios suos in hoc inferiori conclavi suffragia ferunt, omniaq; consilia, exclusis Civitatibus minoribus, licèt Regiis literis eò convocentur, expediunt, vt *Christophorus Hartknoch lib. 2. de Republica Polona cap. 6.* annotavit.

Divisis hoc modo conclavibus, & Mareschalco Equestris Ordinis directore electo, Nuntii Nobilitatis, instructiones suas à Fratribus sibi in Conventibus particularibus datas punctatim prælegūt. lecto vno puncto, si omnes in illud consentiunt acclamatur consensus. Si, qui contradicere velint, petitâ à Mareschalco dicendi facultate, rationes contradictionis suæ adferunt. tunc aut ipse Mareschalcus, aut alii ingenio dexterrimi (petitâ, vt supra dicendi facultate,) contradicentes, ad concordiam reducere student. Si contrariam sententiam defendentes, meliora suadentibus cedunt, Mareschalcus articulos illos, in quos omnes consenserunt, separatim scribit: Controversos autem articulos in separata charta connotat, & ad superius conclave reseruat. His peractis duo illa conclavia cōiunguntur. Ibi Mareschalcus Equestris Ordinis ad mensam Senatoriam consîdet, aliiq; iuxta ipsum Nuntij, quoad spatium permittit: reliqui Nuntij in appositis sedibus sessum capiunt. Hic iterum articuli illi controversi eòusq; tractantur, donec in certos articulos, omnes Ordines consentiant. Post hæc, instructio per Secretarios Civitatum, maximè autem per Thorunensem, latino sermone (quo etiam idiomate, Internuntij Civitatum sua suffragia ferunt, & alia desideria, in conclavi superiori proponunt) conscripta, publicè prælegitur, vbi iterum, quædam adduntur, quædam detrahuntur & mutâtur, donec tandem ea omnium votis respondeant. Demum instructio electis Nuntiis, (quorum etiam nomina & cognomina Instructioni huic inseruntur) ad Comitia Generalia Regni dantur, Ordinesq; Prussiæ ad locum Comitiorum Generalium Regni discedunt: exceptis Succamerariis & Ciuitatum maiorum Internuntiis, qui tanquam Consiliarii Prussici jus sibi de rebus Prussicis in sola Prussia cōsultandi reservant. Hæc ex Nicolao Chwałkowski *lib. 1. cap: 7 de Iure publico Regni Poloniæ,* & ex Christophoro Hartknoch *loco citato* de-

to desumpta sunt. Id tantùm adnotandum censui, quòd prædicti Conventus Generales hisce temporibus non celebrantur, exceptâ Prussiâ, vt scripsimus. Ratioq; adfertur, quia minùs necessarii videntur stante præmissione Conventuum particularium. Et tamen in Constit: sæpissimè inculcatur, vt celebrentur, vt videre est, (omissis aliis antiquioribus) in Constit: *Anni 1609. fol: 93. tit:* **Seymiki Generálne.** Item in Constitutione *Anni 1613. fol. 10. tit:* **O Seymách y Seymikách.** Item in Constitutione *A. 1631. f. 40. tit:* **Ziazd Slonimski.** Et in Constitutione *Anni 1678. inter Constit: Lithuanicas fol: 12. tit: Reassumptio* **Konstytucyey.** Tum, quia Conventus particulares adeo protrahuntur, vt non sit locus Conventibus Generalibus.

§ VIII.

De ipso actu Comitiorum Generalium.

ADveniente die Comitiis præfixo, à Sacris initium fit, hoc est Missa de Spiritu S. per aliquem Episcopum in Ecclesia Collegiata S. Joannis decantatur, concioq; peragitur. Quibus finitis, Senatores in Senatum secedunt, ibiq; Serenissimum Regem salutant. Nuntii autem Terrestres, ad conclave solitum Nuntiorum (quod polonicè vocatur **Izbá Poselská/**) conveniunt. Tunc Mareschalcus proximè præcedentium Comitiorum omnia dirigit; donec novus Mareschalcus ex pluralitate calculorum seu suffragiorum à Nūtijs Terrestribus ad Comitia congregatis, datorum, eligatur, quæ suffragia prior ille Mareschalcus connotat, & publicat. Eliguntur autem Mareschalci, alternatim per Nationes: primò, ex Minori 2dò ex Maiori Polonia, 3tiò ex Magno Ducatu Lit:.

Quodsi prior ille Mareschalcus aut mortuus, aut in Ordinem Senatorum interea temporis cooptatus fuerit: solet initio Comitiorum, alius Mareschalcus ad tempus eligi, donec ex ea gente, quam tangit ordo, novus eligatur. Exemplum habuimus, cùm Nicolaus Hieronymus Sieniawski, Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium in Comitiis *Anni 1676.* celebratis ad Senatoriam dignitatem evectus, seu Mareschalcus Curiæ Regni creatus esset, in Comitiis *Anni 1677.* conclave Nuntiorum non intravit, sed electus fuit ad tempus alius Mareschalcus, donec munus hoc tandem ad Vladislaum Michaëlē Skoraszewski Vexilliferum Palatinatûs Posnaniensis deferretur.

Si autem in ipsis Comitiis, Mareschalco Nuntiorum Terrestrium, Se-

um Senatoria dignitas conferatur, functio illius Mareſchalcalis non ceſſat, ſed vſq; ad finem Comitiorum penes illum remanet. Exemplum habuimus in Hieronymo à Stranow Sieniawſki, qui licèt *Anno 1676.* in Comitiis coronationis JOANNIS III. Regis Mareſchalcus Regni creatus eſſet per totum tamen tempus Comitiorum coronationis, munere Mareſchalci Nuntiorum Terreſtrium functus eſt, licèt poſtea *Anno 1677.* vt iam Senator, conclave Nuntiorum (vt diximus) non ingreſſus eſt.

Nuntij autem, ſi durantibus Comitiis, Senatoriam aliquam dignitatem adipiſcantur, ſtatim Collegio Nuntiorum valedicunt, locumq; ſibi in Senatu aſſignatum occupant.

Poſtquam plurium ſuffragiis Nuntiorum Terreſtrium Mareſchalcus electus eſt, Mareſchalcus ille prior baculum, inſigne muneris Mareſchalcalis, ſolenniter præmiſsâ oratione electo Mareſchalco tradit, qui priori itidem gratias agit pro fideli directione in præcedentibus Comitiis.

Quodſi prior ille Mareſchalcus malè functus eſſet munere ſuo, Nuntii Terreſtres exigunt ab ipſo rationes officii malè geſti.

Mareſchalcus Nuntiorum Terreſtrium noviter electus, licèt antea (niſi ſub tempus Interregni vt ſupra ſcripſimus) juramentum præſtabat; tamen in Conſtitutione *Anni 1678. fol. 1. tit.* **Juramenty**, certa forma præſtandi juramenti, præeunte verba Mareſchalco ſuperiorum Comitiorum, præſcripta eſt, quam ſupra *in tit: 4. de jure ſcripto* connotavimus.

Electo à Nuntiis Terreſtribus Mareſchalco, dijudicatiſq; cauſis Nuntiorum de loco in conclavi habendo motis & excitatis, (vt vult dicta Conſtit: *Anni 1678.*) conſtituto tempore, à Sereniſſimo Rege, Mareſchalcus cum Nuntiis Terreſtribus intrat conclave, in quo Rex cum Senatoribus ſedet, & ibi Sereniſſimum Regem ſolenni oratione ſalutat, cui nomine Sereniſſimi Regis, Cancellarius vel Procancellarius Regni in Regno, in Magno autem Ducatu Lithuaniæ, eiuſdem Ducatûs reſpondet, & in teſſeram benevolentiæ Regalis, Mareſchalcus & Nuntij ad oſculum manûs Regiæ per ordinem admittuntur. Poſt oſculum manûs Regiæ peractum, propoſitio Regis nomine à Cancellario Regni in negotiis Regni; in negotiis autem Magnum Duc: Lith: tangentibus, à Cancellario eiuſdem Magni Ducatûs in medium adducitur, prout Conſtitutio *Anni 1673. fol: 18. tit:* **Trzeci Seym** obloquitur.

Poſt factam propoſitionem, jusiurandum Regium & pacta Conventa ſummariè collecta per Referendarium Regni legi deberent,

vt in Pactis Conventis MICHAELIS & JOANNIS III. Regum Poloniæ à **Przysiegá náßá/** his verbis habetur: *Iuramentum Nostrum & Pacta Conventa summariè collecta, in singulis Comitijs, primo die loco articulorum Mareschalcaliû in præsentia Senatûs legantur.* Sed hæc solennitas in Comitiis extraordinariis duarum vel trium septimanarum omitti consuevit, vt praxis edocet.

Deinde negotium vacantiarû agitari solet: nam Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium (disponentibus sic legibus, vt supra mentionem fecimus, & habetur in Constitutione *Anni 1588. fol: 464. tit:* **O wákáncyách/** vbi habetur, vt vacantiæ immediatè ante Comitia in spatio vnius septimanæ, ab initio Comitiorum conferantur, & in Constit: *Anni 1607. f. 833. tit:* **O wákáncyách**) petit Serenissimum Regem vt vacantes dignitates benemeritis conferre dignetur; & Cathalogum vacantiarum in conclavi Nuntiorum Terrestrium conscriptum, publicè prælegit. Post hanc petitionem Mareschalci Nuntiorum, Serenissimus Rex aut *statim*, pro libitu suo distribuit, aut negotium distributionis (vt merita cuiusq; rectiùs ponderare valeat) differt. Quo casu, antequam Mareschalcus cum Nuntiis Terrestribus ad conclave suum redeat, iterum distributionem vacantiarum vrget.

Cùm autem Serenissimus Rex distributionem vacantiarum paratus sit facere, duos cathalogos vacantiarum (si magnus sit illarû numerus) conscribi mandat. Et vnum Cancellarius Regni, in quo vacantiæ in Regno descriptæ sunt; & alterum Cancellarius Magni Ducatûs Lithuaniæ vacantiarum in dicto Magno D. L. præsentibus Nuntiis Terrestribus publicè prælegit, & præconisat. Tunc quibus dignitates Senatoriæ collatæ sunt, commodo tempore publicè in Senatu Serenissimo Regi gratias solennes agunt. Si autem officium Mareschalci à Serenissimo Rege, alicui conferatur, Cancellarius nomine Serenissimi Regis, baculum, insigne illius muneris tradit, vt praxis docet, & exemplum habetur in Chronica Piasecii ad initium *Anni 1603. fol. apud me 248.* in illis verbis: *Vacabat tunc à biennio dignitas Mareschalci Regni, dimissa à Nicolao Zebrzydowski ad Palatinatum Cracoviensem promoto, ad quam Zamoyscius Marcum Sobieski, Palatinum Lublinensem, & Nicolaus Wolski Mareschalcum Aulæ Regiæ, promoveri cupiebat, Illam igitur Rex, ne præsentis Zamoyscij auctis novis meritis suffragia reijcere non posset, suasore Ioanne Tarnowski Episcopo Vladislaviensi partium adversarum antesignano, pridie adventûs ipsius, Sigismundo Myßkowski, Marchioni contulerat;*

in tan-

in tantum obnitente Petro Tylicki Minore Cancellario, partium Zamoyscianarum; vt vocatus à Rege ad tradendum illud officium (vt eius fuerit muneris) valetudine infirmâ se excusaverit, iterum tamen à Rege monitus, quòd si non veniret, ipsemet Rex functionem illam renuntiandi Mareschalci obire vellet, vel invitus adfuit, ac multa præfatus in laudem stirpis Myskoviorum nomine Regis baculum, Insigne illius Magistratûs, Marchioni tradidit. hucusq; verba *Piasecij.*

Si autem Cancellariatus in Comitiis conferatur, tum Mareschalcus Supremus, præmissâ oratione, eundem renuntiat & præconisat, & post præconisationem, ipse Serenissimus Rex sigillum tradit.

Quodsi Procancellarius ad Cancellariatum Supremum assumererur, hoc casu, priùs, sigillum minus, Serenissimo Regi præmissâ gratiarum actione pro eodem munere antea sibi commisso, in manus eius consignat: posteaq; renuntiatur Cancellarius Supremus, accipitq; sigillum maius. Ita praxis edocet. Et exemplum habetur in vita Petri Gamrati, inter vitas Episcoporum Płocensium in ordine 48. à Stanislao Łubienski conscriptas. *Hic Gamratus, ope Reginæ Bonæ Sforitiæ, Vicecancellariatum Regni, cùm esset Episcopus Præmisliensis, speraverat, paratusq; in Senatum ita venerat, vt eo nomine Regi gratias ageret: sed à Mareschalco Regio, qui more & instituto Regni, præmissâ solenni oratione, Cancellarios renuntiare solet, egregiè elusus fuerat: nam is prolixiori vsus oratione, facie ad Gamratum versâ, cum multa præclarè de eius Magistratûs dignitate dixisset, & postea veluti Gamratum renuntiaturus, verba illa: Tibi Domine Episcope, sine tamen nomine illius proprio, protulisset, & aliquantum hæsisset; Gamratus, quasi id sibi dictum esset, surrexit, sed cùm Rex huius ironiæ fortè non ignarus, manu extensâ, sedete (inquit) Domine Episcope, non vos estis, innuisset, tum demum Mareschalcus eluso & in ruborem Gamrato dato, Ioannem Choinum Vice-cancellarium Regni renũtiavit.* Hucusq; verba Łubienij. Nunc revertor ad propositum meum.

Post hæc, Senatores sua vota in præsentia Nuntiorum Terrestrium expediunt, juxta Constitut; *Anni 1578. fol: 328. tit: Scrutinium,* § **A po propozycyey.**

Post vota Dominorum Senatorum, ratio Senatûsconsultorum inter Comitia vltima & præsentia factorum reddenda est, vt in Constitutione *Anni 1576. fol 276.* § **Czesto tez/** mentio fit. Et in Constitutione *Anni 1641. fol: 41. tit. de reddenda ratione Senatûs-*

 consul-

consultorum expresse habetur, vt post vota Dominorum Senatorum hæc ratio reddatur.

Idem in Constit: *Anni 1662. f: 2. tit: de reddenda ratione Senatûsconsultorum*, plura scripsimus supra in tit: de Senatoribus.

Sic etiam bona ad fiscum Regium jure caduco, paulò ante Comitia devoluta, ab initio Comitiorum conferenda sunt, vt in Constit: *Anni 1576 fol. 280. tit.* **O dobrách** *juris caduci*. De hoc jure caduco latiùs in tomo 2. agemus.

Sed in Constit: *Anni 1690. fol. 1. tit.* **Obiáśnienie Konstytucyi dáwnieyszych o porządku Seymowania**, omnes Constitutiones de ordine Comitiorum declaratæ sunt: in hunc sensum,

Ab initio Comitiorum ante omnia post electionem Mareschalci Nuntiorum Terrestrium die primo omnes obiectiones Nuntiis Terrestribus præsentibus, si aliquæ intervenirent, sopiantur, non præjudicando, si postea advenientibus, illis aliquæ obiectiones essent factæ, Iudicio.

Deinde subsequitur salutatio Serenissimi Regis, à Camera Nuntiorum Terrestrium. Item lectio Pactorum Conventorum. Tunc propositio à Throno Regis fiat. Item scripta ad Archivum ex præteritis Comitiis data legantur. Item lectio Senatus-consultorum, petitio distribuendarum vacantiarum; & post hæc, vota Dominorum Senatorum subsequantur. Tandem post destinationem Deputatorũ ex Senatu & Equestri Ordine ad conscribendas Constitutiones, Thesaurorum & Artileriæ vtriusq; gentis rationes, Legationum ad Principes exteros, Legationes, si aliquæ essent, semotis arbitris, cum executione iuramẽti expediantur. Deinde Ordo Equestris in Cameram suam redeat, & Constitutiones, incipiendo, à securitate publica ibidem conscribat. Interea temporis Sacra Regia Majestas cum Senatu & Deputatis, quos reversus ad Cameram Nuntiorũ Mareschalcus Equestris Ordinis, deputare tenetur, iuxta antiqua jura & consuetudines, judicia Comitialia, expediet, & deinde Camera Nuntiorum Terrestrium cum constitutionibus juxta jus, ad consessum Regium cum Senatu veniat, & per 5. dies cum Senatu de negotiis & constitutionibus allatis, juxta antiquiores constitutiones, insimul cõsulat. Comitia autem in termino sex septimanarum, vt absq; candelis accensis finiantur. *Hucusq; verba Constitutionis.*

Et quia de nonnullis præmissis, jam egimus, reliqua continuamus. Et primò de regressu Mareschalci cum Nuntiis Terrestribu ad Cameram suam.

Jtaq; reversi ad conclave suum, vel de propositione Regia, vel de aliis rebus à Fratribus, id est: a cætera Nobilitate in Conventibus particularibus sibi commissis consultant. Et interdum frequenter è medio sui ad Serenissimum Regem & Senatum cum suis petitis mittunt. Quos Serenissimus Rex licèt consilio & judicio distractus sit, libenter admittit, auditisq; petitis illorum vel statim declarationem illis dat, aut etiam se daturum offert; præhabito consilio priùs cum Senatu. Sicut etiam aliquando ex Senatu, ad conclave Nuntiorum, mittuntur, qui Serenissimi Regis & Senatûs nomine Nuntiis Terrestribus aliquid proponāt; aut discordantes ipsorum sententias concilient; aut super aliis emergentibus negotiis tractent.

Quidquid autem inter se communi consensu constituerint, id à Mareschalco eorundem, in pleno consessu omnium Ordinū publicè legitur. In Constitutione *Anni 1653. fol. 14. tit:* **Konkluzya Seymowa.**

Habent etiam potestatem Nuntii Terrestres, in Comitiis Generalibus, integritatem jurium promovendi & tuendi. In Constit: *Anni 1609. fol. 888. & sequ: tit.* **Deklaracya artykułu. ż Nie derogując w tym.**

Item instandi, vt Thesaurarius rationem faciat ex Quarta percepta & expensa. Ita in Constitutione *Anni 1562. fol. 22. tit.* **O wyszczeniu Podskarbiego**/similiter si contra Tenutarios, respectu retētorū non egerit. In Const: *Anni 1567. f. 129. tit.* **Oddawanie czwártey cześci ż Gdzieby tez kto**/ similiter, contra Cancellarios, quòd contra dispositionem juris, privilegia extradiderint: in dicta Constitutione *1562. fol: 21.* **O pozwoleniu czwartey cześci**/ § **Stát Królá.**

Similiter negligentias Dignitariorum deferre, vt colligitur ex Constit: *Anni 1565. fol. 84. tit.* **O sposobności Urzędow.** Similiter & negligentiam Instigatoris in officio suo, vt colligitur ex Constit: *Anni 1607. fol: 834. tit.* **O Annátách.**

Item & ipsimet Serenissimo Regi in memoriam revocare possunt, quòd promiserit se leges, privilegia observaturum, vt in Constitutione *Anni 1609. fol. 888. tit:* **Deklácácyá Artykułu**/ de non præstanda obedientia, ż **Nie derogując w tym.**

Et hæc maxima est facultas illorum, quòd vnus Nuntius Terrestris factâ protestatione abiens, Comitia rumpere potest, quod omnes Nationes admirantur, & magnam licentiam appellant.

Hinc & Kochowski noster in suo Climacterico primo, *lib: 5. fol: 313.* scripsit. *In Comitijs, sive rationes belli gerendi in deliberationem veniant, sive de Fœderibus & Tributis disputatur; Nuntij Terrestres, nomine Provinciarum de jure respondent. nec sancitum Comitiorum, in legem publicam transit, nisi à 3tio Ordine ratum habeatur. Ad usq; Patrum memoriam, ubi pro scopo publicorum consiliorum, amor Patriæ erat; & cæmentum quoddam ac gluten universalis omnium concordia habebatur, alma retinendæ inter status æqualitatis Mater, nunc ubi consultorum mentes, varia animarum venena, diversas agunt, ut sæpe nimio fertilitas in nocumentum segeti, transit: ita ex magna virtute, sed corrupta, magnis vitijs semen est. Hinc vidimus, toties irritos Conventus, malo publico absolvi, & universorum incolumitatem pendere ab unius perverso arbitrio.* Hucusq; verba Kochovij loco citato.

Quintâ demum die ante conclusionē Comitiorum, Mareschalcus cum suis Nuntiis Terrestribus, in præsentiam Regis & Senatûs veniunt, vt in Constit: *A. D.* 1633. *f.* 14. *tit:* **Konkluzya Seymowa**/ & si distributio vacantiarum non fuerit facta, earū distributionem vrget. Tandem Constitutiones ore Mareschalci leguntur, & in quas consensuso mnium Ordinū, nullo penitus reclamante, intercessit, eæ firmitatem obtinent, cæteris laceratis, vel ad futura Comitia reiectis: de aliisq; negotiis Reipublicæ consultatur, vt in dicta Constit: 1633.

Mareschalcus Nuntiorum Terrestrium medius inter Mareschalcos Regni, sede tamen humiliori, considet; Nuntij autem Terrestres post sedes Senatorum ab vtraq; parte in scamnis ligneis ad id præparatis consistunt, & de negotiis Reipub: coniunctim cum Senatu agunt; Constitutionesq; in conclavi suo conceptas trutinant.

Si tamen, intra constitutum legibus tempus, in conclavi Nuntiorum omnia expediri nequeunt, petunt Nuntii Terrestres à Serenissimo Rege, vt tempus Comitiorum prorogetur. Si autem elapso illo tempore, Collegium Nuntiorum nondum omnibus transactis, Senatui se iungit, solet præcavere sibi, vt in conclave suum regredi licitum sit.

Quod tamen in Constit: *Anni 1678. fol: 2. tit:* **O Seymách deklarácya**/ prohibitum est, statutumq; vt Nuntii Terrestres quinto die, ante conclusionem Comitiorum ad conclave in quo Serenissimus Rex cum Senatu assidet, veniant, sine regressu ad conclave suum, sed per hos quinq; dies de negotiis Reipublicæ cum Serenissimo Rege & Senatu conferant, & ad conclusionem Comitiorum

tiorum accedant, vtq; Comitia neq; abbrevientur, neq; prolongentur in vllam prolongationem Comitiorum, vel vt sessiones nocturnæ peragantur, consentiant: sed hoc in praxi non servatur.

Antequam autem discedant Nuntii Terrestres ad conclave Senatorum, Mareschalcus Nuntiorũ in conclavi Nuntiorum Nuntiis Terrestribus pro munere sibi commisso, & præstito favore gratias agit. Cui aliquis Nuntiorum, vicissim gratias agit, pro fideliter administrato munere & officio.

Et ne aliquis error in Constitutionibus conscriptis fiat, solent Senatores ex singulis gentibus, hoc est ex Minori, ex Maiori Polonia, & ex Magno Ducatu Lithuaniæ singuli eligi, & his, ex singulis gentibus, bini Nuntii; atq; ita numero sex adduntur, qui omnes cum Mareschalco Nuntiorum Terrestrium, Constitutiones conscriptas revident, & nomina sua subscribunt. Sed hæc subscriptio non semper vnanimiter fit, aliquando ab omnibus, aliquando ab aliquibus, vt videre est in subscriptionibus constitutionum.

Debent tamen Mareschalcus & Deputati iurare juxta formam in Constitutione *Anni 1678.* descriptam, quam Rotam juramentorum *supra in tit: 4. de jure scripto* connotavimus, & alia de Constitutionibus scripsimus. Id addo, quòd si Comitia ab aliquo rumpatur, nullæ Constitutiones typis mandantur, cùm sint omnes irritæ & nullæ, ob defectum revisionis & subscriptionis Deputatorum.

Tandem prædictis omnibus peractis, Palatinatuum Nuntii Terrestres, ad declarationes contributionum descendunt, & tempus Comitiolorum postcomitialium seu Relationum, & ad dandam rationem Nobilitati Palatinatuum & Districtuum de gestis in Comitiis pro certo die præfigunt, cum hac clausula & conditione, dummodo Constitutiones typis impressæ fuerint transmissæ: vt videre est ad finem Constitutionis cuiusq;. In quibus Comitiolis relationum Constitutiones Comitiorum, sub sigillo sibi à Cancellario traditæ vel transmissæ præsentantur, libris Terrestribus & Castrensibus ad perpetuam rei memoriam inserendæ. de hoc exstat Constit: *Anni 1589. fol: 518. tit:* **Dawánie spráwy Posłow Ziemskich.**

Omnibus supra peractis, antequam Nuntij discedant. Mareschalcus illorum nomine suo & Nuntiorum, vltimum vale (præhabitâ oratione) Serenissimo Regi dicit. Quibus nomine Regis in Regno Cancellarius Regni; in Magno Duc: Lith:, Cancellarius eiusdem Ducatûs respondet, & Mareschalcus cum Nuntiis, vt initio

Comitiorum, ad osculum Regiæ manûs admittuntur: sicq; finis Comitiis imponitur.

In Comitiolis relationum, Exactores contributionum eliguntur, vt in Constitutione *Anni 1591. fol. 617. tit:* **Złożenie ziázdow po Seymie.** Videatur & Constitutio *Anni 1635. fol: 29. tit:* **O relacyinych Seymikách W. X. L.** addendo, quòd Nuntii Terrestres reversi ad suos Palatinatus & Districtus, incolis eorum, per literas vniversales de tempore Comitiolorum eiusmodi denuntient. Videatur & Constit: *Anni 1667. fol: 23. tit:* **Seymiki w Wielkim Xięstwie Litewskim/** videatur & Statutum Magni Ducatûs Lithuaniæ, *cap: 3 art. 9.* vbi ordinatum est, vt Nuntii reversi ex Comitiis Generalibus, Palatino aut Capitaneo cum jurisdictione iudiciali suum reditum ex Comitiis Generalibus denuntient. Palatinus autem aut Capitaneus, vel Officiales eorum per Ministeriale, Nobilitati adventum hunc Nuntiorum in locis solitis denuntiet, vt Nobilitas pro termino ad hæc Comitiola veniat, ad audiendam rationem gestorum in Comitijs per Nuntios: contra autem non venientes ad hæc Comitiola, nulla pœna ibidem statuta est, sed solùm, vt ordinationi Comitiorum debeant parere. Nuntii autem Terrestres constituta in Comitiis, in scriptis sub sigillo Regio ad Districtum suum adferant, & ad perpetuam rei memoriam, libris Terrestribus, vel Castrensibus inscribenda porrigant.

Nuntii Terrestres Prussiæ cùm non soleant in Comitiis Generalibus declarationem contributionum facere, sed ad Fratres se referant, ideo eodem modo, prout ante Comitia ad Conventus particulares, Nobilitas & alii convocantur, & in singulis Palatinatibus, etiam Pomeraniæ in singulis Districtibus Conventus particulares instituuntur, & deinde Conventus Generalis Graudenti aut Mariæburgi juxta alternatam celebratur.

Et cùm nemini debeat esse officium damnosum: Nuntii Terrestres à Iudiciis Tribunalitiis, & aliorum subselliorum exempti sunt. Ut latè scripsimus supra in tit: de Senatoribus.

Ad hæc: Comitia & alii Conventus particulares gaudent hâc securitate, prout SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1620.* (*referente Herburto sub verbo: Comitia.*) statuit his verbis: Statuto hoc præsenti sancimus: quòd quicunq; in Conventibus rixas facientes gladios evaginaverint, pœnâ marcarum viginti Polonicalium puniantur, si verò aliquem vulneraverint; extunc pœnâ Statuti antea promulgati puniantur. Sed si aliquem occiderint, pœnâ capitis puniantur.

Et

Et contra tales Capitanei locorum inquisitionem, & executionem facere debent: sub pœna centum marcarum Polonicalium. Hi verò, qui crimine patrato aufugerint, ex Regno sunt banniendi, & infames pronuntiandi, prout & infames eos declaramus. *Hucusq; verba præfati Statuti.*

Idem SIGISMUNDUS I. Rex *Anno D. 1610.* contra violatores Nuntiorum (*vt refert Herburtus sub verbo: Nuntij.*) aliud statutum tulerat. Quòd Nuntios Terrestres ad Conventus publicos, sive Terrestres, sive Generales, proficiscentes, in eisdem Conventib⁹ manentes, sive ab iisdem in domos suas redeuntes, quatuor septimanis ante Conventus, & post Conventus aliis quatuor septimanis, sive in viis sive in villis & Oppidis quoquo modo invadere, & violare ausus fuerit, criminis læsæ Maiestatis reus judicetur.

Quod statutum SIGISMUNDI de securitate Nuntiorum Terrestrium ad Comitia venientium, vel ex illis revertentium in toto reassumptum est, in Constitutione *A. D. 1649. fol. 6. tit:* **O sadach Poslow Ziemskich.**

Licèt *Sczerbicz 1. cap: 3. fol: 13.* dictum statutum antiquum esse scripsit: Ex quo is idem SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1539.* crimē læsæ Maiestatis, ad solam personam Regis restrinxerit; ideoq; tales iniuriantes sive ipsos Nuntios, sive illorum famulos ad Comitia euntes in itinere, vel in loco Comitiorum in vim termini tacti, cū præfixione termini in quatuor septimanis, ad Tribunal Regni citentur; relatio positæ citationis, coram Officio Castrensi loci in quo delictum est patratum fiat: in illo termino tanquam peremptorio, pars citata compareat: dilationes nullæ concedantur, præter veræ infirmitatis, idq; in illo solo termino, pro quo lectis scrutiniis, juramentum præfixum esset scrutinio, vt vtraq; pars simul & non divisim ibidem deducat. Testes etiam Nobiles, testimonia sua corporali juramento confirment. Et eiusmodi causæ, ex speciali regestro securitatis judiciorum iudicentur. Ita, in Constitut: *Anni 1667. fol. 6. tit:* **Deklaracya bespieczenstwa/** &c.

Nuntii autem Terrestres, & illorum famuli in Comitiis delinquentes, si ibidem præsentes sint, ex reatu hoc coram ipso tantùm Mareschalco, & Nuntiis Terrestribus respondere tenentur. Ad talia autem judicia quævis, ne ex quacunq; causa, sive termino tacto, sive per citationem literalem absentes citentur, sed si discesserit ex Comitiis ad iudicium competens Terrestre citetur. Ita in dicta Constitutione *Anni 1641. loco citato.*

Iisdem Nuntiis Terrestribus ad Comitia euntibus solent certa salaria in Comitiolis Districtuum provideri. Et quidem in Magno Ducatu Lithuaniæ; quid solvendum sit, in Statuto eiusdem Ducatûs *cap*: 3. *art*: 7. expressè descriptum est, hoc adiecto: quòd si ex permissione Divina caristia rerum ad victum necessariarum accidat, eiusmodi salaria, habito respectu temporis & longitudinis itineris, augeantur.

Eiusmodi salaria in tempore non persolvens, citatus ad Iudicium Castrense cum pœna decem sexagenarum, aliàs **kop Litewskich**. In Constit: *Anni 1598. fol. 698. tit.* **O Poselskie pieniądze Wielkiego Xięstwá Litewskiego.** Tandem in Constit: *Anni 1601. fol. 762. tit*: **O Poborcách pieniędzy Poselskich/** statutum est: vt omnes Exactores in Districtibus pecuniæ Nuntiorum in Comitiis relationum rationem reddant. Rationem autem non reddentes, vel in toto pecuniam talem non extradentes, sed penes se retinentes, ad Iudicium Castrense vel Tribunalitium citentur, coram quo Iudicio, seclusis omnibus exceptionibus compareat, rationem reddat, & pecuniam retentam, pœnam quoq; iuxta dictam Constitutionem *Anni 1598.* solvat, executio in bonis eius fiat.

In Constitutione *Anni 1611. fol. 40. tit*: **O Poselskich pieniądzach W. X. L.** statutum est: vt pro tempore præfixo dictam pecuniam non extradens, ad Iudicia Castrensia citatus, cum pœna viginti sexagenarum (alias **kop Litewskich**) absq; vlla appellatione solvat.

Subsequenti tempore in Constit: *Anni 1647. fol. 25. tit.* **Poselskie pieniądze/** pœna contra contumaces in duplo aucta est, idq; solùm in Districtu Mozerêsi. Superiores Constitutiones cum pœnis, reassumptæ sunt in Constitutione *Anni 1673. fol: 16.* inter Constitutiones Lithuanicas *tit: Approbatio Laudorum* **W. X. L.**

Palatinatus Bracławiensis Laudum fecerat, vt pro salario Nuntiis Terrestribus ad Comitia Generalia sex septimanarum discedentibus, medietas cōtributionū ex Laneis, perpetuis tēporibus cedat, & in duab⁹ septimanis post finitū Conventū particularem, ad Iudicium Terrestre, vel ad Camerarium à Iudicio Terrestri destinatum, sub pœnis reddatur. Pro quo Iudicium Terrestre, vel ille Camerarius, ad Iudiciū Castrense vel Terrestre retentores sine intermissione citet, Iudicium autem eiusmodi causam, sine quavis appellatione & dilatione iudicet; medietasq; pœnæ Delatori, altera medietas Iudicio cedat. Eiusmodiq; pecuniam per partes Iudicium Terrestre, vel Camerari-

merarius æqualiter Nuntiis distribuat, absq; vlla mora sub ijsdem pœnis, ad instantiam Nuntiorum vel vnius illorum.

Judicium quoq; decisionem semotis omnibus (vt supra) dilationibus & motionibus faciat. Hoc adiecto, quòd quilibet Nuntius acceptâ dictâ pecuniâ sine quavis exceptione, exceptâ solâ verâ infirmitate, sub pœnis (vt supra) ijsdē, & duplicis pensionis summæ, à Iudicio Terrestri, vel eius Camerario receptæ, ad Comitia Generalia discedat, ibiq; præsens sit. Respectu cuius, coram Iudicio Castrensi aut Terrestri, talis Nuntius compareat, & judicato absq; omnibus dilationibus & appellationibus subiaceat. Quod laudū approbatum est in Constitutione *Anni 1633. fol. 50. tit: Laudum* **Woiewodztwá Bráclawskiego**/ &c. adiectâ hâc declaratione, quòd id publicis contributionibus pro necessitatibus Reipub: nocere non debeat.

Nuntiis Terrestribus Districtûs Rzeczycensis ad Comitia Generalia electis, auctio proventus per Laudum facta, approbata est, & respectu eiusmodi salarii, contra retentores forum in Tribunali Regni, sine vlla dilatione assignatum est. In Constitutione *Anni 1647. fol. 24. ad finem tit:* **Dom sadowy w Rzeczycy.**

Respectu Nuntiorum Terrestrium Livoniæ, ad Comitia Generalia electorum, in Constit: *Anni 1647. fol: 26. tit.* **Pieniądze Poselskie Ziemie Inflánskiey**/ sic statutum est: *Incolæ Terræ Livoniensis, qualem contributionem in Conventu suo Dyneburgi, circa electionem Nuntiorum constituent, talem summam Nuntijs sub pœnis in Constitutionibus de pecunia Nuntiorum Magni Duc: Lith: extradant. Retentores in foro competenti respondeant.*

TITVLVS QVADRAGESIMVS PRIMVS.

De expeditione bellica generali Nobilitatis.

Polonicè O Pospolitym Ruszeniu.



Expeditio hæc generalis bellica Nobilitatis non potest decerni & indici, nisi in Comitiis Generalibus, accedente publico omnium Ordinum consensu. CASIMIRUS III. Rex *Anno D. 1454. vt refert Herburtus sub verbo: Bel-*

lum. *Zawádzki in compendio suo Polonico cap: 5. tit: 1.* Et habetur in Confœderatione Generali Varsaviensi *Anno D. 1573.* in volumine Constitutionum *fol: 208. in fine* § **Náprzod** & ibidem *fol: 254.* § **O woynie.** Et Constitutione *Anni 1576. fol: 275.* § **O woynie.**

Datur tamen Serenissimo Regi potestas in Comitiis indicendi hanc expeditionem, ubi talis necessitas ingrueret, quòd illi, per præsidia decreta, & mercenarium militem obstari non posset. Ita SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1527. vt refert Herb: sub verbo: Bellũ, fol: apud me 24. & Zawadzki vbi supra.* Sic & in Constit: *Anni 1661. fol: 22. tit:* **Pospolite Rußenie/** & in Constit: *A. D. 1662. fol. 17. tit:* **Pospolite rußenie/** hæc potestas indicendi hanc expeditionem data fuit Serenissimo Regi.

Sed dictus consensus indicendi hanc expeditionem, durat tantùm à Comitijs ad alia Comitia, vt in dictis Constit. *1661. & 1662. & alibi*

Hæc expeditio indici debet ad tuitionem Regni, & non destructionem eius, vt SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1523.* effatum reliquit, referente *Herburto sub verbo: Bellum,* statim à principio, *Zawadzki loco citato.*

Indictio istius expeditionis Generalis (vt innuimus) non potest fieri, nisi in casum magni periculi v. g. si certum sit, hostem, rupto fœdere cum Serenissimo Rege & Republica inito, aut ipsum, per se in Regnum impressionem facere, aut ingentem vim suorum populorum; ad depopulandum Regnum mittere velle. vt scripsit *Herburtus sub verbo: Bellum, fol: 27. Ianussovius lib: 6. tit: 1. fol: 692.*

Et tamen Palatinatus in Conventu Andreoviensi **ná popárćie Elekcyi Krolá Stefaná/** expeditionē hanc generalē ex Palatinatibus suis laudarunt. Cracoviæ *Anno D. 1576.* vt videre est in volumine Constitutionum *fol: 235.* Item *Anno 1586.* post mortem SIGISMUNDI AUGUSTI, Palatinatus Cracoviensis, Sandomiriensis, & Lublinensis vt videre est in volumine Constitutionum *fol: 401. in illis verbis* **Tenze káptur.** Item in Conventu Vislicensi **na popárćie Elekcyey Zygmuntá** III. *Anno D. 1587.* vt habetur in volumine Constitutionum *fol: 438. tit:* **Popárćie wolney Elekcyey.**

Id certum est, quòd sub tempus Interregni, Primas Regni cum Deputatis ex Convocatione Generali Varsaviensi, in casu necessitatis maximæ, habet facultatem expeditionem hanc generalem indicendi, vt videre est in Confœderationibus generalibus Varsaviensibus, & in Confœderatione *Anni 1632. fol. 11.* § **A iezliby tymi woy-**

mi woyſkámi/& in Confœd. *1648. fol. 15.* **§. A ieżliby/** & in alijs Confœderationibus, videatur & Conſtit: *Anni 1693. fol: 638. tit:* **O poſpolitym ruſzeniu.**

Expeditionem hanc generalem, neceſſitate id poſcente ſi Sereniſſimus Rex intendit indicere, toties præter Comitia Generalia, Conventus particulares in Provinciis præcedere debent. JOANNES ALBERTVS Rex *Anno 1495.* & SIGISMVNDVS Rex *Anno D. 1538. vt refert Herb. ſub verbo: Bellum,* ſtatim à principio.

Quodſi expeditio hæc bellica jam inſtituta fuerit, Conventus particulares, ad illam immutandam indici non debent. SIGISMVNDVS Rex dicto *Anno 1538. vt refert Herburtus loco citato, Ianuſſovius, vbi ſupra fol. 692.* Ratioq; ibi redditur, ne cùm ex decreta & publicata expeditione, præparationes ad bellum Nobiles fecerint, ſi eodem tempore contribuere cogerentur, duplici ſumptu onerentur.

Approbatâ & ratificatâ ſic ab omnibus Ordinibus hâc expeditione ; ex Cancellaria Regia, literæ Vniverſales, ſigillo Regni vel Magni Ducatûs Lith: conſignatæ, ad Præfecturas tranſmittuntur. Quæ literæ communiter Latino idiomate vocantur *Reſtium.* Quia in pertica reſti alligatæ, à Miniſterialibus Terreſtribus ad Dignitarios & Officiales circumferuntur: & in locis publicis Civitatum & Oppidorum altâ voce publicantur, vt alibi hoc in tomo innuimus.

Conceſſum tamen erat Sereniſſimo JOANNI III. Regi, ante coronationem ſuam, literas iſtas vniverſales Reſtium, ſigillandi ſigillo Cameræ, vt loquuntur Acta electionis eiuſdem, ſed hoc ſolùm pro vna vice, & ne in ſequelam traheretur, permiſſum eſt.

Et quamvis SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1520. (vt refert Herburtus ſub verbo: Reſtium literæ. & Ianuſſovius lib 6. tit: 1. fol: 695.* ſtatuerat, vt literæ Reſtium trinæ ſeorſim & ſucceſſivè mitterentur: & in vltimis literis Reſtium nominaretur dies Conventionū particularium in Diſtrictibus. Et in Conſtit: *Anni 1550. fol. 5.* **§ Wiċi iedne/** ſtatutum eſt, ne vnæ literæ Reſtium pro duabus, ſed ſucceſſivè vnæ poſt alias, juxta Statutum mitterentur, niſi in Comitiis ab omnibus Ordinibus aliter ordinatum eſſet: vnde paſſim literæ Reſtium vnæ pro duabus de conſenſu Ordinum in Comitiis ſolent extradi, vt videre eſt in Conſtit, *Anni 1576. fol. 262. tit:* **Pozwolenie woyny § Jednák to.** Item in Conſtit: *Anni 1588. fol. 206,* **§ A widząc takie niebeſpieczenſtwo.** Et in Conſtit: *Anni 1593.*

fol. 638. tit. **O pospolitym Rußeniu.** Et in Constit: *Anni 1595. fol. 678* § **A iż niebespieczenstwo.**

Jtem in Constitutione secunda *Anni 1613. fol. 3.* § **A iż przy tym/** vbi, licèt de communi consensu Ordinum decreta erat expeditio hæc absq; præmissione literarum Restium, nihilominus additum est, quòd literæ tertiæ Restium mitterentur.

Item in Constitutione *Anni 1619. fol. 4. tit.* **Okazowánié y pospolite Rußenie,** & in aliis Constitutionibus, sed regulariter solet addi clausula, pro hac sola vice.

Ante tertias literas Restium Conventus particulares in locis solitis celebrantur.

Jn Masovia, Varsaviæ Conventus generalis fit: in quo de expeditione hac consultatur.

Et quidem in Constit: *Anni 1621. fol. 1. tit:* **Sposob Pospolitégo Rußenia** sat sufficienter descriptus est modus & ordo istius expeditionis. Cuius Constitutionis puncta hæc sunt.

PVNCTVM I.

De lustranda Nobilitate.

OMnes Incolæ, qui tenentur venire ad hanc expeditionem, ante profectionem ex Palatinatibus, aut Districtibus suis, à Palatinis & Castellanis conscribantur, & in Districtus dividantur. Et Palatini Districtus dividant, & Castellanis reddant, tali modo, quali illos in loco congregationis, (aliàs **śćiagnienia**) à Serenissimo Rege assignato; ijdem Palatini à Castellanis ordinatè recipere, lustrationem iterum facere, & sub regimen aliàs **władza** Serenissimo Regi reddere debebunt. videatur *Herburtus sub verbo: Castellani, fol: 65. & sequ:*

Jn illis autem Terris & Districtibus, quæ, vel qui, separatos & seorsivos Conventus habent, &, Palatinis carent, vt Castellani cum Capitaneis & Officialibus loco Palatinorum lustrationem expediant. *Ibidem* § **A w tych Ziemiách.**

Et quoniam sunt nonnulli Palatinatus, in quibus, vnus tantùm est Castellanus; in talibus Palatinatibus, aut aliis Terris latè diffusis & latè patentibus, si Castellanus tam magnam multitudinem Nobilitatis ducere non valeat, data est facultas illi, Substitutum ex maioribus Officialibus Terrestribus v. g. Succamerarium, hoc impedito, alios idoneos eligendi ad deducendam partem istius Nobilitatis. *Ibidem.* § **A iż też** &c.

PVNCTVM II.

De ducenda Nobilitate.

JN Palatinatibus, in quibus magnus numerus Castellanorum est, & in Districtibus nonnullis, in quibus, de Castellanis non constat, differentiæq; circa functionem deducendi Districtûs oriuntur: in eadem lustratione, in egressu ex Districtibus, Palatini destinent & pacificent: Districtusq; hos, respectu quorum controversia est, inter Castellanos dividant, vt quilibet illorum certam partem suam Nobilitatis ducat. Hoc tamen adiectum, quòd in Palatinatu Sandomiriensi Districtum Pilznensem, Castellanus Zavichostensis, vti præcedens Polanicensem, ducat. *Ibidem* § **w Woiewodztwách záś.**

Jn Palatinatu Cracoviensi, siquidem Districtus sint septem, & Castellani tantùm quinq;, vt Palatinus Cracoviensis, Districtibus, Prosoviensi, Leloviensi, & Xiezinensi, qui Castellanos non habent, Ductorem Nobilitatis dictorum Districtuum assignet. *Ibidem* § **A w Woiewodztwie Krákowskim.**

Hi autem Castellani qui personaliter sunt in Castris aliàs **w obozie/** aut ad Legationes publicas peragendas in Comitiis sunt assignati, ab hac functione excepti sunt; sed in locum illorum, aliæ personæ idoneæ substitui debent. *Ibidem.* § **Ci záś Kásztelláni.**

Castellani quoq; morbo vel senectute impediti, iuxta præscriptum juris, in locum sui substituant personam idoneam, terrigenā possessionatum, & præcipuè ex Officialibus Terrestribus. *Ibidem,* § **A ci Kasztellani.**

Jn Terris Districtuum, non habentibus Castellanos v. g. Nurensi, Succamerarius, aut senior Officialis Terrestris, idoneus, Nobilitatem eiusdem Terræ ducat. *Ibidem,* § **w Ziemiach záś Powiátowych.**

Terra Łomzinensis si pro tempore non habeat Succamerarium, Iudex Terrestris Łomzinensis, Nobilitatem eiusdem Terræ ducat. Hoc impedito, alius Officialis Terrestris Maior. *Ibidem.* § **A Łomzynska Ziemiá.**

Et sic de aliis Terris & Districtibus ordinatum est, vt videre licet in eadem Constit: *Anni* 1621.

Lustratione & Distributione Terrarum & Districtuum factâ, statutum est ibidem, vt quilibet Castellanus aut Ductor in loco sibi pro lustratione facienda, assignato, sub papilione seu tentorio tribus diebus consistat, vt omnes isti qui directioni eius subsunt ad illum conveniant, & die quarto suo ordine se moveat, *Ibidem fol:* 3. §

3. § Po popiśie. Videatur *Herb. sub verbo: Castellani, fol: 65. §* *Castellanorum Officia in bello.*

PUNCTUM III.

De Officio Vexilliferorum.

VExilliferi vexillum generale, apud Capitalem Districtum & Primum Castellanum vt extendant: ad alios autem Districtus Palatinatûs sui, Substitutos & signa seu vexilla alia sua dent. In his autem Terris & Districtibus, quæ, vel qui distinctos Vexilliferos habent, vt isti Vexilliferi vexilla portent. Nihilominus cùm Exercitus totus ad Castra, vel ad locum designatum congregabitur, Serenissimus Rex signis militaribus distinguat homines congregatos, non dividendo Palatinatus, sed conservando in ordinibus & stationibus suis. *Ibidem fol: 3. §* Chorążowie generálne chorągiew.

Jn Statuto M. D. L. *cap: 2. art. 6.* habetur. Quod Vexillifer datâ notitiâ Nobilitati de expeditione bellica, ipsemet in Districtu suo consistens, per literas suas denunciet Nobilitati locum, ad quem, tum diem, pro quo convenire debeat, eiusmodiq; literæ in Civitatibus in loco foralium, aliàs ná tárgách publicari, & copias earundē literarum valuis Ecclesiarum affigi faciat. Quâ notitiâ habitâ Nobilitas ad locum designatum cum turmis suis, prout in bello servire debet, veniat, & demum Vexillifer cum Nobilitate rectâ viâ, ad locum lustri discedat. Et Castellanus etiam, si ob aliquam causam simul cum Nobilitate in Districtu suo, venire non possit, tunc quàm citissimè cum Vexillifero & cum sui Districtûs Nobilitate conveniat, ibidem cū Castellano coniunctus Vexillifer Nobilitatem Districtûs Castellano consignare & denunciet præsentes & absentes: & in quo Districtu Castellanus non esset, tunc Mareschalco, qui habebit talem potestatem, sicut Castellanus. Et postquam cum Castellano aut Mareschalco Vexillifer cum Nobililitate iunctus erit, tunc omnes simul sub directione Castellani, aut Mareschalci discedant ad Palatinum eiusdem Palatinatûs, & Castellanus vel Mareschalcus cum Vexillifero, Nobilitatem directioni Palatini consignet & denunciet præsentes, & absentes. Tandem omnes discedant ad locū à Rege designatum, & in vno loco penes Palatinum semper simul & non divisim maneant & consistant, parendo in omnibus Palatino. *Videatur & art: 7. eiusdem capitis secundi.*

PVN-

PVNCTVM IV.

De stationibus non faciendis & de damnis, injurijs, & alijs violentijs non inferendis, judicioq; illarum.

CAstellanus non potest cum Nobilitate sua in vno loco consistere, nisi per vnam noctem. *Ibidem fol: 5.* § **Dlugo nie ma.**

In profectione, in Curiis (aliàs **Dworách**) in Civitatibus & villis, stationes (aliàs **stánowiská y Leże**) ne fiant: sed tantùm in campo, omnes consistant. Damna, iniuriæ non inferantur, stationes non exigantur, necessaria ad victum violenter nemo audeat accipere, sed pro pecunia emantur, idq; sub pœna duplici quatuordecem marcarum, per medium Parti & Iudicio succumbenda, & refusione damni duplicis pretij. Super quo Castellani & alii Ductores seriò animadvertant justitiamq; administrent, in pœnis condemnent, & omnes violentias & iniurias cognoscant modo infra scripto, hoc est: in quolibet Palatinatu Castellanus Maior aliàs **głownieyszy/** cum quo Vexillifer ibit, cum Officialibus Palatinatûs lui, habeant potestatem judicandi, & cognoscendi omnes excessus, iniurias & querelas: pro qua administranda justitia quilibet Castellanus & Officiales juramentum faciant, antequã cum Nobilitate se movebunt. Idq; in hanc formam: *Quòd justitia & Iudicium eius in omnibus & singulis causis, & actionibus civilibus, finaliter, & absq; quavis appellatione, effectum suum sortietur.* In talibus causis judicandis pluralitas vocum concludat: & vbi paritas esset, præsertim in causis gravioribus occasione damnorum notabiliorum, judicio Regio relinquatur. Quodsi Serenissimus Rex ob difficultates aliquas judicare non posset, in Tribunali judicium formetur. *Ibidem fol. 3.* § **W ćiagnieniu rzad wszeláki.**

Scripta & decreta Notarius Terrestris scribat & extradat, quodsi morbo, aut alio modo legali impeditus esset, in locum suum ad hãc functionem, ex Deputatis juratis constituat. Decreta Castellani & Officialium illi assistentium sunt valida, & quilibet illa pati, & illis parere debet, sub pœna bannitionis, quæ in casu contraventionis promulgetur, & ipso facto robur habeat. Nihilominus quia executio in illa multitudine esset difficilis, ideo postea pars Actorea seu querulans accepto decreto bannitionis contra talem, si contraveniens ex Palatinatibus Maioris Poloniæ sit, ad Tribunal Petricoviense, si ex Palatinatibus Minoris Poloniæ ad Tribunal Lublinense

post reditum & post reassumptionem judiciorum atq; subselliorum ordinariorum porriget bannitionem, vbi publicata absq; quavis disquisitione ad executionem deducatur. *Ibidem fol: 4.* § **Pisimá y Dekretá.**

Quantum ad vecturas (aliàs **Podwod y powozow**) statutum est; vt nullus tam in bonis Regalibus, quàm in bonis Nobilium Spiritualium & Sæcularium, currus & vecturas cum equis & bobus accipere audeat, (nisi sibi conducat, aut precibus obtineat) sub pœna duplici quatuordecem marcarum pro quocunq; curru vel vectura, luenda. Et insuper, si equum, vel bovē destruxerit, aut vulneraverit, & illi mortis occasionem præbuerit, solvat, iuxta probationem partis Actoreæ, & decreto sub pœna bannitionis satisfaciat. Quodsi pars contumax esset in parendo decreto, non discedendo ex illo Districtu vel Terra, Castellanus executionem faciat, **ná poczcie**/aut bonis mobilibus iniuriantis, si quæ habuerit penes se. Tamen si esset Nobilis impossessionatus, tantò magis plebeius, & non posset pœnam, & valorem dictum solvere, pœnæ capitis succumbat. *Ibidem fol:* 4. § **z strony zas podwod.**

In istis autem turmis, (aliàs **kupách**/) quas separatim Castellani Minores aut Ductores supranominati ducent, in minutioribus cōplanandi & decidendi facultas data est illis. Quodsi aliquis non esset decreto, vel complanatione illorum contentus, data est facultas ad judicium altius, hoc est: Castellanum Capitalem & Officiales juratos provocare, & administrationem iustitiæ requirere. Quibus judiciis Castellani Capitalis, Castellani aliorum Districtuum eiusdem Palatinatûs, aut Ductores, poterunt (si voluerint & tempus permiserit) assidere. *Ibidem fol: 5.* § **A w tych kupách.**

Jn talibus autem Districtibus aut Terris, qui vel quæ, licèt in eodem Palatinatu sunt, sed habent suos Castellanos, & Officiales Terrestres, quales sunt in Palatinatu Russiæ, Masoviæ, Podlachiæ, Ravensi, similiter Terra Dobrzinensi & Vielunensi, non debet recursus fieri ad aliquos Castellanos principales, cùm penes Castellanum & Officiales illius Terræ debeat esse finale judicium. *Ibidem fol: 5.* § **w tákowych zas Powiátách.**

Propter comprobationem iniuriæ, & investigationem facti cuiuslibet, & actoratum partis, debet præcedere inquisitio, & Castellanus, **widza** id est Inquisitorem, querulanti, si id postulaverit, aut aliqua perplexitas interveniret, semper concedat, idq; ideo, ne facili evasione aut ejuratione licentiosi & insolentes scelera sua contegant.

Comprobatio autem poteſt fieri per factores, aut adminiſtratores, (aliàs **Vrzedniki**) vbi iniuria Nobilis ſolius intercederet. Ubi autem ſubditi, aut alicuius plebeiæ perſonæ, ſeu civilis conditionis iniuria verteretur, ipſemet ad inſtantiam & accuſationem ſuam probet. Inculpato appellatio ne concedatur; bene actori, ſi non eſſet contentus decreto, idq; ad Tribunal Regni. In quo Tribunali Regni harum omnium cauſarum ſpeciale ſit regeſtrum, & ante omnia Iudicium Tribunalitium ex regeſtro illo ſpeciali judicet omnes cauſas, ſub expeditione hac devolutas. *Ibidem fol. 5.* § **Dlá dowodzenia krzywdy.**

Cautum eſt, vt Caſtellanus in omnibus ſatisfaciat officio ſuo, & indilatè adminiſtret juſtitiam cum Officialibus, non diſcedendo ex Terra aut Diſtrictibus, vbi iniuria vel querela eſt facta. Et in quātum in adminiſtranda iuſtitia eſſet remiſſior, & nollet judicium locare; ſimiliter ſi vel ipſe, aut famuli eius iniuriam feciſſent, factà contra illum querelà coram Deputatis illius Palatinatûs ad judicium ſpectantibus; ſimiliter per Caſtellanos & Ductores aliorum Diſtrictuum, debet contra illum pœna extendi duplicis refuſionis damnorum, & quatuordecem marcarum, itidem parti accuſanti, provenien: cui ſi non eſſet ſatisfactum, vel pars non eſſet contenta, conceditur actori libera appellatio ad Tribunal, ſive Petricovienſe, ſive Lublinenſe. *Ibidem fol: 5.* § **Wáruiąc to przy tym.**

In criminalibus autem violentiæ, exceſſus, homicidia, prædæ, ſpolia, incendia, invaſiones, & aliæ criminales cauſæ ad Iudicium Regium cum Senatu, ſpectent: taliq; modo iudicium formetur; imprimis, in inſtanti inquiſitio ſufficiens coram Caſtellano, & Officialibus prænominatis fiat, & poſtea in occluſo Rotulo tranſmittatur. Quodſi Sereniſſimus Rex ob difficultates, vel alia impedimenta in Caſtris non poſſet Iudicium formare, tunc in tali caſu, vindicatio exceſsûs facti, ſive ad Tribunal (vt dictum eſt) ſive ad Comitia inter cauſas criminales cū prædicta inquiſitione ſpectabit: ante omnia, ex ſpeciali Regeſtro iudicanda. *Ibidem fol. 7.* § *In criminalibus* **zaś** &c.

Plebeij delinquentes pœnâ colli per Caſtellanos, & Officiales ſupra memoratos puniantur. Similiter, ſi in profectione, inveniantur tales, qui nominibus & cognominibus mutatis, ex aliis turmis (aliàs **Rot**) & ex Diſtrictibus ſe eſſe dicendo, iniurias hominibus faciant, exceſſus & inſolentias cōmittant, tales adducti & ratione damnorum convicti, eâdem pœnâ colli puniantur. *Ibidem fol: 6.* § *A Plebeij delinquentes.*

 Taxa

Taxa victualium descripta est. *Ibidem fol: 6.* § **A co sie tycze żywnośći/** ad quam curiosum lectorem remitto. *Videatur & Herburtus ubi supra fol: 66.* § *Item ut expeditio bellica.* Videatur & Statutum M.D.L. *cap: 2. art. 6.* Ad finem istius puncti adiungo: Quòd Castellani ob morbum non valentes Nobilitatem suorum Districtuum ducere, teneantur iurare cum sex testibus Nobilibus possessionatis illius Districtûs, quòd non fictè, sed verè infirmi sint. Ita in *Constit: Anni 1658. fol: 21. tit.* **Pospolite ruszenie/** aliàs sint privati dignitate Senatoriâ ad instantiam Nuntiorum Terrestrium.

PVNCTVM V.

Qui venire tenentur ad hanc expeditionem bellicam generalem.

SErenissimus Rex, neminem, qui ad obeundum servitium bellicum de jure est obligatus ab expeditione hac bellica generali liberum facere potest. SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1538. ut refert Herb: sub verbo: Bellum, f. 25.* & SIGISMUNDUS AUGUSTUS in Constit: *Anni 1550 fol: 5.* § **Wići iedne zá dwoie/** de liberandis hominibus à bello, veterem consuetudinem, & commune ius se servaturum promisit. Idem & in Statuto Lithuanico *cap: 2. art. 1. & 3.*

1. Unde quilibet Nobilis tenetur juxta quantitatem & possessionem bonorum suorum, & reditus ex illis, cum certis armatis hominibus ad expeditionem hanc venire, dummodò bona illorum sint libera, & de jure militari instituta, & absq; omni vexatione conserventur. Ita CASIMIRUS Magnus Rex, *Anno D. 1368. ut refert Herburtus sub verbo: Bellum, fol: 29.*
2. Jn dicta quoq; Constitutione *Anni 1621. fol: 7.* § **Od tego Pospolitego Ruszenia/** sic expressum est. Omnes possidentes bona Terrestria ad hanc expeditionem veniant. Similiter titulo Reëmptionis, aliàs **ná wyderek** possidentes: Et qui viduas & Virgines hæredes possessionatas in matrimonium duxerunt, ipsi nullam possessionem habentes.
3. Nobiles impossessionati in Civitatibus ex fœnore viventes, tenentur ad hanc expeditionem venire, idq; sub pœna privationis bonorum suorum omnium iuxta Constit: *Anni 1578. fol: 335. tit.* **O Szláchćie/** quæ Constitutio reassumpta est in Constit: *Anni 1621. fol: 8.* § **Szláchtá nieosiádła.** Idem & in Const: *Anni 1659. fol. 5. & sequ.* inter Constit: Lithuan: *tit:* **Pospolite Ruszenie.** § **Zástáwnicy Arendarze** &c.

4. Item bona Terrestria titulo obligatorio tenentes, aliàs **záſtáwnicy**. In dicta Constitutione *Anni 1621. fol:* 8. §. **Zaſtáwnicy/** & in Constit: *Anni 1659. loco citato*, & in Statuto Magni Ducatûs Lithuaniæ, *cap. 2. art: 1.*

5. Item Arendatores bonorum Terrestrium, vel ipsi proficisci tenentur, vel cum ijs quorum bona per Arendam tenent, comitatum justum, aliàs **poczet słuzny** mittere. In eadem Constit: *fol: & § citatis* & in dicta Constit: *Anni 1659. loco citato* & in Constit: *Anni 1659. fol: 5.* inter Constit: Lithuan: *tit:* **Poſpolite ruszenie.**

6. Item Nobiles qui vigore decretorum, pro pœna publica carcerem sustinent, proficisci tenentur, & finitâ hâc expeditione, carcerem per tantum temporis sustinere, per quantum antea sustinere tenebantur. *Ibidem.* § **Ci co teráz.**

7. Item Cives bona Terrestria vigore privilegiorum suorū possidentes juxta Constitutionem ALEXANDRI Regis *Anno 1505. prout Herburtus refert sub verbo: Civis.* Idem & in dicta Constit: *Anni 1621. fol: 12.* § **Mieszczánie wszyscy/** vbi tamen excipiuntur Magistratus & Officiales.

8. Item Tenutarii bonorum Regalium quæ vel à Serenissimis Regibus habent, vel quæ bonis Terrestribus vendiris, sibi compararunt, & alia bona Terrestria non habent in dicta Constit: *Anni 1621. fol: 9.* § **Tákże** *Possessores*, vbi insuper adiunctum est, quòd & minutiorum bonorum Possessores, quæ qualicunq; modo, vel à Tenutariis bonorum Regalium, vel ab ipsis Serenissimis Regibus obtinuerunt, nulla alia bona hæreditaria possidendo.

9. Item sculteti sive Advocati omnes, **Lemanowie wolni / Kniázowie/** & alii his similes, non habentes imposita onera **álbo powinnośći żadnych/ drog/ y posług do Zamkow álbo dworow/** non facientes. *Ibidem fol: 9.* § **Do tey służby woienney/** videatur & *Herburtus sub verbo: Bellum, fol: 40.* Imò iuxta Statutum Casimiri Magni *Anno D. 1345. vel 1368. vt refert Herburtus sub verbo: Scultetus.* Omnes Sculteti sive Advocati bonorū Ecclesiasticorum, ad hanc expeditionem bellicam venire tenebantur. Idem statuerat SIGISMUNDUS I. Rex, *1538. (vt refert Herburtus loco citato)* nisi privilegiis ab hac expeditione essent exempti, & liberati. Sed pro libertate eorum scripsit Stanislaus Łubienski *in responso ad protestationem dignitariorum fol: 210.* ad quem curiosum Lectorem remitto. In Constit, quoq; *Anni 1550. fol: 5.* § **A iż gdźie ludźi więcey/** ordinatum erat, vt Ecclesi-

astici in futuris Comitiis docerent de privilegiis liberantibus scultetos suos ab expeditione hac, & in quantum non docuerint subiacerent huic oneri. Sed postea in Constit: *Anni 1562. fol. 27. tit:* **O służbie Szołtysow/** dicta revisio privilegiorum reiecta est ad futura Comitia. Tandem in Constit: *Anni 1607. fol. 838. tit:* **O kádukách** iniunctum est, vt in futuris Comitiis producerentur sub pœna in Constit: *Anni 1550.* vt supra apposita.

10. Item in summis Reipublicæ periculis, etiam Cives in Vrbibus habitantes, aut ipsi per se proficisci, aut alium pro se mittere obligabantur: vt habetur in Statuto M, D. L. *cap:* 2. *art:* 1. **z Chcemy tez mieć.** Sic & in Constit. *Anni 1621. fol:* 12. **Miástá wszytkie,** statutum erat, vt Civis quilibet ab octo millibus florenorum, equitem, à quatuor autem millibus peditem mitteret. *Vide Herburtum sub verbo: Bellum, fol: 38.* vbi tantùm ex minoribus facultatibus seu summis expediebant militem equitem, vel peditem. Item in Constit: *Anni 1578. fol. 342. tit:* **Pieszy** statutum est, vt ex Civitatibus, Oppidis & villis Regalibus pedites mitterentur, & quidem vt viginti Kmethones vnum peditem bene vestitum, armis instructum (hoc est, bombardâ frameâ, & securi, decuriones verò cum hastilibus aliàs **z dárdami/**) vocanturq; eiusmodi pedites, Polonicè **Wybrańcy/** quæ Constitutio reassumpta est in Constit: *Anni 1590. f. 571. tit:* **Wybrancy.** Et in Constit, *Anni 1595. fol: 663. tit:* **O wybrancách** extensum est, etiam ad Magnum Ducatum Lithuaniæ: hoc adiecto; vt nihilominus, dicti novemdecem Coloni pro isto vigesimo omnia onera subirent, ne proventus diminuerentur. Habetur quoq; in Statuto apud *Herburtum, sub verbo: Bellum, fol: 39.* quòd kmetones Sacræ Regiæ Maiestatis, & Dominorum tam Spiritualium, quàm Sæcularium vigesimum ex numero suo expedire teneantur, exceptis Hortulanis. Videatur & Constit: *Anni D. 1626: fol. 8. tit:* **Wybráncy.**

Verùm in Constitutione 2da *Anni 1649. fol. 2. tit.* **Włoki wybránieckie/** constitutum est, vt Capitanei & Tenutarii bonorum Regalium, loco dicti militis peditis vnius à colonis exigerent florenos sexaginta, Ravamq; vnà cum Quarta transferrent.

Sed postea hæc ordinatio displicuit, reassumptæq; sunt priores Constitutiones de expediendo vno pedite, vt supra, vt videre est in Constit *Anni 1652. fol. 7. & sequ.*

Item in Constit: *Anni 1653. tit.* **O wybráncách/** vtq; Præfecti horum peditum pro tempore præfixo in castris, veniant cum illis

sub

sub pœna peculatûs, & in profectione de proprio vivant. Videatur & Constit. *Anni 1685. fol: 4. tit.* **Piechota wybraniecka**, in qua ordinatum est. Ut quilibet cuiuscunq; statûs, & conditionis existens, possessor laneorũ **wybranieckich**, ex vi possessionis suæ, peditem hũc cum armis solitis bene vestitum, cum provisione victûs pro medio anno, ad denuntiationem Præfecti horum peditũ mittat. Et si talis possessor, laneos, ex quibus miles talis expediri debet, sibi appropriâsset, aut ad prædium convertisset, talis ad instantiam Instigatoris ad Iudicia post Curiam adcitatus peremptoriè compareat. Præfectus autem Laneos scultetiales connotatos, ex quibus talis miles non esset expeditus, Instigatori Regni consignet, qui Instigator cum illis agere sub privatione officij obligatus est. Connotatorum autem Laneorum per Lustratores regestra conscripta Jllustrissimo Duci Exercitûs reddant. *hucusq; verba Constitutionis præfatæ.*

Ne verò aliquis dolus & fraus in istis laneis fiat, iniunctum est Nobilitati, vt in Conventibus particularibus, Lustratores dictorum Laneorum, & Præfectos (aliàs **Rotmistrzow**) horum militũ eligant. de quo videantur Constitutiones præfatæ *Anni 1652. & 1653.* facit & dicta Constit. *Anni 1662.* in qua constitutum est: vt Præfecti talis militis, Nobiles, possessionati in Palatinatibus illis, bene meriti in exercitu, à Nobilitate in Conventibus particularibus de triennio in triennium eligantur & mutentur, vnicuiq; illorum salarium ducentorum florenorum ex Thesauro Regni solvatur. Item vt iste Præfectus, iuxta lustrationem expeditam, militem hunc ad Castra ducat & lustrationes authenticas in Actis Castrensibus propriis Jllustrissimo Duci Exercitûs, in ingressu ad Castra, reddat, & iuxta illas, militem ibidem lustret. Et si ex dicta lustratione defectus aut diminutio militis appareat, delationem horum defectuum & diminutionis militum, manu propriâ alicuius ex Jllustrissimis Ducibus Exercitûs subscriptam, ab initio Tribunalis Regni, quilibet Præfectus ex Palatinatu suo porrigat, & talis delatio inter causas militares ex speciali regestro iudicetur. Capitaneus autem seu Tenutarius si impediret istam expeditionem, aut laneos subticuisset, vel in prædium convertisset ex eodem regestro in Tribunali, iuxta jura antiqua pro pænis quingentarum marcarum respondeat. In quibus autem Palatinatibus lustrationes prædictæ non essent factæ, aut Acta Castrensia, ad quæ erãt oblatæ, igne consumpta essent, ordinatum est, vt tales lustrationes de novo Officia Terrestria, aut in Comitiolis relationis, electi Deputati jurati, statim post Comitiola relationum, in spatio

ſex ſeptimanarum ſub ijſdem pœnis quingentarum marcarum in Tribunali Regni, in eodem regeſtro militari vindicans expedirent. Quodſi dicti lanei deſerti invenirentur, vt eos **wybrancy** poſſideant, datâ illis libertate ad quatuor annos. Et plures alias ordinationes in eadem Conſtit: *1662.* videre licet.

Jn Conſtitutione quoq; *Anni 1655. fol: 3. tit.* **Wypráwa Piechoty łanowey.** vt ex omnibus bonis Regalibus, Nobilium & Spiritualium, bona Terreſtria tam jure hæreditario, quàm modo obligatorio, aut etiam modo reëmptionis ſummas, ſibi aut conſanguineis ſuis, & non fundationibus ſeruientes, iuxta Conſtit: *Anni 1607.* poſſidentiū, pedites ex laneis, expediantur.

Sic & in Conſtit: *Anni 1676 fol: 13. tit:* **Aukcya śił Rzeczypoſpolitey/** ordinatum erat, vt ex bonis omnibus in genere, tam Oëconomicis Regiis, quàm ex Spiritualibus & Terreſtribus ex ſingulis viginti octo fumis, vnus miles pedeſter, cum armis conſuetis, bene veſtitus, & victu ſufficienti pro medio anno munitus expediretur.

Civitates quoq; ab hac expeditione non ſunt liberæ, ſed juxta præſcriptam Conſtit: *Anni 1621.* vt ſe gerant. In Confœderatione generali Varſavienſi *Anno D.* 1674. *fol: 17.* § **Máiac przed oczymá.**

Habent quoq; Civitates & Oppida obligationem ſubminiſtrandi currus, & alia ad bellum neceſſaria, iuxta tenorem iurium & privilegiorum ſuorum, vt in dicta Conſtit: *Anni 1621. fol:* 12. § **Miáſta wßytkie.**

Tartari quoq; in M D. L. remanentes penes poſſeſſiones ſuas ab hac expeditione non ſunt liberi, vt in d. Conſtit: *Anni 1659. fol: 5.* inter Conſtit: Lithuanicas ſub tit: **Poſpolite Rußenie.**

Sic etiam *Herburtus ſub verbo: Bellum, fol: 36. ſcripſit.* Quòd quilibet in bello circa vnumquemq; ſuorum currum, demptis aurigis, vnum peditem habeat armatum cum gladio, baliſta, vel pixide manuali. Jn M. D. L. Civitates Magdeburgenſes, vt juxta antiquum jus, pedites ad hanc expeditionem expedirent, in d. Conſtit: *Anni 1659. loco citato* ſtatutum erat.

PVNCTVM VI.

Qui liberi ſunt ab hac expeditione generali?

1. BUrgrabius Cracovienſis. Ita in Conſtitutione *Anni 1621. fol: 7.* § *Patresfamilias.*
2. Tribuni Terreſtres, aliàs **Woyſci.** *Ibidem loco citato.*

3. Vice-

3. Vice-Capitanei, (aliàs **Podstarośćiowie sadowi.** *Ibidem fol: 9.* § **A iż ná tym należy.**

4. Cancellarii vtriusq; Gentis exempti sunt ab ista expeditione per legem antiquam, quæ citatur in Constit: *Anni 1635. fol: 5. & sequ: tit.* **O pospolitym Rußeniu.** § **A iż Wielmożny/** & in Const: *Anni 1659. fol: 5.* inter Constit: Lithuanicas *tit:* **Pospolite Rußenie.**

5. Jn Comitatu Regio existentes, vt Ministri, Senatores residentes, Legati bellici, qui à Republica in Comitiis lateri Regio sunt adiuncti, Mareschalci, Referendarii, & alij qui cum Rege euntes non tenentur sub signis Palatinatuum suorum proficisci: de quo videatur d. Constit: *Anni 1621. fol: 7.* §. **Vrzędnicy/ Dworzánie y słudzy dworscy.** Et Constit: *1658. fol. 30. & sequ. tit:* **Pospolite Rußenie/** & Constit: *Anni 1659. fol: 5.* inter Constitutiones Lithuanicas *tit:* **Pospolite Rußenie.**

6. Notarii Thesauri. In Constit: *Anni 1655: fol: 5. tit.* **O pospolitym Rußeniu/** & in Constit: *Anni 1621. fol: 11.* § **Wielmożny też Podskarbi** & in Constit: *Anni 1676. fol: 12. & sequ: tit:* **Pospolite Rußenie.**

7. Notarij Tribunalis non tenentur in personis suis ire, sed tantùm tenentur **poczty/** pro facultatibus suis expedire, dictâ Constit: *Anni 1655. loco citato.*

8. Jn eadem quoq; Constit. *1655. loco citato,* Notarius Castrensis Cracoviensis liber fuit factus ab hac expeditione: prout fuit etiam liber factus in Constit: *Anni 1654. fol: 6. tit:* **Pospolite Rußenie.**

9. Triginta personæ Aulæ Reginalis eximuntur, quarum Regestrum cum subscriptione Mareschalci ad Acta Castrensia Varsaviensia porrigatur, vt in Constit: *Anni 1628. fol: 1. tit:* **Pospolite Rußenie/** & in Constit: *Anni 1629. fol: 11. tit:* **Pospolite Rußenie/** in dicta quoq; Constit: *Anni 1654. loco citato,* & in Constit: *Anni 1655.* ita tamen, vt postas aliàs **poczty** ex facultatibus expediant. Videantur quoq; Pacta Conventa Serenissimi olim IOANNIS III. § **iáko ná przeßły/** & in Const: *1676 f. 12. tit:* **Pospolite Rußenie.**

10. Personæ circiter duodecem ex Aula Archiepiscopi Gnesnensis, quarum regestrum cum subscriptione Mareschalci Nuntiorum Terrestrium ad Acta Castrensia Varsaviensia porrigatur, liberæ erant in d. Constit: *Anni 1654. & 1655. vt supra.* In qua Constit. *1655.* etiam aliquot personæ Episcopi Cracoviensis, & aliorum Episcoporum ab hac expeditione exemptæ erant. Vide & Constit: *Anni 1676. fol. 12. & sequ: tit:* **Pospolite Rußenie.**

11.

11. Legati ad exteros missi cum Ministris sexdecem sunt penitus liberi, vt, ne postas, quidē ex bonis suis expedire teneantur. d. Constit, *Anni 1655. locis citatis.* § **Wielebny X. Biskup/** Et in Const: dicta *1659.* inter Constitutiones Lithuanicas *fol: 5.*

12. Capitanei arcium in finibus Regni positarum, juxta Statutum M. D. L. *cap: 3. art: 3.* liberi sunt.

13. Magnus Procurator Arcis Cracoviensis cum suo Vice-procuratore, & duobus Centurionibus peditum, alijsq; tribus Officialibus, ad officium Magni Procuratoris necessarijs. In dicta Constit: *Anni 1621. fol. 12.* § **Tákże Vrodzonego.**

14. Patresfamilias habentes filios ad tractanda arma aptos sunt liberi, dummodo pro se mittant filium, eodem modo, sicut ipsemet iturus esset. CASIMIRUS *Rex Anno D. 1454. vt refert Herburtus sub verbo: Bellum.* Idem habetur & in Statuto Lithuanico *cap. 2. art. 1.* & in dicta Constit. *Anni 1621. fol: 7.* § *Patresfamilias.*

15. Viduæ, minorennes, & qui ad arma sunt invalidi: sed in locum sui mittere tenentur. In dicta Constit: *Anni 1621. loco citato.* Statutum Lithuanicum *cap: 2. art. 11.*

16. Verâ infirmitate impediti: SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1520. vt refert Herburtus sub verbo: Bellum, fol. 25.)* Ubi statuitur: vt Castellani in Conventibus particularibus cum aliquibus Nobilibus ægrotos viderēt, & Serenis: Regi deferrent, coram quo Serenissimo Rege, nomine talis ægroti, quatuor Nobiles idonei nominarentur, & dicti testes quatuor, vel alij electi Nobiles testes nominandi, jurare tenerentur super vera infirmitate cum eodem ægroto convalescente. Quodsi ipse infirmus cum quatuor testibus non juraverit super vera infirmitate, extunc talis ægroti bona impetrata secundùm donationem Regiam, suum effectum sortirentur, & nihilominus talis ægrotus expeditionem bellicam subiret, In Statuto autem M. D. L. *cap. 2. art. 2.* sic statutum; vt non valentes ad bellum proficisci ob infirmitatem, coram Vexillifero, & alijs tribus Nobilibus, morbum indicent; quo casu, conceditur illis, vt pro se alium mittant.

17. Absentes causâ studiorum tractandorum; dummodo idonei in locum sui mittantur. in Constit: *Anni 1563. fol. 263. & sequ. sub tit.* **Pozwolenie woyny.** § **Tylko to wáruiemy/** &c. in Confœderatione Generali Varsaviensi *Anno 1648. fol. 15.* § **Wszákże ludzie stanu Szlacheckiego.** Et in Confœderatione *Anni 1674. fol. 17.* **Máiąc przed oczymá.**

18. Sunt

18 Sunt etiam ab hac expeditione exempti ex parte, qui in diversis Palatinatibus, vel Districtibus bona Terrestria possident, vel summas habent, nam si in vno loco sub signis, vel cum Persona Regia eunt ex alijs bonis nihil præstare tenentur, Videatur Confœderatio Generalis Varsaviensis *Anni 1587. fol. 414.* § **A ktoby miał.** Et in Constit: *Anni 1621. fol: 8.* § **Ktorzy Obywátele.** Et antea SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1510.* (vt refert *Herburtus sub verbo: Bellum, fol: 31.*) statuerat, vt tales ex eis bonis, vbi eos Restes prævenerint in propria persona discederent, de alijs autem bonis expeditione congruenti satisfacerent. In Constit: quoq; *Anni, 1659. fol. 5. & sequ:* inter Constit: Lithuanicas *tit:* **Pospolite Ruszenie/** vbi sic statuitur. Habentes possessiones suas in Regno, vel Magno Ducatu Lith: si in personis suis hanc expeditionem peragunt in Regno, in M.D.L. postas suas habeant, & è contra.

19. Nobiles pauperes, qui juxta statutum non possent decenter ad hanc expeditionem ire, vt iuxta Statutum idem, eandem expediant. Ita in dicta Constit. *Anni 1621. fol. 7. loco citato,* § **Szláchtá vbozszá.** Videatur & Constit: *Anni 1634. fol: 2. tit:* **Pospolite Ruszenie /** in qua iniunctum erat Castellanis, Succamerarijs, Capitaneis Iudicialibus, vt cum Deputatis à Nobilitate ad eum effectum electis, in Comitiolis modum inirent, quali modo hanc expeditionem facere deberent, quæ Constit: reassumpta est, *Anno 1637. fol: 2. tit.* **Pospolite Ruszenie.** Videatur & Confœderatio *Anni 1674.* & Constit: *Anni 1676. fol: 12. & sequ: tit.* **Pospolite Ruszenie,** vt in Palatinatu Masoviæ & Płocensi sex vnū expedirent, statutum est in illis.

20. Fratribus nondum divisis bona Terrestria possidentibus concessum est, vt vnum fratrem idoneum mittant, nisi si separatim iam adulti habeant suas habitationes & Curias, aliàs **Dwory.** In dicta Constit: *Anni 1621. fol: 8. tit: vt supra* § **Bráciá nie dzielni.** Idem antea statuerat CASIMIRUS Rex *Anno D. 1454. vt refert Herburtus sub verbo: Bellum,* Statut: Lithuan: *cap. 2. art: 1.*

21. Sexagenarij exempti sunt ab hac expeditione quoad personas, respectu tamen bonorum mittere idoneum tenentur, vt in Const: *Anni 1655. fol: 5. tit:* **O pospolitym Ruszeniu.**

22. Spirituales Nobiles, si bona Terrestria hæreditaria possideant, alios Nobiles pro se expedire tenentur ex illis bonis: ratione autem bonorum Ecclesiasticorum im munes sunt. In Constit: *Anni 1607*

 fol:

fol: 837. tit: **Duchowni w Koronie dobra dziedziczne trzymáiacy.**

23. Filij Nobilium in servitio Dominorum existentes bellum non intercedat pro Patribus ad hoc idoneis, sed si placet Patri in domo remanere, recipiat eum, ac pro eo, ac debet merere seu servire de domo expediat. Ipsi verò Domini ex ijs clientelam suam integrent, qui à servitio bellico sint liberi & exempti. *Herburtus sub verbo: Bellum, fol. 37.*

Quantum ad expeditionem bellicam in Palatinatu Podlachiæ, & Terræ Łucoviensis. In Confœderatione Generali Varsaviensi *Anno D.* 1648. *fol:* 16. § **Woiewodztwá iednák Podláskiego/** statutum est, vt ex viginti mansis, aliàs **włok/** eques hastatus, alias **koń Vsarski/** & ex decem mansis, aliàs **Włok/ koń Kozácki/** expediatur, idq; ex Districtibus Dobrzynensi & Bielensi, & Terra Mielnicensi. Videatur & Constit. *Anni 1676. fol: 12. & sequ. tit:* **Pospolite Ruszenie.** Ubi sic habetur. Palatinatum Podlachiæ, & Terram Łucoviensem, juxta jura & consuetudines, vt ex decem mansis mittatur, sine diminutione militis equitis, bene armati & instructi, conservamus. Videatur & Confœderatio Generalis Varsavien: *Anno 1674. fol: 17.* § **Woiewodztwá iednák Podláskiego.**

Palatinatus Prussiæ penes jura & consuetudines antiquas conservati sunt. Ibidem Palatinatus quoq; Kijoviensis, Bracłaviensis & Czerniechoviensis penes Constitutionem *Anni 1654. fol. 6. tit:* **Pospolite Ruszenie** conservati sunt. Et in Const: *1676. fol: 12. tit:* **Pospolite Ruszenie/** dicta Constit: *Anni 1654.* reassumpta est.

Palatinatus Prussiæ expeditionem hanc bellicam, solent accipere ad Fratres seu Conventus particulares, & conservantur penes consuetudinem suam, vt sub **Drwece** consistant. In Constit: *1659. fol: 10. tit.* **Pospolite Ruszenie/** & habetur privilegium *Anno D. 1251.* concessum.

Ducatus quoq; Lithuaniæ modum istius expeditionis faciendæ constituerat iuxta iura sua & consuetudinem antiquam, vt in Cōstit. *Anni 1621. fol: 22.* inter Constit: Lithuan: *sub tit.* **Pospolite Ruszenie.** In Constit: quoq; *Anni 1661. fol: 15.* inter Constitutiones easdem Lithuanicas *tit: Approbatio Laudorum.* Lauda Palatinatuum & Districtuum M. D. L. respectu expeditionis istius, sine præjudicio juris publici & privatorum, tum respectu contributionum pro eadem, approbata sunt, & respectu istarum contributionum contra Retentores & Exactores non reddentes, forum in Iudicio Ca-

strensi

strensi sine appellatione assignatum est. Idem & in Constit: *Anni 1662.* inter Constit: Lithuanicas *fol: 10. tit: Approbatio Laudorum*, sed forum non in Iudicio Castrensi, sed in judiciis Districtuum declaratum est, quas videre licet. Id tantùm addo, quòd in Confœderatione Generali Varsaviensi *Anno 1668. fol: 6.* § **Ktore Láuda** punctum in Laudo Terræ Belscensis ratione mittendorum militum ex bonis M.D. L. pro expeditione generali ad dictam Terram cassatum est, & ne in posterum fiat, cautum est.

Cavere sibi solet Magnus Ducatus Lithuaniæ, ne exercitus istius Ducatûs ex Nobilitate, vel ex alijs ad expeditionem hanc generalem pertinentibus conflatus, extra fines M. D.L. evocetur, sed vt ad defensionem Patriæ intra fines Lithvaniæ consistat: de quo videatur Constit: *Anni 1673. fol: 3. tit.* **Pospolite Ruszenie.** inter Constitutiones Lithuanicas ad quam Constitutionem refert se Confœderatio Generalis Varsaviensis *Anni D. 1674. fol: 18.* § **Wielkie Xięstwo Litewskie.**

Hæc expeditio generalis, vt absq; divisione fiat, constitutum est. *Anno D. 1576.* in volumine Constitutionum *fol: 262. tit:* **Pozwolenie woyny/** & sic in Constitutionibus subsequentibus, in Constit: *1619. fol: 4. tit:* **Okazowánie.** In Constit: *1623 fol: 2* In Constit: *1626. fol. 1.* In Constit: *Anni 1627. fol: 1.* In Constit: *Anni 1628. fol: 1.* In Constit: *1629.* prima *fol 11.* Item in 2da Constitutione eiusdem *Anni fol: 2.* In Constit: *1634. fol: 2.* Item *1635. fol: 3.* In Constit: *1670. f. 14.* In Constit: *1676. fol. 13. tit:* **Pospolite Ruszenie/** Item *1683. tit:* **Pospolite Ruszenie.**

Serenissimus Rex juxta veterem consuetudinem locum in literis Restium, ad quem Nobilitas convenire debeat, assignare, & tutũ providere & reddere tenetur. *Herburtius sub verbo: Bellum, fol: 41.* § *Factum est etiam. Ianussovius fol. 693. Zawadzki ubi supra num:* 8.

Quicunq; ad expeditionem hanc tenetur, simulac alteris restium literis, quæ vltimarum vim habebunt, de loco, deq; die certior factus erit, in spatio quatuor hebdomadarum, à publicatione literarum in Districtibus, sistere se in loco assignato, nec ab eo discedere tenetur, sub amissione bonorum suorum, & pœna colli, hoc est: si ordinationem Exercitûs neglexerit. *Herburtus ubi supra fol: 37. & 40. Ianussovius fol: 696. & f:* 708. Et in Constit: *Anni 1621. fol: 4. tit:* **Pospolite Ruszenie/** Statutum Lithuanicum *cap: 2. art. 1. & 10.* vbi tamen pœna amissionis statuitur, & in Constit: *Anni 1676: fol: 12. tit.* **Pospolite Ruszenie/** pœna contra absentes statuta est, confisca-

tio bonorum, in solutionem stipendiariorum militum convertendorum, prævio judicio in Castris generalibus.

Nulli scripto in Regestro tam in profectione, aliàs **w ciągnieniu/** quàm in Castris ex vno vexillo ad aliud vexillum (licetsi eiusdem Palatinatûs & Terræ) transire licet, nec vllus Ductor, tales in Regestrum suum inscribere, & ad Vexillum admittere debet, sub pœnis contra desertores Castrorum sancitis: respectu cuius pœnæ, terminus & forum in Castris generalibus assignatum est. in dicta Const: *Anni 1676. fol: 10. loco citato.*

Nullus alter alteri sub tempus lustrationis, aliàs **popisu/** aut quando acies ad ordinem belli se ostendunt; arma aut equos, cum quibus se præsentavit, accõmodare potest. *Herburtus sub verbo: Bellum, fol: 36.* Statutum Lithuanicum *cap: 2. art: 15.* vbi pœna amissionis rei accõmodatæ decernitur.

Quando Nobilitas evocatur, regulariter nullius imperio, nisi regio subest, nam Serenissimus *Rex*, tunc in persona sua adesse solet, vt scripsit *Fredro loco infra citato. Piaseccius in Chronica fol: 51.* Sic SIGISMUNDUS III. Rex Nobilitatem contra Turcas comitatus est, *teste Piasecki loco citato, fol: 411.* Et in Constit: *Anni 1557. fol: 12. §.* **Iż tez gwałtownemu/** &c. vbi sic habetur; *Si ex diversis locis potens hostis fines Regni adoriretur, ita: vt ex diversis locis propulsandus esset (quod quidem fieri non posset, cùm omnes circa Personam Nostrã adessent,) cum consensu Nuntiorum Terrestrium ab Equestri Ordine missorum, erit id in libero arbitrio nostro providere, vt singula quæq; ingruens necessitas sufficienter expediatur. Vbi verò magis prægnans necessitas erit, ibi Nos in Persona Nostra Regia cum copijs tantis; quãtæ contra hostem suffecturæ videbuntur, progrediemur. Alij verò Palatinatus, alteri expeditioni aliàs* **potrzebie/** *viciniores, cum Duce Exercitûs vbicunq; opus fuerit, se opponent. Et dictus consensus Nuntiorum Terrestrium pro hoc solùm anno adhibitus in nullo libertatibus Regni officere, neq; in sequelam trahi debet: vt aliquando Exercitus Nobilitatis postea dividi debeat, sed semper libertates Regni in robore suo conseruentur, secundùm jura & libertates eiusdem Nobilitatis.* Huculq; verba Constitutionis, quam etiam refert *Herburtus sub verbo: Bellũ, fol: 45.* Proinde subsequenter in Constitutionibus apponitur: sine divisione belli, vt paulò supra scripsimus.

Sub tempus autem Interregni, si hæc expeditio contingat, eliguntur Ductores Nobilitatis, prout id factum erat sub Interregno, post discessum in Galliam HENRICI VALESIJ Regis, nam communi

consen-

consensu omnium, tam generalis expeditionis, quàm noviter lectarum cohortum, Ductores electi erant, Stanislaus Gorká, & Stanislaus Cikovius, Succamerarius Cracoviensis, veteranus autem miles Duci ordinario parere iussus, vt refert Andreas Maximilianus Fredro in Henrico Valesio *Anno Christi Domini 1576. fol. 245.* & habetur in volumine Constitutionum Regni sub tit: **Uniwersal z strony obrony pod Andrzeiowem/** *Anno D. 1576. fol. 237*

Extra fines Regni Nobiles militare non tenentur, nisi ipsis satis competens satisfactio per Regem impendatur, vel per Regem specialiter fuerint petiti, & ad hoc rogati. Casimirus Magnus *Anno D. 1368.* statuerat, *vt refert Herburtus sub verbo: Bellum, fol: 29.* Idem & Ludovicus Rex *Anno 1378.* item Vladislaus Jagello *Anno 1433.* statuerunt, quòd Nobilibus extra fines Regni militantibus, si fuerint capti, vel detenti, damnaq; parva vel magna passi, captos ex detentione liberare, & respectu damnorum satisfacere promiserunt. *Herburtus ibidem, Ianussovius fol. 693.*

Tandem Vladislaus Jagello & Casimirus Rex *Anno D. 1454.* (*vt refert Herburtus loco citato fol: 30.*) Nobili extra fines Regni secum ad bellum discedenti quinq; marcas super quamlibet hastam, in Civitate Nobiliori cuiuslibet Districtûs, seu antequam metas Regni exiverint se soluturos, & pro damnis & captivitate cuilibet satisfacturos promiserunt.

Tandem in Confœderatione generali Varsaviensi *Anno D. 1573. in volumine Constitutionum fol: 208.* § **Naprzod zadnego rozerwánia** constitutum erat, vt Rex futurus Nobilitatem, neq; precibus, neq; solutione quinq; marcarum super hastam, extra fines Regni extrahat, quod promisit Henricus Rex, vt in literis confirmationis articulorum eidem oblatorum *Anno D. 1573. fol: 254.* § **O woynie albo Ruszeniu Pospolitym/** hoc tamen adiecto: quòd si sponte consenserit, cuilibet militi Equiti (nullo excepto) & etiam pediti Nobili quinq; marcas, ante discessum extra milites Regni, soluturus erat, & quòd respectu istarum quinq; marcarum, tantùm per trimestre illos debebat tenere. Idem & iisdem verbis promiserat Stephanus Rex in Constit. coronationis suæ *Anno D. 1576. fol: 275.* § **O woynie.**

Quinq; autem marcæ tempore Cromeri faciebant quinq; coronatos Gallicos, vel Italicos, vt testatur is idem *Cromerus lib: 2. de Repub: & Magistratibus Polonorum.*

Post finitam expeditionem, nullus ex Castris discedere debet,

 nisi

nisi priùs Palatino aut Castellano, aut Ductori Districtûs sui, aut Officialibus ad Iudicium deputatis, discessum denuntiaverit, & literas ab illis acceperit, quæ illi non sunt denegandæ. Jn reversu autem nullas iniurias vel damna, vel minima faciat. Quodsi fecerit, iniuriatus protestatione factâ in viciniori *Castro* citet eum ad Tribunal Lublinense, vel Petricoviense, ad quos inculpatus spectat, sicq; citatus peremptoriè, absq; quibusvis dilationibus & exceptionibus ex speciali Regestro comparere tenetur, qui ante omnia, vt supra mentio facta est, judicetur. Jn d. Constit. *Anni 1621. fol: 9.* § **A po skończoney Expedycyey.**

Et licèt dicta Constit. *Anni 1621.* fuerit annualis, tamen in multis Constitutionibus subsequentibus reassumpta est, vt in Constit: *1628. fol:* 1. Item in Const: 2da *Anni 1629. fol: 11.* Item in Constitut: *1634. fol:* 2. Item in Constit: *1642. fol. 13.* Item in Constit: *1649. fol,* 14. Item in Constit: *1650. fol. 3.* vbi & Constit: *1634.* reassumpta est. Item in Constit: *1654. fol. 6.* Item in Constit: *Anni 1658. fol: 21.* Item In Constit: *Anni 1661. fol:* 22. in qua & aliæ Constitutiones vtpote 1634. 1637. & 1628. reassumptæ sunt. Jtem in Constit: *Anni 1626. f. apud me 12. tit:* **Pospolite Rußenie.** *Item* in Constit: *Anni 1685. fol:* 4. *tit.* **Pospolite Rußenie/** vbi præter Constit: *Anni* 1621. & aliæ Constitutiones reassumptæ sunt, vtpote 1634. & 1676. *fol: 12* in qua Constit: anni *1673.* reassumpta est respectu obedientiæ & judiciorū in profectione in ipsismet Castris.

Et cùm inter arma sileant leges, ideo & sub tempus huius expeditionis omnia cessant judicia Nobilium, & jus omne, eo tempore penes Regem est, vt in Constit. *Anni 1634. fol: 4. tit:* **O Trybunałach/** vbi sic habetur: *Cùm propter expeditionem generalem bellicā Nobilitatis omnia judicia Succameralia, Terrestria, Castrensia, post Curiam, ita etiam & Tribunalia Regni eo tempore à judicijs consuetis supersedere debent, hoc est: quando Tribunal literis Regijs ante tertias literas Restium avisatum & limitatum erit. Iudicia tamen Castrensia & Querelæ, similiter omnia alia judicia ad publicationem tertiarum literarum Restium exercebuntur, & demum post publicationem dictarum literarum tertiarum, & post reditum Regis, & expeditionem finitam, juxta cadentiam Iudicia Castrensia, Terrestria, & omnia alia inchoabuntur. Quodsi expeditio hæc sub tempus Electionis Deputatorum ad Tribunal Regni accidat, vel Nobilitas in hac expeditione esset, tunc Palatinatus & Terræ feriâ secundâ post festum Conceptionis B. M. V. proximâ, Deputatos ad Tribunal futurum in Comitiolis solitis eligant.*

Et De-

Et Deputati isti feriâ secundâ primâ post festum Trium Regum Petricoviæ juramentum solitum præstent, & judicia sua inchoent. Hucusq; verba Constitutionis. Et regulariter Iudicia Castrensia & Postcurialia in sex septimanis reassumuntur. Terrestria verò juxta cadentiam, vt annotavit Nicolaus Chwałkowski *in libello suo, de iure publico Regni Poloniæ lib: 2. tit. de jure armorum.*

Articulus vnicus.

De Lustro aliàs **Okázowániu się** Nobilitatis.

INoleverat olim mos, & Constitutiones super hoc latæ sunt, vt Nobilitas in Palatinatibus suis, singulis annis, vel quolibet biennio lustrum aliàs **Okázowanie** faceret, vtile siquidem videbatur, Nobiles officij sui commonefacere, quatenus arma negligentiùs non curarent, & parati lustro, non imparati repentinis casibus adessent. *Ita Fredro in Valesio fol: 21. & sequ:* vbi plura de hoc lustro & omissione illius scripsit, ad quem curiosum Lectorem remitto. Et quāvis neglectum sit, tamen de illo placuit scribere.

Et imprimis in Constit: *Anni 1562. fol: 29. tit.* **O okazowániu** ordinatum erat; vt hoc lustrum in omnibus Palatinatibus in festo S. Adalberti fieret, non alium ob finem, nisi vt constaret, qualiter Nobiles ex officio suo Nobilitari parati essent ad servitium Reipub: & defensionem Patriæ suæ, vtq; ad idem lustrum, Palatini, Castellani, & alij Dignitarij venirent, sub pœna in Statuto expressa de expeditione generali; tum vt Palatini pro faciendo hoc lustro locum assignarent, & in Civitatibus principalioribus publicari facerent sub eadem pœna.

Sed cùm hoc lustrum non pervenerit ad effectum suum, rursus in Constit: *Anni 1563. fol: 47. tit:* **Okázowánie/** Lustrum hoc pro festo S. Matthæi Apostoli proximo, constitutum erat, vtq; quilibet tali modo veniret, quali servitium bellicum absolvere teneretur. statimq; cuilibet Palatinatui & Terræ locus ad lustrandum assignatus est. Et quidem Palatinatui Cracoviensi penes Cracoviam, sub Casimiria. Posnaniensi sub Posnania. Sandomiriensi sub **Pokrzywnicá/** Calissiensi sub **Pyzdry**. Seradiensi & Terræ Vielunensi sub Siradia, Łanciciensi sub Łancicia, Brestensi sub Brestia, Inovladislaviensi sub Inovladislavia Terræ Dobrinensi sub **Lipno/** Terræ seu veriùs Palatinatui Leopoliensi sub **Gliniany/** cum Palatino, Præmisliensi sub **Medyki/** Terræ Sanocensi sub Sanocia, Chełmensi

sub Chełmá. Haliciensi, Treboveliensi, Kołomynensi sub Halicia cum Castellanis. Palatinatui Podoliæ sub Bálino/ Lublinensi sub Lublino nad Bystrzycą. Belzensi sub Belzá/ Płocensi sub Rá-ciąż/ Masoviæ in tribus locis, in quibus judicia nova habuerunt, Ravensi sub Sochaczewo.

In eadem Constitutione statutum erat, ne in profectione ad tale lustrum, sicut in loco lustri, tum in discessu ex illo, aliquis auderet iniurias & damna in bonis Spiritualium & Sæcularium facere. Forum iniuriatis coram Capitaneo assignatum erat, vtq; citatus sine vlla dilatione in primo tanquam peremptorio termino compareret, & convictus juxta appretiationem, partis iniuriatæ medio juramento, solveret, hoc adiecto: quòd iniurians juramento evadere posset, quòd neq; per se, neq; per servum suum iniuriam aut damnum prætensum fecerit.

Ad hæc, in eadem Constitutione, succurrendo tranquillitati & securitati publicæ; statutum erat. Si aliquis duabus septimanis ante vel post lustrum, aliquem infestaverit, talis per Palatinum aut Castellanum cum Officialibus Terrestribus, si coram illis testimonio duorum Nobilium esset convictus, in lustro captivaretur, & in carcere per duas septimanas detineretur. Et si (quòd Devs avertat) occiderit intra præscriptum tempus, per Palatinum, si fuerit præsens vel Castellanū cum Officialibus Terrestribus captivaretur & judicaretur, præmisso scrutinio sufficiēti, sicut in recenti crimine, pœnâ colli puniretur. Quodsi aufugeret evitādo pœnam, proscriberetur, & banniretur de Regno, dominijsq; illi subiectis. Bona quoq; ad instigationem propinquorum, juxta Statutum *Anni 1507.* confiscarentur.

Quodsi aliquem vulneraverit, vt caperetur & judicaretur & convictus legitimè in fundo Turris in Capitaneatu viciniori lustro, detineretur, quousq; parti læsæ centum marcas non solverit. Pœna autem contra Palatinum, Castellanum, non administrantes justitiam, aut Capitaneum executionem non facientem, similis s: centum marcarum parti læsæ, succumbenda statuta erat. *Ibidem.*

Ab hoc Lustro liberi facti erant Aulici Regij ad latus Regium manentes. Item milites ex stipendio servientes. Item Revisores ad revisionem bonorum Regalium deputati. Ita tamen, vt hi omnes vno die in Districtibus suis post dimissionem militum, in sex septimanis lustrarent se.

Hæc Constitutio pro vna tantùm vice, lata fuit vt ibidem.

Sed & hæc ordinatio lustri ad effectum non pervenerat, ideo, vt denuo juxta d. Constit: *Anni 1563.* fieret, per Constit: *Anni 1565. f. 106. tit:* **Okázowánie** statutum erat, idq; in festo Nativitatis B. M. V. proximo.

Tandem post mortem STEPHANI Regis sub tempus Interregni in Cōfœderatione generali Varsaviensi *Anno D. 1587.* in volumine Const it. *fol: 411.* **A iż pod ten czas/** in omnibus Palatinatibus, & Terris laudatum est, idq; pro die octava Maij, hoc est in Festo S. Stanislai Episcopi & Martyris, locusq; assignatus est, Posnaniensi & Calissiensi sub Sroda, Cracoviensi, sub Proszovice, Sandomiriensi sub **Pokrzywnicá/** Siradiensi & Terræ Vielunensi, sub Siradia, Łancicicensi, sub Łancicia, Brestensi, sub Brestia, Kijoviensi, sub **Żytomierz/** Inovladislaviensi, sub Inovladislavia, Terræ Dobrinensi, sub **Lipno.** Palatinatui *Russiæ* & Terris Leopoliensi, Præmisliensi, Sanocensi, sub **Wisznia/** Chełmensi sub **Chełmo** Haliciensi, Colomiensi, Trebovelensi sub **Halicz/** Palatinatui Voływensi, sub **Łucko/** Palatinatui Podoliensi sub **Kamieniec/** Palatinatui Lublinensi sub Lublino Palatinatui Bełzensi, sub Bełza. Palatinatui Płocensi, sub **Ráciąż.** Palatinatui Masoviæ in tribus locis, hoc est: sub Varsavia, Zakrocimia, & Łomza, Districtui Viscensi sub **Rádziłowo/** Turensi, Ostroviensi, Camenecensi, sub Ostrovia. Palatinatui Podlachiæ & Terræ Drohicensi, cum Mielnicensi sub **Drohicino.** Terræ Bełzensi. sub **Suráżo,** Palatinatui Ravensi, sub Rava. Terræ Sochaczoviensi, sub Sochaczovia. Terræ Gostinensi, sub Gostinio. Palatinatui Braclaviensi sub **Winnicá/** Palatinatibus autem Mariæburgensi, Culmensi & Pomeraniæ Domini Palatini debebunt assignare locum commodum. Contra non venientes, pœna de expeditione bellica. Contra injurias & damna, tam in loco lustri, quàm in discessu ex illo facientes, pœnæ in dicta confœderatione descriptæ per Iudices Confœderationis cognoscendæ & decidendæ. Sed postea in Conventu Cracoviensi *Anno D. 1587.* in volumine Constitutionum *fol: 419* statim à principio. Palatinatus Cracoviensis relaxavit sibi dictas pœnas. Deinde in Constit: *Anni 1596. fol: 685. tit:* **Okázowánie/** Palatinatus Cracoviensis, Łanciciensis, Ravensis, tempus lustri, diem S. Michaëlis; locum Cracoviensi sub Casimiria penes Cracoviam, Łanciciensi sub Łancicia, Ravensi sub **Sochaczewo/** sibi constituerunt, hoc addito: quòd in hoc lustro nullæ consultationes, aut aliqui tumultus fierent, cum præcautione juxta pacis Constitutionem *Anni 1563.*

Subſequenter in Conſtit: *Anni 1607. fol: 838. tit:* **Okázowánie/** ſtatutum erat, vt tam in Regno, quàm in M. D. L. Luſtrum hoc fieret ſingulis annis, in craſtino feſti SS. Simonis & Iudæ in Regno, in locis in quibus Conventus particulares ſolent fieri. In Magno autem Ducatu Lithuaniæ, tempore & in locis, in ordinatione Vilnenſi *Anno Dñi. 1565.* deſcriptis. Vtq; hoc luſtrum fieret in præſentia Palatini, Caſtellani, Succamerarij & Vexilliferi illius Diſtrictûs, qui etiam **okázáć ſię winni bedą.** Abſentiâ propter legale impedimentum perſonæ alicuius ex dictis Dignitarijs & Officialibus non obſtante, ſed tamen in caſu talis impedimenti, **poczty ſwoie okázywáć/** quilibet **powinien bedźie/** ſub pœnis talibus, ſicut quilibet alius Nobilis, in Conſtit: *Anni 1562. & 1563.* deſcriptis, reſpectu cuius pœnæ quilibet Nobilis poſſet citare peremptoriè ad Tribunal Regni, inter cauſas conſervatas: ſicut & reſpectu violationis pacis communis & damnorum ſub idem tẽpus factorum. Et quòd in talibus nullius excuſatio admitteretur, niſi talis, qualis tempore expeditionis bellicæ ſervis, quam Conſtit: aliqui Palatinatus acceptârunt, alij ad Fratres acceperunt, vt videre eſt in illa.

Jn Conſtit: *1611. fol: 35.* **O okazowániu/** dicta Conſtit. *1607.* quoad Palatinatum Lublinenſem relaxata fuit.

Jn Conſtit. *Anni 1613. fol: 13. tit.* **Okázowanie/** Palatinatus Kijovienſis dictâ Conſtit: *Anni 1607.* cum pœnis in eadem expreſſis acceptavit, cum hac tamen declaratione, vt luſtrum inter **Chwaſtowo** & **Trzechbieſzow/** in tribus ſeptimanis poſt feſtum S. Michaëlis anno eodem coram Palatino aut Caſtellano, & in abſentia illorum coram Vexillifero fieret, vide Conſtit: *Anni 1633. fol: 60. tit:* **Okázowánie/** de qua & Nos infra.

Magnus autem Ducatus Lithuaniæ in dicta Conſtit: *Anni 1613. fol: 49. tit* **Okázowanie/** Conſtitutionibus *Anni 1563. 1607.* reaſſumptis, vt illo anno die octavâ Septembris, omnes Palatinatus luſtrum facerent, & poſtea ſemper quolibet biennio, in locis in quibus Iudicia & Conventus particulares ſolent peragi, coram Palatino, Caſtellano, Vexillifero, in Palatinatibus, in Diſtrictibus autem coram Mareſchalco Vexillifero & Tribuno ſeſe præſentarent. Pœna ducentarum ſexagenarum groſſorum Lithuanicorum, contra Officiales negligentes venire pro tempore aſſignato, toties quoties hanc negligentiam commiſerint, ad inſtantiam cuiuſvis, in Tribunali, in quolibet termino peremptoriè à negligente ſolvenda ſtatuta erat. Quod luſtrum poſſet peragi non obſtante abſentiâ vnius Dignitariorum,

vel Officialium, sed nonnulli Palatinatus & Districtus, ad Fratres hoc acceperunt.

Jn Constit: *Anni 1616. fol: 10. tit:* **Okázowánie** statutum erat, „ Quòd Palatinatus Posnaniensis & Calissiensis isto anno die 1. Maij lustrū facerent: & postea in singulis biennijs eodem die: alijs autem Palatinatibus & Districtibus diversimodè ordinatio facta est, vt videre licet.

Jn Constit: *Anni 1619. fol: 4. tit:* **Okázowánie/** Constitutiones *Anni 1562 & 1563.* & aliæ posteriores reassumptæ sunt.

Jn Constit: *1620. fol. tit:* **Okázowánie/** statutū erat, vt in singulis annis in locis Conventuum particularium feriâ secundâ post Dominicam Conductûs, sub pœna quingentarum marcarum, ad instantiam cuiusvìs in *Iudicio* Castrensi viciniori vindicanda, lustrum fieret, & quòd essent obligati venire, **Zástáwnicy/ Arendárze/ y ci co płác biorą.** Palatinatus autem Podlachiæ vt iuxta jura absolveret.

Jn eadem Constit: *Anni 1620. fol: 4. tit:* **Okázowánie Wielkiego X. L.** Ducatus iste Constitutionē *Anni 1613.* in toto reassumpsit, vtq; hoc lustrū in singulis annis die tertiâ Maij, quousq; bellum Turcicum duraret, fieret. Contra non venientes pœna ducentarum sexagenarum grossorū Lithuanicorum, in Tribunali toties quoties luenda, statuta est. Sed nonnulli Districtus ad Fratres acceperunt. Jn Constit: *Anni 1621. fol: 20. tit:* **Okázowánie/** Palatinatus Cracoviensis respectu loci sub Casimiria, sicut & omnes alij Palatinatus circa loca antiqua conservati sunt. Sed Districtui Recicensi tempus lustri dies tertia post SS. Trinitatis Festum, assignatum est in eadem Constit: *fol. 26. tit:* **Okázowánie.**

Jn Constit: *Anni 1627. fol: 2 tit:* **Okazowánie** statutum erat, vt in Palatinatibus Cracoviensi, Sandomiriensi, Lublinensi, in Terris quoq; Leopoliensi, Præmisliensi, Sanocensi, **wszyscy zástáwnicy/ Arendarze/ Płátownicy** manu armatâ lustrum facerent, sub pœna mille marcarum. Forum in Castro, cum termino peremptorio. Palatinatus Novogrodensis in M. D. L. lustri diem vigesimam quintam Maij acceptavit.

Jn Constit. 2da *Anni 1629. fol: 21. tit* **Okázowanie W. X. L.** Ducatus hic Constitutionem *Anni 1627.* in toto acceptavit, sub pœnis in eadem descriptis. Nonnulli tamen Palatinatus & Districtus ad Fratres acceperunt, exceptâ Terrâ Samogitiæ, quæ Constitutionem *Anni 1613.* in toto acceptavit, excepto hoc, quòd lustra sua (non

die octavá, sed uigesimá secundá Septembris singulis annis sub Rosieniami facient.

Jn Constit: *Anni 1631. fol: 29. tit:* **Okázowánie**, respectu lustri Palatinatuum Posnaniensis & Calissiensis statutum erat, vt lustrum horum Palatinatuum non sub Oppido Sroda, sed in Districtibus in locis in quibus Iudicia Terrestria peragerentur, coram Castellanis suis, idq; feriâ 2dâ post festum S Matthiæ fieret. Districtus autem Vałcensis sub Oppido **Wałcz**, coram Castellano Santocensi. Contra non venientes pœna mille marcarum, ad cuiusvis instantiam repetenda. Nihilominus vt quolibet quadriennio sub Oppido Sroda generaliter omnes lustrum peragerent, statutum erat. *Ibidem.*

Similiter & in Palatinatu Sandomiriensi, vt quolibet quarto anno sub **Pokrzywnica** fieret, de quo videatur Constit: *Anni 1638. fol: 36. tit:* **Okazowanie**. Quod & Terra Gostinensis acceptavit. *Ibidem fol. 30. tit.* **Okázowánie Woiewodztwá Sándomierskiego.**

Nobilibus Terræ Czerscensis, concessum erat, vt ex altera parte Vistulæ sub **Rádwankowo**, Districtûs autem Nurscensis & Camenecensis, ex altera parte **Bugá** manentibus; vt sub tempus inundationis, sub villa **Przewoz**, lustrum hoc coram primario Officiali Terrestri vel Castrensi, qui tunc præsens esset, die solito peragerent. *Ibidem fol: 30. tit:* **Okázowánie Powiatu Czerskiego** &c.

Sed in Constit, *Anni 1633. tit:* **Okazowánie**, vt Terra Nurscēsis sub Ostrovia lustrum perageret constitutum est. Tandem in Constit: *Anno 1635. fol: 43. tit:* **Okazowánie**, aliter statutum erat: vt Nurscensis **pod Nurem** Ostrovensis sub **Ostrow**, Camenecensis sub **Kámieniec**, coram Officialibus lustrum peragerent.

Terræ Łomzinensis Nobilibus tempus lustri post Dominicam Exaudi translatum erat, *Ibidem fol: 30.* Districtûs autem Viscensis Nobilibus sub **Rádziłowo**, locus lustri assignatus est. *Ibidem fol: 31.*

In Constit: *Anni 1633. fol. 48. tit:* **Okázowánie**. Lustro Palatinatûs Seradiensis feria secunda post festum S. Matthiæ assignata erat, vtq; in Districtibus coram Castellanis perageretur. Quarto autem anno omnes sub Sadek peragerent. Respectu autem Palatinatuum Posnaniensis constitutio *Anni 1631.* in toto approbata est.

Jn eadem Constit: *Anni 1633. fol: 59. tit:* **O okázowániu**. Personæ Senatoriæ & Nuntiorum in Comitiis illis tunc existentes, & aliæ penes illas remanentes, obtentâ attestatione à Mareschalcis, liberæ factæ sunt à pœnis, contra non venientes ad lustrum, statutis.

Jbidem sub tit: **Okázowánie Woiewodztwá** statutum erat, vt in

Vt in Palatinatu *Podlachiæ*, Terræ, Drohicensis & Mielnicensis sub Drochicino; Terra autem Bielscensis, sub Surazew, feriâ secundâ post Dominicam Exaudi absolveret lustra.

Jbidem *fol. 50. tit:* **Okázowánie/** statutum erat, vt Districtus Pucensis, coram Iudicio Terrestri suo lustrum per tres annos sub Pucko faceret; quarto autem anno generaliter sub Starogrodia, sub pœnis in Constitutionibus Regni de lustro sancitis. Et Iudex Terrestris, tam absentium; quàm præsentium ad Palatinum Pomeraniæ transmitteret regestra.

Jn eadem Constit: *fol: 60. tit.* **Okázowánie/** Palatinatus Kijoviensis, cùm propter inundationem fluvij **Dniestr/** sub **Zoltomirz/** feriâ secundâ post Dominicam Conductûs lustrum facere non posset, statutum erat, vt feriâ secundâ primâ post festum Pentecostes peragеretur.

Jn Constit: *Anni 1635. fol: 32. tit:* **Sady.** Palatinatus Mariæburgensis juxta morem antiquum sub **Sztum/** lustrum absolvere cùm nequiret, ordinatum erat, vt sub **Kißpork** fieret.

Jn eadem Constit. *Anni 1635. fol: 17. tit:* **Ordynácyá/** ordinatum est: vt Incolæ *Palatinatûs* Czerniechoviensis & Districtûs Novogrodensis in Czerniechow, vbi semper, lustra facerent.

Laudum *Palatinatûs* Cracoviensis respectu lustri, approbatum fuit in Constit: *Anni 1638. fol 36. tit. Lauda* **Woiewodztwá.**

Jn eadem Constit: *fol: 49. tit.* **Popis/** Lustrum *Palatinatûs* Bracławiensis, pro feria secunda post festum SS. Trinitatis sub eodem modo & jure, sicut & ante descriptum translatum est.

Ibidem tit: **Okázowánie**, vt *Palatinatus Pomeraniæ* in Districtibus penes Civitates, vbì judicia peraguntur, Tucholiensis & Słuchoviensis Districtus sub **Choynice/** lustrum peragerent, statutum erat. Videatur & in Constit: *Anni 1641. fol. 34. tit:* **Okázowánie/** vbi statutum erat, vt lustrum Palatinatûs Pomeraniæ in tempore præscripto separatim in quolibet Districtu, sub Civitatibus vbi judicia peraguntur, fieret.

In eadem Constit: *Anni 1641. fol. 27. tit:* **Okázowanie/** statutum erat, vt lustrum Palatinatuum Brestensis, Cuiaviensis, Inovladislaviensis, **y Ruskiego/** juxta Laudum Comitiolorum Sredensium peragerent.

Anno D. 1647. f: 32. tit: **Okázowánie Ziem/** Lustra Terrarum & Districtuum totius Palatinatûs Masoviæ, & Palatinatuum Prussiæ ob distantiam hostis relaxata, aliàs **zniesione** erant. Salvis in poste-

 rum,

rum, si & in quantum (quod Deus avertat) imminerent pericula, juribus antiquis de lustro. Quam Constit: Terra etiam Gostinensis acceptavit.

In Confæderatione generali Varsaviensi sub tempus Interregni, post mortem VLADISLAI IV. Regis Anno D. 1648. fol. 19. z Ná te okázowániá/ insinuatum erat, vt lustra laudis Palatinatuum, Terratum & Districtuum laudata iuxta Constitutionem de hoc factam fierent, & quilibet compareret.

In Constit: Anni 1650. fol. 19. tit. O popisach statutum erat, vt in M.D.L. Lustra peragantur in festo S. Michaëlis, sub pœnis de expeditione bellica sancitis, ad instantiam Mareschalci, & Vexilliferi Terrestris in Tribunali luendis. In eiusmodi lustris (aliàs Popisach) omnis tranquillitas & securitas conservatur, sub pœna centum sexagenarum Lithuanicarum contra insolentes & turbatores, & pro maiori excessu v.g. vulnerationis, czworákie náwiąski/ in casu necis, pæna colli y czworaki głowszczyzny. Forum tam respectu vulneris, quàm necis in Officio Castrensi proximo peremptoriè, ad instantiam cuiusvis assignatum est.

In Constit: Anni 1677. fol: 7. tit: Pospolite Rußenie/ Lustra antiquis juribus descripta laudata sunt, & Constitutiones eo nomine sancitæ reassumptæ sunt in toto.

TITVLVS QVADRAGESIMVS SECVNDVS.

De Abbatijs & Abbatibus tum Præposituris Regularium.

IN Statutis Regni de Abbatibus hæc habentur. Quòd Conventus Lubinensis Ordinis S. Benedicti, Abbatem electum, teneatur Serenissimo Regi vti Patrono & Domino gratiosissimo, præsentare, humiliterq; votum & consensum à Serenissimo Rege postulare & impetrare, prout de jure & consvetudine tenentur.

Et quòd ad electi Abbatis provisionem confirmationem & consecrationem, nullo modo procedant, donec priùs consensus desuper Regius fuerit benigniter datus. *Herburtus fol: 1, tit: Abbates.*

Et quòd Episcopus Posnaniensis ad consecrationem Abbatis Lubinensis non procedat nisi Regia Maiestas ad eandem consentiat. *Is ibidem fol. 2.*

Item

Item SIGISMUNDVS Rex *Anno D. 1511.* statuit vt promiscuè, Poloni & Alemani ad Monasteria recipiantur, nisi in eorum Privilegijs expressum esset, quòd soli Germani debeant suscipi. *Herburt: ibidem fol: 3.*

Item *Anno D. 1530.* SIGISMUNDUS Rex, statuit, vt Abbates, & Præpositi ad Monasteria Regni nonnisi natione Poloni eligantur. Quodsi nullus Nobilis idoneus in eodem Monasterio esset, tunc ex alio Monasterio eiusdem Ordinis & Religionis, Vir Nobilis & idoneus eligatur seu postuletur. In defectu autem Nobilis idonei, licitū & liberum sit, plebeium idoneum natione Polonum in Abbatem eligere. Episcopus tamen loci, de idoneitate & natione Serenissimū Regem certiorem reddat; vt Serenissimus Rex possit scire quem & qualē eidem præsentare debeat. *Ita refert Herburt: loco citato, fol: 3.*

Js idem SIGISMUNDUS Rex *Anno D. 1539.* dictum statutū suum *Anni 1530.* reassumpsit: & quòd non præsentabit quemquam electum Lociordinario, nisi de Nobili loco natum. Et si aliquis non esset legitimè electus, se operam daturum, vt Domini Episcopi huiusmodi Electionem nullam pronuntient; ac de alio idoneo (vt statutum disponit) in locum illius sufficiendo, sint solliciti. Insuper statuit: vt in his Monasterijs, quæ partem bonorum suorum extra Regnum habent, alternatim Abbates nunc Germani, nunc Poloni eligerentur, Dominis quoq; Episcopis commisit, vt in quæ Monasteria soli Germani reciperentur, in ea quoq; Polonis pateret aditus & ingressus, *Herburtus, Ibidem fol: 4.*

Jn Constitutionibus autem Regni hæc habentur: Et imprimis in Constit: *Anni 1550. fol: 8.* § **Aby nádánia Klaßtorne/** constitutum est: Renovando statutum *Anno D. 1530.* conditum, nemo in Abbatem eligatur, nisi natione Polonus ex Patre & Matre genere Nobili procreatus, dummodo idoneus sit. Quodsi in eodem Monasterio vacantis Abbatiæ non reperiretur professus idoneus Nobilis inibi assiduè & antiquitùs habitans, tunc in Monasterio eiusdē Diœcesis, Nobilis idoneus, Statûs Spiritualis, eligatur & postuletur in Abbatem. Cùmq; sic eligeretur improfessus, præsentetur à Rege Lociordinario, & postea per illū instituatur aut confirmetur in Abbatem, & Regulam istius Ordinis profiteatur.

Ad hæc in eadem Constit: *1550. fol: citato,* § **A ponieważ/** statutum est, vt Domini Abbates certum numerum puerorum nobilium in Monasterijs foveant, & illos inibi hominibus doctis, artibus liberalibus instituendos dent, juxta quod unicuiq; Abbati Domini Epi-

ſcopi illorum locorum conſignabunt, & nominabunt. Idem & in Conſtitutionibus Provincialibus Gneſnenſibus. *lib: 1. fol: 60.* § *Et quoniam in nonnullis Monaſterijs* & *fol: 62.* §. *Fratres ſui Ordinis* &c. Sed hoc Domini Abbates non ſervant, & forſan ob iſtam cauſam, quia hoc onus impoſitum illis erat, quòd paucus numerus Monachorum in Monaſterio fuerat, jam autem nunc in ſuperabundanti habetur.

Reaſſumpta eſt dicta Conſtitutio *Anni 1550. in Conſtit. Anni Domini 1588. fol. 469. tit.* **O Opactwach**, idq; reſpectu electionis Abbatum, quòd poſt mortem defuncti Abbatis à prima notitia quàm citiſſimè electionem novi Abbatis indicant, & electum competenter juxta jus deſcriptum, Sereniſſimo Regi denuntient, & à Sereniſſimo Rege præſentatum inſtituant. Quodſi aliquis aliter eſſet electus, pœnis contra Corteſanos, in Statutis *Anni 1538.* & *1540.* latis ſubſit. Forum in Comitijs generalibus ad inſtantiam cuiuſcunq; Videatur infra in Conſtit: Provincialibus.

Sed hoc Monachi & præcipuè Ciſtercienſes non ſervant, nec admittunt intimationem electionis à Lociordinario emanatam.

Jn qua Conſtit: *Anni 1588.* loco citato id quoq; habetur. Quòd poſt deceſſum Abbatis, Lociordinarij habeant curam & ordinem Monaſterij, proventus autem in manibus Monachorum remaneāt. Videatur in Conſtitut: Provincialibus infra appoſitis.

Dictæ Conſtitutiones *A. 1550.* & *1588.* in Conſtit. *A. 1607. f. 837: ti:* **O Dignitárſtwach**, reaſsūptæ ſunt, conſtitutumq; eſt, vt juxta antiquum jus, Abbatiæ & Præpoſituræ Regulares competenter electis conferantur juribus Regalibus per omnia ſalvis, vtq; Abbates conditionibus ſuis in jure deſcriptis ſatisfaciāt. Quodſi aliquis contra diſpoſitionem Conſtitutionum Regni Abbatiam accipere & poſſidere auderet, aut conditionibus in jure deſcriptis non ſatisfaceret, pœnam contra Corteſanos latam ſubeat.

Item, ne duæ Abbatiæ vni conferantur in vſum. Nec Abbatiæ Epiſcopatibus iungantur in d. Conſtit: 1607. *loco citato.*

Sed poſtea, non obſtante prædictâ Lege, Abbatiæ nonnullis Epiſcopatibus ſunt iunctæ, vt videre eſt in Conſtitutione *Anni 1633. f. 28. tit: Incompatibilia,* hoc eſt Archiepiſcopo Leopolienſi, Epiſcopis, Præmislienſi, Samogitiæ, Chelmenſi, Kijovienſi, Camenecenſi, & Vendenſi. vt ibidem. In qua Conſtitutione *1633. f. 20. tit:* **Konſens ná Proboſtwo Miechowſkie.** Jlluſtriſſimo olim Jacobo Zadzik Epiſcopo Culmenſi conceſſum erat Præpoſituram Miechovienſem cum eodem Epiſcopatu ſimul tenere.

Sic

Sic etiam Episcopo Luceoriensi Illustrissimo olim Nicolao Prazmowski, concessum erat simul tenere Abbatiam Sieciechoviensem, in Constit: *Anni 1650. fol: 28. tit:* **Opactwo Sieciechowskie.**

Sic in Constit: *Anni 1667. fol: 15. tit:* **Opátrzenie/** Illustrissimo olim Andreæ Olszowski promissum erat, cum Episcopatu Culmensi Abbatiam & Præposituram ex primis vacantibus conferre. Sed semper in tali casu adiecta est clausula, pro hac sola vice, & ne in sequelam trahatur, vt videre licet in dictis Constit: sed de his & Nos supra scripsimus.

Coadiutoriæ Abbatiarum non debent dari & conferri minorennibus, maiorum Ordinum incapacibus, cautum est in exorbitantijs, in electione MICHAELIS Regis *Anno 1669. tit:* **O Opáctwách.**

Jn Constitutionibus Provincialibus hæc habentur. Et imprimis *lib. 1. fol. 57. tit. de Abbatum electione. Quòd Illustrissimi & Reverendissimi Archiepiscopus & Episcopi promiserunt se in Comitijs publicis non consensuros, ne nova Statuta libertatem Ecclesiasticam tollentia, absq; consensu Synodi Provincialis concederentur, maximè verò contra statutum, liberam Canonicamq; electionem Abbatum in Monasterijs tollens (vt scilicet soli Nobiles Monachi, Abbatijs præficerentur) factum. Quodq; dictum statutum novum, vtpote Regulas & modum vivendi omnium Ordinum & Religionum enervans, sit ipso jure nullum ex defectu potestatis & jurisdictionis, & statum monachalem minimè obligant. Hæc constitutio Provincialis sub Petro Gamrato Archiepiscopo Gnesnensi fuit Anno Dñi 1542, & alia similis ei Anno D. 1544. facta, sed in viridi observantia nunquam fuerunt, nec modo sunt.*

Item sub Nicolao Dzierzgovio Anno D. 1551. fuit Constitutio Provincialis facta, vt habetur lib. 1. Constitutionum Provincialium Gnesnensiũ fol: 58. Ne Abbatiæ titulo Commendarum, vel etiam Coadiutoriarum personis Sæcularibus, nunquam professis, darentur. Si verò tales Cõventus, merè, liberè, ac simpliciter sæcularem in sacris tamen constitutum, postulare mutuo consensu voluerint, talis non priùs benedicatur, nec eius electio seu postulatio approbetur, quoad possessionem omnium substantialium Regulæ in manibus Ordinarij sui, habitu priùs Regulari & tonsurâ susceptis, solenniter fecerit.

In eadem Constitutione Nicolai Dzierzgovij loco citato statutum erat, vt Reverendissimi Dñi Lociordinarij, occurrente cuiuscunq; Abbatiæ, aut Præposituræ Regularis vacatione, statim vt intellexerint, de vacatione Abbatiæ talis aut Præposituræ, viros maturos, de gremio sui

Capituli, pro die constituta electionis, ad Monasteria sic vacantia mittant, qui huiusmodi electioni intersint, diligenterq; Conventus Monasteriorum admoneant, vt ad Abbatias aut Præposituras sic vacantes viri pij, graves & exemplares, Regulæq; periti, ac vitæ sanctimoniâ conspicui, & ad res gerendas idonei eligantur, & promoveantur. Idem habetur in Constitutione secunda Provinciali Wężykoviana fol: 16. & sequ: tit: de Deputatis ex Capitulis ad electiones Abbatum mittendis. Sed Monachi Ordinis Cistercienfis id non servant, nec eiusmodi Deputatos admittunt, vt aliquoties vidi, & ipse expertus sum. Idem habetur in Constitutione Provinciali ab Illustrissimo & Rndissimo D. Ioanne Wężyk Archiepiscopo Gnesnensi, Anno D. 1634. Varsaviæ celebrata cap: 14. quã vide.

Item in Constitutione, præsente Aloysio Lipomani Episcopo Veronensi, Sedis Apostolicæ Nuntio, ac Nicolao Dzierzgovio, Archiepiscopo Gnesnensi, Anno Dñi 1556. facta (vt in lib. 1. Constitutionum Provincialium Gnesnensium fol: 61. habetur) tenoris sequentis. Ad Abbatias & Præposituras Regulares, ad quas execrabilis quorundam Sæcularium Clericorum ambitio irrumpere, timore Dei abiecto, non veretur, decrevit sacra Synodus: vt nonnisi Regulares & Professi juxta dispositionem juris communis, deinceps liberè, cessante quovis suorum Commissariorum, vel aliarum quarumq; personarum metu, aut coactione, eligantur, & per Ordinarios, taliter electi, & non alij benedicantur.

Item in eadem Constitutione statutum est; vt Locorum-Ordinarij, in ipsos Abbates & Præpositos diligenter, prout de jure, superintendant; vt scilicet, regulariter, & sine scandalo vivant; & suis Monasterijs exemplariter præsint, habitumq; & tonsuram, Abbates sui Ordinis deferre non erubescant, vestes sericeas non deferant.

Item ibidem statutũ, vt Abbates Fratres sui Ordinis studere volentes in studijs generalibus servent. Et in Monasterijs certum numerum Scholarium, atq; Magistros, qui eos ac Novitios Ordinis doceant, juxta dispositionem statutorum Provincialium, dudum super hoc editorum, teneant & habeant. Et quidem in Studio generali Cracoviensi: alij verò de Maiori Polonia, in Studio Posnaniensi præter Tremesnensem & Wagrovecensem, qui Cracoviæ Fratres suos tenere debent. Pœna contra Abbates contrarium facientes decem marcarum, annis singulis, per Lociordinarios repetenda, & Studio Cracoviensi applicanda. *Ita in lib: 1. Constitutionum Provincialium fol: 62. §. Decrevit hæc sacra Synodus.* sed id non servatur in Maiori Polonia.

Sed

Sed in Constitutione Provinciali sub Bernardo Macieiowski Petricoviæ *Anno D. 1607.* celebrata *fol.* 12. *tit. De Regularibus*; Reverendissimi Domini Abbates & Præpositi Regulares, sentientes se esse gravatos Constitutionibus Regni vt supra, de educandis liberis Nobilium; vel ex ea potissimum ratione, quòd pœnæ de Corthesanis, nimirum ipsum factum excedentes, statum & prærogativas illorum non postremè afficientes sint contra illos promulgatæ, supplicarûnt Synodo, vt Reverendissimi Domini Episcopi, in proximè futuris Comitijs generalibus, de tollendis dictis Constitutionibus Regni respectu dictœ pœnæ, sedulam operam navarent. Quod Reverendissimi Domini Episcopi se facturos, libenter obtulerunt.

Jn libro quinto Constitutionum Provincialium Gnesnensium *fol*: 358. *cap*: 15. de electionibus Abbatum, Præpositorum Regularium &c. sic habetur: *Ius electionis liberæ Abbatum, Præpositorum, cæterorumq; Prælatorum Regularium, tam virorum, quàm Monialium secundùm sacros Canones, Concilijq; Tridentini decreta, ac Provincialia statuta, penitus observetur & retineatur. dentq; operam DD. Locorum-Ordinarij eorum Regularium Superiores, vt ad ea munera, homines idonei, vitæ honestate & doctrinæ clari, qui Regularem observantiam sint professi, vel profiteri necesse habeant*, eligantur: *de quorum juribus & privilegijs ac libertatibus, Reverendissimi Domini Archiepiscopi, & Episcopi Sacram Regiam Majestatem bene informent, authoritate suâ efficiant, ne ex Cancellaria S. R. M. literæ illis contrariæ cuiquam concedantur. Si verò ad falsam alicuius narrationem, importunamq; instantiam aliquando concessæ fuerint; tanquam juri communi contrariæ, nullum robur habere à Sacra Regia Maiestate decernantur. Quodsi aliquis perversâ cupiditate impulsus cuiusvis potestatis prætextu, in Monasteria, eorumq; bona se intruserit; is vltra pœnas, sacris Canonibus sancitas, pro violatore juris, & libertatis Ecclesiasticæ habeatur, totiusq; Cleri nomine, contra eum Sacræ Regiæ Majestatis præsidium imploretur.* Hucusq; verba Constitutionis.

Jn eodem libro 5to Constitutionum Provincialium *cap. 16.* habetur. *Dent operam DD. Locorum-Ordinarij, & Superiores, vt secundùm formam à Sacris Canonibus & Statutis Provincialibus præscriptam, Monasteria, tam Virorum, quàm Monialium reformentur, vt quemadmodum ab initio Religioni, pietati, vitæ sanctitati, doctrinæ atq; disciplinæ sunt dicata, ita etiam & nunc in eis hæc eadem vigeant, suscitentur, & retineantur, & eorum seminaria in ipsis instituantur, scandalaq; omnia & abusus, procul inde amoveantur & arceantur.*

Jn eodem libro quinto *fol: 360. cap:* 17. ſtatutum eſt: vt bona & poſſeſſiones Monaſteriorum, per Prælatos alienata recuperētur. aliàs per Ordinarios, remedijs juris opportunis compellantur, & quantū Ordinarij poſſint conſilio & patrocinio illos adiuvent.

Jn eodem libro 5. *cap: 18.* Statuit Synodus Provincialis: Inhærendo decreto Sacroſancti Concilij Tridentini; *Vt Regulares quibus nulla animarum cura incumbit, ab adminiſtratione Sacramentorum & prædicatione verbi Divini extra ſua Monaſteria præſertim ab abſolutionib⁹ excommunicatorum, ſine facultate ab Ordinarijs conceſſa, abſtineant, alioquin per eoſdem Ordinarios coërceantur.*

Jbidem *cap: 19.* ſtatutum eſt. Regulares ſine licentia ſuorum Superiorum vagantes, per Ordinarios in vincula conijciantur, & ad Monaſteria per eos deſerta remittantur. Superiores Monaſteriorū, tales ad ſua Monaſteria recipere non audeant, ſub pœna ſuſpenſionis.

Jn Synodo Provinciali ab Jlluſtriſſimo Domino Ioanne Wężyk Archiepiſcopo Gneſnenſi, *Anno D. 1628. Petricoviæ celebrata, tit: de Deputatis Tribunalis Regni* ſtatutum eſt, vt in defectu Prælatorum, vel Canonicorum Cathedralium, Abbates eiuſdem Diœceſis, ſive ſoli, ſive cum adiuncto Prælato vel Canonico Eccleſiæ Cathedralis in Deputatum Tribunalis Regni eligi poſſint.

Jtem in Conſtitutione Provinciali, à prænominato Jlluſtriſſimo & R̄ndiſſimo D̄no Ioanne Wężyk Varſaviæ *Anno D. 1634.* celebrata ſtatuitur: *Vt poſt mortem Abbatum vel* Præpoſitorum *bona Eccleſiaſtica cum ſuis reditibus & proventibus integra maneant, ac futuro (prout de jure) Succeſſori conſerventur, Domini Locorum-Ordinarij Adminiſtratorem ex medio ſui Capituli, vnà cum* Priore *Monaſterij conſtituant, qui indemnitati eorundem bonorum, etiam immobilium per defunctum relictorum proſpiciant, de hiſq́ futuro Succeſſori, ad inſtar Conſtitutionis ſprovianæ de Sede vacante, in noviſſima Synodo à Sede Apoſtolica approbatæ, rationem reddere teneantur. Raptores autem bonorum, redituum, ac rerum à defuncto relictarum, pœnam excommunicationis ipſo facto, contra rapientes bona poſt mortem inteſtati, Statutis* Provincialibus *decretam, incurſuros decernit.*

Æquum etiam cenſet Synodus, vt in Abbatiis, & Præpoſituris commendatis, modus precedendi, ad inſtar anni Gratiæ per Bullam Leonis X. conceſſi, obſervetur.

In eadem Conſtitutione Wężykoviana *fol. 18. cum ſequ: cap. 17.* decernitur. *Vt Domini Epiſcopi Abbatias in Commendam habentes,*

nec

necnon alij Commendatarij, nullis subterfugijs se tueri possint, quominus coram Locorum Ordinarijs, vel Iudicibus competentibus ad pensiones vltra quadraginta annos solvi solitas & consuetas, jure mediante compellantur: aliàs eorum causæ, in judicio composito Tribunalis Ecclesiastici non iudicentur.

In Constitutione Provinciali ab Illustrissimo & Reverendissimo D. Matthia Łubienski Archiepiscopo Gnesnensi Varsaviæ, *Anno D. 1643. celebrata, fol. 14. tit. de Pensione Iudicum Deputatorum,* statutum est his verbis: *Quia prorogato judiciorum Lublinensium tempore, auctus est & Deputatorum numerus, stipendium etiam augeri censuit Synodus oportere. Itaq; Illustrissimi & Reverendissimi DD. Archiepiscopi & Episcopi, ac R̃ndissimi DD. Abbates & Præpositi præsentes à se, Nuntij verò absentium à suis Prælatis promiserunt, singulos Illustrissimorum & Reverendissimorum DD. Archiepiscoporum & Episcoporũ, Abbatum & Præpositorum, suæ quemq; Ecclesiæ, & Diœcesis Deputato, vsitatam hactenus pensionem duplicaturos, eâ tamen lege & conditione, vt, quod ab Episcopis Græci ritûs, pensionis nomine conferetur & contribuetur: id solis Ecclesiarum Russiæ Deputatis debeatur. Si tamen Petricoviam pro electione Mareschalci convenerint, & Lublini continuò resederint: aliàs si die electionis Mareschalci Petricoviam se non stiterint, & Lublini continuò non manserint: à participatione stipẽdij excludantur.* videatur & Constitutio *Provincialis* Macieioviana, *fol: 11. tit. de Iudicibus ad Tribunal.* Et Constitutio Provincialis Gembiciana *fol: 33. tit: de Iudicibus Tribunalis.*

In eadem Constitutione Łubiniana *fol: 22. & sequ. tit: de Bonis §. Quia verò nonnullorum statuitur. Quia verò nonnullorum Monasteriorum, præsertim verò eorum, quæ per Commendas à Clericis Sæcularibus administrantur fabrica prorsus neglecta est; sacra Synodus ruinas Monasteriorum prohibere satagens, decernit: vt omnes Reverẽdissimi Regularium beneficiorum Administratores & Commendatarij, aut certam Monasteriorum ruinosorum partem emendare & restituere, aut pecuniæ quotam, circa suas ad Monasteria receptiones per Illustrissimos & Reverendissimos DD. Locorum-Ordinarios definiendam, pro fabrica & supellectili Ecclesiastica ad manus Priorum quotannis tradere teneantur. Qui Priores, restituendorum ædificiorum, sartorũq; tectorum Monasterij curam habeant; & accepti & expensi, Commendatarijs vnà cum aliquo de gremio Cathedralis Ecclesiæ per Illustrissimum & R̃ndiss: D. Lociordinarium deputando, reddant rationem.*

In eadem Constitutione Łubiniana *fol: 30. tit: Ne Regularia*

 Bene-

Beneficia, cautum est his verbis: Præcipiti cupiditate Sæcularium Clericorum prava, & Sacris Canonibus damnata consuetudo sensim introducitur, vt beneficia Regularia, privatâ authoritate, & antequam Administrationis, & Commendæ literæ expediantur occupent. Cui corruptelæ maturè obviare cupiens Synodus, pœnas cap. Avaritiæ in sexto, & *Statuti* Provincialis *lib: 1.* de Electione *fol: 33.* contra tales ad executionem deduci vult, & vt deducantur, ab Ordinariis requirit, sub pœna interdicti ab Ecclesia.

His Constitutionibus Provincialibus Gnesnensibus innixi Regulares, præsertim Ordinis Cisterciensium, multoties excitaverunt controversias in Curia Romana jus nominandi, seu præsentandi ad Abbatias Monasteriorum suorum, non spectare ad Serenissimos Reges Regni Poloniæ, sed solùm ad sola Monasteria.

Exemplum adfert Stanislaus Łubienski Episcopus Płocensis, sub titulo Profectio SIGISMUNDI III. Regis Poloniæ in Sueciam *fol: 8.* his verbis: *In gratiam Bathorei Cardinalis Episcopi Varmiensis, Rex Cervenscum divertit, ad tradendam eius loci Abbatiæ Cardinali possessionem, quod quidem Rege præsente factum fuit, multùm renitentibus Monachis, sed frustra, nam Germanicus Malaspina, Nuntius Apostolicus ostendit, id voluntate Summi Pontificis fieri, ni parerēt, præsens illis Anathema interminatus est.*

Non defuerunt & sequentibus annis, similes Monachorum controversiæ & appositiones contra juspatronatus Serenissimorum *Regum* Poloniæ, & liberæ electionis Abbatum à Monasteriis. Itaq; Serenissimus IOANNES III. Rex Poloniæ in *Pactis Conventis* à *Iura Majestatis Reipublicæ*, & supremi Domini *fol: 16.* appromisit; Iura Patronatùs Regij, Episcopatus, Abbatias, & alia omnia beneficia Ecclesiastica se manutenturum, & contra hos, qui absq; nominatione Regia quocunq; modo, ad prædicta beneficia se intrudere auderent, oppositionem exemplo Antecessorum suorum Regum facturum. Hinc præfatus Serenissimus Rex IOANNES III. varios iniuit modos, vt hæc controversia, respectu Iurispatronatûs ad Abbatias Regularium, sopiretur. Et inter alios modos, negotium hoc, Duci Michaëli Radzivilio, ad Summum Pontificem Legato commisit. Qui Legatus, negotium hoc sibi commissum apud *Summum* Pontificem summa cùm sedulitate & dexteritate promouit, sed nihil obtinuit. Nam Regulares Ordinis Cisterciensis sese opposuerunt. Et cum nomine Serenissimi Regis supplex libellus Summo Pontifici esset porrectus, pro perpetuo privilegio obtinendo com-

mendan.

mendandi certas Abbatias ad voluntatem Serenissimi Regis, & Successorum suorum Regum, tum Reipublicæ, etiam Clericis Sæcularibus, effecerunt: quòd hæc instantia ad sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium remitteretur; prout ex informatione à D. Iosepho de Capucinis Advocato Romano, pro Abbatibus Ordinis Cisterciensis contra Instigatorem Fiscalem, aliosq; Ministros Regios Poloniæ, conscripta, & Romæ typis Reverendissimæ Cameræ Apostolicæ, *Anno D. 1685.* impressa, & postea *Anno Dñi. 1690.* reimpressa patet. In qua informatione pro parte Monasteriorum Ordinis Cisterciensis hæ rationes juridicæ adferuntur.

Et quidem *Ima.* Quòd Regularia beneficia Regularibus, non Sæcularibus sint conferenda, juxta tex: in cap: Cùm de beneficijs & in cap: Cum singula de Præbendis in sexto.

Ratio 2da. quia in Ecclesia Regulari, seu Monasterio, electio sui Abbatis ad Monachos, de eorum gremio, libera spectat, *cap.* 1. de Electione, & in cap: Cùm dilectus de consuetudinibus.

Ratio 3tia. Quia Concilium Tridentinum *cap: 21. sess: 25.* de Regularibus, Commendas Abbatiarum Sæcularibus Clericis dandas prohibuit.

Ratio 4ta. quia & Constitutiones nostræ Provinciales Gnesnenses supra allegatæ id idem vetant, & liberam electionem commendant.

Ratio 5ta; Quia Statuta, Constitutiones Regni, tum diplomamata, quibus privilegia Cisterciensium confirmantur, fatentur eandem libertatem Monachorum Cisterciensium in Regno Poloniæ, in electione Abbatum sui Ordinis esse servandam: proindeq; prohibetur ad eorum Monasteria Commendatarios nominari: decernendo, nullas inanes, & subreptitias nominationes, quæ intuitu similium Commendarum ex Regia Cancellaria emanarent, allegatum est pro hoc rescriptum SIGISMUNDI AUGUSTI Regis de data Lublinj feriâ sextâ ante Dominicam Cantate, *Anno D. 1554. Regni* sui 25. In quo ad instantiam Abbatis Lamberti, totiusq; Conventûs in Oliva & Iodici Abbatis Peplinensis, mandat, ne libertas electionum Abbatum Regularium Ordinis Cisterciensium in Regno Poloniæ molestetur, sed circa suam electionem iuxta privilegia Summorum Pontificum, tum Regum & Principum conservaretur. Item diploma Serenissimi olim IOANNIS CASIMIRI Regis de data Varsaviæ die 20. Martij *Anno 1667.* Item Diploma Serenissimi olim MICHAELIS Regis, Datum Cracoviæ in Comitiis generalibus Coronatio-

nis suæ die 29. Octobris, *Anno D. 1660.* Item literas STEPHANI Regis Poloniæ ad Stanislaum Rescium de data Varsaviæ die 15. Octobris, *Anno D. 1585.* Item literas Serenissimi olim IOANNIS III Regis, ad Abbatem Landensem, protunc Commissarium & Vicarium generalem Cistercienſium in Polonia, in Gnieun die 29. Decembris *Anno D. 1672.* scriptas.

Ratio 6ta. Quia instantia Serenissimi IOANNIS III. Regis Poloniæ, per quam petitur privilegium perpetuò commendandi certas Abbatias ad arbitrium suum & Successorum Regni Poloniæ, Episcopis certis, & Officialibus Regni, nihil aliud est in substantia, quàm petere illarum dismembrationem à Monasterijs, & earundem vnionem dictis Episcopatibus & Officialibus Regni. Qui propterea verì Abbates dici debebunt. Sed tali vnioni obstare Concilium Tridentinum *cap: 13. sess: 24. de Reformatione:* tum Regulam Cancellariæ Apostolicæ vnionum revocatoriã: tum Bullam SIXTI IV. Summi Pontificis, *Anno D. 1475.* latam, præcipientem, ne Abbatiæ vllo modo in posterum commendentur, sed quòd ad illas Professus tantùm eiusdem Ordinis, liberè à Monachis in Abbatem eligeretur. Item Bullam INNOCENTII VIII. *Anno D.* 1489. latam strictè id mandantẽ, & revocando tunc existentes; & addendo, quòd huic Constitutioni suæ nullo modo derogetur: & quòd eiusmodi Commendæ non possint in futurum concedi, etiam de plenitudine potestatis Sedis Apostolicæ, nisi accedente consilio Eminentissimorum Cardinaliũ Sacræ Romanæ Ecclesiæ, de quo expressè constare debeat. Ad hæc quia in Constit: *Anni 1607. fol. 837. tit:* **O dignitarstwách/** prohibetur, ne Abbatiæ & Præposituræ Regulares, Episcopatibus Regni Poloniæ vniantur. Et ante hanc Constitutionem 1607. extare statutum SIGISMUNDI Regis Poloniæ Petricoviæ *Anno D.* 1525. prohibens hanc vnionem, ob rationem, ne tale exemplum noxium, respectu reliquarum Ecclesiarum, contra institutum Fundatorum, invalesceret, ac ita cultus *Divinus* attenuaretur. Ex quibus juribus intulerunt, si commenda Abbatiarum personis non Religiosis denegata est, multò minùs privilegium perpetuum ex adverso petitum, commendandi Abbatias, concedi debere.

Ratio 7ma. Quia Iuspatronatûs Regum assertum ad Monasteria Cistercienſia nullo jure probetur: prout esset concludenter probandum, vt Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, in prima propositione causæ die 4. Octobris, *Anno D. 1680.* declaravit. Ita, vt nec sufficeret illius exercitium aut possessio longæua;

sed

ſed requireretur publicum Inſtrumentum Fundationis vel dotationis Monaſteriorum, vel immemorabilis, cum præſentationibus effectum ſuum ſortitis, & continuatis ſpatio quinquaginta annorum, juxta diſpoſitionem Concilij Tridentini *cap: 9.* ſeſſ: vigeſima 5tâ de reformatione. Ex eo, quòd prætendatur favore perſonæ potentis & exercentis juriſdictionem, vt Barboſa explicat, in additionibus ad dictum caput nonum Concilij Tridentini *num: 32.* & multæ deciſiones Rotæ Romanæ ſuper hoc emanatæ allegatæ ſunt.]

Tali enim probatione non datâ, eſſe locum indubitatæ præſumptioni juris, quâ omnia beneficia Eccleſiaſtica dicantur liberæ collationis, per text. in can: Omnes Baſilicæ can. nullus, *16.* Quæſt: 7.

Et præſertim cùm verſetur controverſia de Eccleſia Regulari, reſpectu cuius nec etiam eſſet ſufficiens fundatio, vel dotatio; minùſq; poſſeſſio vel exercitium juriſpatronatûs, niſi vlterius probaretur privilegium Sedis Apoſtolicæ, in limine fundationis vel dotationis conceſſum, ſine quo non acquiritur Iuſpatronatus in Eccleſijs Regularium cap: Nobis 25. verſu: Cæterùm vbi gloſſa & Doctores in verbo: niſi aliter, de jure patronatûs. Quinimo, pro dicto aſſerto jurepatronatûs Regio, nedum adfertur prædicta probatio fundationis vel dotationis Monaſteriorum Ordinis Ciſtercienſium: aut immemorabilis, cum poſſeſſione, vel exercitio continuato & privilegio Sedis Apoſtolicæ, ſed neq; talis probatio dari poſſet, cùm ex Conſtitutionibus provincialibus Gneſnenſibus, & privilegijs Ordinis Ciſtercienſium pro libera electione Monachorum ad dictas Abbatias, & clariùs ex reſcriptis (vt ſupra) Regum Poloniæ ſuper eadem libertate datis.

Ad hæc: quia prædicta Statuta Regia & Conſtitutiones non aſſiſtunt prætenſo juripatronatûs Regio, quoad Monaſteria præſertim Ciſtercienſium, ſed illud penitus excludunt, dum in illis expreſſum pateat: electionem Abbatum ad Monachos pertinere, ſed ſolùm imponitur certa lex & ordinatio circa eandem electionem ſervanda, reſpiciens qualitatem perſonæ Nationalis Regi & Reipublicæ gratæ. Si enim Sereniſsimus Rex Patronus fuiſſet, non declarâſſet electionem ad Monachos pertinere, nec indiguiſſet, modum imponere circa electionem perſonarum, cùm Patronus poſſit perſonam ſibi bene viſam nominare & præſentare.

Et dato; quòd dicta Statuta & Conſtitutiones clarè loquerentur de inductione juriſpatronatûs prætenſi, nihil adhuc relevarent. Tum quia vti Conſtitutiones Laicales juriſdictione carentes contra Eccleſi

asticos non veniant, attendendæ. Siquidem Laicis, non liceat contra Ecclesiasticam libertatem quidquam decernere, per tex. in cap: Non minùs de immunitate Ecclesiastica, & in cap: Noverint de senten: Excomm:

Tum quia per Constitutiones Provinciales Gnesnenses fuerunt reprobatæ (vt ex superioribus patet.) Tum quia JULIUS III. Papa attento recursu ad illum, à Monachis Cisterciensibus Regni Poloniæ, prospiciendo eorum libertati circa electiones Abbatum, magno conatu perturbatam, mandauit *Anno D. 1552.* ne à nemine desuper impediatur: simile quid & SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex Poloniæ *Anno D. 1554.* per suum rescriptum fecit, vt supra retulimus.

Ratio 8va. Quia licèt aliquando Abbatiarum provisio obtenta fuerit à Sede Apostolica, cum enuntiativa jurispatronatûs, & præsentationis *Regiæ;* tamen dictæ provisiones Apostolicæ, præfatas Enuntiativas continentes, non sunt continuatæ spatio quinquaginta annorum, (nec cum illis concurrit immemorabilis; nec privilegium Apostolicum in limine fundationis, quæ copulativè requiruntur pro forma tradita à Concilio Tridentino in probatione jurispatronatûs personarum potentium ob præsumptionem vsurpationis. Videatur textus Concilij Tridentini in *cap: 9. sess: 25. de Reformatione, Piasecki in praxi sua parte 2dâ cap. 5. art: 1. num:* 38. & DD. ad dictum caput nonum à Barbosa allegati.

Deinde, quia dictæ provisiones Apostolicæ continentes enuntiativas jurispatronatûs Regij, vel in forma Cōmissaria, & conditionales, cum clausula, constito scilicet, de asserto Iurepatronatûs; ita vt cùm semel irrepserit Enuntiativa simplex & positiva eiusdem Iurispatronatûs Regii in provisione Abbatiæ Andreoviensis, extorta ab Jllustrissimo Andrea Olszowski Episcopo Culmensi contra Stephanum Theodorum Madalinski Abbatem Monachum à Monachis electum *Anno D. 1672.* Eminentissimus Gaspar de Carpineo Sanctissimi Domini Dñi Papæ Prodatarius jussit reportari Bullas Provisionis ad effectum illam corrigendi, vt scilicet juspatronatus Regium poneretur sub conditione verificationis, nec priùs ad executionem eiusdem Bullæ procederetur, quàm fuisset Iuspatronatus Regium sufficienter verificatum. Et cùm causa super hoc introducta esset in Rota Romana, decisum fuit ab eadem Rota, Literas Apostolicas in favorem Andreæ Olszowski Episcopi, tunc Culmensis expeditas minimè fore exequendas, & executioni demandandas; sed illarum exe-

cutio-

cutionem denegandam fore & esse, ex quo minùs constaret de prætenso jurepatronatûs Regio in illis narrato.

Ratio 9na. Quia licèt hoc privilegium perpetuum commendandi, petatur pro certis Episcopatibus tenuioribus, & tribus Officialibus Regni Poloniæ, tamen, adesse tot beneficia sæcularia sufficientia, tam simplicia, quàm curata in Regno, quibus vel per viam collationis; vel per viam reservationis pensionum, vel alio modo posset præassertæ indigentiæ Episcoporum prouideri, absq; destructione beneficiorum Regularium. Adsunt enim tres Præposituræ, Łascensis, S. Michaëlis in Arce Cracoviensi, & Łanciciensis, & aliæ non multùm inferioris conditionis Serenissimo Regi titulo jurispatronatûs ex privilegio Summorum Pontificum pertinentes.

Hinc licèt Concilium Tridentinum *cap: 13. sess. 24:* de Reform: & *cap: 2. sess, 25.* De Regularibus, indigentiam Episcoporum consideravit, tamen prohibuit, ne huiusmodi indigentiæ illorum per Commendas Monasteriorum, in quibus viget Regularis observantia, necnon per beneficia Curata, aut dignitates seu Canonicatus & præbendas, provideatur.

Deinde magis congruum esse, vt Episcopatus in Regno Poloniæ indigentes ex alijs Episcopatibus, vt Gnesnensi, Cracoviensi, Vladislaviensi, Posnaniensi, *Płocensi*, Varmiensi, & *Culmensi*, reditus opulentissimos habentibus, non à Monasterijs (licèt etiam aliquæ Abbatiæ bona superfluentia haberent) adiuvari.

Ad hæc. Quia Episcopus Luceoriensis, ob eius antiquiorem fundationem, pinguiores reditus, præ alijs Episcopatibus in Russia existentibus, & alium Episcopatum Brestensem sibi vnitum habet. Hinc in Constit. Regni *Anno D. 1633.* minimè inter Episcopatus indigentes, ponitur. Imò quando ad eundem Episcopatum Luceoriensem translatus fuit Episcopus Kijoviensis, Joannes *Stanislaus* Witwicki, habens tunc in Commendam Monasterium *Płocense* Ordinis S. Benedicti, eandem Commendam dimisit, eaq; collata fuit Joanni Kurdwánowski, Magno Notario *Regni*, nec aliter dicto Episcopo Luceoriensi provisum fuit.

Nec etiam Episcopatum Chełmensem indigere aliquâ subventione, quia provisum fuit ei, mediante perpetuâ vnione beneficij sæcularis, satis pinguis in *Russia*, nempe Præposituræ Biała nuncupatæ, *vt refert Miechovita lib: 7. suæ historiæ ad finem.*

Quantum ad Archiepiscopum Leopoliensem, Episcopatus Præmislien: Kijovien: & Camenecen: licèt modò reperiantur devastati,

vastati, tamen successu temporis possunt reparari, & in pristinum statum per recuperationem bonorum reduci; & interim beneficijs Sæcularibus potest illis provideri, vt Canonicatu in Ecclesia Collegiata Sandomiriensi, annui reditûs decem millium florenorum Polonicalium; Decanatu in Ecclesia Collegiata sat pinguis reditûs, & similibus alijs.

Episcopus quoq; Livoniæ, licèt indigens sit; cùm Episcopatus eius, omnibus bonis, à centum circiter annis, à Regibus Poloniæ oppignoratus sit, pro septuaginta millibus talerorum, seu imperialium. Nihilominus potest hic Episcopatus, & bona illius, à Serenissimis Regibus & Repub: redimi, & illis redemptis, subventione aliquâ non indigebit. Quodsi dicta redemptio retardabitur, Camera Regia, prout receperat dictam summam, tenetur de proprio, non autem per Commendas Abbatiarum, eidem Episcopo providere.

Minus facere videtur indigentia allegata pro Officialibus tribus Curiæ Regiæ, scilicet Vice-cancellario, Secretario Magno & Referendario Regni. Nam Vice-Cancellarius, ex Officio suo habet pinguissimos proventus, sicut & Secretarius Magnus & Referendarij.

Præterea, quia eiusmodi Officia juxta leges Regni Poloniæ, alternatim solent conferri personæ Ecclesiasticæ, & alterâ vice personæ Sæculari. Unde, dato prætenso perpetuo privilegio, sequeretur, quòd etiam Laici obtinerent Abbatias in Commendam, quod esset maximè inconveniens. Quando verò Officium Vice-Cancellariatûs confertur personæ Ecclesiasticæ, solet regulariter conferri Episcopis non indigentibus.

Et in omnem casum, datâ legitimâ causâ indigentiæ, potest Summus Pontifex succurrere etiam Commendis, Sæcularium vel Regularium beneficiorum, absq; eo, quòd exinde sit necessarium prætensum privilegium perpetuum, prout & nunc solet providere.

Hinc intulerunt, quòd omissâ viâ justitiæ, recursum est ad viam gratiæ. Sed Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, in instantia pro tali privilegio, primo loco, facta, *die 4tâ Octobris Anno D. 1680. rescripsit.* Non fuit capta resolutio propter difficultatem materiæ: & sensus omnium fuit, quòd cùm non agatur de gratia, sed de mera justitia, examinari debeant singulæ Abbatiæ, & recognosci fundamenta Iurispatronatûs Regij & possessionis juris præsentandi. Et adhuc motiva prædicta non esse talia, quæ petitam gratiam mereri possint.

Hæ sunt rationes à Religiosis Patribus Ordinis Cisterciensis ad impu-

impugnandum Iuspatronatûs Regium, & impediendum privilegium perpetuum commendandi certas Abbatias, nonnullis Episcopatibus tenuiores proventus habentibus, necnon tribus Officialibus (vt supra) Regni porrectæ, & à me succinctè & fideliter collectæ. Non tamen cessandum esse censeo pulsare ad Thronum gratiæ Summi Pontificis vti benignissimi Patris, vt postulatis Serenissimi Regis & Reipublicæ favere dignetur, datâ meliore informatione de statu Abbatiarum, vita Regulari Abbatum, de indigentia nonnullorum Episcoporum non otiosè viventium, sed curam Diœcesium suarum habentium, & munia Senatoria obeuntium. Nam ipse de plenitudine potestatis suæ potest omnia facere, non obstantibus rationibus non adeo releuantibus, Religiosorum Patrum Ordinis Cisterciensis.

Placuit hîc ex Historicis adferre, à quibus Abbatiæ & Præposituræ Regularium, sunt fundatæ & dotatæ. Et imprimis de Abbatijs Ordinis Cisterciensis.

Et quidem Monasterium Andreoviense Diœcesis Cracoviensis fundatum est *Anno D. 1140.* à Joanne aliàs Iánick, Episcopo Vratislaviensi, & postea Archiepiscopo Gnesnensi, tum Clemente Fratre suo germano, ex gente & Domo Gryphonum, sub initio Principatûs VLADISAI II. *Miechovita lib: 3. Historiæ suæ cap: 18. Cromerus de rebus gestis Polonorum lib: 6. fol: apud me 135.* ad finem rerum gestarum dicti Vladislai II. Principis. Huic Monasterio tria alia subsunt Monasteria tanquam Matri filiæ, ex eo originem fundationis habentia, scilicet Monasterium Seinicense Diœcesis Cracoviensis, *vt refert Starovolscius in vita Beati Vincentij fol: 57.* Item Raudense in Silesia Diœcesis Vratislaviensis, vt idem *Starovolscius refert vbi supra.* Tum Giemielnicense itidem in Silesia, *vt refert Lõgellinus, in libello intitulato de notitia Abbatiarum Cisterciensium.* videatur *Dlugossus tomo 1. lib, 4. fol: apud me 369.* Item *lib: 5. tomi primi fol: apud me 407. & 409. tum fol: 437.*

Item Monasterium Landense ad fluenta Varthæ fluvij Archidiœcesis Gnesnensis fundatum est *Anno D. 1105* per Miecislaum Senem Ducem Maioris Poloniæ & Pomeraniæ, *vt refert Miechovita dicto lib: 3. cap: 18. Cromerus lib: 7: de rebus gestis Polonorum fol: apud me 179. sub tit: Miecislaus senex tertium,* & ante illum *Dlugossus lib: 5. fol: apud me. 424.*

Item Monasterium Vagrovecense fundatum à prædicto Miecislao Sene *vt refert Cromerus loco citato, Dlugossus loco citato, Miechovita vbi supra:* vnde nescio ex quo fonte Sigismundus Mona-

chus Coronoviensis in tabula Monasteriorum Ordinis Cisterciensis fundationem hanc adscripserit Comiti cuidam Zbileo de Pankracz.

Item Monasterium Olivense vno ab Urbe Gedano milliari distans Diœcesis Vladislaviensis, fundatum est à Samborio Duce Pomeraniæ *Anno D. 1170. vt refert Miechovita lib: 3. cap: 25. Cromerus libro 6to de rebus Polonorum fol: apud me 160. sub tit: Casimirus.* Damalewicz autem in vitis Episcoporum Vladislaviensium, in vita Vislai Episcopi Vladislaviensis in ordine 20. & *Długossus tomo 1. l. 6 fol: 470.* sic de Monasterio Olivensi scripsit: VENCESLAVS Rex Poloniæ omnes possessiones, & reditus, quos Heremus donatione Principum Poloniæ habuerat, Monasterio Olivensi donavit.

Item Monasterium Suleioviense supra fluvium Pilcza in villa Ruslai Comitis, Archidiœcesis Gnes: fundatum est *A.D. 1176.* & locupletatum à Duce Sandomiriensi *vt refert Miechovita dicto libro 3. cap. 27. & Cromerus de rebus gestis Polonorum lib. 6 ad finem,* cui postea Petrus Archiepiscopus plurimas decimas eius rogatu adiecit, *teste Cromero loco citato.*

Item Wachocense supra fluvium Kamiona Diœcesis Cracoviensis, per Gedeonem Episcopum Cracoviensem, *vt refert Cromerus de rebus Polonorum lib: ad finem,* & ante illum *Długossus tomo 1. l. 6. fol: apud me 483.*

Item Monasterium Copriunicense Diœcesis Cracoviensis, fundatum est à Casimiro Iusto, Duce Sandomiriensi, & deinde Nobiles Bogorij & Habdanci locupletarunt, Principis exemplum secuti. *Cromerus d. lib: 6. ad finem.*

Item Mogilense, seu Claræ Tumbæ nunc dictum, Diœcesis Cracoviensis, primò à Iuone Cracoviensi Episcopo, *Anno D. 1222.* fundatum fuit in villa patrimonij sui dicta **Kaczyce**, prope Oppidum **Słomniki**, assignatâ illi, pro dote, villâ **Kaczyce**, **Prandocim**, **Monikowice**, & **Cholewice**, necnon decimis manipularib⁹ mensæ Episcopalis, de præfatis quatuor villis provenientib⁹. Verùm cùm intelligeret locum pro Monasterio parum idoneum. *Anno D. 1226.* ad Mogiłam locum paternæ sortis, vberem, prope Vistulam illud transtulit, Ecclesiamq; ex dolata petra, & partim ex cocto latere in titulum S. Pauli Apostoli (quod nunc S. Bernardi vocant) extruxit & dedicavit, decimisq; manipularibus, de mensa Episcopali in oppido **Dobczyce**, in villa **Wináry**, & circumiacentibus villis dotavit, *vt refert Miechovita lib: 3. cap: 33. & cap: 37. Cromerus de rebus gestis Polonorum lib: 7. fol. apud me 188. sub tit: Lescus Albus.*

Monas-

Monaſterium Obrenſe Diœceſis Poſnanienſis fundatum eſt *Anno D. 1231.* per Sandovium Cantorem Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis, vt monumenta dicti Monaſterij teſtantur.

Monaſterium Paradiſienſe Diœceſis Poſnanienſis fundatum eſt *Anno D. 1234.* per Dyoniſium Comitem de Gozdzikowo/ Palatinũ de Domo & Familia Wieniáwá/ caput bizontis deferente, necnon domicilio in villa præfata Gozdzikowo/ quæ extunc in hodiernam diem cæpta eſt appellari Paradiſus, idq; ſub honore & titulo glorioſæ Virg: Mariæ, & pro dote, præter dictam villam Gozdzikowo/ alias villas videlicet Livam, Kłodavam, Gorzikam, & Polenc, Fratribus in eodem Monaſterio militantibus in dotem perpetuam donavit & aſſignavit. *Ita Długoſſus tomo 1. lib, 6. fol: apud me 586. Cromerus autem de rebus geſtis Polonorum libro 8vo. fol: apud me 205.* his verbis ſcripſit: Broniſius Comes gente Vienavius, cuius inſigne eſt caput Biſontis in pago ſuo hæreditario Goſcicovo in Diœceſi Poſnanienſi Ciſtercienſibus Monaſterium condidit, quod Paradiſi nomine tunc dici cæptum, etiam nunc eandem appellationem retinet.

Monaſterium Sciricenſe Diœceſis Cracovienſis, excitatum & locupletatum eſt *Anno D. 1234.* per Theodorum Palatinum Cracovienſem gente Gryphorum, qui Cedro vulgò appellatus eſt, in pago Sciricio, quod in Ludimiro, pago ſuo hæreditario ſub Carpatho monte ædificaverat; verùm transferre coactus eſt, quòd locus ille, in confinio Ungarorum ſitus, infeſtus eſſet latrocinijs. Cuius Monaſterij reditus, Viſlaus, & Prandota Epiſcopi Cracovienſes attributis quibuſdam decimis auxerunt. *Ita Cromerus d. lib: 8, fol: 205. videatur & Długoſſus tomo 1. lib. 6. fol. apud me 586.*

Monaſterium Coronovienſe Diœceſis Vladislavienſis, fundatum eſt per Nicolaum Theſaurarium Caſimiri Ducis Cuiavienſis, vt refert Sigiſmundus Monachus Coronovienſis in tabula Monaſteriorum Ordinis Ciſtercienſis. Sed Damalewicz in vitis Epiſcoporum Vladislavienſium in vita Alberti Primi, in ordine 19. Epiſcopi Vladislavienſis ſic ſcripſit: Quod Monaſterium Coronovienſe Viſlaus Epiſcopus Vladislavienſis *Anno D. 1288.* ſub regimine Engelberti Abbatis Byſcovienſis, ex loco altero fundationis in villam Smieſſe, quam appellari voluit, felicem vallem, quæ nunc Koronowo/ appellatur tranſtulit dictum Monaſterium, cuius prima initia fuerunt in villa, ſupra Viſtulam, è Regione Civitatis Vladislavienſis, dicta Byſchovia.

Monaſterium Blezovienſe Diœceſis Poſnanienſis, fundatum eſt

Anno D. 1260. per Eustachium & Albertum Fratres germanos, Comites, vt refert dictus Sigismundus *in dicta tabula sua.*

Monasterium Peplinense Diæcesis Vladislauiensis & Pomeraniæ, fundatum est *Anno D. 1262.* per Samborium Præfectum Pomeraniæ, *vt refert* dictus Sigismundus loco citato. Damalewicz autem in vitis Episcoporum Vladislaviensium in vita Alberti Primi Episcopi Vladislaviensis sic scripsit: Monasterium in Peplin, in Terra Pomeraniæ, in Territorio Thorunensi Ordinis Cisterciensium, Msczugius Pomeraniæ Dux olim **Nowin/ Dubrawy/** appellatum sub tit: & honore B.M.V. transtulit *Anno D. 1274.* & amplâ dote ampliavit. Dudum enim Dux Samboriæ Patruus germanus dicti Msczuvij fundaverat.

Monasterium Præmetense Diœcesis Posnaniensis, fundatum est *Anno D. 1278.* per Bennanum Comitem, Palatinum Posnaniensem, vt dictus Sigismundus refert.

Fundatores Monasteriorum & Abbatiarum Ordinis S. Benedicti.

Imo. Monasterium Tinecense Diœcesis Cracoviẽsis juxta fluenta Vistulæ fundatũ, & exstructum est per CASIMIRVM I. Regem Poloniæ circa *annum Dñi. 1044.* idq; in memoriam & in recompensationem, professionis in eodem Ordine emissæ, illudq; centum villis dotavit, *vt refert Miechovita in historia sua lib: 2. cap: 14.* hoc insuper addito, quòd Aaron, natione Gallus primus Abbas prædicti Cænobij in **Tyniecz** effecit, vt Abbas Tynecensis pro tempore existens fieret Canonicus natus in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi. *videatur Długossus tomo 1. lib: 3. fol: 210. & Cromerus lib: 4. de rebus Polonorum fol: apud me 77. sub tit.* CASIMIRVS I. Rex.

2do. Monasterium Lubinense Diœcesis Posnaniensis fundatum, & dotatum est per Michaelem Comitem natione Polonum de Familia Habdank, in quo Monasterio is idem Michael sepultus est, *vt refert Długossus tomo 1. lib: 4. fol: apud me 560. videatur & Cromerus libro 5. de gestis Polonorum sub titulo Boleslaus III. fol. apud me 114.*

3tio. Monasterium Mogilnicense Archidiœcesis Gnesnensis fũdatum & dotatum est à Boleslao dicto Audaci, Rege Poloniæ, Filio Casimiri I. Regis Poloniæ, in Oppido suo Regali Mogilno, inductis Monachis ex Monasterio Tinecensi, *vt refert Długossus tomo 1. lib: 3. fol:*

3. fol: apud me 237. Miechovita lib: 2. cap. 17. Cromer: ad finem libri 4ti de rebus Polonorum.

4tò. Monasterium Sieciechoviense ad fluvium Vistulam Diœcesis Cracoviensis, in tractu Sandomiriensi fundatum, dotatum & fabricatum est per Boleslavm Regem Poloniæ dictum Chrabri, in villa Nobilis Setegi Comitis, idq; circa *Annum Dñi 1010.* qui Setegus pro dote præter fundum dictum addidit duodecem villas, & alij plurimi Nobiles, post Henricus Dux Sandomiriensis, Iaxa Comes. Item Comes Krzywosad, & alij plures Proceres *Regni:* nemo tamen in dote tam magnificus fuit, quàm Boleslavs Rex, qui ratione supremi juris obventiones sibi debitas, de qualibet villa percipiebat. *Ita Długossus tomo 1. lib: 2. fol. apud me 149. videatur & fol: 161. & 164. Miechovita lib: 2: cap: 7. videatur & Cromerus lib. 3. de gestis Polonorum fol: apud me 59.* vbi dictum Setegum alio nomine vocat Secechum, *Palatinum* Cracoviensem, & Magistrum militiæ Polonæ ex gente Toporum.

5tò. Monasterium S. Crucis in Caluo monte propè Kielce, Diœcesis Cracoviensis, per prædictum Boleslavm Regem fundatum, & Regali munificentiâ dotatum est *Anno D. 1005.* & Ecclesia sub honore & titulo S. Crucis erecta est, collocatâ in illa portione Crucis Christi Domini, quam Constantinopolitanus Imperator, Stephano Regi Ungariæ *Patri* Beati Emerici, Cognati autem Boleslai Regis, miserat, & Beatus Emericus largitus erat. *Miechovita lib: 2. cap: 7. Długossus tomo 1. lib: 2. fol: 141. Crom. l. 3. de rebus Polon: fol: 59.* Vislaus quoq; Nobilis de Armis Zabawa, alias sui patrimonij hæreditates eidem Monasterio contulit. *teste Długosso loco citato fol. 160. & sequ:*

6tò. Monasterium Płocense in Arce Płocensi, fundatum est per Vitum Ianinium Episcopum Płocensem, *circa Annum Dñi 1193.*

Fundatio Monasterij Płoceń: in Arce, Ordinis S. Benedicti.

P*Oray Germanus Frater S. Adalberti Martyris, ex duplici motivo, nempe propter sævitiam Pragensium in alios Fratres factam ex odio Civium contra S. Adalbertum, & propter peregrinationem ad Principem Poloniæ Boleslaus Chrabri dictum, ex Bohemia, ante illatam à Pragensibus Civibus Fratribus suis necem, venit. Et cùm S. Adalbertus cum socijs Benedictinis ex mandato Summi Pontificis revertebatur ad sedem*

sui Episcopatûs Pragensis, acceptâq; notitiâ Fratres suos germanos occisos esse, ad Poloniam properavit, in qua acceptato Archiepiscopatu Gnesneń: & postea ardore prædicandi Evangelium Paganis ductus, in eodem Archiepiscopatu Gaudentium Fratrem suum in sui locum substituit, & Evangelio Prussis prædicato, postea Martyrio laureatus, dum miraculis clarere cæpit, Princeps Boleslaus Chrabri in honorem novi Martyris voluit Ecclesiâ exstructâ illos Fratres S. Adalberti ex Italia Comites competenter locare & dotare. Dumq; prædictus Poray ad latus Principis Chrabri, jam aliàs divitijs auctus residens, intelligeret mentem sui Principis, accessit ad Episcopum Płoceń: tunc Martialem 2dum & aperiens intentionem propriam, videlicet propiorem esse, (vtpote, qui Frater germanus erat Martyris) ad novo erigendam dotandamq; Ecclesiam seu Monasterium. Accedunt itaq; vterq; Principem, rationes proponunt, quorum 1ma erat, quòd Frater Martyris propinquior debeat esse ad cultum Martyris. 2da. vtilitas loci, eò, quòd Episcopatus Płoceń: Paganismo vndiq; circumseptus, non habuit copiam Sacerdotum, qui multiplicari possent, si subministraretur doctrina per illos Fratres. 3tia. quia inchoata conversio Prussorum per Martyrem, sicut & Masoviorum in contiguitate cum Prussis residentium, posset per eosdem Fratres cõtinuari. His permotus Boleslaus dat facultatem Porayo fundandi illos Fratres in loco quovis commodiori, ipse nihilominus voto obligatus manens aliud Monasterium erigere. Itaq; Poray communicato consilio cũ Martiali Episcopo mittunt ad Gaudentium Archiepiscopum Gnesń, postulantq; mitti sibi illos Fratres ad novam erigendam fundationem, in Civitate Płoceń: cùmq; illi Fratres excusarent eorum legatis, locum esse obnoxium periculis, ob incursiones Prussorum, peterentq; se in tuto locari, annuit Boleslaus, ac locum in arce tunc bene munita Płoceń: designavit. Itaq; Anno D. 1000. introducuntur in Arcem Płoceń: Fratres illi Benedictini á Gaudentio missi, erectâ prius Ecclesiâ sub titulo S. Adalberti & ædificato ligneo Conventu. Reliquit idem Poray pro dote Monasterio villas **Willánowo/** *prope Varsaviam,* **Osinolin/ Kruze/ Tholibowo/ Tárnowo**. *Et dum Boleslaus cupit voti sui compos existere, nempe fundare aliud Monasterium, mittit duos Fratres de nova fundatione Płoceń: ad Sylvestrum II. Papam qui erat professione Benedictinus postulans ab eo coronam & Fratres ad novam fundationem, quibus facilè obtentis, mittit Summus Pontifex Legatum suum à Latere cum Imperatore Ottone in Poloniam, cupiente tunc visitare corpus S. Adalberti, ac postea Benedictini quos in Palatinatu Sandomirień idẽ Princeps Boleslaus in monte Calvo fundaverat, mittuntur & destinantur.*

Habuit

Habuit prædictus Poray pro stemmate Nobilitatis Rosam à quo Familia Rosarum in Polonia dignitatibus & opibus aucta est. Hinc Monasterium Płoceń: insignitur Rosâ, & ad significandam fraternitatem inter Poray & S. Adalbertum, adiunxit insignia eiusdem S. Adalberti infulam seu tyaram Archiepiscopalem cum pastorali.

Aucta sunt alia bona per filium Nepotis eiusdem Poray, qui dum diu sterilis cum Vxore maneret, prece ad Deum fusâ obtinuit Filium, cui nomen in Baptismate Adalberti dedit. Is postea factus Monachus Płoceń: & postea Abbas, attribuit Monasterio Oppidum **Wyszymierzyc/** *cum aliquot villis, quæ nunc dicũtur Clavis Borovien: postea tractu temporis pagi originaliter à Poray donati vario mutati sunt. Nam villa* **Tolihowo/** *commutata est cum Duce Dobrineń pro* **Mokowo Osmolin/** *&* **Kruze/** *pro* **Grábie/** *&* **Jezioro/ Willanow/** *&* **Tarnow/** *donata sunt Ioanni & Troijdino Ducibus Mazoviæ pro novis privilegijs (quæ per incursionem Lithuanicam, per quam Arx & Monasterium Płocen: combusta igne sunt,) novisq; libertatibus datis & donatis. Vernerus etiam Episcopus Płocensis, qui etiam erat de Rosarum Familia, pluresq; Fratres eiusdem Monasterij, ad latus suum fovebat, cum illisq; continuò conversabatur comparavit & adiunxit eidem Monasteria villas* **Szczepankowo/** *& binum* **Wszerzec.**

Fundationes aliorum Monasteriorum & Præpositurarum Regularium.

TRemesnense Canonicorum Regularium Lateranensium Archidiœcesis Gnesnensis, fundatum est per Miecislaum Ducem Poloniæ à principio susceptæ fidei, *ante annum Domini 1000. vt refert Miechovita in historia sua lib: 2. cap. 8. Długossus tomo 1. lib. 2. fol. apud me 121.*

2dò Ciervinense Canonicorum Lateranensium in Archidiœcesi Gnesnensi fundatum est.

3tiò. Vitoviense Ordinis Præmonstratensium Archidiœcesis Gnesnensis, fundatum est per Vitum Ianinium Episcopum Płocensem *circa Annum Dni 1194, vt refert Cromerus de rebus gestis Polonorum*

4tò. Miechoviensem *Præposituram* Ordinis Canonicorum Regularium Sepulchri Christi Domini Diœcesis Cracoviensis, fundavit Iaxa Gryphius *circa Annum D. 1162. Cromerus.*

5tò. Præpositura Varsaviensis Canonicorum *Regularium* Lateranensium, in Diœcesi Posnaniensi.

Et quamvis non omnium Monasteriorum Regularium Serenissimi Principes & Reges Poloniarum, sed aliqui Comites & Nobiles Regni fuerint Fundatores: tamen Illustriss: & Rńd: olim Andreas Olszowski, peculiari scripto suo, quod *Quinquaginta Singularia* nominavit, jus Abbatum constituendorum Serenissimis Regibus Poloniæ competere, quamvis suppresso nomine & cognomine suo, probavit. Quæ *Singularia* cùm sint typis impressa, ad ea curiosum Lectorem remitto.

Insuper prælibatus Serenissimus Rex JOANNES III. varios modos tentavit, vt has lites inter Religiosos, & Admodum Reverendos Patres Ordinis Cistercensium componeret; & Iavoroviæ cum Superiori Ordinis istius complanationem facere, omni possibili modo curavit statuere; vt ex quindecem Abbatijs huius Ordinis Cistercensis quinque essent Abbatiæ in nominatione & dispositione Serenissimorum Regum, pro Prælatis in Aula Regia degentibus, quinq; pro monachandis, & quinq; pro ipsis Monachis iam actu existentibus. Sed hoc studium illius in vanum cessit, tergiversantibus Religiosis, & illorum Abbatibus.

Memores tamen volo Reverendissimos Abbates Regni nostri Bullæ Benedicti Papæ XII. quam refert Chrysostomus Henriquez, in Menologio Cistercensi, privilegio sexagesimo tertio, *fol: 99. num: 21* quòd Abbates Monasteriorum dicti Ordinis, exceptis Abbate Cistercensi, & quatuor Coabbatibus totidem principalium Filiarum, qui sunt, & pro tempore fuerint, vltra vnum sæcularem Clericum sive Laicum equitantem ducere non præsumant. Et maximè, cùm nullas functiones publicas pro commodo Reipublicæ sustineant, sed privatim in Monasterijs degant.

Pro coronide tituli istius adiungo decretum Urbani VIII. Summi Pontificis, ne Religiosi in Regno Nostro bona stabilia emant. Cuius Decreti tenor talis est & sequitur.

Sanctissimus Dominus Noster URBANUS Divinâ providentiâ PAPA VIII.

SAlubri Regularium regimini, piâ sollicitudine intendens, ex legitimis causis animum suum moventibus, sub pœnis arbitrio Sanctitatis suæ reservatis, mandat Præposito Generali Societ: Iesu, Generali Ordinis Prædicatorum, Generali Ordinis Carmelitarum, Generali Ordinis Cistercensium, vt præcipiăt, ac intra tres menses præcepisse doceăt, omnibus & singulis Provincialibus, Rectoribus, & quibuscunq;

aliјs



alijs Superioribus de Societate per Regnum & Magnum Ducatum Lithu: conſtitutis; ne ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis, privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisq; activæ & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in perpetuum obtinenda, ipſo facto, absq; alia declaratione, incurren: ac alijs arbitrio Sanctitatis ſuæ ferendis, bona ſtabilia emere, vel titulo permutationis acquirere audeāt, vel præſumant, in dicto Regno & Ducatu, niſi eodem Generali conſulto, & expreſſâ illius obtentâ licentiâ: Eundem verò Generalem, ad huiuſmodi conceſſionem non devenire, niſi eodem Sanctiſſimo Romano Pontifice, vel Sacrâ Congregatione Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, priùs aſſentiente.

Legalitas iſtius Decreti.

Ex eodem originali, præſens copia eſt per me Notarium publicum ac *Curiæ* cauſarum Jlluſtriſſimi ac Rndiſſimi Domini Nuntij Apoſtolici in Regno *Poloniæ*, diligenter exarata. In cuius fidem & teſtimonium, meâ propriâ manu ſubſcripſi, ſigilloq; eiuſdem Jlluſtriſſimi communivi, Datum Varſaviæ die trigeſimâ primâ menſis Ianuarij, milleſimo, ſexcenteſimo, trigeſimo ſexto.

Ita eſt, Alexander Barnabæus Notarius Cauſarum mppr:

TITVLVS VLTIMVS.

De Dignitatibus & Canonicatibus Eccleſiarum Cathedralium Regni Poloniæ.

IN Statutis Regni Noſtri, multa à Sereniſſimis Regibus de dignitatibus & Canonicatibus Eccleſiarum Cathedralium ordinata & decreta ſunt, prout *Sarnicius* in Statuto ſuo *fol. 179. cum ſequ: & fol: 196. Herburtus ſub verbo, Plebeij. Ianuſſovius parte 2dâ, lib: 2: tit: 22, referunt.*

Et imprimis JOANNES ALBERTVS Rex *Anno D. 1496.* Petricoviæ. ſtatuit, vt in ſingulis Capitulis Eccleſiarum Cathedralium, vtpote, Gneſnenſis, Cracovienſis, Vladislavienſis, Poſnanienſis, & Płocenſis, ad Dignitates, Perſonatus & Officia, Canonicatus, & Præbendas tantummodo reciperentur Perſonæ Regni Poloniæ Indigenæ, Nobiles ex vtroq; Parente procreati. Quorum Nobilitatem ſic conſtaret eſſe probabilem: vt in jure communi Regni Poloniæ, Nobilitas irreprehenſibilis probare conſuevit.

Sed poſtea is idem JOANNES ALBERTVS Rex eodem anno, aliud

ſtatutum Petricoviæ tulit: vt vltra Doctores natorum Nobilium, in Capitulo exiſtentium, admitterentur plebeij generis Doctores, numero & ordine infraſcriptis: videlicet, quòd in Eccleſijs prædictis Gneſnenſi, Cracovienſi, Vladislavienſi, Poſnanienſi & Płocenſi, in quibus haberentur Doctores aut Lectores Iuris & Theologiæ ex antiquo, ſive etiam noviter fundati, aut vbi habendi eſſent per novam fundationem fiendam, ſuſciperentur vnus in Theologiæ, vnus in Iuris Canonici, & vnus in Medicinæ Facultatibus promoti: in eiſdem verò Eccleſijs, vbi non haberentur fundati Doctores prædicti, non plures, quàm duo in Theologiæ, duo in Iuris Canonici, & quintus in Medicinæ Facultatibus, promoti: qui tamen non aliter ſuſciperentur per Capitula, quàm quos Lociordinarij, idoneos & in Facultatibus ipſis Doctoratu dignos approbaverint, ac vt tales cenſuerint, ſub eodem numero, reciperentur. Si autem aliquis, aut aliqui plebeiorum, in contrarium præſentis aut antiqui privilegij & conſuetudinis Regni Poloniæ, in beneficia in Eccleſijs & Capitulis prædictis ſe recipi, aut illa acceptare, procurare, petereq; præſumpſerint, tales, omnium bonorum ſuorum communium & privatorum, mobilium & immobilium ſæcularium, ærario ſeu fiſco, vel menſæ Regiæ applicandorum, privatione: Eccleſiaſticorum verò Areſto, confiſcatione, & extra Regnum bannitione, punirentur.

Poſtea Alexander Rex Poloniæ *Anno D. 1505.* ſtatuit: ne in Epiſcopos, Prælatos & Canonicos, niſi Nobiles ex vtroq; parente procreati; & more Nobilium educati, aſſumerentur. Salvo plebeiorum certo numero circa eaſdem Eccleſias conſervando. In Collegiatis verò Eccleſijs, vt ad principales, homines tantùm de corpore Nobilitatis promoverentur. Contra facientes, pœnâ perpetui exilij & confiſcationis omnium bonorum punirentur. Hâc declaratione tamen appoſitâ; Nobilem & capacem dictarum dignitatum & beneficiorum in præſenti vocari, cuius vterq; parens Nobilis, & ex familia Nobilium ſit procreatus: & quòd ipſe, quàm Parentes eiuſdem habitarunt aut habitant, in ſuis poſſeſſionibus, Caſtris, Oppidis, & villis, juxta morem Patriæ & conſuetudinem Nobilitatis, viventes Legibus & juribus Regni Poloniæ Nobilium. In quo genere Nobilitatis, eos quoq; Nobiles appellandos eſſe cenſuit, qui licèt Matre populari, Patre tamen Nobili ſint procreati: Quorum tamen Parentes, & ipſimet vixerint, aut vivant ad inſtar aliorum Nobilium in Regno, vt ſupra: & non exercuerint vel exerceant artes & actiones, quas communiter Cives, vel qui in Civitatibus morantur, exercere ſolent.

Præfa-

Præfata Statuta Serenissimorum Regum de Plebeijs lata, SIGISMUNDUS I. Rex Poloniæ *Anno D 1510.* Cracoviæ confirmavit, vt Sarnicius, Herburtus, & Ianussovius referunt.

Similiter & SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex *Anno D. 1550.* vt ijdem referunt, & habetur in volumine Constitutionum Regni sub eodem *Anno fol: 4* § **Poniewáż na Stanie Rycerskim/** habetur, dum inquit: Inhærendo Statutis Antecessorum Regum, homines plebeij ad primarias seu Cathedrales Ecclesias vltra numerum in superioribus statutis descriptum, non admittantur.

Quæ statuta rursus in Constitutione *Anni 1576. fol: 292. tit. de Ecclesijs Cathedralibus, Russiæ* sub STEPHANO Rege reassumpta sunt, & ad Ecclesias Cathedrales Russiæ extensa sunt, ne scilicet ad Ecclesias maiores illius Provinciæ plebeij assumerentur.

Similiter in Constitutione *Anni 1607 fol. 837. tit:* **O dygnitárstwách y beneficyách/** statutum est, hoc addito: quòd nec ad Ecclesias Collegiatas admitti debeant, sub pœnis & foro de Cortesanis, in jure antiquo expressis, & quòd dictæ ordinationes Comitiales, etiam Ecclesijs Cathedralibus Magni Ducatûs Lithuan: inservire debeant.

Sic etiam de ijsdem Prælaturis & Canonicatibus in M. D. L. iterum in Constit: *Anni 1633. f 27. tit:* **Kanonici** *Capitulares* **w Litwie/** statutum est, vt à Canonicatibus & Prælaturis in M. D. L. more Regni homines plebeiæ conditionis arceantur, reservando tamen penes prærogativas suas hos, qui ante Constitutionem hanc assumpti erant.

De Canonicis & Prælatis Ecclesiæ Collegiatæ Varsaviensis, supra sub tit: de Episcopatu Posnaniensi scripsimus.

Et vt præfata Statuta & Constitutiones de recipiendis plebeijs ad Ecclesias Cathedrales valorem haberent; cùm ex defectu jurisdictionis circa dispositionem & ordinationem beneficiorum Ecclesiasticorum invalida & invalidæ essent, recursum est ad Sedem Apostolicam pro confirmatione, & emânarunt super hoc duæ Bullæ Apostolicæ tenoris sequentis, prout habetur in Constitutionibus Provincialibus Gnesnensibus, *lib. 3. fol: 149. & sequ: & primò.*

Bulla LEONIS PAPÆ X. de recipiendis Plebeijs ad Ecclesias Cathedrales, ad numerum quatuor.

LEO Episcopus Servus servorum Dei: ad perpetuam rei memoriam.

CReditam Nobis desuper, regendæ militantis Ecclesiæ Provinciam salubriter exequi, coadiuvante Domino, cupientes, ad ea libenter intendimus, per quæ singulæ Orbis Ecclesiæ, præsertim Metropolitanæ, & aliæ Cathedrales insignes & famosæ, personarum vtilium fulcitæ præsidijs, & suis honoribus, juribus, & bonis præserventur, & ad laudem & gloriam Omnipotentis; in Spiritualibus & temporalibus votivis proficiant incrementis. Sanè pro parte Charissimi in Christo Filij Nostri Sigismundi Poloniæ Regis Illustris, Nobis nuper exhibita petitio continebat: Quòd licèt Metropolitana Gnesnen. & illius Suffraganeæ, Cracovien: Vladislavień: Posnanień: & Płocensis, Ecclesiæ, inter cæteras Ecclesias Regni Poloniæ sint admodum insignes, ac per Reges Poloniæ, & alios Principes, Barones & Nobiles dicti Regni, notabilibus reditibus, provẽtibusq; opulenter dotatæ fuerint, nihilominus cùm ad Canonicatus, & Præbendas, ac dignitates, personatus, administrationes, vel Officia ipsarum Gnesnen: & Suffraganearum Ecclesiarum, minùs Nobiles, & aliæ personæ parentum auxilijs carentes, ac jura & bona earundem Ecclesiarum infidelium & Schismaticorum, bonis cohærentia, & præsertim dum milites, & alij armigeri, pro defensione dicti Regni, contra præfatos infideles, & Schismaticos, vel alios eiusdem Regni, & dominiorum ipsius Sigismundi Regis hostes pugnaturi, per Oppida, villas, & alia loca, & bona earundem Ecclesiarum, transeunt adversus eosdem milites & armigeros, ac etiam infideles & Schismaticos tueri, & defendere non valentes, nonnunquam admittuntur: jura & bona prædicta indies per ipsos armigeros diripiuntur, devastantur & annihilantur, ac quandocunq; non solùm per infideles & Schismaticos, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ inobedientes, ac alios hostes prædictos indebitè occupata detinentur, non absq; dictarum Gnesnen: & Suffraganearum Ecclesiarum gravissimo præiudicio, & Divini cultûs diminutione. Verùm, si statueretur & ordinaretur, quòd deinceps perpetuis futuris temporibus, nullus etiam cuiuscunq; gradûs vel conditionis foret, ad Canonicatus & Præbendas, dignitates, personatus, administrationes, vel Officia huiusmodi admitti deberet, nisi de Nobili genere ex vtroq; parente procreatus foret: profectò ipsi Canonici Nobiles, Parentum, consanguineorum, & ami-

eorum ſuorum favoribus & auxilijs ſuffulti, jura & bona huiuſmodi, adverſus illorum occupatores & detentores tueri & occupata recuperare poſſent, idq; in Divini cultûs augmentum cederet, & non ſolùm præfato Sigiſmundo Regi, ſed etiam Principibus & Baronibus dicti Regni, quorum progenitores huiuſmodi, Gneſneń: & Suffraganeas Eccleſias, vt præfertur, dotârunt, gratiſſimum foret, & eos contra Turcas, Tartaros, alioſq; infideles & Schiſmaticos, dictæ Eccleſiæ Romanæ inobedientes, aſſiduè bellantes, magis ac magis pro defenſione Chriſtianitatis & tuitione Regni, ac protectione bonorum huiuſmodi accederet. Quare pro parte dicti Sigiſmundi Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt, quod deinceps nullus ad Canonicatus & Præbendas, dignitates, perſonatus, & adminiſtrationes vel Officia Gneſnen: vel Suffraganearum Eccleſiarum huiuſmodi, admitti debeat, niſi de Nobili genere ex vtroq; Parente procreatus fuerit, ſtatuere & ordinare, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui Eccleſiarum omnium decus & venuſtatem, ac in illis Divini cultûs augmentum, earumq; bonorum conſervationem ſinceris deſideramus affectibus: huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quòd de cœtero perpetuis futuris temporibus, nullus, etiam cuiuſcunq; ſtatûs, dignitatis, gradûs & præëminentiæ exiſtat, niſi de Nobili genere, ex vtroq; Parente procreatum & legitimo matrimonio natum ſe fore doceat: duobus in Theologia Magiſtris, & alijs duobus in vtroq; vel altero Iurium Doctoribus, & peritis, ad Magiſterijq; & Doctoratûs gradum in aliqua Vniverſitate Studij generalis promotis duntaxat, exceptis. Quos quatuor, vt præmittitur, qualificatos, juſtis tamen titulis in Canonicatibus quatuor & totidem Præbendis, in ſingulis Gneſneń: & Suffraganearum Eccleſiarum, quatuor duntaxat Canonicatus & Præbendas, pro duobus Magiſtris, in Theologia, & duobus Doctoribus huiuſmodi iam aſsignatis, vel in poſterum per dilectos filios, Capitula, dictarum Gneſneń: & Suffraganearum Eccleſiarum, reſpectivè aſſignan: ita vt ſingulis earundem Gneſnen: & Suffraganearum Eccleſiarum, quatuor duntaxat, & totidem Prœbendœ: quœ quibuſvis etiam non Nobilibus, aliàs tamen qualificatis, vt præfertur, perſonis, quæ in ipſis Gneſneń: & Suffraganeis Eccleſijs, reſpectivè ſub pœna privationis ſuorum Canonicatuum & Præbendarum: ſi per tres menſes ab illis abſentes fuerint, perſonaliter reſidere teneantur, conferri poſſint. Capitula huiuſmodi recipere & admittere teneantur, etiam prœtextu quarumcunq; proviſionum, gratiarum, exſpectativarum ſpecialium vel generalium, reſervationum, mandato-

 rum.

rum, vel literarum Apostolicarum, etiam monitoriorum pœnalium, aut Apostolicâ authoritate confirmatarum primariarum precum, seu nominationum, Imperatoris, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, Principum, Prælatorum & aliorum Dominorum Ecclesiasticorum & sæcularium, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac ex quavis causa, consideratione vel intuitu etiam iurium cessorum, vel oblatorum, aut pro se dandis litibus pro tempore concedendorum, ad Canonicatus, Prœbendas, dignitates, personatus, administrationes vel officia huiusmodi recipi & admitti, seu antequam de illis, alijsq; Nobilibus ex utroq; Parente, & legitimo matrimonio procreatis, duobus Magistris in Theologia, & duobus in vtroq; vel altero Iurium Doctoribus, vt præfertur, duntaxat exceptis, provideri possit, nec debeat. Nec Archiepiscopus, nec Episcopi, pro tempore existen: ac Capitula Gnesnen: vel Suffraganearum Ecclesiarum huiusmodi, etiam prœtextu quarumcunq; literarum Apostolicœ Sedis, vel Legatorum eiusdem, etiam clausulam. Aut si Archiepiscopo, Episcopo & Capitulis dictarum Gnesnen: & Suffraganearum Ecclesiarum, vel quibusvis alijs, communiter vel divisim ab eadem Sede sit indultum, quòd ad receptionem, vel provisionem alicuius minimè teneantur; & ad illa compelli, aut quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint. Quòdq; de Canonicatibus, Prœbendis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel Officijs ipsarum Ecclesiarum, vel alijs beneficijs Ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem coniunctim, vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per literas Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto eiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia, generali vel speciali, cuiuscunq; tenoris existat, per quam prœsentibus non expressum, vel totaliter non insertum, effectum huiusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quo cuiusq; tenore toto habenda sit in Nostris literis mentio specialis, in literis provisionum, mandatorum, expectativarum & reservationum, & aliarum facultatum huiusmodi apponi solitam, aut quascunq; alias etiam derogatorias, prohibitorias, seu fortiores, efficaciores, & insolitas clausulas & adiectiones, etiam tales, per quas statuto & Ordinationi huiusmodi, ac prœsentibus & in eis contentis clausulis, singulis expresè derogare videretur, etiam præsentes illis de verbo ad verbum inserendo, & intentioni concedentis, pro tempore eis velle derogare exprimendo in se continentium, minimè cogi seu compelli: censurasq; in literis provisionum, reservationum, nominationum, facultatum, exspectativarum,

&

& mandatorum huiusmodi, per quoscunq; pro tempore obtentorum, & processibus desuper habendis pro tempore contentas, contra præsentium tenorem minimè coarctare, ac præsentibus nullatenus derogari posse, aut debere. Decernentes Statutum & ordinationem huiusmodi, omnino perpetuò observari debere, ac quascunq; collationes & provisiones, alijs quàm Nobilibus, & duobus Magistris in Theologia, & duobus in vtroq; vel altero Iure Doctoribus, etiam aliàs, quàm præfertur, qualificatis personis pro tempore faciendas, nullas & invalidas, nulliusq; roboris & momenti, sicq; per quoscunq; Iudices & Commissarios, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac Causarum Palatij Apostolici Auditores, sublatâ eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter iudicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere. Irritum quoq; & inane, si secus super his à quoquam, quâvis authoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris, Archiepiscopo Leopolień: & Asculanen: & Olomucen: Episcopis, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium seu alios, præsentes literas, ac omnia & singula in eis contenta, vbi & quando expedierit, à quovis pro tempore Sigismundi, & pro tempore existentis Poloniæ Regis, ac Archiepiscopi & Episcoporum etiam pro tempore existentium, necnon Capitulorum prædictorum, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti solenniter publicandas, ac eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant authoritate nostrâ statutum & ordinationem huiusmodi firmiter observari, ac Sigismundum, ac pro tempore existentem Regem, necnon Archiepiscopum, & Episcopos ac Capitula huiusmodi illis pacificè gaudere non permittentes, eos desuper per quoscunq; contra præsentium tenorem, quomodolibet indebitè molestari, contradictores per Censuram Ecclesiasticã appellatione postpositâ compescendo. Non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac dictarum Gnesnen: & Suffraganearum Ecclesiarum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis & consuetudinibus contrarijs quibuscunq;, aut si aliquibus communiter, vel divisim, ab eadem Sede sit indultum, quòd interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto eiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri Statuti, ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri &

Pauli Apostolorum Eius, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quindecimo, Pridie Kal: Augusti, Pontificatûs Nostri Anno tertio..

Breve Apostolicum declarans prædictam Bullam LEONIS X. PAVLVS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVnctis Orbis Ecclesijs disponente Domino præsidentes, ad ea, per quæ Ecclesiarum ipsarum præsertim Metropolitanarum & Cathedralium insignium, & personarum earundem status, Nostræ provisionis auspicijs, superni favoris auxilio suffragante prosperè & salubriter dirigatur (quantum cum DEO possumus) libenter intendimus, & pro earũ profectibus, sicut congruere, & pia Catholicorum Regum vota id exposcere conspicimus, opem & operam efficaciter intendimus. Dudum siquidem postquam fel: record: Leoni PP. X. Prædecessori Nostro pro parte Charissimi in Christo Filij Nostri Sigismundi Poloniæ Regis Illustris, exposito: Quòd licèt Metropolitana Gnesnen: & illius Suffraganeæ, Cracovień: Vladislavień: Posnanień: & Płocen: Ecclesiæ, inter cæteras Ecclesias Regni Poloniæ essent admodum insignes, ac per Reges Poloniæ, & alios Principes, Barones, & Nobiles dicti Regni, notabilibus reditibus, proventibusq; opulenter dotatæ fuissent: nihilominus cũ ad Canonicatus & Præbendas ac dignitates, personatus, administrationes, vel Officia ipsarum Gnesnensis & Suffraganearum Ecclesiarum minùs Nobiles, & aliæ personæ Parentũ auxilijs carentes, ac bona & jura earundem Ecclesiarum, infidelium & Schismaticorum bonis cohærentia, & præsertim, dum milites & alij armigeri pro defensione dicti Regni, contra præfatos infideles & Schismaticos, vel alios eiusdem Regni, & Dominiorum ipsius Sigismundi Regis hostes pugnaturi, per Oppida, villas, & alia loca ac bona earundem Ecclesiarum, transibãt, adversus eosdem milites & armigeros, ac etiam infideles & Schismaticos, tueri & defendere non valentes, nonnunquam admitterentur, jura & bona prædicta in dies per ipsos armigeros diripiebantur, devastabantur, & annihilabantur, & quandoq; non solùm per infideles & Schismaticos, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ inobedientes, ac alios hostes prædictos, verùm etiam per Barones, & alios potentes indebitè occupata detinebantur, non absq; dictarum Ecclesiarum gravissimo præiudicio, & Divini cultûs diminutione, si statueretur, & ordinaretur. Quòd extunc

tunc deinceps perpetuis futuris temporibus, nullus etiam cuiuſcunq; gradûs vel conditionis foret, ad Canonicatus & Præbendas, dignitates, Perſonatus, Adminiſtrationes, vel officia huiuſmodi admitti deberet, niſi de Nobili genere ex vtroq; Parente procreatus foret: profectò ipſi Canonici Nobiles, Parentum, conſanguineorum & amicorum ſuorum favoribus & auxilijs ſuffulti, iura & bona huiuſmodi, adverſus illorum occupatores & detentores tueri, & occupata recuperare poſſent, idq; in Divini cultûs augmentum cederet, & non ſolùm præfato Sigiſmundo Regi, ſed etiam Principibus & Baronibus dicti Regni (quorum Progenitores huiuſmodi Gneſnen: & Suffraganeas Eccleſias, vt præfertur dotaverunt) gratiſſimum foret, & eos contra Turcas, Tartaros, alioſq; infideles & Schiſmaticos dictæ Eccleſiæ Romanæ inobedientes, aſſiduè bellantes, magis ac magis pro defenſione Chriſtianitatis, & tuitione Regni, ac protectione bonorum huiuſmodi accenderet. Præfatus Prædeceſſor ſupplicationibus dicti Sigiſmundi Regis in ea parte inclinatus, ſtatuit & ordinavit. Quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus etiam cuiuſcunq; gradûs & præëminentiæ exiſteret, niſi de Nobili genere ex utroq; Parente procreatum, & legitimo matrimonio natum ſe fore doceret, duobus in Theologia Magiſtris, & duobus in vtroq;, vel altero Iurium Doctoribus & peritis, ac ad Magiſterij & Doctoratûs gradus, in aliqua Vniverſitate Studij generalis promotis, duntaxat exceptis: quos quatuor, vt præmittitur, qualificatos juſtis tamen titulis in Canonicatibus quatuor & totidem Præbendis, in ſingulis, Gneſnenſi & Suffraganearum Eccleſiarum ad quatuor Canonicatus & Præbendas, pro duobus Magiſtris in Theologia, & duobus Doctoribus huiuſmodi iam aſſignatos, vel in poſterum per Capitula dictarum Gneſnenſis, & Suffraganearum Eccleſiarum reſpectivè aſſignandos; ita vt ſingulis earundem Gneſnenſis, & Suffraganearum Eccleſiarum quatuor duntaxat Canonicatus & totidem Præbendæ, qui quibuſvis etiam non Nobilibus, aliàs tamen qualificatis, vt præfertur perſonis, quæ in ipſis Gneſnenſi, & Suffraganeis Eccleſijs, reſpectivè, ſub pæna priuationis ſuorum Canonicatuum & Præbendarum, ſi per tres menſes ab illis abſentes forent, perſonaliter reſidere tenerentur, etiam prætextu quarumcunq; proviſionum, gratiarum, expectativarum ſpecialium vel generalium, reſervationum, mandatorum & literarum Apoſtolicarum, etiam Monitoriorum pænalium, aut Apoſtolicâ authoritate confirmatarum, primariarum precum ſeu nominationum, Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, Marchionum, Principum, Prælatorum, & aliorum Dominorum Ecleſiaſticorum & ſæcularium, etiam motu

motu proprio, & ex certa ſcientia, ac ex quavis cauſa, conſideratione, vel intuitu, etiam jurium ceſſorum vel oblatorum, aut pro ſedandis litibus, pro tempore concedendorum, ad Canonicatus & Præbendas ac dignitates, & Perſonatus, Adminiſtrationes vel officia huiuſmodi recipi & admitti: ſeu ne vtiquam de illis alijs, quàm Nobilibus ex vtroq; Parente & legitimo matrimonio procreatis; duobus Magiſtris in Theologia, & duobus in vtroq;, vel altero Iuris Doctoribus vt præfertur, duntaxat exceptis, provideri poſſet, nec deberet: nec Archiepiſcopus, nec Epiſcopi pro tempore exiſtentes, aut Capitula Gneſnenſis, & Suffraganearum Eccleſiarum huiuſmodi, etiam prœtextu quarumcunq; literarum Apoſtolicæ Sedis, vel Legatorum eius, & clauſularum in literis proviſionum, mandatorum, exſpectativarum & reſervationum, ac aliarum facultatum huiuſmodi apponi ſolitarum, aut quaſcunq; alias etiam derogatorias, prohibitorias, ſeu fortiores, efficaciores & inſolitas clauſulas, & adiectiones etiam tales per quas ſtatuto & ordinationi huiuſmodi, ac literis deſuper confectis, & in eis contẽtis clauſulis, expreſsè derogari videretur in ſe continen: ad id cogi ſeu compelli: Cenſuraſq; in literis proviſionum, reſervationum, nominationum, facultatum, exſpectativarum, & mandatorum huiuſmodi, per quoſcunq; pro tempore obtentorum, & Proceſſibus deſuper habendis, pro tempore contentis contra earundem literarum deſuper confectarum, tenorem illis minimè coarctari poſſent, ac dictis literis deſuper confectis, nullatenus derogari poſſet, aut deberet. Decernens ſtatutum & ordinationem huiuſmodi omnino perpetuò obſervari debere: ac quaſcunq; collationes & proviſiones, alijs quàm Nobilibus, & duobus Magiſtris in Theologia, ac duobus in vtroq; vel altero Iurium Doctoribus, etiam aliàs quàm vt præfertur, qualificatis perſonis, pro tempore faciendas, nullas, nulliuſq; roboris vel momenti exiſtere; ſicq; per quoſcunq; Iudices & Commiſſarios judicari debere. Irritum quoq; & inane, ſi ſecus ſuper ijs, à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contingeret attentari: prout in eiuſdem Prœdeceſſoris literis pleniùs dicitur contineri. Cùm autem ſicut prœfatus Sigiſmundus Rex, Nobis inſuper exponi fecit, literæ prædictæ, non omnino ſecundùm intentionem ſuam, neq; juxta tenorem certorum Statutorum olim à Prædeceſſoribus ſuis deſuper editorum, emanaverint, & inconveniens cenſeatur, quòd Capitulis Eccleſiarum, quibus nullum Ius diſponendi de Canonicatibus & Præbendis competit, aſſignatio Canonicatuum & Prœbendarum huiuſmodi, quæ viginti quinq; annis elapſis ab emanatione literarum earundem, de duobus Canonicatibus & duabus Præ-

bendis

bendis duntaxat, quorum fructus adeo exigui existunt, vt ex eis Viri Excellentes se sustentare minimè possent, ab ipsis Capitulis in Cracouiensi, & forsan Guesnensi Ecclesijs prædictis facta fuit, licèt eos, post assignationem huiusmodi, non plebeij, sed Nobiles retinuerint, & possederint, ac retineant & possideant, eisdem literis in præiudicium Ordinariorum ac diminutionem eorum authoritatis & facultatis concessa sit, & cùm in Statutis dicti Regni id expressum sit, dignum videatur, vt vnus quintus etiam non Nobilis, in facultate Medicinæ Magister, in huiusmodi statuto, prout quatuor alij non Nobiles Doctores & Magistri excepti fuerunt: ita etiam, quòd ipsi quinto, Canonicatus & Præbendæ in singulis Ecclesijs prædictis sicuti alijs quatuor, conferri possint, excipiatur. Dignumq; etiam censeatur, vt Canonici plebeij, qui nunquam excepti fuerunt, illis, qui munus legendi & prædicandi habent annexum, secundùm fundationem suorum Canonicatûs & Præbendæ, per omnia in suo onere permansuris, deterioris conditionis, quàm cæteri Nobiles, præsertim quoad residentiam non sint: pro parte dicti Sigismundi Regis, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt pro tranquilliori statu dictarum Ecclesiarum super ijs opportunè prouidere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dictarum Ecclesiarum felicem statum & salubrem directionem, sinceris exoptamus affectibus, quascunq; assignationes de Canonicatibus & Præbendis dictarum Ecclesiarum, per huiusmodi Capitula, prætextu earundem literarum faciendas, & quomodolibet hactenus factas, nullas nulliusq; roboris, vel momenti, citra præiudicium dictos Canonicatus & Prœbendas, ita assignatos obtinentium & possidentium, fore & esse decernentes; ac omnem potestatem facultatem & authoritatem dictos Canonicatus & Prœbendas assignandi per literas prædictas quomodolibet concessas, & attributas, ab eis penitus abdicantes, illasq; reuocantes & anullantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum & ordinationem, ac cum decreti, suspensionis & derogationis necnon omnibus & singulis alijs in eis contentis clausulis, Literas Leonis Prædecessoris huiusmodi ad hoc, vt quinq; Personæ non Nobiles, vt præfertur qualificatæ, duobus Magistris, & duobus Doctoribus non Nobilibus, qui in dictis literis excipiuntur, inclusis & comprehensis ad Canonicatus & Præbendas singularum Ecclesiarum prædictarum, per singula earum Capitula, etiamsi alij illarum nunc & pro tempore Canonici Nobiles Doctores ac vt præfertur, seu aliàs qualificati fuerint, in Canonicos recipi & admitti, ac illarum Canonicatus & Prœbendas, etiam maiores, & pinguiores retinere & asse-

qui: Ipsiq; Canonicatus & Præbendæ tantùm per Archiepiscopum & & eius Suffraganeos præfatos, nunc & pro tempore existen: quibus plenam & liberam facultatem, quoad hoc per præsentes concedimus, secundùm beneplacitum ipsorum Ordinariorum, sine vlla certorum Canonicatuum & Præbendarum assignatione: Illis tamen, quibus munus legendi & prædicandi est annexum, exceptis, qui in suo onere permaneant, eis conferri, & de illis etiam provideri, ac dictœ personœ sic receptœ, omnibus privilegijs, indultis, libertatibus, & gratijs, etiam super non residentijs in dictis Ecclesijs seu absentijs ab eis ad tempus, aut aliàs quomodolibet faciendis, cæteris Nobilibus Canonicis, sub quibuscunq; tenoribus & formis concessis confirmatis, & innovatis: & quibus alij Canonici Nobiles vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti potiri & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum æquè pariformiter, & sine vlla penitus differentia, in omnibus & per omnia, vti potiri & gaudere. Illis qui munus legendi & prædicandi annexum habent, in obligatione secundùm tenorem fundationis suorum Canonicatuum & Præbendarum permanentibus. Quòdq; dictis quinq; personis simul, vel successivè cedentibus vel decedentibus, aut aliàs Canonicatus & Præbendas prædictos quomodolibet dimittentibus, vel amittentibus, & illis quovis modo vacantibus, aliœ quinq; similes personæ, ita quòd illarum numerus semper expletus sit, & ad numerum quinq; ascendat, vt prœfertur, in Canonicos recipi & admitti, huiusmodiq; Canonicatus & Præbendas ab Ordinarijs collatos, obtinere & assequi, illiq; eis conferri et assignari, ac personœ huiusmodi, privilegijs & libertatibus, necnon alijs prædictis gaudere possint, et debeant, authoritate Apostolicâ tenore præsentium extendimus & ampliamus, ac reducimus & moderamus. Reliqua *verò, quæcunq; in eisdem literis contenta, eisdem authoritate & tenore approbamus & innovamus: Decernentes extensionem, ampliationem, reductionem & moderationem, necnon approbationem & innovationem huiusmodi, perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari, & sic per quoscunq; Iudices, quâvis authoritate fungentes sublatâ eis & eorum cuilibet, quævis aliter judicandi & interpretandi facultate, & authoritate, judicari & definiri debere: necnon irritum & inane si secus super ijs à quoquam, quâuis authoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopo Leopolien: & Cesenaten: ac Olomucen: Episcopis, per præsentes committimus mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium seu alios, præsentes literas, ac omnia & singula in e-*

is con-

is contenta, vbi & quando expedierit, ac quoties pro parte Sigismundi, & pro tempore existentis Poloniæ Regis, ac Archiepiscopi, Episcoporum etiam pro tempore existentium prædictorum, seu alicuius eorum, desuper fuerint requisiti, solenniter publicantes, ac eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate Nostrâ, extensionem, ampliationem, reductionem, & moderationem, ac alia præmissa firmiter obseruari: ac Sigismundum, & pro tempore existentem Regem, necnon Archiepiscopum & Episcopos præfatos, illis pacificè gaudere: non permittentes eos desuper per quoscunque contra præsentium tenorem quomodolibet indebitè molestari; Contradictores quoslibet authoritate Nostrâ, appellatione postpositâ compescendo. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Apostolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Concilijs editis generalibus vel specialibus, Constitutionibus & ordinationibus, ac dictarum Ecclesiarum iuramento cõfirmatione Apostolicâ, vel quâvis aliâ firmitate roboratis statutis & consuetudinibus: necnon omnibus illis quæ in literis Leonis Prædecessoris huiusmodi concessa sunt: non obstantibus contrarijs quibuscunque aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem Sede sit indultum, quòd interdici suspendi, & excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facien: plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ apud S, Petrum, sub Annulo Piscatoris die xvi. Octobris. Millesimo quingentesimo quadragesimo tertio. Pontificatûs Nostri Anno ix.

Dubium est an, cùm dictæ Bullæ Summorum Pontificum, solùm loquantur de Ecclesijs Cathedralibus Gnesnensi, Cracoviensi, Vladislaviensi, Posnaniensi, & Płocensi; extendi possint ad alias Ecclesias Cathedrales & Collegiatas?

Bulla Apostolica super electione Archidiaconorum perpetua.

Continens & alias non minùs vtiles, quàm necessarias Constitutiones 1513.

LEO *Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

E*Tsi ex debito Pastoralis Officij tenemur circa indemnitatem & decorem cunctarum Orbis Ecclesiarum providere, ac illa statuere*

per quæ Ecclesiæ ipsæ, Viris doctrinâ præditis illustrentur, animarumq; cura non negligatur, ac Divinus cultus augeatur, & quæ ad bene vivendum providè facta noscuntur, confirmare & approbare. In Ecclesijs verò Regni Poloniæ ad id eò fortiùs adstringi videmur, quo Ecclesiæ dicti Regni, tanquam arces solidæ cum Schismaticis, Hæreticis, ac perfidis Turcis, & alijs Catholicæ fidei hostibus continuò pugnare noscuntur. Sanè cùm Venerabilis Frater Ioannes de Lasko Archiepiscopus Gnesnensis, Vir præclarus & Primas dicti Regni per Charissimum in Christo Filium Nostrum Sigismundum Poloniæ Regem Illustrem, pro obedientia præstanda ad Nos, & sanctam Synodũ Lateranen: Orator destinatus, tam dicti Regis, quàm suo & aliorum Prælatorum dicti Regni nominibus exposuerit, nonnulla in Ecclesijs dicti Regni statuenda & ordinanda, quæ non solùm ad prorogationem Virorum doctrinâ præditorũ, sed etiam ad Divini cultûs augmentũ & animarũ curam & normã bene vivendi, cum magna ipsarum Ecclesiarũ, tam in Spiritualibus, quàm in temporalibus conservatione tendere dignoscuntur. Quare præfatus Ioannes Archiepiscopus Gnesnen: dictis nominibus Nobis humiliter supplicavit, ut dicti Regni Ecclesiarum necessitatibus, & decori in præmissis de benignitate Apostolica providere dignaremur. Nos igitur, qui in præmissis non solùm partes Officij nostri libenter impertimur, sed illas summis desideramus affectibus exequi, & adimplere exoptamus, prædictis necessitatibus satisfacere volentes, huiusmodi supplicationibus, inclinati. Quòd de cætero perpetuis temporibus, in qualibet Collegiata Ecclesia Gnesnensis Diœcesis duo Canonicatus, & duæ Præbendæ, quas ipse, aut pro tempore existens Archiepiscopus Gnesnensis, etiam exnunc duxerit ad id designandas, dum vacabunt, tam etiam hâc primâ vice, quàm perpetuò, nisi duobus Viris peritis conferri possint, unus videlicet Canonicatus, & altera Præbenda perito in Iure: alter verò Canonicatus & altera Præbenda perito in Theologia, & qui saltem in aliqua Universitate insigni per quinq; annos studuerint, de quo Patentes literas dictæ Universitatis vel diversarum, ubi in diversis studuerint, exhibere: quiq; etiam publicè legere, & alios instruere teneantur juxta ordinationem per eundem Archiepiscopum faciendam. Quodq; Archidiaconi omnes quarũcunq; Gnesnen, Cracovien. Vladislavien: Posnanien: ac Płocen: Ecclesiarum & Diæcesium quibus cura animarum, seu fortè Iurisdictionis imminet, nonnisi per Electionem ipsius Archiepiscopi & Episcoporum ac suorum Capitulorum, respectivè unusquisq; ad suos Archidiaconatus prædictos, dum pro tempore vacabunt, assumi valeant,

&

& ad eos Doctores ac Licentiati in Iure aut Theologia tantùm eligi & assumi possint, qui similiter in aliqua Vniversitate ad Doctoratûs sive Licentiæ gradus promoti fuerint. Ac quòd in absentia obtinentium dictos Archidiaconatus & Canonicatus ac Prœbendas, quando vltra medium annum eos abesse contigerit, seu sicut ipse Archiepiscopus in Synodo generali absentiæ eorum tempus & terminum designaverit, fructus illius anni & aliorum, vbi similiter non residerint, minimè percipere valeant, sed illi in vtilitatem residentium convertantur, Nec non quòd vnus Canonicatus, & vna alia Prœbenda Ecclesiœ Gnesnen: quos idem Archiepiscopus ad id similiter designaverit, nonnisi Vicario aut Officiali Gnesnen: conferri possint, & de illis provideri valeat, authoritate Apostolicâ perpetuò statuimus & ordinavimus. Et insuper ordinamus, vnam Præbendam Ecclesiæ Gnesnen: prædictæ, etiam similiter de Suffraganeo per eundem Archiepiscopum eligendam: necnon Rectoriam Parochialis Ecclesiæ Plebaniœ nuncupatæ in Znina eiusdem Gnesnensis Diæcesis, cùm primùm vacaverit, exnunc eiusdem authoritate & tenore supprimimus & extinguimus; liceatq; exnunc Suffraganeo Gnesnensi illorum fructus, etiam quotidianas distributiones eidem Suffraganeo, ratione eiusdem residentiœ debendos, propriâ authoritate, prout alij Canonici, & Prœlati eiusdem Ecclesiœ residentes, seu præsentes, ex Statuto & consuetudine eiusdem Ecclesiæ Gnesnen: percipere consveverunt, & levare, ac juxta ordinationem per eundem Archiepiscopum fiendam in Capitulo dictæ Ecclesiœ Gnesnen: necnon in Ecclesia Gnesnen: etiam in Ecclesia circa Divina, & in omnibus alijs locis, & actibus etiam Capitularibus, vnà cum Capitulo eiusdẽ Ecclesiæ Gnesnen: interesse, ac etiam vocem habere; ac dictæ Ecclesiæ Parochiali per Vicarium ad nutum dicti Suffraganei amovibilem deservire. Quòdq; Archidiaconatus, Canonicatus & Prœbendæ prædictœ vigore gratiarum expectativarum, necnon de illis alicui quâvis authoritate provideri non possit: ac etiam quòd de fructibus & Canonicatuum, Prœbendarum, ac dignitatum, personatuum & Officiorum Collegiatarum Ecclesiarum, totius Regni & Dominiorum prædictorum, eorum qui non resident in huiusmodi beneficijs, seu in Divinis non deservierint, aut in futurum non residebunt, seu non deservient, etiamsi ex indulto Apostolico, aut alias quovis modo ex consuetudine seu statuto de Iure non tenerentur, posit liberè in Synodo Provinciali certam partem proventuum beneficiorum illorum designare, illamq; in vtilitatem servientium Ecclesiœ, aut residentium, prout ei meliùs videbitur erogare, Et vt ad quædam beneficia quæ nonnisi

Lectoribus, Doctoribus, Magistris seu Baccalaureis Scholæ Cracovien: per Vniversitatem Cracoviensem concedi consueverunt, idoneiores assumantur, quòd de cætero concessiones, seu quævis aliæ dispositiones, etiam Authoritate Apostolicâ dictorum beneficiorum non valeant, nisi ad id saltem Doctorum medietas, & aliorum legentium dictæ Scholæ expressus accedat assensus. Necnon vt importuni motus & ambitiosi exquirentium fictas lites reprimantur, quòd derogationes Regularum de annali possessore, ac alterius, quòd nulla commissio causæ valeat, nisi literis expeditis, in quibusvis gratijs seu Commissionibus causarum beneficiorum prædictorum dicti Regni & Dominiorum. Etiam in gratijs si neutri simul, si alteri, vel perinde valere; etiam motu & scientia ac potestate similibus, ac derogationes Iurispatronatûs Laicorum, quovis modo vacantium, etiam apud Sedem Apostolicam, præterquam per obitum nullo modo valeant, nec de cœtero alicui suffragentur, etiam statuimus & ordinamus, & vt nonnulla Statuta & Ordinationes dicti Regni, & Ecclesiarum etiam Cathedralium & Metropolitanæ eius eo firmiùs persistant, quò fuerint Nostro munimine confirmata statutum seu consuetudinem Ecclesiarum prædictarum, quibus cavetur, quòd illi, qui recipiuntur in Canonicos seu ad aliquam dignitatem, vel ad aliud quodvis beneficium in aliqua prædictarum Ecclesiarum, solvere teneantur jucundum ingressum, commutantes in vtilitatem & honorem dictarum Ecclesiarum, respectivè. Ac aliud Provinciale statutum, quo cavetur, quòd Notarij investitutarum de beneficijs Ecclesiasticis non possint pro eorum mercede recipere vltra duos florenos auri Vngaricalis quod incipit. Cùm ex eo etiam Provincialia, in quibus circa imperitiam Notariorum & diversorum, qui pro Notarijs segerunt, & non sunt de signis & Protocolis eorum, & deponendo eos in Metrica, & de eorum examine antequam officia exerceant, & multis alijs licitis, & honestis provideatur. Necnon de Pontificalibus, & alijs sacris exercendis, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ. Necnon quæcunq; alia Statuta Provincialia nuncupata & facta in Provinciali ac principali Synodo Gnesnensi dummodo aliàs legitima & honesta sint. Necnon quia idem Venerabilis Frater Noster Ioannes Archiepiscopus Gnesnensis, considerans, quòd tam Sede vacante Ecclesiæ Gnesnensis, quàm non vacante, negligentiâ Prœlatorum, qui sæpe bona & possessiones dictœ Ecclesiœ visitare non curant, multa sæpe occupantur & dissipantur, volens opportunè providere, quoddam Officium Oeconomi seu Visitatoris, possessionum & bonorum dictœ Ecclesiœ Gnesnen: erexit, ac desuper quasdam ordinationes, statuta &

appli-

applicationes utiles & proficuas dictæ Ecclesiæ fecit & ordinavit tam omnia & singula præmissa statuta, consuetudines & ordinationes, quàm etiam erectionem dicti Oëconomi cum suis Ordinationibus & applicationibus, ut præmittitur factam, tenore præsentium confirmamus & approbamus, illaq; perpetuò & inviolabiliter observari volumus, supplentes omnes & singulos defectus, tam juris, quàm facti, si qui intervenissent in eisdem, non obstantibus Constitutionibus ordinationibus Apostolicis, ac statutis, consuetudinibus, privilegijs & Indultis Regni & Dominiorum dicti Regis, & Ecclesiarum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel aliâ quâvis firmitate roboratis. Etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus, seu alia quavis speciali forma specialis mentio foret habenda: decernentes statutis, ordinationibus, voluntati & confirmationi Nostris præmissis, & eorum singulis derogari non posse, nec derogatum censeri, ac quoties forsan in aliquo derogari, vel contra præmissa, seu aliquod præmissorum, indulgeri per Nos, aut Sedem prædictam contigerit, toties eo ipso præmissa omnia & singula iterum statuta & ordinata, ac decreta irrita censeantur. Necnon quicquid secus à quoquam quâvis authoritate contra præmissa seu aliquod præmissorum contigerit attentari, irritum fore & inane decernimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostri statuti, ordinationis, suppressionis, extinctionis confirmationis, voluntatis, suppletionis, approbationis, & decreti infringere, vel ei casu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Eius, se noverit incursurum. Datum Santæseveræ Portuensis Diæcesis. Anno Incarnationis Dominicæ 1513. XVIII. Calen: Decemb: Pontificatûs Nostri Anno Primo.

Concordata Regni Poloniæ, à Clemente VII. Papa concessa, tenoris sequentis.

CUm singularem fidei constantiam & integritatem, ac eximiæ devotionis affectum, quibus charissimus in Christo Filius Noster Sigismundus Poloniæ Rex Illustris in Nostro & Apostolicæ Sedis conspectu semper claruit & continuò claret, Paternâ meditatione revoluimus: dignum atq; debitum censemus, ut quæ eius consideratione ab eadem

Sede providè processerunt, promptâ benevolentiâ Nostri muniminis præsidio solidemus, & ut sublato quovis ambiguitatis dispendio in sui roboris integritate ferventer ac peramplius fructuosa reddantur, Nostri Officij partes favorabiliter extendamus. Dudum siquidem per felicis recordationis Leonem Papam X: Prædecessorem Nostrum accepto, quòd licèt diversæ Alternativarum literæ, diversis Ordinarijs in Regno Poloniæ à Sede prædicta emanatæ fuissent, dictusq; Prædecessor per diversas Constitutiones suas Prælatis & alijs personis Ecclesiasticis, ad quas dignitatum & aliorum beneficiorum collatio, provisio, præsentatio, electio, seu alia quævis dispositio pertinebat, ut de quibusvis dignitatibus, personatibus, administrationibus, officijs, Canonicatibus & Præbendis, necnon alijs beneficijs Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, Sæcularibus & Regularibus, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus, quæ certis tunc expressis mensibus vacare contingeret; ac si à Sede præfata vel Legatis eius expectativæ, Gratiæ, aut super illis speciales vel generales reservationes non emanâssent, ordinariâ authoritate liberè disponere possent concessisset: ac extunc, quidquid secus super ijs à quoquam quâvis authoritate scienter, vel ignoranter contingeret attentari, irritum & inane decrevisset, nihilominus nonnulli speciales, vel generales reservationes, & alias gratias in dicto Regno cũ derogatione & suspensione literarum alternativarum, & Constitutionum prædictarum, & alias extorserant, & in dies extorquere nitebantur, quo fieret, ut ordinarij Collatores huiusmodi Regni, qui Reipub: ipsius Regni Consiliarij existebant, et diversa onera sustinebant, quominus eorum ordinariâ authoritate, super ijs uti, vel juxta Alternativas, & Constitutiones prædictas de beneficijs ad eorum dispositionem pertinentibus, personis idoneis, & bene meritis providere possent, impediantur, in eorum & Reipub: Regni huiusmodi præjudicium & detrimentum non modicum, dictus Prædecessor, motu proprio, & ex certa scientia, necnon consideratione præfati Sigismundi Regis, tamen Lateranensi Concilio novissimè celebrato, quàm alias quascunq; Constitutiones suas in favorem Ordinariorum editas, cum irritantibus, & alijs in eis contentis decretis & clausulis innovando, per suas literas perpetuò statuit & ordinavit, ac decrevit, quòd nulla beneficia Ecclesiastica, cum cura, vel sine cura Sæcularia, vel Regularia, cuiuscunq; qualitatis forent, in dicto Regno consistentia, in mensibus ordinarijs Collatoribus per Cõstitutiones alternativas, aut Cõstitutiones prædictas concessis, pro tẽpore vacantia, sub quibusvis specialibus vel generalib⁹ re-

serva

ſervationibus, vnionibus, exſpectativis, & alijs gratijs, mandatis & indultis, quocunq; nomine cenſerentur; & quaſcunq; clauſulas, etiam derogatoriarum derogatorias, ac alternativis & Conſtitutionibus prædictis, necnon literis Prædeceſſoris huiuſmodi expreſsè derogantibus, continentes etiam Cardinalibus, ac ſuis, ac pro tempore exiſtentis Romani Pontificis etiam antiquis & deſcriptis familiaribus, & alijs cuiuſcunq; dignitatis ſtatûs, gradûs, vel conditionis exiſtentibus per eundem Prædeceſſorem & Sedem prædictam, pro tempore conceſſis & concedendis, minimè comprehenderentur, nec comprehendi, aut illa minimè acceptari poſſent, ſeu deberent: ſed dicti Ordinarij Collatores, cum illis (dummodo diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter reſervata & affecta non exiſterent) juxta facultatem eis per alternativas, & Conſtitutiones prædictas conceſſam, ordinariâ authoritate diſponere poſſent, perinde acſi reſervationes, vniones, exſpectativæ, & aliæ gratiæ, mandata, & indulta, cum eiuſmodi derogationibus nullatenus emanâſſent, aut in poſterum emanarent; ac nonnulla alia tunc expreſſa decrevit, prout in eiſdem literis pleniùs continetur. Cùm autem ſicut accepimus, à nonnullis hæſitari poſſet, an beneficia conſiſtentia in Regno huiuſmodi, in dictis menſibus Ordinarijs Collatoribus conceſſis, pro tempore vacantia, ſub coadiutorijs ac regreſsibus & acceſsibus, etiam de conſenſu ipſorum beneficiorum Poſſeſſorum, pro tempore conceſſis comprehenſa cenſeantur & comprehendi poſſint. Nos, ne literæ Leonis Prædeceſſoris huiuſmodi Ordinarijs eiſdem Collatoribus, quoad hoc minùs vtiles reddantur, ſed ſemoto huiuſmodi hæſitationis obſtaculo votivum ſortiantur effectum, providere volentes, motu ſimili, non ad alicuius Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de Noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, necnon intuitu eiuſdem Sigiſmundi Regis Literas Leonis Prædeceſſoris huiuſmodi, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, authoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium, approbamus & innovamus, ac robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus. Et ad hoc, vt beneficia prædicta in dicto Regno conſiſtentia, etiamſi Canonicatus & Præbendæ, dignitates etiã maiores poſt Pontificales & Principales, perſonatus, Adminiſtrationes, vel Officia etiam curata, & Electiva, in Cathedralibus etiam Metropolitanis vel Collegiatis Eccleſijs, & ex quavis cauſa, etiam ratione familiaritatis continuæ commenſalitatis noſtræ, ac etiam alicuius Cardinalis viventis, cuius conſenſus requiri deberet, generaliter reſervata fuerint in ſex menſibus; videlicet, Februarij, Aprilis, Iunij, Auguſti, Octobris, & Decembris Ordinarijs per literas Alternativas, aut quæ-

vis privilegia & Indulta Apostolica, vt præfertur, concessa & concedenda, pro tempore vacantia sub eiusmodi coadiutorijs, Coadiutorum deputationibus, ac regressibus & accessibus, per Nos & Romanum Pontificem pro tempore existentem ad Sedem eandem etiam de consensu Possessorum beneficiorum eorundem, sub quibuscunq; tenoribus & formis, ac prœdictis, & quibusvis alijs clausulis & decretis pro tempore concessis, minimè comprehendi, nec comprehensa censeri, sed ipsos Ordinarios Collatores, de illis in eisdem Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris, mensibus huiusmodi, coadiutoriis ac regressibus, ingressibus, & accessibus non obstantibus, etiamsi beneficia ipsa in Romana Curia, vel extra eam litigiosa existāt, dummodo lis super illis mota, seu pendens vera & legitimè introducta non fuerit; perinde acsi coadiutoriæ, regressus, ingressus, & accessus huiusmodi concessi, & illa litigiosa non existerent, liberè providere, ac aliàs disponere possint, quòdq; omnes & singulæ coadiutoriæ, regressus, ingressus, & accessus etiam de consensu Possessornm beneficiorū huiusmodi, aut etiā cum derogatione Leonis Prædecessoris huiusmodi, & præsentiū literarum, ac alternativarū etiam Constitutionum prædictarū pro tempore concessi, nisi etiam ipsius Sigismundi, & pro tempore existentis Poloniæ Regis & Lociordinarij, ac Capituli illius Ecclesiæ, in qua beneficium huiusmodi fuerit, ad id expressus accesserit assensus, nullius roboris vel momenti existant, authoritate & tenore prœdictis extendimus, & ampliamus, ac quòd dicti sex Menses, Februarius, Aprilis, Iunius, Augustus, October & December, perpetuò futuris temporibus Ordinarijs Collatoribus Regni huiusmodi concessi & reliqui sex menses, dictæ Sedi & pro tempore existenti Rom: Pontifici, reservati existant & esse censeantur. Quòdq; & Leonis Prædecessoris huiusmodi, ac præsentes literæ sub quibuscunq; revocationibus generalibus vel specialibus, ac Cancellariæ Apostolicœ Regulis hactenus etiam per piœ memoriæ Adrianum P.P. VI. similiter Prædecessorem Nostrum editis, minimè comprehensœ fuerint, nec sint, neq; comprehensæ fuisse, aut esse censeri, nec in genere vel in specie revocarii suspendi, vel aliàs quomodolibet alterari possint, semper validœ & efficaces existant, perinde acsi huiusmodi revocationes, Constitutiones, & Regulæ etiam per Nos non emanâssent, nec in posterum per Rom: Pōtificem pro tempore existentem & Sedem eandem emanarent, ac vim validi pacti & contractûs, ac statuti inter Nos & Sedem prœdictam, ac dictos Ordinarios Collatores initi & jurati habeant, collationesq; per Nos & Rom: Pontificem in dictis mensibus ordinarijs concessis iusmo-

huiusmodi, pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliusq; roboris vel momenti existere, ac eisdem Leonis Prædecessoris præfati, & præsentibus literis, necnon in eis contentis per generalem, non obstantibus literis alternativarum, & Indultis, Ordinarijs Collatoribus Regni prædicti, super conferendis beneficijs Ecclesiasticis in Mensibus alternatis, pro tempore vacantibus, concessis, aut quascunq; alias speciales, vel generales, etiam derogatoriarum derogatorias, & efficaciores & insolitas clausulas pro tempore concessas, nullatenus derogari posse, nec derogatum censeri: nisi in supplicatione desuper Nostra, & pro tempore existentis Rom: Pontif: manu signata, de singulis literis huiusmodi, & illarum datæ, ac Pontificatûs, & causæ, propter quam illis derogatur, specialis specifica, individua, & expressa mentio facta fuerit, & aliter factæ derogationes, nemini suffragentur: & quoties præsentibus derogari contigerit, toties illorum revalidatio de novo, & sub quacunq; data per Regem, & Ordinarios præfatos, & illos, de quorum interesse ageretur, eligenda, expediri possit. Et sic non aliter in præmissis omnibus & singulis, per quoscunq; Iudices & Commissarios, quâvis authoritate fungentes, sublatâ eis quâvis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, judicari, & definiri debere; ac quidquid secus super his à quoquam etiam per Nos quâvis authoritate contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Mandantes Summistæ pro tempore existenti, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, vt literis revalidationis præsentium, sub data per interesse habentem eligenda, sine alia supplicatione; seu Nostra ac Rom. Pont. pro tempore existentis licentia expediat, ad omnem interesse habentis requisitionem. Quocirca Venerabilibus Fratribus Nostris Archiepiscopo Leopoliẽsi, & Episcopo Olumucensi, ac dilecto Filio Scholastico Cracoviensi, per Apostolica scripta, motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunq; vbi & quando opus fuerit, ac quoties, pro parte Ordinariorum prædictorum, seu alicuius eorum desuper fuerint requisiti, solenniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant authoritate Nostrâ præsentes literas & in eis cõtenta quæcunq; huiusmodi firmiter observari, ipsosq; ordinarios Collatores illis pacificè gaudere: non permittentes eos desuper per quoscũq; contra earundem literarum tenorem quomodolibet molestari, contradictores per censuram Ecclesiasticam authoritate Nostrâ, appellatione Apostolicâ postpositâ, compescendo. Non obstantibus &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ mille-

ſimo quingenteſimo, vigeſimo quinto. Kalend. Decemb: Pontif: Noſtri Anno tertio.

Exſtăt in Archivo Regni *Poloniæ* in Arce Cracovienſi, vbi Coronæ & omnes Theſauri depoſiti ſunt, indulta Summorum Pontificum Sereniſſimis Regibus *Poloniæ* conceſſa, vt valeant, præſentare ad beneficia ſæcularia.

Et primò SIXTVS IV. Papa CASIMIRO III. Regi Poloniæ, eiuſq; Succeſſoribus Regibus, conceſſit Ius præſentandi, ad maiores poſt Pōtificales dignitates, in ſingulis Gneſnenſi, Cracovienſi, Poſnanienſi Cathedralibus Eccleſiis, & principalem Præpoſituram in Eccleſia Collegiata Łancicienſi, vt conſtat ex privilegio Apoſtolico, emanato *Anno D*, 1482.

Idem SIXTVS Papa, eidem Sereniſſimo *Regi* conceſſit Iuſpatronatûs ad *Præpoſituram* Eccleſiæ Collegiatæ S. Michaëlis in Arce Cracovienſi, de *Anno* 1433.

INNOCENTIVS VIII. *Papa* confirmando dicta duo privilegia conceſſa eidem Sereniſſimo Regi per SIXTVM IV. Papam conceſſit Sereniſſimis Regibus *Poloniæ* Ius præſentandi ad Scholaſteriam Collegiatæ Łancicienſis, Indulto emanato *de Anno* 1493

Reperiuntur & alia privilegia Apoſtolica in dicto Archiuo, in quibus Summi Pontifices conceſſerunt Sereniſſimis Regibus Poloniæ Ius, præſentandi ad alia beneficia in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis Regni, quæ in dicto Archivo videri poſſunt. Et hæc quo ad Ius Publicum Regni Poloniæ ſufficiant.

Quæ omnia cedant ad gloriam Dei Omnipotentis, Honorem Beatiſsimæ V. M. & Sanctorum Patronorum Regni Poloniæ vtilitatemq; publicam.

F I N I S.



Instrumentum Pacis, sive Tabulæ Fæderis perpetui, inter Serenissimum Poloniæ Regem, JOANNEM CASIMIRUM, & Serenissimum Brandeburgi Marchionem, FRIDERICUM WILHELMUM: Anno 1657. die Decimâ Nonâ Mensis Septembris, Welaviæ, quæ Vrbs est in Provincia Prussiæ Nadravia, initi; in quo, Marchioni dicto, supremum & absolutum Ducalis Prussiæ dominium, atquè Præfecturæ Bytoviensis & Leunenburgensis, in Barthonia Prussiæ Regalis Provincia in feudum Masculinum, Ordinum Regni Poloniæ consensu, certis conditionibus, addicitur.

Ex Metrica Regni, per Nobilem ac Generosum Dominum MATTHIAM MARCIANUM ŁADOWSKI Secretarium Sacræ Regiæ Majestatis extractum, & mihi Authori transmissum.

NOS JOANNES CASIMIRUS Dei gratiâ REX Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czerniechoviæq; necnon Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Hæreditarius REX: Significamus præsentibus literis Nostris, quorum interest vniversis & singulis, contineri in Actis Metrices Cancellariæ Nostræ minoris Regni, literas infrascriptæ transactionis, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis.

Actum Posnaniæ Feriâ sextâ, post Festum Sancti Martini Pontificis & Confessoris, Anno Domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo:
JOANNES CASIMIRUS Dei gratiâ REX Poloniæ &c. Significamus præsentibus literis Nostris, quorum interest universis & singulis, oblatam esse ad Acta Metrices Cancellariæ Nostræ Regni, infrascriptam ratihabitionem Nostram transactionis, seu pactorum perpetuæ Pacis, cum Serenissimo Principe Dño FRIDERICO WILHELMO Marchione Brandeburgensi, S. R. I. Archicamerario, & Principe Electore &c. initorum: requisitumq; à Nobis esse, ut eandem (scilicet ratihabitionem) ad dicta Acta suscipi, & ex ijsdem authenticè extradi mandaremus, cujus tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis.
JOANNES CASIMIRUS Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ Czerniechoviæq;, nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Hæreditarius REX; universis & singulis præsentibus & futuris præcipuè ijs, quorum interest significamus, quòd ad Tractatum cum Serenissimo Principe Domino Friderico Wilhelmo Marchione Brandeburgensi, Sacri Romani Imperij Ar-
chica-

chicamerario, & præcipuè Electore Magdeburgensi Prûssiæ, Juliæ, Cliviæ, montium Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorumq; necnon in Silesia, Crosnæ & Carnoviæ Duce, Burggravio Noribergensi, Principe Halberstadij & Mindæ, Comite Marcæ & Ravensburgi, Domino in Ravenstein, certos constituerimus Plenipotentiarios, illique cum suæ Serenitatis Electoralis Plenipotentiarijs congressi in articulos, qui sequuntur, convenerint.

Jn Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, unici verique Dei Amen.

N*Otum sit omnibus; quòd cùm superioribus annis, eoq; ipso tempore, quo Serenissimus & Potentissimus Princeps ac Dominus, Dñus JOANNES CASIMIRUS REX Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ Russiæ Prussiæ Masoviæ Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czerniechoviæq; necnon Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Hæreditarius REX, inclytumque Poloniæ Regnum, & Magnus Lithuaniæ Ducatus Moscovitico bello, Cosacisq; implicarentur turbis, Sueciq; infestis pariter armis, eandem peterent Poloniam, tandemq; in Prussiam Regiam ac Ducalem irrumperent, ita ut ipse Serenissimus Princeps ac Dominus, Dñus FRIDERICUS WILHELMUS Marchio Brandeburgensis, Sacri Romani Jmperij Archicamerarius; & Princeps Elector Magdeburgi Prussiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorumq;, necnon in Silesia, Crosna & Carnovia Dux, Burggravius Norinbergensis, Princeps Halberstadij & Mindæ, Comes Marcæ & Ravensburgi Dominus in Ravenstein, ejusq; ditiones & subditi infestis Suedorum armis ac hostilitatibus, convocatis undequaq; contra ipsum Suedicis copijs ita peteretur; ac urgeretur, ut*

cum ipsis ad pacta quædam premente necessitate fuerit adactus; undeq; hostilia quædam inter Serenissimum Poloniæ Regem & Serenissimum Brandeburgicum insecuta patrataque fuerint; tandem per singularem Dei gratiam clementiamq; interveniente & mutuam concordiam Serenissimo ac Potentissimo Principe Domino, Dño Leopoldo, Hungariæ Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæq; Rege, Archiduce Austriæ, Duce Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Karniolæq; per ipsius Consiliarium Cameræ Aulicæ, & ad hosce Tractatus Ablegatum Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Franciscum de Lisola, Dñum in Tyssen & Marienfeld, conciliante: tam Sacræ Regæ Majestatis, quàm suæ Serenitatis Electoralis Plenipotentarij, ex parte quidem suæ Regiæ Majestatis Poloniæ, Rerevend: Illustr: ex Excellentissimus Dominus Venceslaus Cones in Lesno Lesczynski Episcopus Varmiensis, & Dominu Vincentius Corvinus Gonsiewski Supremus Thesaurariu, & Campi Ductor Mag: Ducatûs Lithv: Vielisensis, Paneisis, Marcoviensis Gubernator, Oeconomiarum Olivensis & Graudentensis Administrator; ex parte verò Serenitatis Electoralis Illustr: & Excell: Dñi, Dñus Otho liber Baro à Suerin, Dominus in Landsberg, Oldeviq; hagen & Drevitz, hæreditarius Electoratûs Brandeburgensis Camerarius, Serenissimi Electoris Brandeburgensis consiliariu status intimus, & negotiorum feudalium director, nec non Serenissimæ Electricis Supremus Aulæ Præfectus, Capitaneu in Oranienburg, & Dñus Christophorus à Somnitz hæreditarius Camerarius in Ducatu Pomeraniæ ejusdem Serenitatis Electoralis consiliarius status intimus, cancellarius in Pomerania Ducali & capitaneus Neostenimensis necessarijs ad hoc instructi mandatis, perpetuam pacem concordiamatq; amicitiam, inter prædictum Serenissimum ac Potentissinum Regem, Magnumq; Litvaniæ Ducem ejusq; Successores &

Regnum Poloniæ, Magnumq; Ducatum Lithuaniæ; tum Serenissimum Electorem Brandeburgicum Prussiæ Ducem Ejusq; Successores his, quæ sequuntur, conditionibus pacti sint, instaurârint atq; concluserint.

Articulus 1mus.

Prædicta Pax, quemadmodum in perpetuum fida & sincera erit, ita hoc ipso momento omnis inter utramque Partem utriusq; partis copias, milites, subditosq; hostilitas cessabit, neutra Pars in alterius damnum quidquam tentabit, aut tentari patietur, sed alterius gloriam utilitatem & securitatem modis omnibus promovere studebit. Quicquid verò durantibus hisce bellis uni vel alteri parti tam in Regno Poloniæ, quàm in Prussia Ducali aut singulis eorum Incolis, ab una vel altera parte, damnorum injuriarum molestiarumve, sive per vim atq; expeditiones militares, sive per exactiones, ablationes aut alios modos illarum fuerint, illud omne, utpote perpetuâ oblivione sepultũ nunquam exsuscitabitur, nec eo nomine tam Sacra Regia Majestas, Regnumq; Poloniæ, aut Provincia aliqua eidem unita, aut subditorum quisquam, cujuscunque gradûs aut conditionis fuerit, quàm Serenitas Sua Electoralis eiusq; subditi milites & ministri poterunt se invicem, aut singulorum hæredes vel terras, ditiones, belli duces milites, subditos convenire, compellare aut quidquam ab ijs petere aut postulare, multominus vi extorquere, sed ista omnia utrinque abolita erunt, ac deinceps alter alterius commodum promovebit damna autem mutuò avertet, salvis nominibus & debitis Civilibus inter Regni, Magni Ducatûs Lithvaniæ, & hujus Ducatûs Incolas ante vel durante hoc bello, contractis, quibus solvendis vnusquisque teneatur, neque ijs qui præsidia Electoralia per hoc bellum habuerunt,

aut quovis modo cum Sereniſſimo Electore, aut Ejus Officiarijs in Regno Poloniæ contraxerunt, hoc omne reſpectu amicitiæ & interceſſionis Suæ Serenitatis Electoralis, à Sua Regia Majeſtate ipſis indulgebitur, & nulla in re ipſis contra priſtina jura reliquasq; libertates omnes, qualescunque ſint, abſq; ulla exceptione aut reſervatione quibus antea fruebantur, præjudicium erit.

Articulus 2dus

Qui hujus belli causâ à Polonis & Electoralibus capti fuerunt, ſine lytro & relicta ipſis ſuppellectile, quæ exſtabit priſtinæ libertati reddantur, ſi qui verò alterius partis ſigna ſecuti fuerint atq; militiæ ſe addixerint, iſti relinquantur parti, nec repoſcantur, bona immobilia & literaria documenta quœ ab utraq; parte ratione hujus diſſenſionis arreſtata, vel fiſco addicta fuerunt, legitimis eorum Dominis reſtituantur, non obſtantibus quibusvis donationibus à quocunq; vel quovis titulo factis.

Articulus 3tius.

Utraq; Pars in modernis hiſce bellorum tempeſtatibus ſedulò communi ſaluti & defenſioni intenta erit, contra quoſcunq; illius perturbatores, paciq; & mutuæ ſecuritati ſtabiliendæ, pellendisque è Regno Poloniæ, Magno Ducatu Lithuaniæ & Ducatu Pruſſiæ hoſtibus, unitis conſilijs, viribus ac conatibus incumbet; non obſtante quovis alio nexu ac conventione, quæ huic æquiſſimæ intentioni, & reciprocæ obligationi obſtare poſſe viderentur vigore autem hujus pacti pro reſciſſis habentur.

Articulus 4tus.

Sereniſſimus Elector omnia quæ per univerſum Poloniæ Regnum Magnumq; Ducatum Lithuaniæ & Epiſcopatum Varmienſem per hoc bellum aut per Tractatus Suecicos quocunq; titulo occupavit, ac ipſo facto poſſidet, ſtatim atq; hæc conventio à Sua Regia Majeſtate & Senatoribus ac præci-

præcipuis Regni Aulæq; Officialibus Eidem assistentibus ratihabita fuerit, restituet plenariè & absq; ulla reservatione. Evacuatio locorum fiat per Commissarios utriusq; Partis communi consilio juxta solitam belli rationem, àbsq; injuria & molestia ulla Incolarum & sine demolitione fortalitiorum novorum & antiquorum, nisi id ex communi partium consensu quibusdam in locis expedire videatur, & sine ablatione rei tormentariæ ad Episcopatum spectantis, quorum intuitu & aliorum præsertim infra specificatorum & alijs justis de causis, Ducatum Prussiæ ijs finibus circumscriptum, quibus Serenissimus Elector illum olim jure feudali ante hoc bellum exortum possidebat, ipse deinceps & descendentes ejusdem Masculi, ex toto ejus legitimè provenienti, indeq; descendentes omnes donec quisquam supererit ex descendentibus Masculis Suæ Serenitatis Electoralis, jure supremi Dominij cum summa atq; absoluta potestate sibi habebunt, possidebunt, regentq; absq; omnibus antehac præstitis oneribus.

Articulus 5tus.

Quanquam verò Serenissimus Elector, Ejusq; descendentes omnes Masculi omni prorsus vasallagij nexu, quo hactenus Regi & Reipublicæ Poloniæ obstricti fuerunt, ijsq; omnibus quæ inde dependent, liberentur, non tamen perpetua feudi alienatio inde sequitur; sed deficientibus Masculis ex præmemorata linea legitima Electorali descendentibus, Serenissimis Regibus & Reipublicæ Poloniæ jus suum integrum in præfatum Ducatum reservatur, & tali pacto præfatus Ducatus à Republica Poloniæ non avelletur, quæ tamen reservatio interim ante casum existentem juri supremi Dominij Serenitatis Suæ Electoralis, Ejusq; descendentium nullo modo præjudicabit.

Articulus 6tus.

Promittit etiam Sua Regia Majestas tam pro Se quàm

Successoribus Suis Se in casu non existentium descendentium specialem habituros rationem Agnatorum Serenitatis Suæ Electoralis, nimirum Domûs Culmbacensis & Onolsbacensis & Officia collaturos apud Regni Comitia, ut casu caducitatis existente, etiam illi alijs præferantur & ad successionem præfati Ducatûs admittantur, sub ijsdem feudi conditionibus & obligationibus, quibus hic Serenissimus Elector, Ejusq; Antecessores illum vigore Investituræ possederunt.

Articulus 7mus.

Sua Regia Maiestas atq; Respublica Poloniæ hoc ipso exsolvunt status, Officiales, omnesq; Prussiæ Ducalis subditos priori juramento, quo hactenus obstricti fuerunt: cuius loco Serenissimus Elector juramento se ac subditos omnes Prussiæ obstringet ad observantiam horum pactorum & fœderis perpetui in Termino extradendæ ratificationis: & præterea universi Prussiæ Ordines, Magistratus, Officiales, Arcium, portuum, fortalitiorum, Civitatum Præfecti jurârunt se, casu caducitatis existente Serenis: Regem ac Rempublicam Poloniæ pro solis & immediatis Dominis agnituros, idq; in singulis Ducum Prussiæ homagijs coram Deputatis Serenissimi Regis ac Reipublicæ Poloniæ repetent, juxta formulam juramenti specialem, quæ hîc sequitur, de die verò ad præfatum juramentum decernenda cum Sua Regia Majestate, vel Ejusdem Legatis conveniet.

Ego N: N, juro, quòd casu caducitatis existente, quo possessio plenumq; dominium Ducatûs Prussiæ, ad Suam Regiam Majest: Poloniæ & Remp: pertinebit, juxta tenorem tractatûs inter Suam Regiam Maiestatem & Serenitatem Suam Electoralem die Decimâ Nonâ Mensis Septembris Anno 1657. initi, Serenissimum Regem Poloniæ Ejusq; Successores & Rempublicam pro solis & legitimis ac immediatis

dominis

Dominis meis agnoscam Eisq; debitam fidem & obedientiam præstabo. sic me Deus adjuvet per Jesum Christum, A.

Articulus 8vus.

Deficientibus masculis descendentibus ex Linea Electorali præsenti, superstitibus fœminei sexûs Marchionissis descendentibus aut his non exstantibus, propinquo gradu agnationis Suam Serenitatem Electoralem Ejusq; posteros attingentibus, quisquis in Prussiæ Ducatu tum temporis succedet, summam persolvet, de qua inter Sacram Regiam Majestatem & Serenitatem Suam Electoralem conveniet, in ipsa ratificatione quæ ibidem exprimetur, donec autem exsoluta fuerit, occupare aut possidere dictis Marchionissis aut supradictis proximis hæredibus, licebit Præfecturam Insterburgensẽ cum omnibus eò spectantibus prædijs & Præfecturis Cameræ, quas vocant vulgo Kammer Ambter dictis, ijsq; omnibus omni meliori modo uti frui debebũt, hâc tamen lege, ut quidquid ex fructibus dictæ Præfecturæ percipient; illud in defalcationem & extenuationem præfatæ summæ capitalis imputetur, quâ persolutâ, tenebuntur illam Præfecturam cedere ultimis Prussiæ Possesoribus, nec ultra illam quid prætendent, Serenissimus Elector, Eiusque descendentes Masculi, Barones, Nobiles, Civitates, & Magistratus, ac subditos omnes Prussiæ cuiuscunq; gradûs & conditionis sint, in avitis receptisq; statutis juribus & libertatibus huic conventioni non derogantibus conservabunt, nec quidquam in contrarium attentabunt aut innovabunt, aut a quovis attentari aut innovari patientur, ipsis quoq; iustitiam iuxta jus Prussiæ usitatum, & receptum cœteraq; statuta & consvetudines administrari curabunt, si quis in inferioribus instantijs gravatum se prætenderit, ad supremũ Tribunal appellationum â Seren: Sua Elect: in Prus: Ducali erigendũ provocare poterit, ibidemq; decenti modo jus suum persequi, ulterior provocatio, siue ordinaria siue extraordinaria, aut quocunq; nomine

veniat nullum inueniat locum, Præſes autem & Aſſeſſores iſtius Appellationis, Iudicij à Serenitate Sua Electorali Ejusdemq; deſcendentibus Maſculis conſtituentur ex Pruſſiæ Ducalis indigenis & terrigenis, ijſque illi iuramentũ præſtabunt, nec ſubditi quærelas ſuas ad Regem Regnumq; Poloniæ ullo modo deferre poterunt, aut ab eis admitti ſimiliter Sua Regia Majeſtas ac Reſpublica Poloniæ promittunt, caſu deuolutionis exiſtente ſe præmemoratas Statutum Pruſſiæ libertates Priuilegia, Statuta, conſuetudines iuraq; recepta integra atq; ſalua, dictis Statibus deinceps ſemper conſeruaturas, illosq; in quieta & tranquilla poſſeſſione eorum omnium manutenturas, nihilq; in ijſ omnibus innovaturas: loco vaſallagij priſtini Sereniſ: Elector Ejusque deſcendentes perpetuo ac inviolabili fædere Sereniſſimo Regi ac Regno Poloniæ conjungentur, per quod utriusq; partis ſtabiliatur in perpetuum ſecuritas, in eum qui ſequitur modum. Sereniſſ: Elector Ejusq; deſcendentes fidam cum Sereniſſimorum Regibus Regnoq; Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ colent amicitiam & unionem: nunquam cum Sereniſſimorum Regum vel Regni hoſtibus aliquod fædus directè vel indirectè inibunt in præjudicium Regis & Reipublicæ, tranſitum hoſtibus per ditiones ſuas portus & propugnacula, annonam quoq; & commeatum ac qualecunq; ſubſidij genus ipſis denegabunt, nec portus ſuos ac munitiones ipſis quocunq; modo vel titulo in poſſeſſionem tradent, ſubſidia quæ in hoc præſenti bello Serenitas Sua Electoralis Sereniſſimo Regi ac Reipubl: Poloniæ conferre tenebitur, illa in Particulari Tractatu hac de re inito ſpecificè deſignata ſunt ac limitata, quæ conventio vigore præſentis pacti per omnia ſervanda erit: quoties autem finito hoc bello, novum aliud bellum contra Sereniſſimum Regem ac Rempublicam Poloniæ orietur, Sua Electoralis Serenitas Ejusq; deſcendentes tenebuntur 1500. pedi-

tes,

tes, & 1500. Equites Serenissimo Regi ac Regno Poloniæ subministrare, quibus, postquam ex Ducatu Prussiæ Ducalis educti fuerint; Rex Regnumq; Poloniæ sustentationem subministrabunt. Vicissim verò Serenissimus Rex Ejusq; Successores & Regnum Poloniæ ac Magnus Ducatus Lithvaniæ reciprocam cum Serenitate Sua Electorali Ejusq; Successoribus servabunt amicitiam, nullum hostibus ipsius aditum in Suæ Serenitatis Electoralis terras concedere, sed potiùs defensioni conservationi ac securitati Ducatus Prussiæ omnibus modis consulere debebunt, præsertim si huius conventionis vel subsidij missi causâ (de quo supra) Serenissimo Electori Ejusq; Successoribus quisquam & quicunque fuerit, sive in præsenti sive deinceps, bellum indicere aut Ducatui Prussiæ inferre voluerit, Serenissimus & Regnum Poloniæ adæquato ipsi subsidio subvenire tenebuntur copijs Regijs, per Prussiam Ducalem, quando opus fuerit, iter patebit: sine maleficio tamen noxa aut damno ullo incolarum, ordinabit quoque Serenissimns Elector Ejusq; descendentes, itinerum rationes, & quidquid inde pendet, idque ut eò rectiùs fieri possit, maturè adventum exercitûs Polonici aut turmarum, Serenissimo Electori aut Posteris Ejus, vel in absentia eorum, ijs, quibus gubernatio Ducatus commissa fuerit â Sua Regia Majestate vel Regni Generalibus vulgo Feldherren indicandus erit; ordinationi autem prædictæ exercitus Polonicus Ejusq; Duces parere necesse habebunt: pariter liberum erit Serenitati Suæ Electorali Ejusq; posteris Prussiæ Ducibus, eâdem ratione & cautelis supra memoratas per Poloniam & Prussiam Regalem, copias militares ducere navibus utriusq; partis proprijs; si liber cum omnimoda securitate præstanda aditus atque transitus per portus, qui sunt in alterutrius partis dominio, absque præjudicio commerciorum atque fortalitiorum & cum omnimoda eorumdem securitate, de qua

int er partes deinceps conveniet. libera quoque erit utriq; parti in alterius ditionibus, annonæ, commeatûs ac omnis subsidij bellici coëmptio, utraq; Pars in alterius partis terris militem conducere poterit; illam tamen nomine amicæ priùs compellabit, atq; desuper inter utramq; Partem de modo conveniet, prout fœderis atq; amicitiæ ac temporum ratio expostulabit, & hoc semper observabitur, ne ullum in partibus incommodum aut subditis damnum afferatur, exercitium Religionis Cathol: Romanæ, prout ante hoc bellum Sueticum, juxta antiqua & recentia pacta, in Prussia Ducali viguit, aut vigere debuit, conservabitur aut restituetur: libera erit eam profiteri volentibus, nec ullus unquam ex Ducalibus subditis jam eam profitentibus aut in posterum professuris, eam ob rem interpellabitur: sacella itidem & oratoria ac bona omnia Ecclesiastica ipsis appertinentia ubivis, tam in confinibus quàm alibi integra tuta & concessa illis erunt, ijdemque liberum ex doctrina institutisque Catholicæ Romanæ Religionis exercitium habebunt: eo nomine turbabitur perdeturve nemo, Religionis Catholicæ causâ ullam vim injuriam, contumeliam, molestiamve præferet, & quicunq; eos aliquâ injuriâ affecerit, severè punietur: ad munera & honores ijs, qui ex Catholicis idonei fuerint, liber erit aditus: quicunq; etiam in Ducatu Catholici Barones, Nobiles, Civitates, iura patronatus legitimis acquisiverint modis, in locis, ubi jura illa ipsis competunt, ijsdem uti ac frui, absq; impedimento ac contradictione poterunt. Si verò alij Compatroni non Romanæ Religioni addicti fuerint, interq; eos lis super ejus exercitio oriatur a Commissarijs a Serenitate Sua Electorali ex utraq; Religione pari numero constituendis componetur vel decidetur, juxta præscriptũ Iuris Canonici: templum quoq; Regio montanum cum suo Cæmiterio & locis ad id pertinentibus ac fundatione alij q;

juri-

juribus præceptis in eo statu, quo ante hoc bellum fuerunt aut esse debuerunt, conservabitur. Personæ Ecclesiasticæ ijs immunitatibus & foro in posterum gaudebunt, quibus hactenus gavisæ sunt, aut gaudere debuerunt, juxta Pacta priora. Iurisdictio Spiritualis Rndmi & Excel: Dñi Episcopi Varmiensis, juxta Pacta, intacta & integra conservabitur, in Parochum & omnes alias Ecclesiasticas Personas Catholicæ Religioni addictas, omnibus deniq; juribus, prærogativis ac libertatibus fruentur, quæ tam in antiquis quàm recentibus Pactis & fundationibus contenta sunt, quæ hîc in hac solùm materia denuo cõfirmantur, ac pro specificè expressis & declaratis habentur. Calendarium (novum) hactenus usitatum & receptum pariter retinebitur, similiter Serenis: REX Poloniæ & Respublica pro se & Successoribus Suis promittunt, quòd in casu devolutionis, nihil in præjudicium tam Augustano-lutheranæ, quàm Augustano reformatæ Religionis innovabunt aut attentabunt. Commercia inter Regni Poloniæ M. D. Lith: & Ducatûs Prussiæ Incolas libera erunt ac secura. Circa controversias verò quascunq; ratione commercij & omnium inde dependentium, vel eos spectantium aut quæ ad illud, quocunq; modo, referri possunt, commissio instituetur ad instantiam Partis poscentis, & omnia per Commissarios ex utraq; parte, ad instantiam sive Suæ Serenissimæ Electoralis Celsitudinis, pari numero intra spatium duorum mensium nominandos amicabiliter componentur. In dominijs verò utriusq; Partis, nulla novo theloneorum onera, tam terrestria, quàm maritima, quæ ante hoc bellum non fuerunt, in gravamen cujuslibet imponantur. Quodsi aliqua è re communi, de novo imponenda aut augenda videbuntur id Partium consensu fiat. Si super limitibus inter utramq; partem aut subditos utriusq; Partis, ratione videlicet limitum, aut etiam inter Suam Regiam

Maiestatem ac Successores Reges, Regnum Poloniæ ac M. D. Lithvaniæ, & Serenitatem Suam Electoralem Ejusq; Successores circa observationem ac executionem Fæderis, ac præsentis Conventionis, aliave quavis de Causa aliqua dubitatio aut controversia exoriatur, per Commissarios ad instantiam tam Suæ Regiæ Majestatis, quam Suæ Serenitatis Electoralis intra bimestre spatium, ob utraq; parte æquali numero nominandos, quiq; si opus sit in rem præsentem, venient, amicè componantur, ac definiatur depretio valore ac æstimatione monetæ, liberoq; ejusdem cursu per utriusq; ditiones, quoties opus fuerit amicabiliter conveniendum erit, ad intercessionem Serenissimi & Potentis: Vngariæ & Bohæmiæ Regis, per præmemoratum Dnum Ablegatum Suevo interpositam, nec non Serenissimo Electore Brandeburgico pro plenaria restitutione, & omnimoda securitate cognati Principis majorem in modum instante: Serenissimi Regis Poloniæ Plenipotentiarij perspectam, ac exploratam habentes Suæ Regiæ Majestatis, cum erga cœteros omnes ad obsequium redeuntes, tum specialiter erga Illustrissimum Principem Dnum Boguslaum Radziwil Ducem Bierzarum, Dobinkorum, Sluciæ & Copiliæ, Sac: Rom: Imperij Principem, non uno documento literario testatam benignitatem annuerunt & consenserunt, ut præfatus Princeps, tanquam js qui defacto cum debita submissione ad pristinam obedientiam una cum suis omnibus jam redierit, & omni cum hostibus Commercio renunciarit, atq; in posterum Serenissimo Regi ac Reipublicæ obsequium suum fidele volverit, non modò generàlis amnistia beneficio frui & gaudere possit, sed etiam speciali præsentis transactionis vigore in ducatuum suorum patrimonia, & omnia bona ac jure ipsi legitimè competentia, informa plenissima una cum suis restitutus, ac restituendus intelligatur, neq; ratione injuriarum, damnorum ac hostilitatum quæ

in hoc

in hoc bello, vel per ipsum, vel per ejus ministros, aut Milites acciderunt, per viam juris, aut facti quisquam negotium aut molestiam ipsi, aut partes ipsis sequentibus facessere possit: sed omnia fideli amnestia & præteritorum oblivione, hujus quoq; pacificationis vigore sepulta censeantur, salvis nominibus & debitis Civilibus, quæ nihilominus persolvenda erunt. Fœdus hoc & omnia in hoc Instrumento contenta sanctè seruatum iri utraq; Pars juramento promittet, & in præsenti quidem Serenis: REX Poloniæ, ac Senatores eidem assidentes hanc conuentionem solenniter ratihabebunt, ac iuramento firmabunt promittentq; in proximis comitiis, aut proximo Conuentu Comitiorum potestatem habente omnia quæ his conclusa sunt ratihabitum iri, similiter Serenitas Sua Electoralis illum pari modo ratificabit, ac iuramento firmabit, atq; hoc fœdus perpetuum, quotiescunq; nouus REX Poloniæ Electus fuerit, aut Dux Prussiæ in Ducatum Successerit, ab utraq; parte renovabitur confirmabiturq; iuramento de super præstito, per Deputatos in animam Principalium iurantes, & si pars alterutra huic conventioni, & fœderi contrauenerit, & decenter admonita satisfacere neglexerit, pars læsa monere tenebitur mediatores, ac Serenissimos Reges, & Status in Articulo sequente nominatos, & eorum curam adhibere procurando satisfactioni, & huic stabiliendæ concordiæ rationi, utraq; Pars sedulò insistet, ut omnia amicabili æquis modis componantur pro securitate, & horum Pactorum firmitudine fidem suam quoque ut interponant Serenissimi & Petentissimi Reges Hungariæ, & Bohœmiæ, Item Daniæ, Norvegiæq; deniq; Præpotentes fœderati Belgij ordines rogabuntur, ut iniuriam aut uim contra hanc conuentionem, Basso omni meliori modo consulatur, atq; debita ipsis satisfactio procuretur. Confecta autem sunt à supra nominatis Dominis Plenipotentiarijs

 huius

hujus pacificationis & fœderis duo eiusdem tenoris exemplaria, a Sua Regia Maiestate Poloniæ & Senatoribus Eidem assidentibus, atq; à Sua Serenissima Electorali Celsitudine Brandeburgensi intra sex septimanas ab infrascripto die, ratificanda & jurejurando firmanda, atq; utrinq; permutanda: quorum unum Suæ Regiæ Maiestatis Dñis Plenipotentiariis exhibitum, alterum verò Suæ Serenitatis Electoralis Dñis Plenipotentiariis traditum, utrumq; autem in majorem fidem majusq; robur à sæpedictis Dnis Plenipotentiariis utrius partis propriarum manuum subscriptione, sigillorumq; appositione munitum & roboratum est. Acta hæc sunt Welaviæ Prussorum die decimâ nonâ Mensis Septembris, Anno salutis humanæ 1657.

Venceslaus de Leszno, Episcopus Varmiensis, Sac: Reg: Majest: Poloniæ & *Sueciæ* Plenipotentiarius *mpp.* (L. S.)

Vincentius Corvinus Gonsiewski, *Supremus* Thesaurarius & Campi-Ductor Magni Ducatûs Lithvaniæ S. *R.* Majest. Poloniæ & Sueciæ Plenipotentiarius *m: pp.* (L. S.)

Franciscus de Lisola Serenissimi Ungariæ & Bohemiæ Regis Consiliarius & ad hosce Tractatus pro mediatione Ablegatus. *m. pp.* (L. S.)

Otto Liber Baro à Suerin, Plenipotentiarius Electoralis *m. pp.* (L. S.)

Laurentius Christophorus Somnitz Plenipotentiarius Electoralis *m, pp.* (L. S.)

Sequitur specialis Conventio inter Poloniæ Regem & Brandeburgi *Marchionem* de conjungendis armis ad expurgandam quibusvis hostibus Poloniam, Prussiasq; Regiam & Ducalem per eosdem Plenipotentiarios, iisdem loco anno & die tractata & conclusa.

QUandoquidem Deo clementer annuente, Serenissimus Elector Brandeburgensis ad sinceram pacem & ami-

& amicitiam cum Serenissimo Rege ac Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithv: à quibus violento bellorum ingruentium ac necessitatis inevitabilis impulsu, invitus avulsus erat, feliciter redierit, ac perpetuo fœdere ita Se Sereniss: Regi ac Regno Poloniæ & M. Ducatui Lit: cõjunxerit; vt mutuam vtilitatem, commodum ac securitatem sincerè procurare ac promovere teneantur. Ad quem scopum attingendum nil expeditius visum fuit; quàm vt communi ope, viribus ac consilio arma & studia conjungerentur, ad expurgãdum quibusuis hostibus Poloniam, & totam Prussiam Regiam & Ducalem periculo liberandum, ac removendum omnia obstacula, quæ communem vtriusq; Partis tranquillitatem impediunt, & optatam pacem eò citiùs ac efficaciùs consequendũ: circa quod specialis conuentio inter Partes, per eosdem Rndsmum, Jllstmos & Excellmos DD. vtriusq; Partis Plenipotẽtiarios in pacis Instrumento nominatos stabilita fuit, in eum qui sequitur modum: Serenissimus REX Regnumq; Polon: & M. D. Lithuan: durante hoc bello, requisito armorum ac militum præsidio Serenissimo Electori Brandeburgensi, Ejusq; Statibus ac Provincijs tam in Imperio, quàm hîc in Prussia contra præmemoratos hostes vel quoscunq; eorum confæderatos & adhærentes, quoties exiget, succurent: quibus Serenissimus Elector, quoties pro sua defensione in proprijs ipsius Provincijs militabunt, victum & subsistentiam, prout proprio suo militi suppeditabit. Similiter Serenissimus Elector Brandeburgensis pro communi Partium utilitate toto hoc bello durante, instructum cum omnibus pertinentijs & re tormentaria habebit exercitum, sex millium militum partim equitum partim peditum, quibuscum vel ipse, contra superdescriptũ hostem aget, aut cum Polonis conjunget, juxta rerum exigentiam, habito desuper communi consilio,

quibus etiamsi plures fuerint, similiter Serenissimus REX ac Respublica Poloniæ victum & subsistentiam quam diu pro ipsis & in ipsorum Territorijs sunt militaturi subministrare debebunt: nec Serenitas Sua Electoralis, pendente hoc bello quidquam ultra prædictum militum, numerum subministrare tenebitur, nisi sponte volet. si Sueci aut eorum asseclæ conjunctionis odio vel alio quovis colore intra decennium post hoc bellum finitum Serenissimum Electorem non solùm in Ducatu Prussiæ sed & in Imperio, armis suis infestare tentaverint, Serenissimus Rex Poloniæ & Respublica tenebuntur ipsis subvenire: & vicissim eodem casu Serenitas Sua Electoralis per totum illud decennium post confectam pacem tenebitur subsidium Serenissimo Regi ac Reip: ad ipsorum defensionem, ijsdem ut supra conditionibus, suppeditare. De quibus auxilijs sibi mutuò ferendis specialis fuit declaratio inter Suam Regiam Majest: & Serenitatem Suám Electoralem in ipsa ratihabitione. Liberum quoq; erit Serenissimo Electori amplecti fœdus inter Seren: Domum Austriacam & Serenis: Regem ac Rempub: Poloniæ initum, ac securitatibus omnibus in illo comprehensis frui. quando utriusq; Partis conjunctæ fuerint copiæ, expeditiones militares omnes communi consilio, & utriusq; Partis Generalium consensu suscipientur, si in Terris ad Serenit: Suam Electoralem spectan: aut alijs in locis Suæ Seren: Electoralis causâ tantum bellum geratur, belli directio ad Seren: Suam Electoralem spectabit. Serenitate Suâ Electorali verò absente, omnia fient communi consilio & si opus fuerit, de directione inter Principales conveniat, habito respectu ad discrimina Generalium. Similiter etiam quando copiæ Electorales pro Serenissimo Rege aut Republ: Poloniæ certabunt, idem juris statuetur, de cætero salva erit utriusq; Partis Generalis in milites suos jurisdictio & æqualis, & semper inter milites utriusq; Partis

labo-

laborũ, secundũ numerũ eorumdem proportionata distributio in quocunq; autem Territorio copiæ tam Regiæ quàm Electorales fuerint, ij quibus annonæ commeatusq; cura commissa fuerit, ex æquo utriusq; partis militibus, secundùm eorum numerum de sustentatione prospicient, neutra Pars poterit sine alterius scitu, consensu, ac præsentia Deputatorum pacem, induciasve cum hostibus pacisci, sua arma deponere antequam utriq; parti de securitate omnimoda prospiciatur, ad plenariam satisfactionem. Serenis: Elector Brandeburgensis in pace cum Serenissimo Magno Moschowiæ Care cum omnimoda sua securitate & observatione fœderis perpetui & conventionis cum Serenis: Rege ac Regno Poloniæ & Magno Duc. Lith. initæ. Cæterum, quum intuitu damnorum periculorumq; quæ pendente bello Serenitati Suæ Electorali subeunda erunt, alijsq; de causis, æquum visum fuerit, Suæ Regiæ Majest. & Reip. ut propensionem suam & Regni erga Serenitatem Suam Electoralem, Ejusq; inclytam Domum re ipsâ demonstrarent, & illorum omnium dignam haberent rationem, aliquam sibi congruam satisfactionem concedere. Et præterea Sua Serenitas Electoralis certam pecuniæ summam vel contributiones ad belli sumptus & necessarios militum delectus prætenderit, Rndsmus, Illmi & Excell: Dni Plenipotentiarij Suæ Serenitatis Electoralis desiderio plenè satisfacere summe optaverint, atq; non nulla quæ circa hoc punctum in mandatis habuerunt, declarârint, tamen quum ad complanandum hoc negotium penitus atq; sufficienter instructi non fuerint, res ista ad ulteriorem Suæ Regiæ Maiest: declarationem aut conventionem in ipsa ratihabitione faciendam remissa est, ita, ut nihilominus pax interea concludatur. Interea verò Serenitas Sua Electoralis declarat ac protestatur se ante prædictam declarationem seu ratihabitionem nullo modo velle obligari ad executionem eorum, quæ in articulo quarto Conventionis Prin-

cipalis de evacuatione locorum conventa sunt. Quæ omnia sanctè & inuiolatè obseruatum iri Pars utraq; sub fide sua & juramento promittit, prout exnunc Rūdmus Jllmi & Excellen: Dñi Plenipotentiarij nomine Serenissimorū Suorum Principalium defacto promittunt, seq; intra sex hebdomadas Serenissimi Regis ac Senatorum Eidem assidentium uti & Serenitatis Suæ Electoralis ratihabitionem, necnon etiam in proximis Regni Comitijs eorum omnium, quæ hîc acta & conclusa sunt, plenam confirmationem procuraturos. In quorum fidem hæc à sæpedictis Plenipotentiarijs propriarum manuum subscriptione, sigillorumq; oppositione munita roborataq; sunt. Welaviæ Prussorum, Die decimâ nonâ Mensis Septembris Anno salutis humanæ 1657.

Venceslaus de Leszno, Episcopus Varmiensis Sac: *R.* Majestatis Poloniæ & Sveciæ Plenipotentiarius *m. pp.* (L.S.)

Vincentius Corvinus Gonsiewski Supremus Thesaurarius & Campi-ductor M. D. Lith: Suæ Majest: Poloniæ & Sveciæ Plenipotentiarius *m.pp.* (L.S.)

Franciscus de Lisola, Serenissimi Vngariæ & Bohemiæ Regis Consiliarius & ad mediationem horum Tractatuum Ablegatus *m. pp.* (L.S.)

Otto Liber Baro à Suerin Plenipotentiarius Electoralis *m. pp.* (L. S.)

RATIFICATIO POLONICA Fæderis perpetui & specialis conventionis

Quâ a Poloniæ Rege Eiusq; Regni Ordinibus non solùm ea, quæ per Plenipotentiarios suos Welaviæ Prussorum cum Brandeburgicis Legatis conclusa fuêre, hîc repetita summario confirmantur, verùm & Prussiæ Duci Elbingã cum toto eiusdem districtu & Territorio pleno Dominii jure à se tradendam, promittitur & quâ in fædere atq; conventione ad ipsum Regem Ejusq; Ordines

remissa

remissa fuerant, ulteriùs declarantur, data Bidgostiæ in Poloniæ Maioris Satrapia Vladislaviensi Anno 1657, die sextâ Mensis 9bris.

Nos itaq; JOANNES CASIMIRUS Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, Rusiæ, Prusiæ, Masoviæ Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ Czerniechoviæq; necnon Suecorum Gotthorum Vandalorumq; REX Hæreditarius. Testamur præsentibus pro Nobis Successoribusq; Nostris Regibus & Regno Poloniæ ac Magno Ducatu Lithuaniæ, Nos universa & singula capita pactis supra scriptis comprehensa bonâ fide ex Senatusconsulto approbâsse, confirmâsse, & ratihabuisse, prout ea hisce nunc ex Senatusconsulto approbamus, confirmamus, & ratihabemus, promittentes verbo Regio, & sub fide præstiti tam à Nobis, quàm Consiliarijs Nostris, Officialibusq; lateri Nostro assidentibus, juramenti, Nos prædictis Pactis post hæc constanter inhæsuros, curaturosq;, ut omnia & singula pactorum capita, quæ a Nostra parte, ac Reipublicæ Poloniæ nomine promissa sunt, sanctè & religiose observentur, imò impedituros, ne à quopiam violentur, & quoniam nonnulla ad Nos in negotio conjunctionis armorū & alijs remissa sunt, atq; super ijs sequenti ratione inter Nos & Serenis: Principem Electorem supermemoratū conventū est, modo infrascripto, ea secundùm conventionem initam addimus, illaq; eandem vim atq; vigorem cum superioribus articulis ex Senatusconsulto habere volumus, atq; hisce tribuimus, pollicemurq; eadem fide jurata, in proximis Comitijs, omnia quæ superioribus articulis continentur & quæ hîc sequuntur, omnium Ordinum consensu confirmatum & ratihabitum iri. Igitur probè perpendentes, tum pericula, quæ Suæ Seren: Elect: Terrisq; ipsius per ipsam separationē à partibus Suedicis imminent, tum quanti intersit Nostrâ atq; Reipub: vicinum Nobis Principem justis devincere modis, tum inprimis quanta

quamq;

quamq; utilia Nobis Regnoq; Poloniæ, per effectivam & actualem armorum Nobiscum conjunctionem, præstare Sua Serenitas Electoralis deinceps possit officia, tam belli quàm pacis tempore. Ad demonstrandam præterea singularem prætensionem Nostram, Regniq; Nostri erga Suam Serenitatem Electoralem, Ejusq; Domum inclytam, Suæ Serenitati Electorali, Ejusdemq; posteris masculis ex legitimo thoro descendentibus, pariter ex Senatus Consulto, & consensu DD, Consiliariorum tam Spiritualium, quàm Sæcularium Regni Nostri: duas Præfecturas Luneburgensem & Bitoviensem cum omnibus & singulis eorum vasallis, fructibus, libertatibus, eminentijs, censibus, proventibus, juribus & pertinentijs universis tenendas, habendas, fruendas utendas, & possidendas in perpetuum, jure feudi, pro Nobis & Successoribus Nostris Regibus Poloniæ dedimus, concessimus, ac illum de eis ipsis arcibus & oppidis Bytau & Lunenburg investivimus, & tenore præsentium damus, & concedimus & investimus, Officiarios Nostros & Incolas quoscunq; ibidem juramentis & subjectionibus, quibus hactenus, Nobis & Reipubl: obstricti fuerant, hoc ipso exoluentes. Prætere de ampliori gratia & benevolentia Nostra Serenitatē Ejus, ac Illius Hæredes ab omni juramento, necnon tributis & exactionibus quibuscunq; Nobis & Posteris Nostris, ratione dictarum Arcium & Oppidorum præstan: dimittimus, & liberos facimus prout olim á Ducibus Pomeraniæ ædem Præfecturæ Bytau & Lunenburg tenebantur. Pollicemur prætera pro Nobis & Successoribus Nostris, dictum Serenis: Principem, ac Ejus Hæredes in prædictis Arcibus & earum pertinentijs, quantum in Nobis est defendere ac tueri. Tenebitur autem & obligatus esse debebit, præfatus Serenis: Elector Ejusq; Successores ad singulas Successorum Nostrorum Regum Poloniæ Coronationes, Consiliarios aut Officiales suos mittere, qui hoc ipsum Ius

feudale

feudale de præfatis Arcibus, & Oppidis ad Regnum pertinens recognoscent, & literas eius recognitionis & renovationis feudi, quæ grãtis illis debent dari, à novis Regibus accipient. Quod si aliqua legitima causa impedit, ut hoc officium & debitum in Coronationibus Successorum Nostrorum non fecerint, nihil ea negligentiæ illis detrimenti afferre debebit, dummodò alio brevi tempore post Coronationem id præstare cũraverint. Ubi uerò ipse Serenissimus Princeps Dñus Fridericus Wilhelmus Marchio & Elector Brandeburgicus, in Prussia Dux. &c. sine legitimis masculis feudi hæredibus, vel eorum legitimi Masculi feudi hæredes non relictâ prole virili decederent, stirpsq; & progenies eorum mascula & legitima deficeret, extunc prædictæ Arces & Oppida Bytau & Lunenburg cum omnibus suis Bonis Subditis, Vasallis fructibus, libertatibus juribus, eminentijs & pertinẽntijs universis., ac cum pleno jure & possessione, citra omnem difficultatem ad Nos, & Posteros Nostros Reges Poloniæ redibunt. Et siquidem ad præsens Præfecturæ istæ à Donatarijs Nostris possidentur, ideo usumfructuum ante hanc cessionem ipsis debitum, atq; quidquid juris in illis habuerunt unquam, aliâ ratione, dignisq; modis compensabimus, ita ut vacua omninò possessio, & plena fructuum perceptio Suam Serenitatem Electoralem ex hoc ipso tempore manere, neq; quisquam Ipsi ratione satisfactionis suæ negotium facessere debeat. Religionis Catholicæ exercitium in præfatis Præfecturis Lunenburg & Bytau, prout ad hanc usq; diem fuit liberum erit. Iurisdictio Episcopi Uladislaviensis in Templa Catholica Sacerdotesq; integra maneat, proventus videlicet, decimæ, census, & si qui sint alij, Parochis & Ecclesijs suis extradentur, & renuentes ad extradendum a Præfectis Ejusdem Serenitatis cogentur. Causæ tam Nobilium quàm & Plebejorum Matrimoniales ad forum Ecclesiasticum pertinebunt,

F2 Nobili-

Nobilitas juribus privilegijs bonisq; suis eodem modo, ac sub immediato dominio Nostro utebatur, utetur, fruetur q; sub Sua Serenitate Electorali. Decreta rerum judicatarum, prout sub immediato Dominio Nostro lata sunt inviolata maneant, gubernationis & appellationum ratio eadem erit, quæ fuit sub Ducibus Pomeraniæ, salvis Privilegijs. Iurapatronatûs Regia reservantur Ejus Serenitati Electorali, & Nobilibus, si quæ habent, juxta Privilegia & usum eorumdem, ita tamen, quòd juxta declarationem, circa hanc conventionem ab Eius Serenitate factam, ad Ecclesias Catholicas Parochiales præsentabit Eius Serenitas Electoralis, Sacerdotes Catholicos, ad commendationem Episcoporum Uladislaviensium, ab ijsdem Episcopis Uladislaviensibus instituendos, ita, ne Ecclesia duorum mensium spatio vacare possit. Propter eandem armorum conjunctionem, & supra memoratas alias rationes Suæ Serenitati Electorali, Civitatem Elbingensē, cum toto ejusdem Districtu & Territorio, pleno Dominij jure sibi habendam, possidendamq; unà cùm reditibus, qui inde ad Reges Regnumq; Poloniæ olim deferebantur, concedimus promittimusq;, quòd quàm primum ex potestate Suecorum erepta, aut recuperata fuerit, nemini, quàm Suæ Serenitati Electorali vacua Ejus possessio tradi debeat, citra ullas prætensiones, vel dilationes, præsidio Suæ Serenitatis muniendam, sine ullo sumptu Regis & Regni.

Quam quidem Civitatem Elbingensem eodem modo possidebit, tenebitq; & eâ fruetur Sua Serenitas Ejusq; Posteri, atq; à Nobis & Regno Poloniæ, ad hoc ultimum bellum Sueticum 1655. tenebatur & possidebatur, etiam quoad commercia, & jura aliarū Civitatum Nostrarum Pruthenicarum, nulla præterea telonea nova instituendo.

Commissio, quoties opus erit instituetur, ab utraq; Parte pari numero, Commissariorum, ut omnium interesse habentium

bentium

bentium, ac imprimis Civitatum Nostrarum Pruthenicarum habeatur ratio, ne illæ in suis commercijs omnibusq; inde dependentibus præjudicium patiantur, utq; gravamina ac prætensiones, quas inter se habere prætendunt, per Commissionem aboliantur, vocatis ad diem Commissionis Civitatum earumdem Pruthenicarum Deputatis.

Religionis Catholicæ & Augustanæ exercitium Elbingæ liberum sit, Statusq; ejusdem Religionis Catholicæ idem erit, prout ante hoc bellum fuit: Iurisdictio Episcopi, in Sacerdotes Catholicos prout ante integra maneat. Iuspatronatûs ejusdem Ecclesiæ Elbingensis Catholicæ ad Nos spectabit. Templum Catholicis ademptum restituetur, proventusq; & fundi omnes Ecclesiæ Catholicæ, quibus ante hoc ultimum bellum Sueticum utebatur, fruebaturq; reddentur: Catholicis præterea ad Magistratum accessus patebit.

De summa juxta articulum octavum Fæderis perpetui exolvenda conventũ est, quòd hæredibus in dicto articulo designatis & descriptis, in casu ibidem expresso, Summa Centum quinquaginta millium Talerorũ Imperialium solvi debeat. Quæ omnia cùm bene expressa ex Senatusconsulto peracta atq; conclusa sint, in eorum fidem & majus robur, hoc Instrumentum manu Nostrâ subscriptum, sigillo insuper Regni Nostri muniri jussimus. Actum Bidgostiæ die sextâ Mensis Novembris, anno Domini Millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo. Regnorum Nostrorum Poloniæ Nono. Sueciæ verò decimo Anno.

Concesſio summæ centum viginti millium Talerorum, & obligatio Capitaneatûs Drahimensis Serenisſimo Electori Brandeburg:

IONNNES CASIMIRUS *Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ. &c. Significamus præsentibus literis No-*

ris Nostris universis & singulis, praesentibus & futuris, praecipuè ijs, quorum interest. Quòd ad tractandum cum Serenissimo Principe Dño Friderico Guilhelmo Marchione Brandeburgico, S. R. Imperij Archicamerario, & Principe Electore Magdeburgensi in Prussia, Iuliae, Cliviae, Montium Stetini, Pomeraniae, Casubiorum, Vandalorumq; necnon in Silesia, Crosnae Carnoviaeq; Duce, Burgrabio Norinbergensi, &c. certos deputavimus Plenipotentiarios, illiq; cum Suae Serenitatis Electoralis Plenipotentiarijs congressi, post constituta pacificationis, & perpetui faederis, inter Nos, Regnũque Poloniae, ac Ejus Serenitatem Electoralem Pacta, praeterea in alios de conjunctione armorum articulos, quos Pactis perpetui faederis adjunctos hîc pro insertis haberi volumus, convenerunt, ac deniq; nonnullos ex ijsdem ad Nostrum mutuum congressum & colloquium distulerunt. Inter alia, quae ad Nos supradicti Plenipotentiarij utrinq; deputati rejecerunt, & remiserunt, illud quoq; Articulo tertio, de conjunctione armorum rejectum & remissum est, ut mutuo consensu determinaremus, cum Ejus Serenitate Electorali quantitatem & qualitatem copiarum, quibus intra decennium post hoc bellum finitum, alter alteri subuenire teneatur. Itaq; in hunc modum inter Nos conuenimus, uidelicet: quòd Nos seu Successores Nostri Reges & Regnum Poloniae, octo millia militum, hoc est quinq; millia Equitum, tria uerò millia peditum, Ejus Serenitati Electorali, seu Serenitatis Ejus Successoribus auxilij nomine submittere debebimus. Sereniss: uerò Elector, Nobis ac Successoribus Nostris & Regno Poloniae medietatem harũ copiarum, hoc est: duo millia Equitum, & duo millia peditum submittere debebit. Quod uerò attinet, summam pecuniae, quam à Nobis & Regno Ejus Serenitas Electoralis, ad belli sumptus, & necessarios militum delectus poposcit, quoniam id quoq; ad Nos, articulo sexto Tractatũ

de con-

de conjunctione armorum, rejectum & dilatum est, concessimus & concedimus Ejus Serenitati Electorali, ad sumptus belli & delectus militum, quos toto hoc bello sive citiùs sive tardiùs finiendo, faciet, summam centum viginti millium Talerorum, semel pro semper, intra tres annos, à data præsentium exolvendam, ita, ut quolibet anno per hoc triennium, quadraginta millia Talerorũ Imperialium, Nos & Respub: solvere teneatur. Majoris autem securitatis causâ, & in eventum non solutionis summæ præfatæ, centum viginti Talerorum, cum consilio DD. Consiliariorum Nostrorum, tam Spiritualium, quàm Sæcularium, & ex Senatusconsulto inscribimus & obligamus Arcem & Oppidum Drahim, vigoreq; præsentium in eundem Capitaneatum Drahimensem intromittimus Ejus Serenitatem Electoralem, cum omnibus ejusdem Præfecturæ Drahimensis Vasallis, subditis, fructibus, libertatibus, eminentijs, censibus proventibus, & pertinentijs universis ac singulis, nihil excipiendo, vel Nobis & Regno, aut Successoribus Nostris reservando, pleno Dominij jure, cum omnibus utilitatibus inde venientibus, tenenda, habenda, & possidenda, eousq; quoad prædicta centum viginti millium talerorum Imperialium summa, Suæ Serenitati Electorali, vel Ejusdem Posteris, realiter plenèq; exoluta fuerit. Et quidem tali ratione, ut post exitum triennij, à data præsentiũ, in casum non subsecutæ solutionis, supra memorata Sua Serenitas Electoralis vel Ejusdem Posteri, prædictam Præfecturam Drahimensem, cum omnibus ejusdem pertinentijs, supra expressis, propriâ authoritate, factâ tamen priùs solutionis requisitione, & denuntiatione, sine additione alicujus officij, in possessionem accipere, indeq; omnes fructus percipere, usq; ad plenariam inscriptæ summæ solutionem, jus, potestateq; habeat. In quem casum Nos Successoresq; Nostri, tenebimur & tenebuntur, Possesorẽ vel Tenutariũ, sive Donatarium præ

ctæ Præfecturæ, aliâ condignâ ratione compensare Suam Serenitatem, & Ejusdem Hæredes, circa hanc inscriptionem tueri, & contra quemcunq; euincere. Et hanc quidem conventionem hisce literis comprehensam, superioribus Pactis & articulis, generali ratificatione descriptis, addimus, eandemq; vim & vigorem cum illis ex Senatusconsulto habere volumus. Quodsi ob non persolutam præfatam summam intra decursum triennij, Ejus Serenitas Electoralis supradictam Præfecturam Drahimensem in possessionem suam acceperit, tunc Religionem Catholicam Romanam in eo statu, quo nunc est, in eadem Præfectura Drahimensi conservabit. IusPatronatûs autem ad beneficia Ecclesiastica, in eadem Drahimensi Præfectura sita, Nobis Successoribusq; Nostris Regibus Poloniæ reservamus. In cujus rei fidem præsentes manu Nostrâ subscriptas sigillo Regni communiri jussimus. Datū Bidgostiæ, die sextâ Mensis Novembris anno Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo septimo.

Cautio Juris in Ducalem Prussiam Jllustrissimo Principi Domino CHRISTIANO WILHELMO Marchioni Brandeburgensi.

IOANNES CASIMIRUS Rex &c. &c. *universis & singulis, præsentibus & futuris, hasce literas visuris, præcipuè quorum interest, significamus. Quòd posteaquam Ducalem Prussiam concessimus jure supremi dominij cum summa atq; absoluta potestate Serenissimo FRIDERICO GUILHELMO Marchioni Brandeburgico S.R. Imperij Archicamerario, & Principi Electori Magdeburgensi in Prussia, Iuliæ, Cliviæ, Montium* &c. &c. *Dño in Rauenstein Ejusq; descendentibus Masculis, ex thoro Ejus legitimè procreatis, nihil per hæc perpetui Fæderis Pacta, die deci-*

die decimâ 9nâ Septembris Velaviæ inita, & die sextâ Novembris eodem anno M.DC.LVII. a Nobis confirmata, derogare voluimus, nec derogatum quicquam esse hisce literis Nostris declaramus Iuri Feudali, quod in eandem Ducalem Prussiam Illustriss: Princeps Dñus Christianus Guilhelmus Marchio Brandeburgen: pro se legitimisq; suis Hæredibus Masculis, pactis, Anno Millesimo Sexcentesimo undecimo, cum Serenissimo gloriosissimæ recordationis Dño SIGISMUNDO III. Rege Poloniæ Sueciæ, Parente Nostro Colendissimo & Regno Poloniæ initis, legitimè acquisitum habet. Quod quidem jus ipsius inviolatum illi servatum iri, pro Nobis & Serenissimis Successoribus Nostris pollicemur. In quorum fidem presentes manu Nostrâ, subscriptas sigillo Regni communiri iussimus. Datum Bidgostiæ Die sextâ Mensis Novembris Anno Domini M.D.C.L.VII.

Exemptio Incolarum Ducalis Prussiæ á priori juramento.

IOANNES CASIMIRUS Hæredit: Rex &c. &c. Significamus quorum interest universis & singulis. Quòd omnes & singulos Ducalis Prussiæ Incolas, cuiuscunq; Statûs Dignitatis, præeminentiæ, conditionisq; fuerint, pro Nobis & Serenissimis Successoribus Nostris Regibus Poloniæ & Inclyto Regno Poloniæ, a præstitis siue Nobis, seu Antecessoribus Nostris, Regnoq; Poloniæ, super pace perpetua Anni 1525. tum & transactione Anni 1611. juramentis, homagiis, sponsionibus, cautionibusq; quibuscunq; sponte, liberè & de certa scientia absoluimus, dimisimus relaxauimus præsentiumq; uigore absoluimus, dimittimus, relaxamusq; ita tamen, ut ad obseruationem Pactorum, fæderisq; perpetui, cum Serenissimo Principe Domino Friderico Guilhelmo Marchione

Brandeburgico S. R: Imperij ArchiCamerario, & Principe Electore Magdeburg: Prussiæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium Stetini &c. &c. Dño in Rauenstein, per Commissarios, Plenipotentiarios vtriusq; Nostrûm Die decimâ nonâ 7bris anni præsentis Velauiæ initi & conclusi, ac à Nobis cum consensu Dominorum Consiliariorum Nostrorum, tam Spiritualium, quàm Sæcularium, & ex Senatûs-Consulto die sextâ 9bris, Anno præsenti Bidgostiæ additis certis articulis ratihabiti, Nostroq; & Senatorum ac Officialium lateri Nostro assidentium, iuramentis confirmati, pro Se Posteris Successoribusq; suis sese obstringant, & iurent, coram Commissarijs Nostris, eâ formâ juramenti quæ in præfatis Pactis fœderis perpetui præscripta est, iuxta quæ eadem Pacta Suæ Serenitati Electorali, ac Eiusdem Posteris Masculini Sexûs, eiusdem Feudi Hæredibus, quorum vllus eorum extiterit, omnem fidem obedientiamq; præstent, & si illorum nulli ampliùs extiterint, tunc demum Illustrissimo Dño Christiano Vilhelmo Marchioni Brandeburgico (si tunc supervixerit) ultimo ex tribus olim Fratribus simultaneè 1611 cum Serenissimo Principe Dño Ioanne Sigismundo Marchione Brandeburgen: &c &c. Duce in Prussia investitis, fidem obedientiamq; iuxta Priora Pacta præstabunt. In quorum fidem &c. &c. Datum Bidgostiæ Die 6. 9bris 1657.

Asecuratio Elbingæ Regno Poloniæ restituendæ post exolutionem Summæ.

FRIDERICVS GVILHELMVS Dei gratiâ Marchio Brandeburgen: S. R. Imperij Archicamerarius & Princeps Elector Magdeburgi, Prussiæ, Iuliæ, Cliuiæ Montium Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorumq; necnon in Silesiâ Crosnæ, Carnoviæq; Dux, Burgrabius Norimbergen: &c. Princeps Helberstadij & Mindæ, Comes Mariæ & Ravens-

Raûensbergi, Dñus in Rauenstein. Notum testatumq; facimus hisce Reuersalibus Nostris; quòd quanquam Sua Regia Maiestas, Poloniæ & Sueciæ, in ratificatione & declaratione Pactorum, inter Suam Regiam Majestatem & Rempublicam Poloniæ ac Nos Welaviæ die decimâ nonâ Septembris Anni præseritis initorum, & postea Bidgostiæ confirmatorũ & iuratorum, in satisffactionem pleno Iure Dominij Vrbem Elbingensem concesserit; Nos tamen intuitu, & ratione factæ Nobis remissionis quingentorũ equitũ de subsidio duorũ milliũ uigore supradictorum pactorum fæderis perpetui Reip: Poloniæ aliàs præstandorum, tum respectu declarationis, nomine Suæ Reg: Majest: & Reip: factæ, quòd muri, atq; fortificationes omnes dictæ Vrbis Elbingensis ante retraditionem per Nostros Præsidiarios destrui debeant, promisisse, & Nos Hæredesq; Nostro obstrinxisse, quemadmodum hisce promittimus & obstringis mus, quòd dictam Vrbem cum Territorio, solutis Nobis â Sua Regia Majestate & Regno Poloniæ, ex propria pecunia publica quadringentis millibus Talerorum Imperialium á Sua Majest: oblatis, iterum Suæ Reg. Maiestati, Eiusdemq; Successoribus & Regno in proprium usum, pro Se tantùm eam redimentibus cedere, & retradere tenebimur & Posteri Nostri tenebuntur. In cuius rei fidem hæc manu Nostrâ subscripsimus, & sigillo nostro Electorali firmari jussimus. Datæ Bidgostij Die Sextâ Mensis Nouembris Anno Domini Millesimo sexcentesimo Quinquagesimo Septimo.

H2



PACTA OLIVENSIA

Anno Domini 1660.

In Nomine Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis

NOtum sit Vniversis ac Singulis, quorum interest, aut quomodolibet interesse potest. Postquam á multis annis bella dissidiaq; inter Serenis: Reges Regnaq; Poloniæ & Sveciæ orta, & interdum inducijs, præcipuè verò sexennalibus, Anno 1629 deinde Viginti Sexennalibus Anno 1635. sopita, & composita fuerint, ac deniq; inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum D. IOANNEM CASIMIRVM Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ &c. &c. & Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum D. CAROLVM GVSTAVVM, Suecorum, Gottorum Vandalorumq; Regem, Magnum Principem Finlandiæ &c. &c deventum sit ad bellum, quod non solùm dictos Reges, Regnaq; eorum, per plures annos exercuit, sed & Poloniæ Fæderatos, ac belli Socios, videlicet Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum D. LEOPOLDVM Electum Romanorum Imperatorem, semper Augustum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ Regem, Archiducem Austriæ. &c. &c. Serenissimo Regi & Regno Poloniæ ad eiusdem requisitionem, auxilia ferentem, nec non Serenissimum Principem ac D. D. FRIDERICVM VILHELMVM Marchionem Brandeburgensem, Sacri Romani Imperij Archi Camerarium & Principem Elect: Magdeburgi, Prussiæ &c. &c. Ducem, involuit, unde multa Christiani sanguinis effusio, cum plurimarum Provinciarium desolatione, secuta est. tandem Divinâ bonitate factum, ut utrinq; de pace universali inter Regem Remq; publicam Polonam, & eius Confæderatos & belli Socios ab una, & Regem Regnumq; Sueciæ, ab altera parte suscepta sit cogitatio, operâ & studio Serenissimi & Potentissimi Principis ac D. D. LVDOVICI XIV. Galliarum & Navarræ Regis Christianissimi, qui huic Paci conciliandæ mediationem obtulit. & in ipso negotio Pacis. per Illustrissimum & Excellentissimum Dominum. Antonium de Lumbres, D. de Herbingen. Loôs, & la Cloije. Comitem Consistorianum. Regijq; Ordinis Equitem, Legatum suum, eandem mediationem Serenissimis Regibus Poloniæ, & Sueciæ, necnon Serenissimo Electore Brandeburgico. acceptantibus. præstitit. In eum ergo finem, ex mutua Partium conventione. constituta dies est 5 Ianuarij Anno 1660. congressui Plenipotentiariorum Olivæ instituendo, Comparentes igitur statuto tempore, ac loco omnium paciscentium legitimè constituti Legati Plenipotentiarij. á parte quidem Serenissimi Regis Reiq; publicæ Polonæ, Illustrissimi & Excellentissimi Domini. ex Ordine Senatorio quidem, D. Ioannes Comes á Leßno, Palatinus Posnaniensis, Regialis Maiestatis Supremus Aulæ Præfectus ac Mareschalcus, Generalis Maioris Poloniæ, Mariæburgensis, Corsunensis, Gubernator, D. Georgius Lubomirski Comes in Wisnicz & Iaroslaw, Supremus Regni & Campi Marschalcus Generalis Cracoviensis, Scepusiensis Chmielnicensis, Perestaviensis, Casimiriensis Olstinensis Gubernator. D. Nicolaus in Prazmow Prazmowski Supremus Regni Cancellarius, Nominatus Episcopus Luceoriensis, & Brestensis, Abbatiæ Sieciechoviensis Administrator perpetuus, Præpositus S. Michaelis Ecclesiæ Collegiatæ in Arce Cracoviensi, D. Christophorus Pac. Supremus Magni Ducatûs Lithuaniæ Cancellarius, Wilkouscensis, Ostrinensis. Kozienicensis. Kleszelensis, & Nemonecensis

Guberna-

Gubernator. Ex Ordine verò Equestri D. Ioannes Andreas de Reciborsko Morzstyn Referendarius Regni, Kowalensis & Zauichostensis Gubernator, D. Vladislaus de Nagłovice Rey, Thesaurarius Curiæ Regni; Reginalis Maiestatis Cancellarius, Neokorcinensis. Libusiensis Kamionacensis Gubernator. D. Ioannes in Gnin Gninskê Pomeraniæ Succamerarius, Gnesnensis Gubernator. & á parte Fœderatorum Poloniæ videlicet Serenissimi Imperatoris Romanorum, Illustrissimi & Excellentissimi Domini. D. Franciscus Carolus Libsteinski, S. R. I. Comes, á Kollowradt. Dñus in Reichenau. Sacræ Cæsareæ Regiæq; Hungariæ, & Bohemiæ Maiestatis Consiliarius. Camerarius Iudicij Maioris Prouincialis Assessor, Regius locum tenens, & Appellationum in Arce Pragensi Præses. D. Franciscus Liber Baro de Lisola á Thiese & Mariensfeld, Consiliarius Cameralis Aulicus, & Serenissimi Electoris Brandeburgici, Illustris. & Excellentis. Dñi D. Ioannes, ab Houerbecke, in Eichmedien, Baranowen, Geyerswalde. & Domkau, Dñus & Hæres, Suæ Serenitatis Consiliarius Status Intimus, Electoratusq; Dapifer Hæreditarius, Hohensteinensis Præfectus. D. Laurentius Christophorus á Somniz in Gromsdorff. Drenaw & Gerbero Dñus & Hæres Suæ Serenitatis Consiliarius Status intimus, & Orientalis Pomeraniæ Cancellarius, eiusdemq; Ducatus Camerarius Hæreditarius, Lauenbuergensis, Butouiensis Præfectus Dñus Albertus ab Oslaw in Nerwiken & Kegels Dñus & Hæres, Suæ Serenitatis in Supremo Ducalis Prussiæ Appellationum Iudicio Consiliarius. A parte verò Serenis. Regis Regniq; Sueciæ. Illustris. & Excellentis: Dñi, Dñus Magnus Gabriel de la Gardie, Comes in Leckoo & Arensburg, Liber Baro in Eckholmen, D. in Habsal. Magnus hoff & Hoyendorp, Regiæ Suæ Maiest: Regniq; Sueciæ Senator. & Thesaurarius, Generalis Gubernator Liuoniæ & locum tenens per Esthoniam, Liuoniam & Ingriam, Militiæ Generalis, Iudex Prouincialis Vestro Gothiæ Daliæ. & necnon Academiæ Vpsaliensis Cancellarius. D. Benedictus Oxenstierna Comes in Korsholm & Wasa Liber Baro in Moremby & Lindholmen Dominus in Coporium & Rosersberg, & Suæ Regiæ Maiest: Regniq; Sueciæ Senator & Cancellariæ Consiliarius, Dominus Christophorus Carolus Schlippenbach, Comes in Schouede, Liber Baro in Linsala, D. in Salinge S. R. M. Regniq; Sueciæ Senator. & Consilij Bellici Præses Et D. Andreas Guldenkau, D. & Hæres in Schonela. Ekeby. Hylinge & Hulterstad, Regiæ Suæ Maiestatis Consiliarius Status. & per Pomeraniam Regiam Regiminis ac Consilij Status ut & Supremæ Curiæ iustitiæ Præses. Post inuocatum Diuini Numinis auxilium, mutuasq; Plenipotentiarum Tabulas (quarum Apographa sub finem huius instrumenti de verbo ad verbum inserta sunt) ritè commutatas, Tractatus Pacis auspicatè inchoatus est. Et licèt in eius fere decursu, præmemoratus Serenis: Rex Sueciæ disponente ita Diuinâ Prouidẽtiâ. mortali hac vitâ decesserit, Tractatus tamen hic renouatus á Serenis. & Potentis. Principe ac D. D. Carolo, Svecorum, Gottorum Vandalorumq; Rege & Principe Hæreditario, Magno Principe Finlandiæ &c. &c. Plenipotentiarum tabulis (quæ ad calcem huius Tractatus quoq; inserũtur) feliciter cõtinuatus est, ac tandem ad Diuini Nominis gloriam & Christianæ Reipub. salutem. Partes omnes in mutuas Pacis & Amicitiæ leges consenserunt, & convenerunt, tenore sequenti.

I.

SIT PAX VNIVERSALIS ac perpetua, & vera sinceraq; amicitia

inter Serenis: & Potentis: Principem ac D. D. IOANNEM CASIMIRUM Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lith: &c. &c. Eiusq; Regiæ Maiestatis Successores ac Posteros Reges Poloniæ, Magnos Duces Lithuaniæ Regnumq; Poloniæ & Magnum Ducatum Lithuaniæ atq; subiectas illis Ditiones ac Prouincias, atq; eiusdem Maiestatis & Regni Poloniæ Cõfœderatos Imprimis Serenis: & Potentis: Principem ac D. D. LEOPOLDUM Electum Romanorum Imperatorem semper Augustum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Regem, Archiducem Austriæ &c. &c. Eiusq; Maiestatis Hæredes ac Successores Provincias ac Ditiones, intra vel extra Imperium Romanum sitas: & Serenis: Principem ac D. D. FRIDERICUM VILHELMUM Marchionem Brandeburgicum S. R. I. Principem Electorem & Archicamerarium Magdeburgi. Prussiæ &c. &c. Ducem, Eiusq; Serenitatis Hœredes ac Successores Prouincias ac Ditiones, in vel extra Imperium Romanum sitas, ab vna. Atq; Serenis: & Potentis: Principem ac D. D. CAROLUM. Suecorum, Gotthorum, & Vandalorum Regem. Magnum Principem Finlandiæ &c. &c. Ejusq; Maiestatis Successores ac Posteros Reges Suecorum, Regumq; Sueciæ, atq; subiectas illis intra vel extra Imperium Ditiones ac Provincias, ab altera Parte. Ita ut altera pars, alteri posthac, nihil hostilitatis, aut inimicitiæ clam aut palàm, directè. vel indirectè inferat, vel per suos. aut per alios inferri faciat, nec alterius hostibus auxilia quocunq; nomine præstet, nec cum alterius hostibus fœdera huic paci contraria ineat, nec quidquam in alterius status & securitatis diminutionem, per se vel per alios, moliatur aut tentent vel tentari faciat; sed utraq; pars alterius utilitatem, honorem, ac commodum promoveat, & fidam invicem vicinitatem, pacem & amicitiam seriò colat ac servet. Pacta verò & Fœdera omnia, quæ Partes paciscentes inter se. vel cum alijs Principibus ac Statibus, utrinq; sancita habent, quoad omnia sua puncta clausulas & Articulos integra. & in pleno robore suo permaneant. Ita tamen, vt per ea præsens transactio Pacis nullum præiudicium patiatur.

II.

I. § Sit vtrinq; perpetua oblivio & amnestia eorum omnium, quæ quocunq; modo locoq; ác quacunq; Paciscentium parte hactenus hostiliter facta sunt, ita, vt nec eorum, nec vllius alterius rei causâ vel prætextu. vlla Pars alteri posthac quidquam hostilitatis. aut inimicitiæ specie Iuris, aut viâ facti inferat aut per suos aliosve inferri faciat. II. §. Hâc generali amnestiâ gaudeant omnes & singuli cuiuscunq; Status Conditionis, & Religionis fuerint, vt & omnes communitates, quæ ab utrinq; Partes hostiles secutæ sunt aut in hostilem possessionem devenerunt, nec vllis, hoc bellum præiudicio & noxæ sit suis iuribus, Privilegijs, ac Consuetudinibus generalibus & specialibus. tam in Ecclesiasticis, quàm in Civilibus profanisq; quibus ante hoc bellum gavisi sunt, sed ijs in totum, fruantur secundùm leges Regni nec vllis communitatibus, aut Privatis, actio ratione adhæsionis hosti intentabitur, ita ut nemini liceat alicui negotium facessere ratione adhæsionis vllius hostilis aut eam exprobrare. III. §. Civitatibus Prussiæ Regalis, quæ in possessione Suæ Regiæ Maiestatis Regniq; Sueciæ hoc bello fuerunt, manebunt, itidem omnia Iura. Libertates, & Privilegia, quibus sive in Ecclesiasticis, sive in profanis potitæ sunt ante hoc bellum. (saluo libero, uti ante bellum viguit in prædictis Civitatibus Catholicæ & Euangelicæ Religionis exercitio earumq; Territaria Ma-

toria, Magistratus, Communitates, Cives, Incolas, & Subditos, S R. M. Poloniæ eâdem quâ olim clementiâ & gratiâ Regiâ in posterum prosequetur, fovebit, & tuebitur. Dabitur ijsdem quoq; facultas ædificia publica & privata, per iniuriam belli destructa reficere & reædificare, pro his verò quæ necessitate defensionis destructa sunt, minimè tenebuntur. Quoad ea verò quæ militiæ Sueticæ Tributi loco ab utriusq; Insulæ subditis exolvere necesse fuit, à nemine, molestia inferetur. Sicut & propter decimas, aliosue census, quibus Subditi Insulani satisfacere tempore belli minimè potuerunt, non turbabuntur IV. § Cunctæ Actiones & Inquisitiones adversus illos, qui partibus hostilibus hoc bello adhæserunt, vel easdem secuti esse insimulantur, quibuscunq; in locis Poloniæ, M: D. L. Prussiæ Regalis Curlandiæq; habitent, cuiuscunq; Status & conditionis, aut Religionis sint, sive privati vixerint, siue officio publico functi aut servitijs S. R M. Sveciæ in Toga vel Sago adstricti fuerint, institutæ, necdum finitæ, & ad executionem deductæ abrogentur, omniq; executione careant, in perpetuum. Et in posterum contra eos nulla unquam Quæstio vel Actio ex hac causa instituetur. V § Quæ durante hoc ultimo bello iure Fisci ex occasione ac prætextu adhæsionis aut protectionis alterius partis, cuiquam sive Nobili, siue plebeio, cuiuscunq; Status Conditionis ac Religionis adempta vel Fisco illata, vel alijs collata sunt bona sive Regia ac Reipub. siue etiam Privatorum sint, mobilia quidem si tradita sunt, modernis Possessoribus relinquantur, si verò eiusmodi iura caduca hactenus in executionem deducta non sunt, antiquis Possessoribus relinquantur. neq; ulla Actio dehinc adversus Communitates, aut privatos, ratione eiusmodi bonorum intentetur. Bona verò Immobilia hæreditaria, advitalitia, & iure Hypothecæ possessa Fisco applicata, tum quorum donationes & largitiones factæ sunt siue iam ante tradita, sive nondum tradita sunt, maneant penes antiquos Dños, cessantibus de cætero omnibus actionibus ratione redituum, sive ex publicis, siue ex privatis bonis perceptorum.

III.

I. § SErenissimus ac Potentissimus Princeps ac Dominus Dñus IOANNES CASIMIRVS, Rex Polon: pro Se ac Hæredibus Posterisq; Suis amore Pacis vigore huius instrumẽti Pacis solenniter, exnunc & in perpetuũ renunciat omnibus prætensionibus in Regnum Sueciæ, & Magnum Principatum Finlandiæ, & alias ipsis subiectas Provincias, Regiones, Ditiones, Civitates, Castra & Munimenta, sive hæc omnia nuper, siue ab antiquo acquisita sint, necnon in Bona Auita in Regno Sueciæ dictisq; Provincijs sita, in Regnum Sueciæ, dictasq; Provincias & bona, præsentibus vel futuris temporibus, nihil quidquam prætensurus. Quoad Titulos vel insignia ita conventum est, quod Serenis. Rex Poloniæ, prout hactenus, ita in posterum ad dies vitæ suæ, utetur integris Titulis & Sigillis, Insignibusq; Regni Sueciæ in Polonia, & ad omnes Principes, Status & Priuatos extra Sueciam sine ullo tamen plenariæ supradictæ renuntiationis præiudicio. Dictis verò Titulis & Insignibus non utetur ad Serenissimos Reges, Regnumq; Sueciæ in literis alijsq; Diplomatibus, aut scriptis, sed obseruabitur ab utrinq; receptus hactenus modus abbreuiandorum Titulorum cum Etcœterationibus, ita ut post verba Magnus Dux Lithuaniæ, tres Etcæterationes in Titulo Serenis. moderni Regis Poloniæ, vicissim post verba Magnus Princeps Finlandiæ, tres Etcœterationes, in

Titu-

titulo Sereniss Regis Sueciæ adjiciantur. Insignibus tamen Regni Sueciæ in Sigillis Regis & Reipub: Polonæ, dum in Sueciam scribetur, penitus omissis; Post veró, Moderni Serenis: Regis Poloniæ, Successores eius & Respub: Polona, in Titulos & Insignia Sveciæ nihil unquam prætendent, utrinq; Reges. & Regna, suis quisq; titulis, & Insignibus tantùm plenariè gaudebunt & utentur.

IV.

I. §. Serenissimus Rex & Status Ordinesq; Regni Poloniæ, Magniq; Ducatûs Lithuaniæ, à modo & in perpetuum cedunt vi huius Pacificationis, Serenissimo Regi Sueciæ, Eiusq; Successoribus Regibus, Regnoq; Sueciæ omnem illam Livoniam trans Dunanam, quam Suecia hactenus per tempus induciarum tenuit & possedit, ut & partes cis Dunam omnes, & Insulam Runen in mari sitam, quas per idem tempus Induciarum Suecia tenuit & possedit, nec non quicquid Iuris Regibus & Reipub: Polonæ in Esthoniam & Osoliam, hactenus ullo modo competere potuerat. Atq; hæc quidem omnia & singula cum omnibus suis pertinentijs terrestribus & maritimis, Vrbibus, Arcibus, propugnaculis, bonis & proventibus, necnon Iuribus, Iurisdictionibus Regalibus, & superioribus, tam in Ecclesiasticis, quam in Politicis nullis penitus exceptis, in plenum Dominium, & proprietatem Regum Regniq; Sueciæ transferunt, Ordinesq; & Subditos in illa Livonia, Eiusq; recensitis partibus, omnia erga Regem, & Rempubl: Polonam obedientiæ vincula, & fidelitatis sacramento exsoluunt, nihil unquam in eos, ac dictam Livoniam, Eiusq; pertinentias, posthac prætensuri cis Dunam autem Serenissimi Reges, Regnumq; Sueciæ, non ulteriùs quàm hactenus fines suæ possessionis in Curlandia, aut Semigallia, promoveant, aut servitutes á Subditis Illustrissimi in Curlandiæ Ducis exigant, aut ullum Ius ligandi aliudvè quodvis in Curlandia, aut Semigallia prætendant. Commissarij verò ad declarandos & determinandos ab utraq; parte fines, ub utrinq; deputabuntur, & Commissio hæc intra quatuor Septimanas à subscripto Tractatu inchoetur, & intra duas expediatur. II. §. Quod Religionem Catholicam Ejusq; exercitium in Livonia Sueciæ possesionis attinet, omnes Incolæ Livoniæ, Subditiq; illi Religioni addicti, omni securitate gaudeant, ac conscientiâ liberâ, Religione devotioneq; suâ domi sine inquisitione, vel animadversione privatim utantur. III. §. Provinciales Tituli tam Spirituales quàm Sæculares, Senatorij & Equestris, Ordinis in Livonia Suetica, penes Possessores modernos maneant, durante ipsorum vitâ, sine ullis proventibus, alijsvè prætensionibus. Nec ullum exinde præiudicium Iuris S. R. Maiest: Regniq; Sueciæ in Livoniam Sveticam neq; prætensio quæpiam Regno Poloniæ Magnoq; Ducatui Lithvaniæ interea temporis, & in futurum inde enascetur. IV. §. Iudicia omnia decretaq; ad cuiusvis instantiam, modò non invitos, aut absentes lata, necnon Contractus & transactiones in locis, dum illa hoc bello Svetia tenuit; instituta iudicialiter, sive extra iudicialiter, si modo statui publico, qui ante hoc bellum fuit, & pacificationi præsenti non contrariantur, firma maneant, æquè ac si nulla Regiminis, & Magistratuum, mutatio intervenisset, salvis appellationibus, & revisionibus in ijs, in quibus hæc Iuris remedia hactenus haud fuerunt adhibita; & quæ in rem iudicatam non transierunt. Sententiæ quoq; & decreta, si quæ Regiæ in Incolas, & subiectos Magni Ducatûs Lithvaniæ, tum & Curlandiæ Semigalliæq; in invitos, vel in auditos; Et ex adverso, si similia per Magistratus Magni Ducatûs Lithvaniæ, & Curlandiæ, in Liviniæ Sveticæ subditos, cir-

ditos. circa tempus belli lata fuerint, nullum valorem & robur obtinebunt
in pepetuum.

V.

§. I. PArs Livoniæ eaq; Australis, quæ ante hæc & per hæc
bella, & temporibus induciarum, sub ditione fuit Regni Poloniæ,
& Magni Ducatûs Lithvaniæ, nempe Duneburgum, Rositin, Lutzen, Marien-
hausen &c. itemq; reliqua omnia loca, quæ per Commissarios ad id utrinq;
deputandos fuisse per tempus induciarum Polonicæ possessiones invenientur, cum
omnibus suis pertinentijs, Territorijsq; Vrbibus, Pagis, fructibus & proventibus,
Teloneisq; Iuribus, directoq; & utili Dominio, remanent in possessione Serenis-
simorum Regum & Regni Poloniæ M. D. Lith: nec Serenissimi Reges Regnumq;
Sueciæ in istam Partem Livoniæ, ut ab altera diversam, neq; in Ducatus Cur-
landiæ, Semigalliæq;, & Districtum Piltensem, vel respectu Livoniæ Septem-
trionalis, vel quovis alio prætextu, ullum unquam ius prætendent, aut præten-
dere poterunt. Cùm verò Magnus Dux Moschoviæ non modò dictam Livoniam
Polonicam, sed etiam partem, Sueciæ occupatas armis nunc teneat; ideo con-
ventum est, ut si Respub: Polona aliquid ex Livonia Suetica, quocunq; tempo-
à Moschis, armis, tractatibus, aut aliter receperit, teneatur totum id Sueciæ ultrò &
gratuitò non imputatis belli expensis restituere. eodem modo & uicissim si Regū Sue-
ciæ aliquid ex Liuonia Polonica quocūq; tēpore á Moschis, armis, Tractibus aut aliter re-
ceperit, teneatur totū id Poloniæ & M. D. L. ultro & gratuitò non imputatis belli expē-
sis restituere. II. §. Titulis & insignibus Livoniæ tam S. R. M. Poloniæ, Eiusq; Succes-
sores, Reges Poloniæ, Magniq; D: L. ratione Australis Livoniæ, quam S: R. M. Sueciæ
Eiusq; Successores Reges Suetiæ ratione Livoniæ Septemtrionalis promiscuè utētur sub titu-
lo Ducatûs, III. § Si quas posthac controversias de limitibus, aut de rebus aliis, inter
Regnū Poloniæ, Megnū Ducatū Lithaniæ, Livonā Polonicā Curlandiāq; & Semigalliā,
ab una parte, & Regnū Sueciæ, Eiq; subiectas Provincias imprimisq; Livoniā Suecīā ab
altera incidere, & suboriri contigerit, eæ per Deputatos utrinq; Commissarios,
ad fines Livoniæ amicabili ratione complanentur. Si quæ verò lites minores e-
xortæ fuerint, inter subditos & accolas utriusq; partis, nec transigi de ijs amica-
biliter inter litigantes possit, quælibet pars ad suum competens forum remittatur
& iustitia indilatè administretur. IV. § Subditi hoc ultimo bello, & in fu-
turum fugitivi, Magni Ducatûs Lithuaniæ, Samogitiæ, Livoniæ, Poloniæ; &
Curlandiæ Semigalliæq; quicunq; in Livonia Suetica reperti fuerint suis Dominis
sine ullo processu Iuris, reddentur; unà cum suis mobilibus quæ inveniri pote-
runt, quæ profugus secum tulit, nec sub novo Domino acquisivit. Quod etiam
uiceversâ observabitur, si qui Subditi fugitiui Liuoniæ Sueticæ in Magno Ducatu
Lithuaniæ Liuonia Polonica, & Curlandia, Semigalliaq; reperti fuerint. Si qui
etiam adducti sunt. & adhuc supersunt, reddantur & illi sine processu iudi-
ciario, suis quisq; Dominis. V. § Quo fauorem commercijs & navigationi
S. R. M. Poloniæ contestetur, signa Nautica in Domesnes & Luserorht extru-
cta consistere permittit. De ratione verò conservationis & manutentionis corun-
dem conuenietur, á Svecis, cum fundi Dominis; nullo inde iure aut prætensione
Regni Succiæ in fundos dictos, aut Territorium Piltense enascente aut enascituro.

VI.

JLlustrissimus in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ Dux, cum Se-
renissima Coniuge Proleq; sua Ducali, ac tota Familia & Aula, absq; ulla

protractione intra sex septimanarum spatium á die quinta Aprilis styli noui Rigam sistetur, inde verò intra dies quatuordecem, decenti, & suæ dignitati accommodato conuenientiq́ modo, vbi modernus Tractatus subscriptus fuerit; ad fines Semigalliæ deducetur, omniaq́ sua suorumq́ mobilia non distracta ubicunq́ intercepta, vel Rigæ deposita Literatoria, similiter siue publica siue priuatorũ documenta, bonâ fide extradentur, & Mithauiam reportabuntur, ante eliberationem autem suam, restitutionem plenariam, peculiari Reuersalium Diplomate caveat de non offendendo aut uindicando aliquid contra Sacram Regiam Maiestatem Regnumq́ Sueciæ in futurum, saluâ fidelitate & obligatione Regibus, Regnoq́ Poloniæ, & Magno Duc: Lith: debitâ.

VII.

I. § SErenissimus Rex Regnumq́ Sveciæ restituit Serenissimo Regi Reipublicæq́ Poloniæ Marisburgum, Elbingamq́ cum suis Fortalitijs, reliquaq́ in Prussia loca, quæ Sueticis præsidijs tenentur. Ac Mariæburgum quidem unà cum Arce ac Fortalitijs suis, ut & Stuma, intra octiduum à subscriptione moderni Tractatûs, & depositâ in manus Excellentissimi Domini Mediatoris, Serenissimi Regis Poloniæ Provisionali horum Pactorum ratificatione euacuabitur, & præsidium Sueticum inde Elbingam deducetur: Elbinga autem cum suis Fortalitijs, ubi tractatus modernus plenariâ Serenis: Regis Poloniæ Ratificatione confirmatus, & per Reipub: Comitiali authoritate Delegatos, pro futuro Conuentu ratificatus fuerit, quadriduò post ipsam Ratificationum commutationem sine contradictione euacuabitur, & in manus Serenis: Regis Poloniæ Eiusq́ Commissariorum tradetur. Bauskum etiam uti & reliqua, si quæ sint in Suecorũ potestate loca in Curlandia, præsidiis Sueticis euacuabnatur intra octiduum, postquam notitia ad Generalem Exercituum in Livonia vel in absentia Eius ad Eius locum tenentem, peruenerit de subscripto Tractatu, quæ notitia per tubicines utriusq́ partis coniunctim Rigam deferetur. II. § Deductio militiæ Sueticæ, unà cum bellicis tormentis maioribus & minoribus iuxta factam hîc conuentionem, necnon cum impedimentis fiet Elbinga diuersis uicibus, intra tamen definitum tempus permutationis Ratificationum & euacuationis Elbingæ, dato eidem libero & innoxio transitu per Habum ad portum Pillaviensem, & inde ad naues proprias, quas milites conscensuri, & ad ditiones Sueticas ituri sunt, imponetur autem dicta militia circa deductionem nauibus Elbinganis, & si illæ non sufficiant, tum nauibus adiacentium Territoriorum aliorum sine aliquo pretio. Communicabit etiam Præfectus militiæ Sueticæ & conueniet cum Præfecto militiæ Electoralis aut Eius locum tenente de modo transitûs per dictum portum Pillauiensem. Et fiat de cætero eiusmodi deductio sine damno & & noxa subditorum in Prussia, tam Polonicorum quàm Electoralium. Quodsi per periculum belli maritimo itineri sese militia committere tutò nequeat, liber illi & innoxius transitus per terram, quam brevissimo itinere, in Ditiones iuris Suetici proximas, sine damno Incolarum Reipub: Polonæ, & Serenissimo Electori Brandeburgico subiectorum, deducentibus Commissarijs Serenissimorum Regis Poloniæ, & Electoris Brandeburgici, concedi debet. Iustitia uerò per Præfectos indilatè bonâ fide administretur damna & injuriam passis. III. § Si cui aut quibus in Civitatibus Prussiæ euacuandis earumq́ Territorijs non placuerit manere, sed mutato domicilio aliò sese conferre, ijs liberum sit in spatio trium abhinc annorum bona sua diuendere, alijs elocare, aut pro suo libitu distrahere, sine ullo

impedimen-

impedimento aut onere sub quocunq; prætextu imponendo, saluis antiquis Ciuitatum iuribus & priuilegijs.

VIII

Quidquid in Polonia & Magno Ducatu Lithuaniæ Provincjisq; annexis, in ijsq; Curlandia, per hoc bellum Serenissimo Regi Regnoq; Sueciæ Eorumq; Ducibus ac Legatis, vel à Priuatis vel à Communitatibus. Exercitibus & Prouincijs, per necessitatem belli vel aliter datum est, quocunq; titulo Diplomatum, Obligationum, & Literarum, Instrumentorum & Actorum publicorum. ea omnia autographa. quæ supersunt Sereniss: Regi & Reipub: Polonæ, Duciq; Curlandiæ, circa Ratificationum commutationem bonâ fide extradentur. Quodsi naufragio absorpta sint, vel alio modo perierint, omnia eiusmodi scripta Actaq; priuata & publica ex nunc cassatur. annihilãtur. & eliminãtur, nihilq; exinde Reges Regnumq; Sueciæ in prouincias, Exercitus, Districtus, vel privatos in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniæ, & Provincias illis annexas vel subiectas, in specie etiam Curlandia, & Districtu Piltensi. iuris prætendere velle aut posse omni meliori modo declaratur.

IX

REstituentur quoq; á Parte Svecorum, omnia Archiua, Acta publica, Castrensia, Iuridica, Ecclesiastica, necnon Bibliotheca Regia. quæ ex Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithuaniæ auecta, & quorum copia haberi potest: idq; intra tempus commutationis Ratificationum, vel ad summum intra tres Menses à facta commutatione.

X.

OBligationes, atq; recognitiones, si quæ sunt ab Illustrissimo Curlandiæ & Semigalliæ Duce. aut Incolis Curlandiæ & Semigalliæ. Districtûsq; Piltensis exortæ per Suecos, aut vice uersâ á Suecis per Polonos, in totum cassantur, nullumq; habere pondus declarantur.

XI.

DEbita inter utriusq; Partis Subditos & Incolas, tum etiam à Ducibus & Officiarijs belli ubicunq; contracta, utrinq; bonâ fide soluentur. Si quæ uerò hoc bello ultimo Obligationes & Recognitiones exortæ ab utrinq; sint, in totum cassantur. nullumq; pondus habere declarantur.

XII.

DEposita aliaq; bona mobilia ubicunq; reperiuntur, & Fisco nondum adiudicata, bonâ fide proprijs Dominis restituantur: Nemo autem tenebitur ad eorum refusionem, quæ Fisco adiudicata & extradita sunt. præstandam.

XIII.

TOrmenta bellica maiora minoraq; in Polonia, Magno Ducatu Lith: Prussia, Curlandia, cæterisq; annexis Prouincijs, á Suecis capta siue sint Reipub: siue Priuatorum. siue Ciuitatum, quæcunq; in locis euacuandis reperientur, exactè relinquentur. Quæ uerò ex Suecia inuecta sunt in Poloniam, Lithuaniam Prussiam, Curlandiam, liberum erit Sueciæ, sine ulla prætensione secum auferre. Transactioni quoq; deditionis Thorunij. quod adhuc restat, hac in re satisfiet.

XIV

I §. Quicunq; hoc bello ab utrinq; inter Polonos, Lithuanos, & Suecos in quocunq; loco capti sunt, cuiuscunq; conditionis ac Statûs, liberi & sine ullo soluto pretio, nisi aliter ante hunc Tractatum ab ipsis conuentum fuerit, dimittentur, pristinæq; libertati restituentur, solutis tamen impensis Officiariorum, in uictum eorum factis, & debitis, in captiuitate ab eis contractis. Cæterùm captiuis quoq; annumerandi, & ab utraq; Parte restituendi sunt, qui inuiti militiæ alterius partis nomina dederunt, Omnes uerò supradicti, qui quidem in Polonia, Magno Ducatu Lithuaniæ, Prussia Regali, utraq; Liuonia aut Curlandia detinentur, intra tres septimanas á subscripto moderno Tractatu. illi autem, qui extra Poloniam, Lithuaniam, Liueniam, & Curlandiam detinentur, intra tres Menses libertati restituantur. Quod autem de lytri conuenti solutione hic supra dictum est, tantùm locum habebit in Maioribus Officiarijs, utpote Generalibus, Tribunis, Tribunorum locum tenentibus & Capitaneis. II §. S. R. Maiestas, & Regnum Poloniæ, Magnusq; Ducatus Lithuaniæ id Paci huic perpetuæ dandum censuerunt, vt Authoritatem & Officia sua interponant apud Chamum Ordasq; Tartarorum, quo sine lytro captivi in Tartaria Suetici, intra sex abhinc Menses inde dimittantur, dimissi verò per Regnum Poloniæ, Magnumq; Ducatum Lithuaniæ, annexasq; ijs Prouincias, liberè ac tutò transeant, & benigné habiti ad Prouincias Ditionesq; Iuris Suetici promoueantur.

XV

I. § Commercia pristina sint libera & non impedita inter utrumq; Regnum Poloniæ, Magnumq; Ducatum Lithuaniæ, & Sueciæ subiectas illis Prouincias, Subditos & Incolas tam terrâ quàm mari, & in ueteri usu atq; exercitio, quo fuerunt tempore induciarum, conseruentur. Imprimis sit liberum commerciorum exercitium, liberaq; desluitatio mercium, per fluvium Dunam & Bulderauiam, subditis & Incolis Regni Poloniæ, Magniq; Ducatûs Lithuaniæ & Polonicæ Liuoniæ, Curlandiæq; ac Semigalliæ, cum subditis Incolisve Livoniæ Sueticæ; Et vice uersâ, subditis, Incolisq; Regni Sueciæ, & Liuoniæ Sueticæ sit liber commerciorum usus per eadem flumina, cum subditis, Incolisq; Poloniæ Lithuaniæ, Livoniæ Polonicæ, & Curlandiæ, Semigalliæq; Teloneorum uerò & Vectigalium in flumine Duna & Bulderaa, vt & Maritimorum ac Terrestrium in Liuonia eadem ratio & in ijsdem tantùm locis ab utraq; parte in posterum sit, uti & ubi tempore induciarum, & ante hoc ultimum bellum fuit. II §. Maioris quoq; Poloniæ Incolæ, cuiuscunq; conditionis sint, sive terrâ siv aquâ commercia sua exercentes nullis novis Telonijs & Gabellis Stetini onerabuntur. III §. Civitas quoq; Gedanensis, & aliæ Prussiæ Civitates in Regno Sueciæ & subiectis Prouincijs illis, gaudeant eâ libertate commerciorum & uectigalium, quâ gauisæ sunt ante nouissimum bellum.

XVI

Dominus Comes Konigsmarkius, Campi Mareschalcus Sueciæ, absq; ulla protractione intra sex septimanarum spatium, á die quinta Aprilis Dantiscum modo decenti sistetur, inde verò intra dies quatuordecem ubi modernus Tractatus subscriptus fuerit, eliberabitur, ante restitutionem autem plenariam

peculia-

peculiari Reuersialium Diplomate caueat de non offendendo, & uindicando aliquid contra S. R. Maiestatem Regnumq; Poloniæ. & specialiter Ciuitatem Gedanensem, saluâ tamen debitâ Regibus Regnoq; Sueciæ obedientiâ & fide.

XVII.

SErenissimus Rex & Respub: Poloniæ Illustrissimæ Principis Annæ Mariæ defuncti Illustrissimi Ducis Ianuschij Raziuilij Palatini Vilnensis, Supremi Exercituum Magni Ducatûs Lithuaniæ Ducis, Filiæ unicæ, in adeundis secundùm legitimas consuetudines Regni & M. D. L. Hæreditatibus. & Bonis Paternis ac Maternis. uigore Generalis Amnestiæ præsenti conuentione omnibus cautæ vt ei satisfiat. condignam rationem habituri sunt

XVIII

DEmortuorum belli Ducum, atq; Officialium aliorum corpora, siue in Polonia, sive in Prussia adhuc inhumata, & nonnullis in locis asseruata sunt tradentur. & non denegabuntur ijs, quibus cura mandabitur, ea inde deducendi. Quorum autem cadauera tum in priori, tum hoc ultimo bello humata sunt in Elbingensi. Mariæburgensi. & alijs in Prussia & Polonia templis, intacta iaceant. sepulchra eorum ab omni uiolatione & inquietudine sint immunia.

XIX

DE Domini Ducis Croiani desiderio ratione debitorum apud Rempub: Polonam ita conuentum est; ut prædictus Dominus Dux Ius suum Originalium obligationum productione edoceat, in proximè futuris Comitijs Regni generalibus, ibidemq; debita ratio Eius habeatur; saluo quoq; Iure Illustrissimi Ducis Curlandiæ, si quod Eidem ad præfatas summas pecuniarias competierit.

XX

QVoad Dominorum Comitum á Docbna postulatum, & debitum apud Rempub: Poloniæ, in quantum illud liquidari poterit, iusta eorum ratio in futuris Regni Comitijs habebitur.

XXI

Habebitur quoq; æqua ratio à Suecia Domini Baronis Sigismundi à Guldenstern, quoad bona in Regno Sueciæ, vel illi subiectis Prouincijs prætensa.

XXII

I. § Eadem similiter Pax, Amicitia, Amnestia, & præteritorum omnium perpetua obliuio sub ijsdem clausulis & uinculis in hocce Instrumento contentis uigeat & in perpetuum stabilita sit, inter Serenissimum & Potentissimum Principem ac Dominum Dominum Leopoldum Electum Romanorum Imperatorem semper Augustum, Germaniæ Hungariæ. Bohemiæ Dalmatiæ, Croatiæ. Sclauoniæ Regem, Archiducem Austriæ Ducem Burgundiæ. Brabantiæ, Stijriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Morauiæ, Ducem Lucenburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ Wurtembergæ & Theeke. Principem Sueviæ, Comitem Habsburgi, Tyrolis Ferretis, Kyburgi & Coritiæ Landgrauium Alsatiæ. Marchionem Sacri Romani Imperij Burgouiæ ac superioris & Inferioris Lusatiæ Dominum Marchiæ Sclauonicæ Portus Naonis & Salinarum, præcipuum Poloniæ Fœderatum

deratum, belliq; Socium, necnon Eius Hæredes ac Successores, Regna & subiectas Prouincias, tam in, quàm extra Imperium Romanum, eorumq; Subditos & Incolas ac Serenis. Principem ac Dnum D. Carolum Suecorum Gotthorum Vandalorūq; Regem, & Principem Hæreditarium, Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Bareliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Principem Rugiæ, Dominum Ingriæ & Wismariæ, necnon Comitem Palatinum Rheni, Bauariæ Ducem Eiusq; Hæredes ac Successores Reges Regnumq; Sueciæ & subiectas Prouincias tum in Imperio Germanico, tum extra illud sitas eorumq; subditos & Incolas, ita; ut quiquid vel ante hoc bellum, vel illo durante, siue in Polonia siue extra illam, seu ratione auxilij Serenissimo Regi ac Reipub: Poloniæ præstiti, siue quavis alia de causa, mutuæ offensionis, atq; inimicitiarum, aut prætensionum oriri potuit, perpetuæ obliuioni tradatur. Neutriq; Parti quocunq; prætextu licitum sit alterius Regna, Status aut provincias clam aut palàm, directè vel indirectè armis impetere, vel vllum in ipsas hostilitatis genus exercere, sed alter alterius commoda sectetur. & omnia inter utramq; Partem earumq; Status, ac subditos ad pristinum prorsus statum, unionem, & fidam correspondentiam restituta & redintegrata sint, nemini ex utriusq; Partis subditis, aut Imperij statibus ac Vasallis noxœ sit aut prœiudicio, quòd alterius partes hoc bello Sago vel Togâ fuerit sectatus, sed quicunq; ex sola causa huius belli, ne fortunis aut statu suo decidisset, is in pristinum statum, in quo ante hoc bellum immediatè fuit, quoad honores ac bona immobilia, necnon etiam quoad bona mobilia, si Fisco nondum adiudicata & extradita sint, indilatè & sine contradictione restituatur, ijsq; plenariè gaudeat ac fruatur II § Vt autem firmioribus fundamentis hæc Pax & amicitia stabiliri queat, Sacra Cæsarea Maiestas loca omnia, quæ in Pomerania & Megapoli occupata præsidijs suis insidentur Serenissimo Regi ac Regno Sueciæ; ea verò quæ in Holsatia & Ducatu Schlesuicensi, Duci Holsatiæ Gottoripensi (qui prœuiâ tamen cautione de non uindicando iuxta formulam de qua hîc conuenit, hâc Pace consensu Partium inclusus censebitur) restituet plenariè cum Tormentis bellicis ipsorum proprijs re armamentaria cæteroq; apparatu bellico, necnon mobilibus cuiuscunq; generis, item actis Cancellariæ, Archiuis ac literariis documentis, prout ea omnia tempore occupationis, vel deditionis inibi reperta sunt; & adhuc non distracta exstant. Quæ euacuatio fiet locorum scilicet Pomeraniæ & Megapoleos, exceptis Volinio, Dam & Greisenhagen intra duas Septimanas à die permutationis ratihabitionum computandis, pro tempore Elbinga quoq; Poloniæ restituetur, Vollinum uerò, Dam & Greifenhagen; necnon loca Holsatiæ & Ducatus Slesuicensis, intra alias duas sequentes hebdomadas á die supramemoratæ permutationis euacuabuntur, deductis eodem tempore è dictis locis prœsidiarijs militibus & è Prouincijs ad Sacram R. M. Regnumq; Sueciæ, Duces Magnapolitaneos, & Ducem Holsatiæ Slesuici spectantibus copijs omnibus, eâ ratione, & modo de quo inter Generales utriusq; partis, uel eorum locum tenentes, intra tempus ratihabitionibus commutandis præfixum, conuentum fuerit. III. § Cœterùm quicquid circa res Imperij controuersiæ intercesserit, iuxta Imperij & Pacis Germanicæ Leges, absq; strepitu armorum componetur, aut decidetur, & statuitur ab utraq; Parte per omnia dispositioni Pactorum Osnaburgensium & Constitutionibus Imperij.

XXIII.

Similiter tam á Parte Serenissimi Imperatoris, quàm Serenissimi Regis

Sueciæ

Seciæ, captiui huius belli cuiuscunq; sint conditionis ac Status, liberi & sine soluto ullo pretio seu lijtro in aliter ante subscriptum Tractatum ab ipsis conuentum fuerit intra spatium trium hebdomadarum á die ratificationis dimittentur & libertati pristinæ solutis ab Officiarijs impensis in victum eorum factis. & debitis in Captiuitate ab eis contractis, restituentur, & capituis quoq; anumerandi & ab utraq; Parte restituendi sunt. qui inuiti ad danda alterius Partis militiæ nomina sua adacti fuerunt; Quod autem de lijtri conuenti solutione hîc supra dictum est, tantùm locum habebit in Maioribus Officiarijs utpote Generalibus Tribu-Tribunorum locumtenentibus & Capitaneis.

XXIV

I. §. Sit itidem Pax perpetua veraq; ac sincera Amicitia inter Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum Carolum Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Regem. Principem Hæreditarium Magnum Principem Finlandiæ, Ducem Scaniæ, Esthoniæ, Livoniæ, Careliæ, Bremæ. Verdæ. Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Vandaliæ, Principem Rugiæ, Dominum Ingriæ, & Vismariæ, necnon Comitem Palatinum Rheni, Bauariæ Ducem Eius Hæredes, Successores ac Posteros Reges, Regnumq; Seciæ, Eiusdem tam in Imperio, quàm extra illud sitas Provincias, Status ac Ditiones; & Sereniss. Principem ac Dominum D. Fridericum Vilehelmum, Marchionem Brandeburgicum, Sacri Romani Imperij ArchiCamerarium & Principem Electorem, Magdeburgi, Prussiæ. Iuliæ, Cliviæ & Montium, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorumq; necnon in Silesia, Crosnæ & Carnoniæ Ducem, Burgravium Norinbergensem, Principem Halberstadiensem & Mindensem, Comitem Marcæ & Ravensbergi, Dominum in Raunestein. Poloniæ Fœderatum. belliq; Socium, Eiusdemq; Hæredes ac Successores, Provinciasq; Status ac Ditiones, & in extra Imperium Romanum sitas. ita vt alter alterius honorem, commodum & utilitatem sincerè seriò q; in perpetuum promoueat. II. § Pacta verò & Fœdera omnia quæ Partes Paciscentes inter se vel cum alijs Principibus ac Statibus utrinq; sancita habent, quoad omnia sua puncta, Clausulas, & Articulos integra & in pleno robore suo permaneant, ita tamen; ut per ea præsens transactio Pacis, nullum præiudicium patiatur. III. § Sit etiam utrinq; Amnestia & præteritorum omnium perpetua obliuio, ita ut quicquid hactenus quocunq; loco & quavis de causa siue in Imperio Romano, siue extra illud ab alterutra Partium vel sub earum Imperio potestateq; existentibus, abq; vllo personarum rerumq; respectu gestum vel admissum fuerit. nullo prætextu viâ Iuris vel facti, directè vel per indirectum á Neutra Parte unquam vindicari possit. Et nec horum nec vllius alterius rei causâ vel prœtextu alter alteri posthac quicquam hostilitatis aut inimicitiæ vel etiam quoad Ministros. Officiarios aliosq; Incolas ac subditos, Statum, bona, uel securitatem vel per se vel per alios clam, aut palam inferat vel inferri faciat. IV. § Nemini quoq; ex utriusq; Partis subditis, aut Vasallis, cuiuscunq; conditionis, & dignitatis fuerit, noxæ sit aut prœiudicio, quòd alterius Partes hoc bello Sago vel Togâ fuerit sectatus, sed quicunq; ex sola causa huius belli de suis possessionibus decidisset. is in pristinum statum. in quo ante hoc bellum immediatè fuit quoad honores & bona immobilia, necnon etiam quoad mobilia bona, si hæc bona mobilia Fisco nondum adiudicata & extradita, aut aliâ distracta sint. indilatè & sine vlla contradictione restituatur, ijsq; plenariè gaudeat ac fruatur: Atq; proinde & Campi Mareschallo Comiti á Konigsmark

at & Campi Mareschalli Comitis Wittebergij Hæredibus, bona immobilia, quæ in Ditionibus Suæ Serenitatis Electoralis, ubicunq; locorum ante hoc bellum possederunt in eo statu, quo nunc sunt, restituantur uigore huius Pacificationis atq; eo iure tenenda, quo ante bellum hoc exortum ea tenuerunt ac possederunt.

XXV:

Ne occasione ante actorum lis & dissidium aliquod oriri possit, S. R. M. Sueciæ pro se & Hæredibus, ac Successoribus suis Regibus Regnoq; Sueciæ uirtute huius Instrumenti Pacis, quàm fieri potest validissimè in perpetuum & irreuocabiliter renuntiat pactis, quæ die 7 17 Ianuarij, Anno 1056 Regimonti. item 15 25 Iunij prædicti Anni Mariæburgi. tumq; 10 20 Nouembris eodem Anno 1656. Labiaviæ inter Serenissimum Sveciæ Regem gloriosæ memoriæ nuper Defunctum: & suam Serenitatem Electoralem confecta sunt. ut & alijs omnibus conuentionibus, quæ illis adiectæ aut separatim quo cunq; modo, durante hoc ultimo bello Polonico. eiusq; respectu initæ sunt. Atq; ea omnia & singulis in omnibus & singulo clausulis, conditionibus & Articulis suis irrita, & nulla pronuntiat. omnemq; ipsis vim vigorem & Effectum hoc ipso, & uirtute huius Pacti penitus & in æternum detrahit: Ita vt contra suam Serenitatem Electoralem Brandeburgicam Eiusq; Hæredes, Agnatos Successores, Provincias ubicunq; locorum sitas, & in specie, in Ducatum Prussiæ. atq; eiusem Ordines & Incolas, aut contra Sacram Regiam Maiest: Eiusdem successores, Reges Regnumq; Poloniæ ex nominatis, & indigitatis supra Pactis, & conventibus abolitis nunc. & in posterum siue Successionis in Prussiam, siue unionis. aut quocunq; alio prætextu vel causa nomine Regis, Regum Hæredum ac Successorum & Regni Sueciæ nihil unquam allegari, prætexi, aut postulari possit aut debeat. Quare præmemoratorum Pactorum. & Conventionum orginalia cum retradi non poterint, hoc ipso pro retraditis, scissis, & in cineres redactis habebuntur. Quemadmodum & Serenissimus Elector Brandeburgicus, in Prussia Dux. quàm fieri potest ualidissimè in perpetuum, & ireuocabiliter, uigore huius Instrumenti Pacis pro se, Hæredibusq; ac Successoribus suis profitetur, nihil vel se. vel Hæredes & Posteros suos, ex prædictis Pactis, & conventionibus S. R. Maiestatem Regnumq; Sueciæ prætensuros. sed sua Serenitas Electoralis pro se Hæredibusq; ac Successoribus suis. hoc ipso & uirtute huius Pacti, supra memoratis Pactis omnibus iam abolitis renunciat, & eadem omnia pro retraditis scissis. & in cineres redactis, nunc & in æternum declarat, & irrita ac nulla pronunciat. omnemq; ipsis uim, uigorem & Effectum penitus, & in æternum detrahit.

XXVI.

Serenissimus Elector Brandeburgicus loca omnia, quæ in Pomerania hocce bello occupata præsidijs suis insidentur. S. R. Maiestati & Regno Sueciæ. ea uerò, quæ in Holsatia & Ducatu Slesvicensi. Celsissimo Principi & Duci Holsatiæ. Gottorpiensi (qui præuiâ tamen cautione de non uindicando iuxta formulam, de qua hic conuenit hâc Pace consensu Partium inclusus censebitur) restituet plenariè cum Tormentis bellicis ipsorum proprijs. re Armamentariâ, cæteroq; apparatu bellico. necnon mobilibus cuiuscunq; generis, item Actis Cancellariæ, Archiuis & literarijs documentis, prout ea omnia tempore occupationis vel

vel deditionis inibi reperta, & adhuc non distracta exstant. Quæ euacuatio fiet locorum scilicet Pomeraniæ, exceptis Wollino, Damm & Greiffenhagen, intra duas Septimanas á die permutationis Ratihabitionum computandas, quo tempore quoq; Elbinga restituetur, Wollinum verò. Damm, & Greiffenhagen, necnon loca Holsatiæ, & Ducatus Slesuicensis intra alias demum duas sequentes hebdomadas. á die supra memoratæ restitutionis euacuabuntur, deductis eodem tempore é dictis locis præsidiarijs militibus. & è Provincijs ad Serenissimum Regem Sveciæ & Ducem Holsatiæ, & Slesuici Regentem spectantibus copijs omnibus, eâ ratione & modo, de quo inter Partis utriusq; Generales. vel eorum locum tenentes intra tempus Ratihabitionibus commutandis præfinitum conventum fuerit. ita temen, ne præmemoratis restituendis & euacuandis Locis vel communitatibus qui præsidia Electoralia habuerunt. aut quovis modo hoc bello in Suæ Serenitatis Electoralis Fide & Potestate fuerunt. vel cuiquam Privato quod Partes Suæ Serenitatis secutus fuerit. ulla ratione noxæ fraudiq; sit, vel alia in re, quoad pristina Iura, Priuilegia, bona, Feuda & libertates illi competentes. absq; exceptione vel reseruatione præiudicet.

XXVII.

CAptivi huiusce belli cuiuscunq; conditionis ac Statûs, liberi, & sine soluto ullo pretio seu lytro, nisi aliter ante subscriptum Tractatum ab ipsis conuentum fuerit, intra spatium trium hebdomadarum. à die Ratificationis dimittentur. pristinæq; libertati restituentur. solutis tamen ab Officiarijs impensis in victum eorum factis, & debitis in captiuitate ab eis contractis. Cœterùm captiuis quoq; annumerandi & ab utraq; parte restituendi sunt, qui inuiti militiæ alterius Partis nomina dederunt.

XXVIII.

DEbita inter utriusq; Partis subditos & Incolas, tum etiam à Ducibus & Officiarijs belli, ubicunq; contracta. utrinq; bonâ fide soluentur, si quæ uerò hoc bello ultimo Obligationes & Recognitiones exortæ ab utrinq; sint, in totum cassantur, nullumq; pondus habere declarantur.

XXIX.

JNter Sacræ Regiæ Maiestatis Sueciæ & Suæ Serenitatis Electoralis Brandeburgicæ, Regni Prouinciarum, Statuum, Ditionum. tam in Imperio Romano, quàm extra illud sitarum. subditos & Incolas, pristina restituantur commercia atq; in posterum in pleno uigore conseruentur.

XXX.

SI quæ bona, á Suæ Serenitatis Electoralis subditis vel Eiusdem Ditionum Incolis. in Regiæ Suæ Maiestatis Sueciæ, Regno, Prouincijs, Ditionibus aut Locis occupatis & hactenus possessis. ante vel sub tempus huiusce belli deposita, vel alio quocunq; modo eò delata sunt, ea sine ulla mora vel effugijs Dominis suis restituantur, nisi iam Fisco adiudicata atq; extradita fuerint.

XXXI.

Cùm verò ad stabilitatem huius Pacis plurimùm intersit, vt uniuersaliter componatur, & inter omnes belli huius Socios securitati com-

merciorum plenè prospiciatur, ideo licèt Controversiæ. quæ Serenissimo Regi Regnoq; Sueciæ cum Serenissimo Rege Daniæ intercedebant, hîc commodè decidi non potuerint. & in ipsa Dania cum spe successûs tractentur; Nihilominus conventum est, ut Serenissimus Daniæ & Norvegiæ Rex, Eiusq; Regna ac Ditiones in hoc Tractatu conclusâ in Dania Pace. comprehendantur. ita ut ea omnia, quæ inter ante memoratos Sueciæ & Daniæ Reges conclusa & constituta fuerint, ad hanc Pacem, pariter acsi in hoc instrumento specificè inserta forent, pertinere censeantur. Saluo per omnia ipso Tractatu in Dania inter utrosq; Reges & Regna concluso vel concludendo.

XXXII.

I. §. CEssent omnes hostilitatis actus inter Partes Paciscentes omnes tum Principales, tum Fœderatas earumq; Exercitus, á die conclusæ & subscriptæ huius Pacis computando, in Prussia tam Regali quàm Ducali, exactis quatuor in Pomerania & Megapoli duodecem. in Curlandia & Livonia quatuordecem. & in Holsatia & Slesvicensi Ducatu exactis viginti diebus, eodem quoq; die in singulis præmemoratis Locis negotiationes quævis pristino usui restituantur. & literarum commercia libera sint. II. § Generales præsidij Elbingensis Prussia, ac tam Cæsarei quàm Electorales in Pomerania post acceptam huius armorum cessationis intimationem, exactam curam adhibebunt. ut usq; ad finalem Pacis executionem militis sustentatio non amplius exigatur more hostili, nec ultra iustam & necessariam alimentatione m Provinciæ ipsorum armis insessæ aggrauentur. in quem finem Commissarij á Partibus deputabuntur. qui curam sedulam habeant, ne exorbitantiæ contra hanc conuentionem fiant.

XXXIII.

DEniq; omnium belligerantium in Imperio Partium copiæ & exercitus, post restitutionem locorum ab omnibus Partibus Paciscentibus. dimittantur & exauctorentur, eo tantùm numero in suos cuiuscunq; proprios Status traducto, quem quæq; Pars pro sua securitate iudicaverit necessarium.

XXXIV.

PActa hæc ratihabeantur à Serenissimo Rege Poloniæ necnon Republica Polona Eiusq; Fœderatis ab una: Et Serenissimo Rege Sueciæ ab altera Parte. qua de re ad modum sequentem convenit.

I. Instrumentum huius Pacis manibus ac sigillis Dominorum Commissariorum utriusq; Partis, tum Excellentissimi Domini Legati Mediatoris subscribatur, & inuicem tradatur & commutetur.

II. Serenissimus Rex Poloniæ eadem Pacta illico à Subscriptione & Signatione Dominorum Commissariorum Polonicorum. Diplomate Ratificationis in forma conuenta confirmet, atq; exnunc Assecurationem Suam interponat subsecuturam inter spatium ad summum trium Mensium, computandorum à Subscriptione huius Instrumenti Pacis plenariam Eiusdem Regiæ Maiestatis Ratificationem, cum integra insertione Instrumenti Pacis conclusæ, ad formulam inter utriusq; Partis Commissarios conuentam.

III. Serenissimus Rex Sueciæ solenni Instrumento hæc Pacta Nomine Suo & Regni Sueciæ, per subscriptionem Serenissimæ Reginæ Matris Suæ & Dominorum Regni Sueciæ Administratorum in Forma conuenta rata habeat.

IV.

IV. Domini Delegati á Repub. Polona Lege Comitiali Anno 1659 deputat nomine Reipublicæ, hæc pacta Subscriptione & sigillatione suá approbent, in futura Conuocatione, intra tres Menses celebranda.
V. Diplomata Ratificationis tam Sacræ Regiæ Maiestatis Poloniæ quàm Deputatorum Comitiali Lege Delegatorum, in proximis Comitijs Constitutionibus & Volumini Legum Polonicarum inserantur.
VI. Instrumenta hæc solennia Ratificationis tum utriusq; Serenissimi Regis, tum dictorum Reipub: Delegatorum, ab ambarum partium Commissarijs intra spatium ad summum trium Mensium á subscriptione huius Instrumenti Pacis computandorum, ad Limites Territoriales, inter Elbingam, & Mariæburgum, utrinq; per Excellētissimū Dominū, Mediatorē á Partibus paciscētibus recipiātur, & ab eodem eo ipso tempore inter Partes commutentur.
VII. Vt sacra Cæsarea Maiestas & Serenissimus Elector Brandeburgicus Ratihabitiones Suas itidem tempore & loco eodem tradi faciant.
VIII. Deniq; vt dicta Serenissimorum Regum & Reipub: Poloniæ ac Eius Fœderatorum Instrumenta Ratificationum, ad conuentam & præscriptam formulam, quoad Titulaturam & Sigillationem aliaq; requisita nullâ uoce aut syllabâ immutatâ conficiantur, & reciprocè commutentur.

XXXV.

I. §. QVo firmior, stabilior & securior Pax hæc coalescat, & ab omni Parte intemerata duret, promittunt supra memoratæ Partes paciscētes omnes, tam Principales, quàm Fœderatæ, se hanc Trāsactionem & Pacem, omnesq; eius Articulos, Capita & Clausulas sanctè & inuiolabiliter seruare uelle & debere: Et ne in posterum uiolari queat, se inuicem ad Generalem Guarantiam & Euictionem mutuam ac defensionem reciprocam omni ex parte obstringunt: Hisce quàm fieri potest firmissimè spondentes, vt si contingat unam partem ab altera vel plures á pluribus Terrâ vel mari bello contra hanc Pacificationem impeti,, Aggressor ipso facto pro infractore huius Pacis ab omnibus habeatur, eiusdemq; beneficio excidat, & tum altera reliquæq; Paciscentium Partes Parti læsæ ad summum intra duos Menses à requisitione Partis læsæ eidem communibus armis assistere, & bellum tam diu contra Aggressorem prosequi, donec Pax communi omnium partium cōnsensu restituta fuerit, inuicem teneantur. II. §. Si verò contingat unam Partem ab Altera, vel plures à pluribus, graui aliquâ iniuriâ, citra tamen uim armorum uexari, non licebit ideo læso ad arma subitò recurrere, sed ante amicabilis componendarum huiusmodi controuersiarum ratio ineunda erit, uidelicet vt læsus acceptâ iniuriâ si immediatè cum lædente conuenire nequeat, alios paciscentes moneat, & Commissio Generalis Omnium Paciscentium nomine instituatur ad læsi confinia, intra spatium quatuor Mensium, in quo inter Deputatos utrinq; Commissarios negotium discutiatur, & si possibile erit intra quatuor ad summum alios Menses terminetur. III. §. Si uerò lædentem refractarium ad æqua quæ proponentur media deprehenderint, tunc læsis licebit, factâ tamen priùs legitimâ belli denuntiatione, Ius suum armis prosequi & bellum, vt supra statutum est, lædenti inferre. IV. §. Quodsi uerò turbationes ui contrarijsq; actibus retundantur, solummodo tuendorum limitum causâ Actus eiusmodi pro uiolatione Pacis non reputabuntur, ipsa autem super limitibus controuersia citra uim armorum terminetur.

XXXVI.

CVm autem pro maiori securitate huius Pacificationis, tam Serenis: ac Potentissimus Rex & Respub: Poloniæ. quàm Serenis: & Potentissimus Rex Sueciæ, vt & Serenis: Elector Brandeburgicus, postulârint, vt Serenis: ac Potentissimus Princeps ac Dominus D. Ludouicus XIV. Galliarum & Nauarræ Rex Cristianissimus, cuius ope ac studio inter præmemoratos Serenis: Reges & Serenissimum Electorem Brandeburgicum, Pax promota & mediatione ad optatum finem perducta ast. executionis & obseruationis illius inter Eosdem Fideiussor existeret. S. M. Christianissimæ postulationibus ac uotis illorum annuens, eodemq; animo Pacis huius perpetuitatem exoptans. quo eam procurauit, pro se ac Successoribus suis Regibus Galliæ spondet ac promittit idq; per Illustris: & Excellentissimum Dnum Antoninum de Lumbres, Legatum Suum plenarijs mandatis ad hanc Gurantiam cauendum instructum, se executionem horum Pactorum, eorumq; obseruationem ac perpetuitatem inter Eosdem supra nominatos Principes omni meliori, quo fieri potest modo, etiam armis, ubi amicabilia media non processerint, asserturam; Et si quis Eorum sub hac Fideiussione comprehensorum illa uiolârit. arma uiresq; suas Parti læsæ ad Eius requisitionem iuncturam. Quod ut firmiús omnibus constet, promittit dictus Dominus Legatus Gallicus se Ratificationem Regis Sui super hanc Gurantiam eodem tempore, quo ratihabitiones Pacis commutabuntur extraditurum. Integrum quoq; erit Paciscentibus omnibus eandem Christianissimi Regis Gurantiam & Fideiussionem suscipere & alios quoq; in tempore ratihabitionis ad idem Officij genus inuitare & denominare Princeps ac Potestates.

XXXVII.

SI qui Regum, Principum, necnon Rerumpublicarum ac Statuum Amicorum hisce Pactis á quacunq; Parte Paciscentium includi uoluerint. sit ipsis eius Facultas, modò se ad ista intra sex abhinc Menses declarauerint, & id consensu omnium Partium fiat.

In quorum omnium & Singulorum Fidem maiusq; robur, omnium Partium Legati & Commissarij cum Illustrissimo ex Excellentissimo Dño Mediatore præsens Pacis Instrumentum, & hoc quidem Exemplar Serenissimi Regis Regniq; Poloniæ Legati & Commissarij manibus Sigillisq; proprijs muniuerunt ac firmârunt. Datum Oliuæ Die Tertiâ Mensis Maij Anno Domini 1660 Antonius de Lumbres (L. S)

Ioannes Comes de Leszno Palatinus Posnaniensis Maioris Poloniæ Generalis, Serenissimi Regis Regniq; Poloniæ Legatus Plenipotentiarius (L. S.)

Nicolaus Prazmowski Nominatus Episcopus Luceoriensis & Brestensis Supremus Regni Poloniæ Cancellarius, Legatus Plenipotentiarius. (L. S.)

Christophorus Pac Supremus Cancellarius & Legatus Plenipotentiarius M. D. Lithuaniæ (L. S) Ioannes Andreas Morstin Referendarius Regni. Legatus Plenipotentiarius. Ioannes Guinski Succamerarius Pomeraniæ Serenissimi Regis Regniq; Poloniæ Legatus Plenipotentiarius.

Ratificationes Serenissimi Regis Poloniæ.

Articuli separati, ratione traditionis Elbingæ.

NOS IOANNES CASIMIRVS Dei Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus

Dux

Dux Lithuaniæ, Russiæ Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ. Czerniechouiæq; necnon Suecorum, Gothorum, Vandalorumq; Hæreditarius Rex Significamus omnibus & Singulis quorum interest, quòd cùm Illustrissimi, Illustres, Magnifici & Generosi Nostri & Reipub: Commissarij, ad Tractatus Pacis perpetuæ inter Nos Regnumq; Nostrum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ. Nostrosq; Fœderatos, & Belli Socios ab una, & Serenissimum Regem Regnumq; Succiæ Parte ab altera. Oliuæ institutos, Illustrissimis, Illustribus. Magnificis & Generosis, Serenissimi Electoris Brandeburgici Commissarijs Articulum Separatum Declaratorium Articuli secundi, qui de Amnestia & Redintegratione iurium in Instrumento Pacis habetur, ut sequitur, ediderint. isq; á Partibus acceptatus sit.

NOS infra scripti S. R. Maiest: Reipublicæq; Polonæ ad Tractatus Polono Sueticos Legati Plenipotentiarij, notum facimus, quorum interest; vel vllá ratione interesse poterit Vniuersis & singulis, Quandoquidem Instrumento Pacis principali hodie subscripto Articulis Amnestiæ, In quo tam communitatum quàm Singulorum Iura redintegrantur, formá Generali conceptum est, & nulla specialis acquisitorum tam in Prussia Ducali, quàm extra eandem Serenissimo Electori Brandeburgico per Pacta cum S. R. Maiestate Req; publica, primùm Velauiæ, demum Bydgostiæ. inita, ac Constitutione Generali Comitiali approbata Suæ Serenitatis Electoralis Iurium. utpote Independentiæ Ducatûs Prussiæ. Condescensionisq; in Feudum Bythouiensis & Leoburgensis Districtuum, in Palatinatu Pomeraniæ existentium, tum & juris competentis in Ciuitatem Elbingensem, necnon Præfecturam Drahimensem, in eodem facta est mentio, ne id in prœiudicinm memoratorum Suæ Serenitatis Electoralis Iurium trahi posset, plures modi ratione Inclusionis prædictorum in præfato Articulo Amnestiæ propositi fuére. Cùm autem Partibus nequaquam satisfacere potuissēt. tandem prudenti Illustris. & Excellentissimi Domini Christianissimi Regis Legati mediatione. ac indefesso studio maturādæ Pacis gratiâ conuenit, vt peculiari Articulo, qui tamen pro inserto Pacis Instrumento haberi eiusdemq; ualoris esse debet, ea ipsa Iura Serenissimo Electori cauerentur, quod & factum est á Legatione Suetica per sequentem Articulum tenoris eiusmodi.

Legatio Suetica declarat Serenissimi Regis Regniq; Succiæ Nomine, Ea quæ in Instrumento Pacis, Articulo secundo de Redintegratione Iurium disponuntur, non debere concernere ditiones, Status, Ciuitates, Terras & Loca, quæ á Sua Serenitate Electorali possidentur. nec eò trahenda; Neq; obstare eundem Articulum, quò minùs Suæ Serenitati Electorali Elbinga, iure quod Eidem Suæ Serenitati Electorali competere potest, tenenda tradatur. saluis de cætero Eiusdem Ciuitatis Priuilegijs. & Immunitatibus. tam in Ecclesiasticis. quàm Politicis, saluo itidem Iure Retractûs Conuentionalis Serenissimo Regi & Reipub Poloniæ quoad Elbingam. Qui quidem Articulus tanquam si in ipso Instrumento Pacis esset insertus. ibidemq; cum alijs appositus. eiusdem cum eo ualoris (vt supra dictum est) esse haberiq; debeat.

PRoinde & Nos infra scripti Legati Commissarij cum plena potestate S. R: Maiestatis & Statuum Reipub. eorundem nomine mentem Nostram præsenti itidem Articulo, quem pro inserto & eiusdem cum Instrumento Pacis valoris haberi uolumus, declaramus palamq; facimus, Articulum

Amnestiæ Generalis in Instrumento Pacis contentum nullatenus posse vel debere Iuribus Suæ Serenitatis Electoralis, tam antiquis. quàm nouiter acquisitis, & in specie Traditioni Elbingensis Ciuitatis iuxta Pacta cum Sua Serenitate Electorali inita derogare & præiudicare. imò eadem Pacta in omnibus eorundem Articulis, Punctis & Clausulis, salua & integra conseruare, & manutenere; In cuius rei fidem præsentem Declarationem Manibus Nostris subscripsimus, Sigillisq; Nostris Gentilitijs roborauimus, die tertiá Maij Anno Domini 1660 in Monasterio Oliuensi.

Georgius Lubomirskic Supremus Mareschalcus, Generalisq; Exercituum Regni. Ioannes Comes de Leszno, Palatinus Posnaniæ, Maioris Poloniæ Generalis Mariæburg: Korsunensis Capitan. Nicolaus Prazmowski Episcopus Luceoriensis & Brestensis Regni Cancellarius Supremus. Christophorus Pac Suprem. Magni Duc: Lithuaniæ Cancellarius. Ioannes Andreas Morstin Referendarius Regni. Vladislaus Reij Thesaurarius Curiæ Regni. Ioannes Gninski Succamerar. Pomeran. Capitaneus Gnesnensis.

NOS itaq; IOANNES CASIMIRVS Eâdem Gratiâ Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ &c. &c. &c. Promittimus & recipimus Regio Nostro Successorum ac Posterorum Nostrorum & Reipublicæ Poloniæ Nomine Nos præmissum Articulum. omniaq; & singula in eo comprehensa capita approbare & ratihabere, sicuti uigore quoq; præsentium approbamus & ratihabemus ita vt Eiusdem Authoritatis, cum Instrumento Principali esse debeat & haberi. nec passuros, vt ab vllo Reipub: Statu, Vasallo. Officiali, aut Subdito, quouis modo uioletur: Cauemusq; Diplomata Ratificationis huius Pacis, tam hoc Nostrum quàm Senatorum & Equestris Ordinis á Nobis & Repub. Poloniæ Lege Comitiali Delegatorum in proximis Comitijs Regni Generalibus Constitutionibus & Volumini Legum Reipub. insertum iri. In cuius rei fidem & certitudinem hasce Manu Nostrâ subscripsimus. & Sigillo Regni communiri iussimus.

Dabantur Varsaviæ in Conuocatione Solenni die 26 Mensis Iunij Anno 1660 Regnorum Nostrorum Poloniæ Sueciæ XIII.

Joannes Casimirus Rex
(Locus Sigilli Regij)
appensi
Stephanus Hankiewic
Secretar. Reg. Maiest.

RATIFICATIO
Regni Poloniæ, Magniq;. Ducatûs Lithuaniæ Lege Comitiali Delegatorum Commissariorum Articuli Declaratorij Traditionis Ciuitatis Elbingensis.

NOS Senatores & Equestris Ordinis á Serenissimo Rege & Republica Poloniæ Lege Comitiali Delegati Commissarij constare uolumus, quorum interest Vniuersis & Singulis. Quòd cùm Illustrissimi atq; Excellentissimi Domini S. R. M. Domini Nostri Clementissimi & Reipub: Commissarij, ad Tractatus Pacis perpetuæ inter S. R. Maiestatem. Dominum Nostrum Clementissimum. Regnumq; Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ Eorundemq; Fæderatos & belli Socios, ab una, & Serenis: Regiam Maiest. Regnumq; Sueciæ parte ab altera: Oliuæ institutos

tutos, uirtute Potestatis á S. R. Maiestate, tum & á Repub: illis factæ Illustris. & Excellentis. Dñis Serenissimi Electoris Brandeburgici Commissarijs Articulum Separatum Declaratorium Articuli secundi, qui de Amnestia & de Redintegratione Iurium in Instrumento Pacis habetur vt sequitur ediderint, isq; á Partibus acceptus sit.

NOS infra scripti S. R. Maiestatis Reipubq; Polonæ ad Tractatus Polono-Sueticos Legati Plenipotentiarij, notum facimus, quorum interest vel vllâ ratione interesse poterit Vniuersis & singulis.

Quandoquidem Instrumento Pacis Principali, hodie subscripto, Articulus Amnestiæ, in quo tam Communitatum, quàm Singulorum Iura redintegrantur, formâ generali conceptum est, & nulla specialis acquisitorum tam in Prussia Ducali quám extra eandem, Serenissimo Electori Brandeburgico per Pacta, cum S. R. M. Req; publica primùm Velauiæ, demum Bijdgostiæ, inita, ac Constitutione Comitiali approbata, Suæ Seren: Electoralis Iurium utpote Independentiæ Ducatûs Prussiæ condescensionisq; in Feudum Bijtouiensis, & Leoburgensis Districtuum, in Palatinatu Pomeraniæ existentium, tum & Juris competentis in Ciuitatem Elbingensem, necnon Præfecturam Drahimensem in eodem facta est mentio; Ne id in præiudicium memoratorum Suæ Seren: Electoralis Iurium trahi posset, plures modi ratióne Inclusionis prædictorum in præfato Articulo Amnestiæ propositi fuêre. Cùm autem Partibus nequaquam satisfacere potuissent; Tandem prudenti illustris: & Excellentis. Dñi Christianissimi Regis Legati Mediatione, ac indefesso studio, maturandæ Pacis gratiâ conuenit, vt peculiari Articulo, qui tamen pro inserto Pacis Instrumento haberi, eiusdemq; valoris esse debet, Ea ipsa Iura Serenis. Electori cauerentur. quod & factum est, á legatione Suetica per sequentem Articulum tenoris eiusmodi:

LEgatio Svetica declarat Serenis. Regis Regniq; Sueciæ nomine, ea quæ in Instrumento Pacis Articulo Secundo de Redintegratione Iurium disponuntur, non debere concernere Ditiones Status, Ciuitates, Terras & loca quæ à Sua Serenitate Electorali possidentur nec eo trahenda, Neq; obstare eundem Articulum, quò minùs Suæ Serenit: Electorali Elbinga Iure, quod eidem Suæ Seren: Elect: competere potest, tenenda tradatur, saluis, de cœtero Eiusdem Ciuitatis Priuilegijs & Immunitatibus tam in Ecclesiasticis, quàm Politicis, saluo itidem iure retractûs Conventionalis Serenissimo Regi & Reipub: Polonæ quoad Elbingam. Qui quidem Articulus, tanquam si in ipso Instrumento Pacis esset insertus ibidemq; cum alijs appositus eiusdem cum eo ualoris (ut supra dictum est) esse haberiq; debeat, proinde & Nos infra scripti Legati Commissarij cum plena potestate S. R. Maiest: & Statuum Reipub: eorundem Nomine, mentem nostram præsenti itidem Articulo, quem pro inserto & eiusdem cum Instrumento Pacis, ualoris haberi uolumus, declaramus, palamq; facimus, Articulum Amnestiæ generalis, in Instrumento Pacis contentum nullatenus posse uel debere Iuribus Suæ Serenitatis Electoralis tam antiquis, quàm nouiter acquisitis, & in specie traditioni Elbingensis Civitatis iuxta Pacta cum Sua Seren: Electorali inita, derogare & præiudicare, imò eadem Pacta in omnibus eorum Articulis Pũctis & clausulis salua & integra cõseruari & manuteneri. In cuius rei fidẽ præsentẽ declarationem Manibus Nostris subscripsimus sigillisq; Nostris Gentilitijs roborauimus. Die 3. Mensis Maij Anno Dñi Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo in Monasterio Oliuensi.

Georgius Lubomirski Supremus Mareschalcus Generalisq; Exercituum Regni.
Ioannes Comes de Leszno Palatinus Posnaniensis Maioris Poloniæ Generalis Mariæb.

Kursu-

Korsunen. Gubernator, Nicolaus Prazmowski Ep. Luceorien: Bresten: Reg. Cancell: Supr: Christophorus Pac Supr. M. D. L. Cancel: Ioannes Andreas Morstin Refer. Regni. Vladislaus Reij Thesaurar Curiæ Regni. Ioannes Guinski Succamer: Pomeran: Capit. Gnesnensis.

NOS Senatores & Equestris Ordinis á Serenis: Rege & Repub. Poloniæ Lege Comitiali Delegati Commissarij promittimus. & recipimus vi potestatis Nobis à Repub: concessæ, nomine Eiusdem. Nos præmissũ Articulũ. omniaq; & singula in eo cõprehensa Capita iuxta Constitutionẽ Regni Anni 1659. approbare & ratihabere, sicut uigore quoq; præsentium approbamus & ratihabemus. ita vt eiusdem authoritatis cum Iuramento Principali esse debeat. & haberi. Nec passuros, vt ab vllo Reipub: Statu, Vasallo Officiali. aut subdito quovis modo uiolentur. Cauemusq; & promittimus. Diplomata Ratificationis huius pacis tam S. R. Maiestatis. quám hoc Nostrum in proximis Cõitijs Regni Generalibus Cõstitut. & Volumini Legũ Nostrarũ insertũ iri.

In quorum omnium fidem præsens hæc Approbatio Manuum Nostrarum subscriptione Sigillisq; Nomine Senatûs Celsissimi Primatis Regni, Nomine verò Deputatorũ ex Ordine Equestri, Illustrissimi D. Succamerarij Pomeraniæ tanquam proximè præter itorum Comitiorum Mareschalci firmata & roborata, eaq; eandem uim atq; robur acsi omnium atq; Singulorum Deputatorum appensa essent sigilla. habitura est. Datum Varsauiæ in Conuocatione solenni. Die 26 Mensis Iunij Anno D. 1660.

Venceslaus Comes de Leszno Archiep: Gnesnen: Casimirus Dux Czatorijski Epis. Vladislau. Ioannes Steph. Wydzga Epis: Varmien: Thomas de Lezenice. Epis: Chelmen: Thomas Vieyski Episc. Kiouien: Georgius Białozor. Epis: Smolen. Seueriæ & Czerniech: Ioannes Carolus Kopec, Palat. Płocen: Casimirus Iwlaszewski, Palat: Bresten. Andreas Trzebicki Episc. Crac. Dux Seueriæ. Ioannes Zawisza Episc: Vilnensis. Ioannes Gembicki Episc. Plocensis Nicolaus Stephan Pac. Palat. Trocen: Vladislaus Comes de Lesno Palat Lencicen: Adamus Matth. Sakowicz Pal. Smolense: Administrator Thesau M. D. L. Ioannes Tarło Palat: Lublin. Alexander á Bodzistaw Wysocki Venator Palatinat Bresten: Deputatus Palatinatûs Inouladislauiensis. Ioann. Ignatius Bakowski Succamerarius Culmensis. Consiliarius Terrarum Prussiæ Deputat. Nicolaus á Radzanow Łabicki. Succamerarius Gostinensis & Deputat. Palatinatus Rauensis Ioann. Albertus in Mazenin Opacki Succamerar Terræ Visnen: Deputatûs Ioannes Petrus Tucholka Notarius Terrestris Palatinatûs Pomeraniæ Deputatus.

(Locus Sigilli)	(Locus Sigilli)
(appensi)	(appensi)

Desumpta sunt, ex volumine Constitutionum Regni Anni Domini Millesimi Sexcentesimi Sexagesimi Primi

FINIS





